BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
19 — F
16

Digitized by Google

CONTROVERSIARUM
SCHOLASTICO-POLEMICO-HISTORICO-CRITICARUM,

AUCTORE

LIBERIO à JESU

CARMELITA DISCALCEATO, THEOLOGO EXIMIO, COLLEGII DE PROPAGANDA FIDE PRÆFECTO,

TOMUS QUARTUS ex Posthumis

Continens Tractatum

DE POENITENTIA

In duas Partes discretum.

AUSPICE

EMINENTISSIMO PRINCIPE


CAROLO ALBERTO GUIDOBONO CAVALCHINO

S.R.E. PRESBYTERO CARDINALI

Tituli S. MARIÆ DE PACE,

S. CONGREGATIONIS EPISCOPORUM, ET REGULARIUM NEGOTIIS PRÆPOSITÆ

PRÆFECTO.



MEDIOLANI MDCCXLVIII.

Ex Typographia Petri Francisci Malatestæ. *SUPERIORUM PERMISSU.*

Digitized by Google



Digitized by Google

EMINENTISSIME PRINCEPS.

PRæclariſſimo tuo inſcriptum nomine, PRINCEPS EMINENTISSIME, publicam modò lucem aſpicit *Liberii* Carmelitæ Diſcalceati quartum hocce Polemicarum Controverſiarum Volumen, prioribus editis minimè invidens auſpicatum in Egregio Mecœnate ſplendorem. Cujus enim mentem ſubeat CAROLUS ALBERTUS GUIDOBONUS CAVALCHINUS, atque illicò non ſuſpiciat, maximiſque efferat laudibus Virum purioris ſanguinis nobilitate, ſapientiâ, gravitate, prudentiâ, conſiliorum altitudine, magnarumque rerum molimine, Patriæ, inclytæ Urbi, ac Univerſæ Eccleſiæ ſpectabilem, ac celeberrimum? Magnificentiſſimè id teſtatum habes ab effuſa penè totius Catholici Orbis lætitia, animique exultatione, qua Te, EMINENTISSIME PRINCEPS, inter Purpuratos Chriſtianæ Reipublicæ Proceres a SS.MO D. N. BENEDICTO XIV. Eccleſiæ clavum nunc feliciter moderante in prima Cardinalium Creatione cooptatum audivit, ab hujuſce nobiliſſimi Collegii Juriſconſultorum, Judi-

cum, Comitum, Equitumque Mediolanensium, cui novum, perspicuumque attulisti decus, ingenti gratulatione, ac demum ab eximio, quod in ore omnium versabatur, excelsi tui nominis præconio, Consistorialis, videlicet, Aulæ Advocati, Votantis Signaturæ Justitiæ, & Gratiæ, Fidei Promotoris, Universalis Inquisitionis Consultoris, Examinatoris Episcoporum, Sacræ Assessoris Pœnitentiariæ, Congregationis Cardinalium Sanctæ Tridentinæ Synodi Interpretum a Secretis, quæ diù multùmque æqui, bonique tenax solummodo Justitiæ, Fidei incrementis, Deique gloriæ studens dum summa cum laude gessisti, Te sacro Purpuratorum Patrum Cœtui natum propalam faciunt, atque ampliorem auspicantur dignitatem. Universa hæc, impensumque jugiter egregiis viris favorem gestienti recolens animo, in eam optimam spem erigor, quod sicuti haud potui operi huic Patronum quærere excellentiorem, ita nec Tibi gratiùs, ac pietati tuæ jucundissimum contingere poterat, quàm istud munus benigniter intueri, utpote quod in immaculatæ Fidei defensionem elaboratum. Age verò PRINCEPS EM.ME, & hoc qualecunque observantiæ meæ pignus non ex muneris tenuitate, sed ex addictissimo offerentis animo dimensum excipere non dedigneris, atque auctoritate, qua Principem Te omnibus exhibes, me obsequentissimum spectabilis tui Nominis cultorem, quæso, patrocinare, dum ad tuos provolutus pedes Sacram Purpuram venerabundus exosculans, perpetuam Tibi, atque per Te Universo Orbi felicitatem a summo rerum omnium Opifice perennè, suppliciterque deprecabor.

EMINENTIÆ VESTRÆ

Humillimus, Obsequentissimus, Addictissimusque Famulus
Joannes Franciscus a Tritio.

AD

AD LECTOREM.

HAbes, AMICE LECTOR, in prima parte hujusce Tomi Polemicas potissimùm Controversias de Sacramento Pœnitentiæ, in Parte altera ea omnia, quæ ad corroborandam Christianæ Attritionis vim transalpinis doctrinis penè enervatam, apprimè deservire possunt.

Equidem in Prologomenis concinnè primo Tomo appositis ab Egregio Doctore Nicolao Sormani (qui hanc LIBERII Spartam olim susceperat ornandam) Pars prior, utique ad mentem Auctoris, de efficacia Attritionis, Secunda verò de reliquis ad Pœnitentiæ Sacramentum spectantibus promittebatur; verùm aptiùs fortassis Ordo immutatus est, atque postremò additur Opus, in quo elaborando, omni eo, quo pollebat ingenii acumine, insudavit LIBERIUS: etenim, dum in humanis agebat, diù multùmque de sufficientia Christianæ Attritionis pro Pœnitentiæ Sacramento inter Theologos disceptatum est. Reclamantibus perperàm nonnullis rem planè ab Ecclesiâ eliquatam contra Attritionem, totus incubuit ad perquirendam veritatem, ut ad ejusdem Ecclesiæ mentem omninò consonè sentiret, atque suæ, aliorumque consuleret taluti, ne falsa docendo reus esset judicii. Itaque quotquot Romæ Eruditorum manibus versabantur libri hac de re tractantes, exquisitè evolvit, atque scrutatus est; hinc sive publicis, sive privatis Concertationibus, ut Adversantium momenta dignosceret, sæpenumero discussorio examine res ita pro virili perpensa fuit, ut neminem pro veritate utvis maximi momenti disquirenda ad majorem diligentiam adstringi unquam posse ipsemet fateatur. Collatis itaque hinc indè argumentis de sufficientia Attritionis, a sententia primitùs adoptata nusquam avocari potuit; unde factum est, ut instantibus plerisq. viris doctrinâ, & dignitate fulgentibus lucubrationes suas publici juris facere debuerit. In iis ad unguem Decreto obsequitur Alexandri VII. mandantis, ne quis ullam alicujus Theologicæ censuræ, alteriusque injuriæ, aut contumeliæ notam oppositæ sententiæ inurat. Fusa eruditione, sive ex divinis literis, sive ex Sacris Canonibus, sive ex Summorum Pontificum Decretis, sive ex Patribus, sive ex præclarissimis documentis excerptâ rem totam absolvit. In promovendis, dissolvendisque argumentis, juncto cum Polemica fœdere, scholastica utitur methodo, egregiam Dominici a Soto adoptans animadversionem, videlicet -- Sacræ Paginæ legitima sensa, divinorumque Patrum intelligentia, non aliter profectò, quàm sedulo Scholasticæ studio erui satis, atque ad veram lucem perduci solent -- Tom. 1. Prolog. 4. Sent.

„ gitima sensa, divinorumque Patrum intelligentia, non aliter profectò, quàm
„ sedulo Scholasticæ studio erui satis, atque ad veram lucem perduci solent --

Saluberrimum proinde monitum, quod a Paulo Maria Cavuino ex inclyto Prædicatorum Ordine celeberrimo Theologo in censura ejusdem Operis primò impressi notatur, ad Lectorem dirigit -- Ut vigilanter caveat ab intollerabili illo quorun-
„ dam fastidio, seu fortasse etiam contemptu Theologiæ Scholasticæ, qui plus
„ nimio, sive immoderatè extollentes positivam, ad illius dejectionem non ad-
„ vertunt, vel fortè simulant non advertere ex hoc potissimùm fonte prodiisse non
„ solùm apud infensissimos Catholicæ Fidei hostes, sed apud etiam nonnullos
„ ejusdem Professores impiissima dogmata nuperrimè iterum a S. Sede justissimè
„ projecta -- Primò igitur editum fuit Opus an. 1713. sub titulo: FOEDUS AMORIS, ET TIMORIS DEI IN MINISTERIO SACRAMENTALIS RECONCILIATIONIS HOMINIS AD DEUM, nunc verò tanquam Pars altera de Sacramento Pœnitentiæ post Polemicas ejusdem Controversias aliqualiter abbreviatum, paucisque immutatis recuditur: quæ enim protracta nimis quibusdam visa fuere, operæ pretium fuit ea resecare, aut compendiariò referre; Opus tamen numeris omnibus absolutum invenies, AMICE LECTOR, ut nihil amplius, sive ad propugnandam Christianæ Attritionis efficaciam, sive ad revincendas Adversantium Objectiones desiderari queat. Nullâ elegantiæ, sed tantùm perspicuitatis habitâ ratione scripsit LIBERIUS; Siquidem fas est credere Mel-

chioris Cani sensa adoptasse, qui in Proemio *libri 2. de locis Theologicis* scribebat — „ De rebus obscuris, atque ad intelligendum difficilibus dilucidè dicere, nec sen- „ tentiis solùm argutè, sed verbis etiam ornatè adeò operosum est, & arduum, „ ut iniquus futurus sit, qui voluerit efflagitare — Ceteroqui cum Athanasio — „ Plurimùm te exhortatur, ut in istis legendis quædam emendes, & ubi imbecil- „ lior est dictio, veniam dones — Etenim, ùt egregiè animadvertit Augustinus — „ Bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba. „ Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus, non potest, aut quid „ obest lignea, si hoc potest; quando nihil quærimus, nisi patere, quod clausum „ est — Vale.

Ad Serapionem de Spiritu Sancto.

Lib. 2. de Doctrina Christ. cap. 11.

J. ✠ M.

FR. SYMPHORIANUS A S. ANDREA
PRÆPOSITUS GENERALIS
Fratrum Carmelit. Discalceat. Congregationis S. Eliæ Ordinis Beatissimæ Virginis Mariæ de Monte Carmelo, ac ejusdem S. Montis Prior.

TEnore præsentium facultatem impertimur, quantùm ad Nos attinet, P. Fr. Joanni Francisco à S. Maria Magdalena Congregationis nostræ Sacerdoti Professo, ut typis mandet libros, quibus titulus *Opera P. F. Liberii à Jesu Carmelitæ Discalceati*, à supradicto Patre concinnatos, & à duobus Theologis è nostris recognitos, & commendatos. Datum Placentiæ in Conventu nostro S. Theresiæ die 13. Septembris 1741.

F. Symphorianus à S. Andrea Generalis.

L. ✠ S.

Fr. Clemens à Passione Secretarius.

EX commissione Reverendissimi Patris Hermenegildi Todeschini Sacræ Theologiæ Magistri, & Mediolani contra Hæreticam pravitatem Generalis Inquisitoris examinavi Librum inscriptum — *Controversiarum Scholastico-Polemico-Historico-Criticarum Auctore Liberio a Jesu Carmelita Discalceato Tomus IV ex Posthumis continens Tractatum de Sacramento Pœnitentiæ*, eumque judico Fidei documentis omninò consonum, Morum ædificationi permaximè utilem, soli Hæresi & quidem usque ad internecionem infensum — Mediolani ex Conventu SS. Cosmæ, & Damiani die 4. Januarii Anni 1747.

Fr. Gabriel Maria a Sancto Dominico Ordinis Discalceatorum Sancti Augustini Sacræ Theologiæ Prælector.

Die 14. Martii 1747.

Attenta supradicta Approbatione

IMPRIMATUR.

Fr. Ermenegildus Todeschini O. P. Inquisitor Generalis Mediolani.

J. A. Vismara Pœn. Major pro Emo, & Rmo D. D. Cardinali Archiepiscopo.

Vidit Julius Cæsar Bersanus pro Excellentissimo Senatu.

ELEN-

ELENCHUS CONTROVERSIARUM
TRACTATUS QUINTI.
DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

Numerus paginæ columnam indicat.

PARS PRIMA.

DISPUTATIO PRIMA.

CONTROVERSIA I.

CONTROVERSIA II.

CONTROVERSIA III.

CONTROVERSIA IV.

CONTROVERSIA V.

DISPUTATIO SECUNDA.

DE REMOTA POENITENTIÆ MATERIA.

CONTROVERSIA I.

CONTROVERSIA II.

CONTROVERSIA III.

DISPUTATIO TERTIA.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

CONTROVERSIA II.

CONTROVERSIA III.

CONTROVERSIA IV.

lativo a

DISPUTATIO QUARTA.

DE NECESSITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ, EJUSQUE INSTITUTORE.

DISPUTATIO QUINTA.

DE POENITENTIA UT EST VIRTUS.

DISPUTATIO SEXTA.

DE AURICULARI CONFESSIONE.

gri-

Sa-

CON-

Pro-

F I N I S.

TRA-

TRACTATUS QUINTUS.
DE PŒNITENTIÆ SACRAMENTO.

DISPUTATIO PRIMA.

CONTROVERSIA I.

AN DETUR IN ECCLESIA CATHOLICA POTESTAS REMITTENDI PECCATA.

REsbloiln hujos Coorroversiæ est fundameotalis pro statuenda veriiate de Sacramento Pœolteutiæ, ideo ab noiversis Doctoribus demoostrantibus pœoitentium esse Sacramentum, vel suppooitur, vel assomitor in probatinnem, & revera losirmato hoc principio cætera collabontur; ot ergo solidè eaamioetne, prodoccodum est qoid loimici veritatis sentlanr.

§. I.

SYNOPSIS HISTORICA.

Montanus negavit in Ecclesia remissionem.

1 MOotaons Phrygios prodoeitur primos asserior erroris negantis in Ecclesia potestatem dimittendi peccaia, qood iorelligeodom est ex parte, non ea toto. lo duplicem eoim elassem dividebat peccaia; ulia capiraliu dicebat, & maculas, & hæc irremissibilia per Eeelesiæ claves ducebat. Aiia leviora appellabat, & sordes, & hæc remissibilia statuebat. Testimonium hujos omoi eaeeptione majos est Tertolliunos *Lib. de Pudicitia*, quem scripsit, cum esset effectus Moniaoista, obi *Cap.* 2. habei -- „ Caosas pœoireotium delicta condicimus. „ Hæc dividimus io doos esitos; alia eroot „ remissibilia, ulia irremissibiliu -- Quam doctrioam sæpè repetit solvens quædam Catholieotom argumenta, & retractans, quæ Catholicus diaerat *lib. de Pænit.* loier peccaru irremissibiliu eoomerat *Cap.* 24 Idololatriam, Homicidium, Fraodem, Mæchiam, & Fornieationem, Blasphemiam, & negationem, & alia hujus geoeris. Huoe errorem habuisse Montaoum testaiur *S. Hieronymus*; Nam de Moutaoistis seribeos *Epist.* 54. uit -- Illi ad omoe peoe delictum Ecclesiæ „ foees obserraor -- Suas omoes eaeruit vires hojuscemodi hæresis in Novatianis. Coosuodoot Eosebius *Lib.* 6. *C.* 35., Epiphanius *Hær.* 39. aliique Novatum, & Noviatiaunm, oisi forte in onitaie Schismatis, iniriaodæque sectæ noiantur. Cæterum duæ foerunt distioctæ personæ: Novatos eoim Carthaginensis Presbyter, vir fuit scelestissimus, cujos vltiorum copiosum Cathalogum dedit S. Cypriaoos *Epist.* 49. Sancto Corneliu Pontifici Romanu, propter qoæ prævideos se ab Episcopis exeommuoieaodum, sortivo tempore aufugiens, Romam venit, ubi Novatianom in Schismate adversos Coroelinm incendit, ùt, enarratis ejusdem sceleribus, scribit Sanctus Pacianus *Epist.* 3. ad Symprooiaoum.

Novatianus a Novato contra Papam incitatur.

2 Novatianos soit in Presbyterum Romanum promutus, ea dispensutioue, Populo id ægrè serente, cum esset illius dignitatis ineapax; Catechumenos siquidem susceperat in lecto Baptismum, & coovaleseeos, oec sopplevit solemoes Baptismi cæremooias, uec Coofirmatiooem secuodum illios temporis morem; quippe rogatos, procella persecoilnois instaote, ui populo soccurreret, in cubieulo clausos adjieeit se alterios Philosophiæ studio detioeri. Joraverat Episcopatum nullatenus eooeopiseere, sed Sacrameoti vim fregit, & advocatis ea Italia tribus Episcopis fraudolentiâ deceptis ab his, alilsque similibus ebrietate sopitis coosecratoriam manus imposiiiooem eatorsir, & per vim Episcopatum sibi vendicavit; hinc sacrilegiu cumulans, ut partes suas aogeret, Missâ eelebratâ, accedeotes ad saeram Commuoiooem Fideles, comprehensa utraqoe Commuoicantium mauu, priosquam iraderet Eucharistiam, cogebat jurare per Corpus, & saoguioem Domioi oosqoam suas partes desertutos, & ad Cornelium reversotos. Hæe refert Eusebius *Lib.* 6. *Ecclesiasticæ Historiæ c.* 43. ea fragmeotis Epist. S. Coroelii ad Fabium Antiochenum, & plora ioveoies apud Theodoretum *Lib.* 3. *Hæreticarum Fabularum Cap.* 5.

Cooatos est Pseudopapa Novatiaoos soom facere Cyprianom, missa ad ipsom legatione, & ealumoiosis aeeusationibus adversus Cornelium, quæ omnia repolit Sanctus Martyr certior factus a Pompeio, & Stephano Episcopis de legitima Ordioatione Cornelii, & crimioationis falsitate. Studuit quoque pro viribus totam Africam Cypriaous in unitate universalis Ecclesiæ confirmare, & Coroelio legitimo Pootifici joogi, ad qoem eeduxit Coosessores, qoos Novatianos ab ipso, & ab Eeelesia separaverat, ut coostat *Epist.* 43, & 45. S. Cypriani Coroelio datis. Nee feliciori omioe Saocto Diooysio Aleaandrioo Novatiaous scripsit; oam detecta fraude Schisma ab ipso inteotatom damnavit.

3 Hujus itaqoe primarius error fuit nullam remissivam peeeatorum potestatem in

Ecclesia adesse. Attamen velùt per gradus error processit: Primò solis lapsis in persecutione, & Libellaticis negavit Indulgentiam, & spem salutis abstulit; Quare S. Cyprianus *Lib. de lapsis, & Epist. 57. ad Cornelium*; Eusebius *Lib. 6. Hist. Eccl. c.35.*, Socrates *Lib. 4. Hist. Eccl. cap.23.* ajunt, quod peccatum ad mortem, hoc est, Idololatriam voluit Novatianus irremissibile; alia deinde graviora addidisse crimina Idem Auctor describit *Lib.7 C.25.* referens colloquium Attici Constantinopolitani Episcopi cum Asclepiade Episcopo dicente -- Præter Idolis sacrificandi „ peccatum sunt alia multa peccata ad mortem, uti ex sacris litteris perspicuum est, „ ob quæ vos solùm Clericos, nos Laicos „ etiam communione excludimus, potestate „ soli Deo illos ignoscendi permissa -- Ab hoc secundo gradu ad tertium descendentes dixerunt Novatiani in nulla peccata Ecclesiam habere claves, ùt colligitur ex Epiphanio *hær. 59.*, ex Ambrosio *Lib.1. de Pænit. C. 2.* -- „ Sed ajunt se exceptis gravioribus criminibus relaxare veniam levioribus. Non hoc „ quidem auctor erroris vestri Novatus, „ qui nemini pœnitentiam dandam putavit .... Ita nec Novatus probatos, qui „ veniam interclusit omnibus, nec vos imitatores ejusdem -- Ex Sancto Paciano *Epist. 3. ad Sympronianum* ubi -- Tractatus „ omnis Novatianorum, quem ad me, conſertis undique propositionibus, destinasti „ hoc continet, quod post Baptismum pœnitere non liceat; quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit; imò, „ quod ipsa pereat recipiendo peccantes -- Demum pluribus omissis ex Concil. Trid. *Sess. 14. Cap. 1.* ubi -- Et Novatianos, remittendi potestatem olim pertinaciter negantes, magna ratione Ecclesia tanquam „ Hæreticos explosit, atque condemnavit -- Absolutus hujusmodi loquendi modus ad omnia se extendere crimina nemo unus non videt.

Novatiani errores.

4 Ex quibus conciliantur Juniores quidam negantes colligi ex S. Cypriano, aut ex Patribus Novatianos ad omnia peccata claves abstulisse; Nam isti locuti sunt pro aliquo hæresi statu, non autem pro omni; Solemnis namque est hæresibus variatio, & ampliatio, vel etiam limitatio, sive per auctores ipsos, sive per discipulos; & pro re nata Ambrosius *Lib.1. de Pænit Cap.2., & 3.* docet Novatum in principio generalem docuisse errorem, discipulos vero limitasse, in principio, hoc est, ipso docente, & initiante sectam. Novatianorum sectam secutus ast Wiclephus, qui de Confessione *Cap. 4.* apud doctissimum Waldensem *Tom. 2. de Sacr. C. 145.* ait -- Dictum est diffusè alibi, „ quod istæ claves non sunt potestates spirituales datæ specialiter nostris Sacerdotibus ad tollenda peccata Hominibus, quia „ hoc est Agni proprium, sed istæ claves „ sunt potestates, & scientiæ ad deviantibus judicandum conformiter voluntati di„ vinæ, secundum judicium legis Dei -- Dictum istud absolutum est, & universale, adimens potestatem dimissivam peccatorum in Ecclesia.

Hæresis Novatiana statu variat.

5 Huic errori propius accessisse videtur Michael Bai, ut videre est ex propositione ab Ecclesia proscripta per Constitutionem Pii V. anno 1567., Gregor. XIII. an. 1579., & Urbani VIII. an. 1641., quæ est 57. in ordine -- Sacerdotis absolutione pro„ priè reatus peccati dumtaxat tollitur, & „ ministerium Sacerdotum solùm liberat a „ reatu -- Ubi negat in Sacerdotibus potestatem dimittendi peccata, quantum ad culpam, & solùm concedit quantum ad obligationem ad pœnam. Qui error ortum habet ex altero insinuato in propositione antecedenti, videlicet, quod actu peccaminoso transeunte, nihil manet, nisi obligatio ad pœnam: omissis aliis errantibus circa potestatem dimittendi peccata, explicandum est, quid de ea sentiant Novatores.

Michael Bai Hæreticis favere videtur.

6 Docent itaque potestatem remissivam peccatorum Ecclesiæ concessam nihil aliud esse, quam facultatem annunciandi Evangelium, & baptizandi, declarandique peccata esse a Deo remissa, pro qua re sufficiat Concilii Tridentini auctoritas, cui Hæreticorum modernorum perspecta apprimè erant principia *Sess. 14. Cap. 6.* habet -- „ Quamvis autem absolutio Sacerdotis alie„ ni beneficii sit dispensatio, tamen non est „ solùm nudum ministerium, vel annun„ ciandi Evangelium, vel declarandi remis„ sa esse peccata, sed ad instar actus judi„ cialis, quo ab ipso, velut a Judice sen„ tentia pronunciatur -- Et *Can. 9.* ait -- Si „ quis dixerit absolutionem sacramentalem „ Sacerdotis non esse actum judicialem, sed „ nudum ministerium pronunciandi, & de„ clarandi remissa esse peccata .... Ana„ thema sit -- Quibus, qualis sit Catholicorum doctrina, in aperto est.

Novatorum errores de Pœnitentia.

7 Quamvis Catholici Doctores nonnulli negaverint vim remissivam peccatorum in Clavibus quo ad culpam, toto tamen Cælo recedunt ab Hæreticorum semitis: nullam agnoscunt isti vim activam in Clavibus, magnam verò agnoscunt illi. Primò affirmant verba absolutionis in voto remittere peccata quantum ad culpam. Secundò docent, dum actu proferuntur, conferre gratiam sanctificantem elongativam a peccato, præsuppositam augendo. Tertiò asserunt delere pœnam peccatis debitam coram Deo vel temporalem, vel æternam. Præcitati volunt, quod deleant solùm pœnam temporalem. Ricardus de S. Victore *Lib. de Potestate ligandi, atque solvendi Cap. 12.*, Hugo Victorinus *in Summa Sentent. tract. 5. Cap. 11.*, & *Lib. 2. de Sacram. p. 14. Cap.8.* tenent solvere etiam æternam pœnam. Quare in horum Catholicorum sententia Sacerdotalis absolutio non est nudum ministerium annunciandi Evangelium, vel declarandi peccata esse remissa, ac proinde longè recedunt a regulis, quas sequuntur Acatholici.

§. II.

§. II.

DATUR IN ECCLESIA VERA POTESTAS DIMITTENDI PECCATA QUANTUM AD CULPAM.

Kemnitii calumnia.

8 SEnsus Catholicæ conclusionis est de potestate remissiva ministerialiter, non autem principaliter, evidens enim est Deum solum esse causam principalem remissivam peccatorum: unde calumniam nobis impingit Kemnitius *Part. 2. Examinis Trident. pag.* 905. dicens -- Peccatorem post „ Baptismum lapsum, quando quærit, & „ ambit reconciliationem cum Deo, & re„ missionem peccatorum, Pontificii per Sa„ cramentum suum pœnitentiæ deducunt ad „ humana, seu propria opera, ut illa, ac„ cedente verbo absolutionis, fiant, ut sint „ Sacramentum, hoc est, causa efficiens, „ & conferens gratiam reconciliationis cum „ Deo, & remissionis peccatorum — Cum dicamus actiones pœnitentis simul verbo absolutionis adjuncto instrumenta Dei esse, profectò non ùt actiones humanas concurrere ad remissionem peccatorum asserimus, nec in opere proprio vim causativam ponimus, cum verbum tantùm nomine Dei prolatum a Sacerdote affectivum prædicemus. Explicata veritas sic

Christus adimplevit, quod promisit.

9 PROB. I. Christus innegabiliter adimplevit, quod Petro promisit; sed Petro, & in Petro, & per Petrum Ecclesiæ promisit potestatem remissivam peccatorum quantum ad culpam; ergo hanc potestatem concessit Christus Ecclesiæ. Ostenditur assumptum Matthæi 16. vers. 18. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ Inferi non prævalebunt adversus eam; & tibi dabo Claves Regni Cælorum. Et quodcunque ligaveris super Terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis*. Hic Petro, ejusque Successoribus, & Episcopis, seu Ecclesiæ claves promisit, & propter hoc super Petrum Ecclesiam ædificaturum dicit. Claves autem important principaliter potestatem dimissivam peccatorum, & declaratur I. Usus proprius Clavis est aperire januam clausam, removendo instrumentum, per quod occluditur: illud autem, quod claudit Regnum Cælorum homini existenti intra Ecclesiam est peccatum actuale lethale sumptum quoad culpam, & omne aliud, quod Cœlum claudit, à reatu culpæ oritur: Si autem Claves Petro promissæ aperiunt Cælum, oportet dicere, quod vim habeant amovendi peccata quoad culpam. II. Promisit Christus Claves, non Clavem, Claves illimitatè; sive autem Claves Cæli sint plures, idest diversæ potestates, sive sit una habens plura munera, omnes Petro Christus promisit. Certum autem est dari potestatem supra peccatum; unde admirantibus Judæis, quod Christus remitteret peccata, respondit: *Ut sciatis, quia Filius hominis habet potestatem in Terra dimittendi peccata, tunc ait Paralitico, surge, tolle lectum tuum*. Et ex professo loquitur de Filio

A hominis, ut non solùm qua Deum, sed etiam qua hominem ostenderet se habere potestatem dimittendi peccata; hanc ergo Petro daturum promisit per participationem, cum omnes Claves promisit. III. Christus promissis Clavibus addidit *Quodcunque solveris*, illud verbum *Quodcumque* indefinitum est, universale, & comprehendens omne vinculum pœnæ, & culpæ: adeoque concedendam promisit potestatem supra peccati culpam, & hanc maximè, quia vinculum spiritualiter ligans, in proprietate est culpa, de quo dicebat Psalm. *Dirupisti vincula mea*, & Propheta *Solve vincula colli tui captiva filia Sion*. Ulterius usus est verbo *Solveris*, *Liga-* B *veris*, non solùm declaraveris, vel ligatum, non annunciaveris solutionem faciendam ab alio, sed tu solveris, tu ligaveris: subdit Christus. *Quodcunque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis*; quod autem in Cœlo solvitur, peccati culpa est; qua non soluta nullum aliud vinculum solvi potest; adeoque per prius Petrus super terram culpam solvit, aliàs solvens vinculum in Terra, non esset solutum in Cœlo, ubi omnia vincula manent integra, quandiu peccati culpa non aufertur. Quibus claris terminorum expositionibus evanescunt omnia Hæreticorum effugia.

C 10 Hinc S. Ambrosius *Lib. I. de Pænit. Cap. 6.* ait -- Non habent Petri hereditatem, qui fidem Petri non habent, quam „ impia divisione discerpunt; sed hoc im„ probè, quod etiam in Ecclesia donari „ peccata negant posse, cum Petro dictum „ sit: Tibi dabo Claves Regni Cælorum, „ & quæcumque ligaveris super Terram, „ erunt ligata & in Cælo, & quæcumque „ solveris super Terram, erunt soluta & „ in Cælis — Ecce Petri hereditas potestas est dimittendi peccata. S. Augustinus *Lib. de Agone Christiano Cap.* 31 habet -- Nec eos „ audiamus, qui negant Ecclesiam Dei om- D „ nia peccata posse dimittere. Itaque mi„ seri, dum in Petro petram non intelli„ gunt, & nolunt credere datas Ecclesiæ „ Claves Regni Cælorum, ipsi eas de ma„ nibus amiserunt -- Vide Ecclesiam peccata dimittere per Claves Petri. Venerabilis Beda in *Joan.* 21. habet — Ecclesia, quæ „ fundatur in Christo, Claves ab eo Regni „ Cælorum accepit in Petro, idest potesta„ tem solvendi, ligandique peccata.

Potestas destruendi peccata collata Ecclesiæ.

11 PROB. II. Potestas activè tendens in destructionem peccati est potestas dimittendi peccata quoad culpam, sed in Ecclesia Dei datur potestas destruendi peccatum: E ergo datur potestas peccatorum remissiva. Ostenditur positio. Joan. 20. v. 21. habetur: *Dixit eis iterum: pax vobis, sicut misit me Pater, & ego mitto vos; hæc cum dixisset insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Adimplet hic promissa *Matth.* 16., *&* 18. Concedit potestatem dimissivam peccatorum, quam spoponderat. Quod evincitur I. In verbis Sacræ Scripturæ retinendus est naturalis sensus, quem præferunt in communi acceptione; sed naturalis sensus allegatæ sententiæ significat, & explicat potestatem

verè dimissivam peccatorum, ut evidenter constructio propositionis demonstrat; ergo concessa est Ecclesiæ vera potestas remissiva culpæ. II. In Scripturis, ubi similis propositio Deo applicatur, significat veram potestatem supremam, & principalem remissivam peccatorum quo ad culpam, fatentibus ipsis fidei hostibus. *Quis est, qui peccata dimittit, nisi solus Deus?* Ubi applicatur Christo significat eandem potestatem per excellentiam. *Remittuntur tibi peccata tua*. Ergo ubi applicatur Ministris Dei, & Christi significat eandem potestatem per modum ministerii, ut in Ecclesiastica Hierarchia ordo servetur. III. Natura officii, quod Apostolis assignat, id manifestè exigit; ad illud enim munus, ad quod Christus venit, illos subrogat. *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Sicut Christus missus est in destructionem Regni peccati, & in ædificationem Regni justitiæ auctoritate excellentiæ, pluribus quidem donis ad hoc cumulatus, quæ inter Potestas dimissiva culpæ per peccatum inductæ jure censetur. Ita Apostoli missi a Christo sunt in destructionem ejusdem Regni peccati; ergo per donum verè remissivum peccatorum quoad culpam; aliàs dessignatæ missionis proportio in verbis Christi non subsisteret.

12 S. Ambrosius *Lib. 1. de Pænit. c. 2.* audiatur: Novatianorum namque solvens objectionem habet -- Sed ajunt se Domino „ deferre reverentiam, cui soli remittendorum criminum potestatem reservent. „ Imò nulli majorem injuriam faciunt, quam „ ei, cujus volunt mandata rescindere, commissum munus refundere: Nam cum ipse in Evangelio suo dixerat Dominus Jesus: Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, „ & quorum detinueritis, detenta erunt. „ Quis est ergo, qui magis honorat, utrum „ qui mandatis obtemperat, an qui resistit? „ Ecclesia in utroque servat obedientiam, „ ut peccatum, & alliget, & relaxet -- Similia passim occurrunt in aliis Patribus.

Spiritualis vivificatio peccatoris resurrectioni Lazari comparatur.

13 PROB. III. Figurâ Evangelicâ in Resuscitatione Lazari communi Patrum concepto significatur spiritualis vivificatio Peccatoris qua transit a statu mortis spiritualis ad vitam gratiæ per remissionem peccatorum, & infusionem charitatis sanctificantis; Sed ex hoc evincitur datam Pastoribus Ecclesiæ potestatem verè dimissivam peccatorum, ergo admittenda est in Ecclesia hujusmodi potestas. Explicatur assumptum. Joan. 11. v. 43. *Hæc cum dixisset, voce magna clamavit: Lazare veni foras. Et statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus institis, & facies ejus sudario erat ligata. Dixit ei Jesus; Solvite eum, & sinite abire.* Hìc ponitur totus processus necessarius in conversione peccatoris. In clamore valido evocante Lazaro è monumento, significatur donum gratiæ excitantis, sine qua impossibile est hominem a peccatis resurgere, & est primus motus ad justificationem. In exitu Lazari a Sepulchro, designatur cooperatio peccatoris ad gratiam excitantem per motus Fidei, Spei, & timoris informes; [illegible] apertè docet Trident. *Sess. 6. Cap. 6.* -- „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, „ dum excitati divina gratia, & adjuti, fidem ex auditu concipientes, liberè moventur in Deum, credentes vera esse, „ quæ divinitus revelata, & promissa sunt -- In vinculis pedum, & manuum designatur reatus culpæ, & pœnæ, ideo in plurali *Institis*, hoc est, fasciis, quia peccator excitatus motibus gratiæ prævenientis, non solum reatum pœnæ habet, sed etiam culpæ, vivit vita initiali, sed non vivit vita radicali, & habituali; Ideo ligatus pedes, & manus: qui enim talis est, operari non potest, sic nondum solutus a culpa operari meritoriè nequit; qui autem solùm pœnæ reatu ligatur, operari potest fructuosè, & meritoriè: designatur itaque peccator utroque vinculo culpæ, & pœnæ ligatus. In ultimis particulis clarè significatur potestas solvendi a peccatis collata Pastoribus. *Solvite eum, & sinite abire*. Non dixit: videte, an sit solutus, sed solvite, non dixit: ostendite esse solutum, sed solvite vos; sicut ergo corporalia vincula realiter soluta sunt in Lazaro, sic Apostoli, & eorum Successores solvunt realiter vincula peccatorum; plana est textus expositio, sed ex Patrum sententia clarior fiet.

14 S. Augustinus *Serm. 8. de verbis Domini Cap. 2.* -- Dicit ergo aliquis: Quid „ prodest Ecclesia, si jam Confessus voce „ Dominica resuscitatus prodit? Quid prodest Ecclesia confitenti, cui Dominus ait: „ quæ solveritis in Terra, soluta erunt & „ in Cœlo? Ipsum Lazarum attende; cum „ vinculis prodit. Jam vivebat confitendo, sed nondum liber ambulabat vinculis irretitus. Quid ergo facit Ecclesia, „ cui dictum est. Quæ solveritis, soluta „ erunt; nisi quod ait Dominus continuò „ ad Discipulos: Solvite illum, & sinite „ abire -- Et *Concione 2. in Psal.* 101. ubi -- „ Remissio peccatorum solutio est. Quid „ enim prodesset Lazaro, quia processit de „ monumento, nisi diceret; Solvite eum, „ & sinite abire? Ipse quidem vocem de „ Sepulchro suscitavit, ipse clamando animam reddidit, ipse terrenam molem terreno Sepulchro impositam vicit, & „ processit ille vinctus. Non ergo pedibus „ propriis, sed virtute producentis: sic „ hoc in corde pœnitentis: Cum audis hominem pœnitere peccatorum suorum, jam „ revixit: Cum audis hominem confitendo „ proferre conscientiam, jam de Sepulchro „ eductus est, sed nondum solutus est. „ Quando solvitur? A quibus solvitur? „ Quæ solveritis, inquit, in Terra, erunt „ soluta & in Cœlo; Meritò per Ecclesiam „ dari solutio peccatorum potest: suscitari „ autem ipse mortuus non nisi intus clamante Domino potest. Hæc enim Deus „ interius agit --

15 S. Ambrosius *Lib. 2. de Pænit. C. 7.* eundem locum versans inquit -- Compatitur dilectæ suæ, & dicit defuncto: Veni foras; hoc est quid jaces in tenebris „ conscientiæ, & delictorum tuorum sordibus, quodam reorum carcere? Exi foras, delictum proprium prode, ut justificeris: Ore confessio fit ad salutem; „ si con-

„ si confessus fuerit a Christo vocatus, clau-
„ stra rumpuntur, & omnia solventur vin-
„ cula, etiamsi corruptelæ corporeæ fœtor
„ gravis sit. . . . Quantuslibet ergo mortui
„ fœtor sit, abolerur omnis, ubi sacrum redo-
„ leverit onguentum; & resurgit defunctus,
„ & solvi jubentur ejus vincula, qui adhuc
„ in peccato est. Tollitur velamen de
„ facie ejus, quod veritatem gratiæ, quam
„ acceperat, obumbrabat; Sed qui veniâ
„ donatus est, revelare faciem, aperire
„ vultum jubetur. Non habet enim, quod
„ erubescat, cum peccatum remissum est —
Apertè docet Sanctus Pater, quod adhuc in peccato est, cujus vincula jubentur solvi, ut intelligamus ipsa peccata solvi per potestatem Ecclesiæ. Alii similia, quibus constat, quam malè dicat Wicleph. *Serm. 9. parte 3. Sermonum*, Nihil blasphemiùs esse, quam quod peccatum tollatur per Romanum Pontificem, vel per ejus Vicarium; sicut cum *Cap. 6. de Confess.*, imprudentem similitudinem vocat, quæ dicit, quod Sacerdotes debent solvere ligamina — Scilicet con-
„ suetudinem peccandi sancta prædicatione,
„ quibus post delectationem peccati per Do-
„ minum sunt ligati —

Major potestas in Sacerdotibus novæ, quam veteris legis.

16 PROB. IV. Majoris potestatis debent esse Sacerdotes novi Testamenti, quam fuerint Aaronici; sed Aaronici habebant potestatem declarandi mundos ab immundis; Ergo Sacerdotes Christi debent insuper habere potestatem purgandi ab immunditia, & non tantùm declarandi; ergo potestatem dimittendi peccata, quæ sunt vera spiritualis immunditia. Argumentum rectè explicatum concludit; Major propositio continetur in doctrina Pauli *ad Hebr. 7. v. 18.*, ubi declarat majorem excellentiam novi Testamenti, & Sacerdotii supra Aaronicum, & quomodo Christus melioris Testamenti Sponsor factus est. Major autem hæc excellentia includit potestatem sanativam a peccatis: Siquidem Sacerdotium Aaronicum reprobatum est, quia carebat hac potestate. *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati, propter infirmitatem ejus, & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex*; Quia in se nullam habebat virtutem significativam: Si ergo lex nova perducit ad perfectum, vim in se continet sanctificativam, adeoque mundativam a peccatis. Minor habetur Levit. 14. vers. 2. *Hic est ritus leprosi quando mundandus est. Adducetur ad Sacerdotem, qui egressus de Castris, cum invenerit lepram esse mundatam, præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeres vivos pro se.* Consequentia tenet ex inducta probatione ex Paulo. In lepra legaliter immunda intelligitur peccatum animam commaculans; unde ut salvetur major excellentia Sacerdotii Christi, oportet, quod non solùm sit delecti criminis declarativa, sed quod reverà a peccato mundet. Et sanè major excellentia, quæ est in nostris Sacerdotibus, est per participationem Sacerdotii Christi; Sacerdotium porrò Christi per eminentiam habebat virtutem purgativam a peccatis, ùt ibi, & *Cap. seq.* Paulus declarat; ergo nostri Sacerdotes participant de hac virtute. Audiamus S. Joan. Chrysostomum *Lib. 3. de Sacerdotio Cap. 5.* ubi — Corporis lepram purga-
„ re, seù ut veriùs dicam, haud purgare
„ quidem, sed purgatos probare Judæorum
„ Sacerdotibus solis licebat . . . . .; at ve-
„ rò nostris Sacerdotibus, non corporis le-
„ pram, verùm animæ sordes, non dico
„ purgatos probare, sed purgare prorsus
„ concessum est —

17 PROB. V. Ecclesia assimilata est Regno, Civitati, Exercitui, ùt perpetuò tradit Scriptura; Atqui in Regno, in Civitate, in Exercitu datur vera potestas solutiva, & ligativa reorum contra civiles leges peccantium: Ergo in Ecclesia datur potestas ligativa, & solutiva reorum contra Dei leges delinquentium: quod argumentum eo veriùs concludit, quo Christus istis similitudinibus explicat clarè cœlestia mysteria. Habemus argumentum *Matth. c. 18.*, ubi explicato præcepto correptionis fraternæ, & potestatem, quam habeant Pastores ligandi, & solvendi: *Tunc accedens Petrus ad eum, dixit, Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dixit illi Jesus. Non dico tibi usque septies; sed usque septuagies septies. Ideo assimilatum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis.* Ecce quam bene per similitudinem Regis explicat Petro doctrinam de remissione peccatorum. Adsumus Chrys. *Lib. 3. de Sacerd. C. 5* —
„ Habent quidem, & terrestres Principes
„ vinculi potestatem, verùm corporum so-
„ lùm. Id autem, quod dico Sacerdotum
„ vinculum, ipsam etiam Animam contin-
„ git, atque ad Cœlos usque pervadit: us-
„ que adeò ut quæcumque infernè Sacerdo-
„ tes confecerint, illa eadem Deus super-
„ nè rata habeat, ac Servorum sententiam
„ Deus confirmet —

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ACATHOLICORUM.

18 OBJIC. I. Communiter Christiana pœnitentia prædicatur ad exemplar Davidicæ, sed in Davidica pœnitentia Dei minister se habuit præcisè per modum annunciantis peccatum dimissum a Deo: ergo pariter in pœnitentia Christiana Sacerdos solùm declarativè se habet. Enimverò quid egit Nathan cum David? Ipsum de peccato reprehendit, quo audito David pœnitet, & Propheta ei annunciat culpæ remissionem a Domino misericorditer elargitam. 2. Reg. 12. v. 13. *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*: Ergo.

Pœnitentia David quo pacto nostra exemplar.

RESP. I. Exemplum Davidicæ pœnitentiæ solùm nobis proponitur ex parte pœnitentis, ut quemadmodum ille ad correptionem Prophetæ pœnituit, ita & nos faciamus; non autem nobis proponitur ex parte Ministri. II. Prophetæ in lege veteri non erant figura Sacerdotum novæ legis: non enim erant Judices ordinarii rerum sacrarum; Sacerdotum munus hoc erat. *Deut. 17.* III. Sacerdotium Aaronicum erat infirmum, & vacuum, secus Evangelicum: Nondum siquidem datus erat Spiritus Sanctus,

ctus, quia nondum venerat Filius Dei, cujus gratiâ fit peccatorum remissio: quare aliter loquendum est de Ministro veteris, & novæ legis.

19 OBJIC. II. Potestas indivisibiliter conveniens Deo, Creaturæ non est communicata; hujusmodi est potestas remissiva peccatorum. Isaiæ 43. v. 25. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me.* Alia litera *Ego solus*; ergo nemo præter Deum dimittit peccata; sicut nullus alius præter Deum est Dominus. Ibid. *Ego sum, ego sum Dominus, & non est absque me Salvator.*

Homo solvit à peccato virtute Dei.

RESP. Duplex datur genus causæ effectivæ, principalis scilicet, & instrumentalis. Causa remissiva peccatorum principalis est solus Deus; instrumentalis est Sacerdos. Quod indicavit Ambrosius *Lib. 5. in Luc. Cap. 5.* -- Quis enim potest peccata dimit-„ tere nisi solus Deus, qui per eos quoque „ dimittit, quibus dimittendi tribuit pote-„ statem? --

20 OBJIC. III. Solvere a peccatis est a peccatis redimere; sed solus Christus a peccatis redimit juxta illud Psalm. 48. v. 8. *Frater non redimit, redimet homo*, scilicet homo antonomasticè, qui est Deus homo.

Redemptio duplex.

RESP. Duplex est redemptio, alia per solutionem exhibentem adæquatum pretium pro æqualitate debiti, alia est per applicationem exhibitæ satisfactionis. Solus homo Deus, qui pro peccatis mortuus est, exhibendo Deo Patri superabundantem satisfactionem redimit. Ceterum pura Creatura illius satisfactionis virtutem applicando redimit, immò ex virtute, & concessione ipsius Redemptoris ex suo satisfacientis. Ambrosius *Lib. 1. de Spiritu Sancto Cap. 9.* exponens Scripturas, quæ tribuunt Deo remissionem peccatorum, declarat ministerialiter Creaturæ convenire -- Sed fortasse dicit aliquis, „ quia & Seraphim dixit Isaiæ. Ecce teti-„ git hoc labia tua, & abstulit iniquitates „ tuas, & peccata tua circumpurgavit .... „ Sed etiam si Seraphim abstulisset peccata „ quasi unum utique de Ministris Dei, ad „ hoc esset mysterium destinatum --

21 OBJIC. IV. Remittere peccata est à spirituali morte ad spiritualem vitam evocare. Sed Sacerdotes nequeunt evocare spirituales mortuos ad vitam juxta illud Psal. 87. v. 11. *Numquid mortuis facies mirabilia, aut Medici suscitabunt, & confitebuntur tibi?* Ubi Augustinus docet excellentes veritatis præcones non dare vitam mortuis per peccatum.

Vita spiritualis duplex.

RESP. quod duplex est vita spiritualis, alia initialis, & fundamentalis: alia formalis, & habitualis, prima vita habetur per fidem, quæ totius spiritualis ædificii fundamentum est: secunda vita per sanctificantem gratiam, quæ omnis meriti radix est, habetur: primam vitam non dant Ministri, nisi media exhortatione nullatenus effectivè, solus Deus est, qui fidem elargitur; Secundam vitam instrumentaliter dant etiam Ministri effectivè, & potestativè administrando Sacramenta. D. Augustinus loquitur de prima vita; unde ait -- Ut osten-„ deret eam ipsam fidem qua credit, & ex „ morte sui cordis anima reviviscit, dari „ dari nobis a Deo -- Quantumcumque excellentes sint, & fortes per miracula Præcones, non reviviscunt peccatores, nisi gratia Dei operante.

Fides à solo Deo.

22 OBJIC. V. Ministerium Sacerdotale erga lapsos Ecclesiæ filios solius benedictionis est. Num. 6. vers. 23., & seqq. *Loquere Aaron, & filiis ejus: sic benedicetis filiis Israel, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te. Ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui. Convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem; Invocabuntque nomen meum super filios Israel, & ego benedicam eis.* Sed benedictio ista non est potestativa peccatorum dimissio, sed solùm impetrativa: ergo non datur in Ecclesia potestas verè dimissiva.

Sacramentalis benedictio à peccatis emundat.

RESP. Benedictio Sacerdotis duplex est: alia simplex, Sacramentalis alia, prima non est effectiva, nisi impetratoriè: secunda est verè effectiva, prima ab Ecclesiæ Ministris, dum sacra peragunt, exercetur; secunda Sacramentorum propria est: De prima loquitur textus, qui etiam limitatè agit pro statu legis veteris, in qua Sacerdotium erat infirmum; de secundo loquitur Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Hinc Augustinus *Lib. 1 de Doctrina Christ. Cap. 18.* -- Has igitur claves „ dedit Ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in „ Terra, soluta essent & in Cœlo; quæ li-„ garet in Terra, ligata essent & in Cœlo: „ scilicet, ut quisquis in Ecclesia ejus di-„ mitti sibi peccata non crederet, non ei „ dimitterentur, quisquis autem crederet, „ seque ab his correctus averteret, in ejus-„ dem Ecclesiæ gremio constitutus, eadem „ fide, atque correctione sanaretur --

23 OBJIC. VI. Peccatum est spiritualis nox animæ; sed hanc noctem solus Christus tollit, juxta illud ad Ephesios 5. v. 14. *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus.* Christus ait, non Sacerdos.

RESP. Locum istum intelligunt quidam de illuminatione mentis cæcitatem, quæ est effectus peccati, sanante, & dicunt peccatum dimitti etiam a Sacerdotibus, secus mentis cæcitatem; sed demus peccatum esse noctem spiritualem, & de ea loqui Paulum; negatur tamen excludi sacerdotale ministerium; quamvis enim Christus lux dicatur, quæ illuminat omnem hominem; Nihilominus Apostolis suis dixit Matth. 5. v. 14. *Vos estis lux Mundi*, ut intelligamus ipsum primariam, & principalem lucem esse, illos autem ministerialiter illuminare.

24 OB. VII. Servus auctoritativam non habet potestatem in Dominum; Sed Ecclesiæ Ministri sunt Fidelium Servi. 2. Cor. 4. v. 5. *Nos autem servos vestros per Jesum*: ergo judiciali dimissiva peccatorum potestate non gaudent.

RESP. Ideo Servi Fidelium Ministri dicuntur, univis Judices sint, quia eorum munus est solius ministerii: Servi nuncupantur secuti præceptum Domini, dicentis Matth. 20. v. 25. *Principes gentium dominantur eorum; & qui majores sunt potestatem exercent in eos; Non ita erit inter vos, sed quicumque voluerit inter vos major fieri, sit vester Minister, & qui voluerit inter vos primus esse,*

Ministri Ecclesiæ quo pacto Servi dicantur.

erit

erit vester servus, sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare. Cæterum potestatem se habere dicit Paulus in eadem Epist. Cap. 13. v. 1. *Ecce tertio hoc venio ad vos; in ore duorum, vel trium testium stabit omne verbum. Prædixi, & prædico, ut præsens, & nunc absens, iis, qui ante peccaverunt, & cæteris omnibus, quoniam si venero iterum, non parcam.*

25 OBJIC. VIII. Munus præconis, & exhortatoris non est potestatis judicialis; sed munus Apostolicum est hujusmodi, juxta illud 2. ad Corinth. 5. v. 20. *Pro Christo ergo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos.*

RESP. Sacerdotes sunt legati Christi; sunt Œconomi super familiam constituti, sed sunt etiam Judices potestatem habentes; quoniam autem eorum potestas præcaria est, & ad ferendam sententiam secundum Christi legem, Ministri dicuntur; Dispensatores quoque nominantur, quatenus in foro pœnitentiæ ex suprema non agunt potestate. Plerique in humanis Principum Ministri dantur, qui in sibi constitutos subditos Prætorium jus habent: Solvit ergo Christus, solvit & Sacerdos, sed aliter, & aliter; ille principaliter, ministerialiter iste, sed tamen uterque solvit, sicut secat artifex, secat & securis, sed aliter, & aliter, secat tamen uterque.

Sacerdotes sunt legati Christi.

26 OBJIC. IX. Eodem modo collata est Apostolis potestas supra peccata, *Jo.* 20., quo collata est super Dæmonia, & super infirmitates, Marci 16. v. 17. *In nomine meo Dæmonia ejicient . . . super ægros manus imponent &c.*; sed super Dæmonia, & infirmitates potestatem expulsivam, & sanativam non habent Apostoli, sed solùm deprecativam; ad quorum preces Deus sanabat infirmos: ergo neque potestatem habuerunt supra peccata.

RESP. Multipliciter deficit argumentum. I. Virtus miraculorum, & sanitatum est gratia gratis data, singulis ad salutem non necessaria; dimissio autem peccatorum lapsis est necessaria, & pertinet ad gratiam gratum facientem; eaque propter non est de utraque æquale jus. II. Non eodem modo collata est potestas super infirmitates, ac super peccata; In aperto quippe est super peccata esse authoritativè donatam, *Quorum remiseritis*; secus super Dæmonia, & infirmitates, quæ deprecativa dignoscitur: *In nomine meo Dæmonia ejicient . . . . Super ægros manus imponent, & bene habebunt.* III. Falsum denique est effectivè instrumentaliter non habuisse Apostolos virtutem sanativam, non quidem per modum habitus, sed per modum transeuntis, ac proinde non infallibiliter. Petrus claudum sanans dicebat Act. 3. v. 6. *Argentum, & aurum non est mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & ambula.* Et D. Ambrosius *Tom. 4. Lib. I. de Pænit. Cap. 6.* -- Datas „ Petro Claves, datam Ecclesiæ potestatem „ remissivam peccatorum comprobat per do„ na miraculorum Apostolis concessa -- Scimus Sanctum Thomam *Quæst. 25. de Sacram., alias 84. 3. p. art. 3. ad 4.* docere potestatem sanandi infirmos Apostolis concessam fuisse impetrativam, sed loquitur regulariter, sicut explicat ibi Cajetanus dicens, Aliquando Apostolos etiam potestativè miracula fecisse: profectò umbra Sancti Petri non sanabat impetrativè; & imperativus modus, quo aliquando utebantur, suadet potestativè miracula perpetrasse, propter quod Christo tribuitur in gradu eminenti potestativa miraculorum patratio.

Potestas miraculorum, & dimittendi peccata discriminatur.

27 OB. X Potestas supponens mundatum a culpa, nequit esse ad remittendam culpam; sed potestas Sacerdotalis est hujusmodi; Nam Matth. 8. sanato Leproso, jussit Christus. *Vade ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum*, quo exemplo demonstravit Christus, Sacerdotes non habere potestatem sanativam a lepra peccati, sed solùm in pœnam solvendam, signatam in munere, quod sanatos debebat offerre.

RESP. Leprosi exemplum nec ex parte Christi sanantis, nec ex parte sanati evincit: Non ex parte Christi, qui propter suam excellentiam potestatem, quæ jure optimo ipsi competebat, Sacramentis non erat alligatus, eâque uti coram incredulis Judæis in probationem suæ legitimæ missionis summè decebat: Non ex parte sanati, qui ad legem veterem pertinebat, quamque impleri volebat Christus; in lege autem veteri Sacerdotes poterant mundos declarare leprosos, sed non mundare: In lege nova Sacerdotes sunt altioris ordinis, & potestatis; unde non solum declarare, sed & absolvere a peccatis possunt, sicut superiùs n. 15. declaravimus.

Sacerdotium novæ, & veteris legis comparantur.

28 OBJIC. XI. Spiritus Sanctus Ecclesiæ promissus dimittit peccata; sed Sacerdos non est Spiritus Sanctus: ergo Sacerdos nullatenus dimittit peccata. Argumentum est Augustini *Tract. 121. in Joan.* -- Eccle„ siæ charitas, quæ diffunditur per Spiri„ tum Sanctum, peccata dimittit --

RESP. Spiritus Sanctus principaliter dimittit peccata, non tamen omninò solus, sed ejus virtute etiam Ministri dimittunt, quod centies docet laudatus Augustinus, qui loc. cit. vult eos solum capaces esse remissionis peccatorum, qui Christo, & Ecclesiæ communicant, secus, qui non participant, ideo ibi habet -- Participum suorum pecca„ ta dimittit, eorum autem, qui non sunt „ ejus participes, tenet -- Et consonat doctrinæ 20. *de Civit. Cap. 6.*, ubi de clavibus loquens dicit eas esse in Præpositis Ecclesiæ circa subditos producto illo vulgato ex Paulo *Quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare.*

Virtus dimittendi peccata in Ministris.

29 OBJIC. XII. Ministerium absque jure non est potestativum; sed circa peccata Sacerdotes absque jure ministerium exercent: ergo potestativè non dimittunt peccata. Argumentum ex S. Ambrosio *Lib. 3. de Spiritu Sancto Cap. 19.* habetur -- Homines „ in remissionem peccatorum ministerium „ suum exhibent, non jus alicujus potesta„ tis exercent --

RESP. Cæcutiunt in meridie, qui volunt S. Ambrosium negare in Ecclesiæ Præpositis veracem dimittendi peccata potestatem, cum pluries id doceat, & laudato loco expressè fateatur, affirmans virtute propria Sacerdotes esse dimittere peccata, & hoc

Potestas ministerialis in Sacerdotibus.

& hoc est non exercere jus potestatis, beoè verò virtute Dei — Neque enim in suo, sed „ in Patris, & Spiritus Sancti nomine pec„ cata diminuntur -- Cui consonat Pacianus *Ep.* 3. ad Sympronianum — Quod ego „ facio, noo jore meo facio, sed Domini: „ Dei enim adjutores sumus -- Unde in Ministris Ecclesiæ ministeriale, licet non principale jus potestativum dari circa peccata in aperto est.

30 OBJIC. XIII. Dimissio peccatorum impetrativa, noo est potestativa, immò omnibus etiam non Sacerdotibus communis est; Sed in Ecclesia datur sola dimissio impetrativa, dicente Origene *Hom.* 24. *in Num.* -- „ Cæteri enim precibus peccata: hic solus „ potestate dimisit — idest Christus.

RESP. Origenes clarè propugnat Catholicam veritatem, pro qua *Homil.* 14. *in Matth.* adducit illud de pullo ligato, quem sibi Christus adduci per Apostolos jussit, dicens, *Solvite, & adducite mihi* citato autem loco aliud mysterium respicit. Comparat ibi Sacrificia veteris legis, & præcipuè Sacrificium Agni, cum Sacrificio Christi, qui est Agnus immaculatus, qui tollit peccata mundi, & ostendit, quod hostiæ illæ erant insufficientes, secus hostia Christi, & quod illi sacrificantes, solis precibus dimittebant peccata, Christi vero Sacerdos potestativè dimittit. Caruisse Sacerdotes Leviticos potestate dimittendi peccata, nos etiam docemus, sed tales esse pariter Sacerdotes nostros negamus.

Perfectius Christi Sacrificium, quam Levitarum.

31 OBJIC. XIV. Declarare solutos, non est solvere; Sed Sacerdos solummodo declarat a peccatis solutos, teste Hieronymo *in Cap.* 16. *Matth.* -- Quomodo ergo ibi le„ prosum Sacerdos mundum, vel immun„ dum facit: sic & hic alligat, vel solvit „ Episcopus, & Presbyter -- Ubi non aliam tribuit in peccato potestatem Sacerdotibus nostris, quam habebant Aaronici circa leprosos, quæ erat simpliciter declarativa.

RESP. Hieronymus ibi veram potestatem dimissivam peccatorum a Sacerdotibus novæ legis excludere non intendit, sed solùm pro libito ut possint noxios solvere, & innocentes ligare: volens insuper turgidum quorundam Spiritum coercere, qui Sacerdotii dignitate in aliorum abutebantur perniciem: Etenim ante illa verba ait -- Istum locum „ Episcopi, & Presbyteri non intelligen„ tes aliquid sibi de Pharisæorum assumunt „ supercilio, ut vel damnent innocentes, „ vel solvere se noxios arbitrentur, cum „ apud Deum non sententia Sacerdotum, „ sed reorum vita quæratur -- Et explicata lege Sacerdotum legis veteris circa leprosos post verba citata in objectione subdit -- Non „ eos, qui insontes sunt, vel noxii, sed „ pro officio suo, cum peccatorum audie„ rit varietates, scit qui ligandus sit, qui„ va solvendus -- Mens itaque S. Doctoris est, quod non possunt Evangelici Sacerdotes pro libito clavibus uti, sed expensis, & discussis meritis, quod luculenter docet etiam S. Gregorius 26. *in Evang.*

Sacerdotum potestas rationalis.

32 OBJIC. XV. Potestas solummodo in pœnam non est remissiva peccati quoad culpam; sed Sacerdotes Evangelici solum in pœnam habent auctoritatem, dicente Gregorio *Hom.* 26. *in Evang.* -- Veniam vero „ foras solvant Discipuli, ut Pastores Ec„ clesiæ ei pœnam debeant amovere, quam „ meruit, qui non erubuit confitari, quod „ fecit -- Ergo.

RESP. S. Gregorius minimè negat veram potestatem in peccata quoad culpam, quam satis luculenter tradit sub initio, docens Apostolis concessum Principatum superni Judicii, ut vice Dei quibusdam peccata retineant, quibusdam relaxent: Supernum autem judicium reatum culpæ potissimè tangit, & Deus, cujus vices nos gerere dicit, peccata quoad culpam retinet, vel relaxat; quare in ultimis verbis citatis, quibus discursum absolvit, non excludit potestatem in culpam, sed explicat ultimum, quod in judiciali pœnitentiæ processu a Sacerdote exercetur; & hoc ad suum intentum magis facit. Cordi illi est, quod Sacerdotes justè judicent, & expensis causis, pensata qualitate culpæ, & pœnitentiæ post culpam, non ex odio, vel gratia moveantur, sed rectitudinis regulam sequantur; & ad hoc probandum inducit seriem gestorum a Christo in casu Lazari ad vitam revocati, quo exemplo declarare vult ordinem in judicio pœnitentiali esse servandum; ne indiscretè pœnitens ligetur, vel absolvatur; quod sensibiliùs, & notiùs in onere pœnæ, quæ injungitur, vel minuitur, innotescit, & ideo de hac mentionem expressiùs facit. Quod si quis Sanctum Doctorem absolutè locutum velit (quod tamen est præcavendum) dicemus ipsum loqui in casu perfectæ contritionis, quæ cum Sacramenti voto peccata relaxat.

Potestas Judiciaria præcipuè culpam respicit.

CONTROVERSIA II.

AN CHRISTIANA PŒNITENTIA EXTERIOR VERBO ABSOLUTIONIS CONJUNCTA SIT VERUM SACRAMENTUM.

§. I.

HISTORICA SYNOPSIS.

33 OMissis iis, qui Christianam pœnitentiam a Sacramentorum numero abjudicabant, quippequi remissivam peccatorum potestatem in Ecclesia negabant, ad nostra tempora accedimus, quibus Pseudoreformatorum Lutheri, & Calvini discipuli extiterunt, & quid isti docuerint videre est. Duo sunt hic nobis historicè indicanda. Primum ad statum quæstionis spectat, secundum mentem Acatholicorum tangit. Ut veritatem confundant Heterodoxi mentitum habitum ei affigunt. Alium supponunt quæstionis statum, & cum Catholicis Doctoribus adscribunt. Kemnitius *part.* 2. *Exam. Concilii Trident.* hunc esse Controversiæ scopum fingit. Utrum scilicet peccatores, dum reconciliationem a Domino quærunt, sint a fide, & meritis Passionis Christi avocandi, & ad opera humani arbitrii, contritionem videlicet,

Hæreticorum calumniæ.

licet, confessionem, & satisfactionem conterendi, & an hæc cum verbo absolutionis sint Sacramentum, & remissionem efficiant peccatorum. Hinc *pag.* 105. habet -- ,, Peccatorem post Baptismum lapsum, ,, quando quærit, & ambit reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum, Pontificii per Sacramentum suum ,, Pœnitentiæ deducunt ad humana, seu ,, propria opera, ut illa, accedente verbo ,, absolutionis, fiant, & sint Sacramentum, ,, hoc est causa efficiens, & conferens gratiam reconciliationis cum Deo, & remissionis peccatorum -- Hæc est Cantilena Acatholicis familiaris, quod Catholici negent remissionem peccatorum per fidem fieri, eamque humanis tribuant operibus. Idem innuit Philippus Melancthon in confessione exhibita Carolo Quinto sub anno 1530. affirmans -- Quod jubemus nos mereri gratiam per satisfactiones nostras, non ,, per fidem -- Mutatis licet verbis implicatisque circumvolutionibus idem repetit in editione an. 1531.,1540.: ubi etiam affirmat nos nihil certi docere, omnia dubietati exponere, nosque in mandatis habere de peccatorum remissione dubitare. In Apologia ad *Art.* 12. plurima agglomerat, in eâque jactabundus profert ante Lutheri tempora confusissimam fuisse de pœnitentia doctrinam, atque rei summam complecti nequaquam potuisse. Huc tendit labor improbus Tilemani Heshusii, qui in libro, quem inscripsit de sexcentis erroribus Pontificiis, octoginta tres errores congessit, & contendit a Catholicis affirmari circa pœnitentiam, hos recensere vanum est. Porrò innumeræ sunt calumniæ, quas nobis impingunt Lutherus, Melancthon, Calvinus, Beza, Kemnitius, aliique & statum quæstionis feriunt, & reliqua, quæ ad Christianam pœnitentiam spectantia Sancta Mater Ecclesia a primis Seculis concorditer usque ad hæc nostra docet.

34 Doctrina itaque Ecclesiæ semper fuit, quod fidei actus, spei, doloris, & alii hujusmodi, auxilio supernaturali eliciti ad justificationem requirantur, tanquam dispositiones; quod gratis per Christi merita peccatorum remissio donetur. Quod Sacramenta virtute Christi elevata justificationis gratiam efficiant; unde nusquam Crucis Christi meritum evacuavit; ut perperam nobis affingunt Novatores.

35 Quoad Novatorum mentem spectat, vertiginem passus, sibi inconstans fuit Lutherus in Controversia, sit ne Sacramentum Pœnitentia: Sub initio Libri de Captivitate Babylonica Pœnitentiam esse Sacramentum admittit -- Principio neganda mihi sunt ,, septem Sacramenta, & tantùm tria pro ,, tempore ponenda, Baptismus, Pœnitentia, Panis -- Ad ejusdem verò libri calcem aliter sentiens Pœnitentiam a Sacramentorum numero expunxit -- Propriè ea ,, Sacramenta vocari visum est, quæ annexis signis promissa sunt, quo fit, ut si ,, rigidè loqui volumus, tantùm duo sint ,, in Ecclesia Dei Sacramenta Baptismus, ,, & Panis, cum in his solùm & institutum ,, divinitùs signum, & promissionem remis- ,, sionis peccatorum videamus. Nam Pœnitentiæ Sacramentum, quod ego his duobus accensui, signo visibili, & divinitùs ,, instituto caret, & aliud non esse dixi, ,, quam viam, ac reditum ad Baptismum -- Priorem sententiam docuit etiam in propositionibus adversus Lovanienses editis anno 1545. propositione 35. ubi -- Pœnitentiam ,, cum virtute Clavium absolventium Sacramentum libenter confitemur: habet enim ,, promissionem, & fidem remissionis peccatorum propter Christum -- In visitatione ,, Saxonica -- Pœnitentia inter Sacramenta connumeratur; ideò sanè, quod omnia Sacramenta pœnitentiam significent -- Posteriorem sententiam iterum adoptavit Disput. contra Antinomos -- Cavenda est ,, doctrina Papistarum de Pœnitentia, sicut ,, ipse Infernus, ac Diabolus --

36 Philippus Melancthon inconstantiam Magistri imitatus *Cap.* 18. *Matth.* tenet Pœnitentiam esse Sacramentum -- Hic locus, ,, sicut superior, Sacramentum Pœnitentiæ ,, sancit; est enim pollicitatio quædam, ,, qua promittitur peccatum remitti, absolvente clave -- In Apologia Cap. de numero, & usu Sacramentorum -- Vera sunt ,, Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, ,, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ -- In postrema editione locorum communium, Cap. de numero Sacramentorum -- Numerentur hæc Sacramenta, Baptismus, Cœna Domini, Absolutio -- In alia verò editione anno 1522. Pœnitentiam a Sacramentorum albo rejicit, ubi -- Pœnitentiam non esse signum, nihil obscurum est; est enim Pœnitentia vetustatis ,, nostræ mortificatio, & renovatio spiritus; ,, Sacramentum ejus, vel signum, non ,, aliud, nisi Baptismus est; atque hic ,, omnium rectissimè vocetur Sacramentum ,, Pœnitentiæ --

37 Confessionistæ, sic dicti a Confessione Augustana, quam Melancthon Imperatori Carolo V. in Comitiis Augustanis sub an. 1530. a Luthero sequentibus verbis subscriptam -- Damnamus secus docentes -- exhibuit, sustinent Pœnitentiam esse verum Ecclesiæ Sacramentum; quamvis verbo germanico Confessionem istam ipsi Germani vocent Calceum omnibus pedibus aptum, ut omnes alio, & alio sensu pro arbitratu utantur; & quamvis novemdecim editiones repèriantur diversis locis, & annis factæ, inter se collatæ verbis, & sententiis discrepantes; nihilominus sanum consilium est verbis propriis articulum de Pœnitentia referre, tum quia probationem continet, tum quia clarè detegitur mentiri Illyricum in Apologia Confessionis Antverpiensis *Cap.* 18., & Kemnitium *p.* 2. *Examinis in Concil. Trident.* docentes Apologiam Confessionis Augustanæ non admittere propriè, & simpliciter pœnitentiam esse Sacramentum, sed solùm impropriè, & aliquo modo, uti prædicti ea illis sint, qui in eam juraverint Apologiam. Apologiæ itaque verba hujusmodi sunt -- Si Sacramenta ,, rum vocamus ritus, qui habent mandatum Dei, & quibus addita est promissio ,, gratiæ, facilè est judicare quænam sint

„ propriè Sacramenta: non est enim authoritatis humanæ promittere gratiam; quare signa sine mandato Dei instituta non sunt certa signa gratiæ, etiamsi fortasse rudes doceant, aut admoneant aliquid: Verè igitur sunt Sacramenta Baptismus, Cœna Domini, Absolutio, quæ est Sacramentum Pœnitentiæ; nam hi ritus habent mandatum Dei, & promissionem gratiæ, quæ est propria novi Testamenti; certè enim debent statuere corda, cum baptizamur, cum vescimur corpore Domini, cum absolvimur, quod verè nobis ignoscat Deus propter Christum -- Apologia hæc, quæ est defensio confessionis Augustanæ luce clarius Pœnitentiam propriè inter Sacramenta reponit, ea propter divisi sunt Lutherani circa hoc dogma, attendendo ad ea priora tempora, quibus exorti sunt; nunc enim frequentiùs propugnare videntur Sacramentum esse; utuntur namque Catechismo a Luthero edito, in quo audita Confessione Minister absolvit dicens -- „ Ego ex Christi mandato remitto tibi peccata tua, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti -- Ita testatur Episcopus Meldensis *Lib. 3. Variationum n. 46., & seq.*

38 Zuvinglius *in Lib. de vera, & falsa Religione Cap. de Sacram.* negat Pœnitentiam esse Sacramentum. Joannes Calvinus prius in Germania Lutheranæ pravitatis auditor, factus in Gallia errorum Magister *Lib. 4 Instit. Cap. 15. §. 16.* delet è numero Sacramentorum Pœnitentiam dicens -- Quacumque in parte Sacramentum posuerint, nego jure haberi pro Sacramento; & mendacium, & impostura fuit, quod de Sacramento Pœnitentiæ commenti sunt. Eminentium hoc Sacramentum egregio ornarunt elogio dicentes secundam esse post naufragium tabulam. Sed dictum est Hieronymi. Cujuscumque sit, quin planè impium sit, excusari nequit -- Idem docet in Antidoto *Con. Trid. Cap. 15.*, quem sequitur Beza in confessione Fidei *Cap. 7. Art. 11.* aliique.

39 Pœnitentia, de qua in præsenti controvertitur, num sit Sacramentum, non est sola interior, qua quis coram Deo de suis peccatis dolet, nec est pœnitentia interior, quomodocumque in exteriora opera pœnitentialia erumpens, ut sunt lacrymæ, jejunia, flagellationes, cinerum, ciliciorumque usus: hanc enim in veteri lege extitisse Scripturæ manifestam fidem faciunt, nec tamen Pœnitentia tunc Sacramentum erat, est ergo pœnitentia interior peccatorum confessione manifestata, conjuncta cum verbo absolutionis a Ministro legitimo prolato. De hac Ecclesia dogma statuit; de hac Patres scripserunt; de hac Doctores disputaverunt. Hanc examinemus in præsenti, an ei conveniat ratio propria Sacramenti novæ legis. In genere explicavimus quæstionis statum, singulatim declaravimus & conditiones, & partes necessarias. Priusquam verò ad dogma stabiliendum descendamus, illud advertendum est, non esse quærendum in Scripturis nomen Sacramenti applicatum Pœnitentiæ; id enim vanum est; aliàs, nec Baptismus, nec Cœna ab Hæreticis Sacramentum probaretur; sufficit, quod res ipsa, quam voce hac *Sacramentum* intelligimus, reperiatur, & hoc proportionabiliter de Patribus dicendum est quemadmodum accidit in plerisque aliis Catholicæ Religionis articulis; quà animadversione præoccupavimus offendiculum, in quod impingunt non rarò Acatholici, & voluntariè in foveam prolabuntur.

De quo pœnitentia est quæstio.

§. II.

POENITENTIA EST VERUM SACRAMENTUM.

40 OSTENDITUR I. Sacramentum propriè dictum est signum sensibile perpetuum rei sanctificantis a Domino institutum, atque, prout ajunt Acatholici, cum ejusdem mandato: Sed pœnitentia est hujusmodi; ergo est verum Sacramentum. Declaratur assumptum; major namque propositio continet descriptionem Sacramenti propriè dicti. Joan. igitur 20. v. 21. Christus illis verbis: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Et Matth. 18. v. 18. *Quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo*, veram dedit potestatem dimittendi peccata, ut superiori Controv. ostensum est, hanc porrò visibilibus hominibus contulit erga personas visibiles exercendam, adeoque signo visibili; ex parte etiam Pœnitentis visibilis est cum necessaria sit visibilis subjectio ad Ministrum in actu peccata dimittentem, ac proinde modo aliquo visibili: habemus ergo signum sensibile, cum autem remissio peccatorum non habeatur nisi per gratiam sanctificantem, illis Christi verbis promittitur evidenter; ergo habemus rem sacram significatam, quæ ex parte Pœnitentis maximè elucescit; ea confessio enim eo tendit, ut homo Deo reconcilietur, & reconciliatio cum Deo solummodo gratiæ dono perficitur: de præsenti insuper promittitur remissio: *Remittuntur eis*, & promittens infallibilis est, ac per consequens practica signi efficacia adest, quæ utique indefinita est, & universalis pro quibuscumque Filiis Ecclesiæ peccantibus, & pro quibuscumque peccatis; ea propter habemus perpetuitatem, cum usque in finem sæculi Ecclesia sit duratura. Dicitur demum Apostolis: *Sicut misit me Pater, ita & ego mitto vos Accipite Spiritum Sanctum &c.* ut intelligamus mandatum eis dedisse; & sanè illa locutio *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* mandatum sonat; neve credendum est tantam illis potestatem dedisse, ut frustrà esset. Omnes ergo conditiones adsunt ad verum Sacramentum requisitæ. Ratiocinium hujusmodi ad illius similitudinem efformatum est, quo a Patribus ostenditur Baptisma Sacramentum esse. Audiamus Pacianum *Ep. 2.* ad Sympronianum Nuvatianæ heresis sectatorem -- Quid est illud, quod Apostolis dicit, Quæ ligaveritis in Terris, ligata erunt & in Cœlis: & quæcunque

Pœnitentia à ratione Sacramenti abest.

„ sol-

„ solveritis in Terria, soluta eruur & in Cœlis? Cur hoc, si ligare hominibus, ae solvere non licebat? Au tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptiaara salis licet, & Spiritum Sanctum dare solis. Si ergo & Lavacri, & Chrismatis potestas majorum longè Charismatum ad Episcopos inde descendit, & ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi —

41 OSTENDITUR II. In Scripturis Ecclesia, sive corpus mysticum assimilatur corpori naturali ad Rom. 12. vers. 4. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi unum corpus sumus in Christo*. Et ad Corinth. 12. v. 12. *Sicut enim corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis cum sint multa, unum tamen corpus sunt: ita & Christus*. Sed in humano corpore datur potentia, per quam perficitur vita corporalis; incipiens esse, & vivens datur potentia, per quam nutritur, & vita, hominisque virtus conservetur; datur virtus, per quam a morbis sanatur: ergo in mystico Christi corpore datur & Sacramentum Baptismi, quo regeneramur ad gratiam, datur & Eucharistia, qua spiritualiter nutrimur, datur & Sacramentum, quo a spiritualibus sanamur infirmitatibus, hoc autem aliud non est, quam Pœnitentia; de primo Sacramento habet Apostolus loco citato ad Corinth. v. 13. *Nos in unum corpus baptizati sumus*: de secundo ibi: *Et omnes in uno spiritu potati sumus*. De tertio 2. ad Corinth. 5. v. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum*. Prædictam rerum seriem conformitas vitæ spiritualis, ad corporalem exigit. Genita natura, & nutrita quandoque infirmatur, & per medicinam verè sanatur: genita spiritualiter, & nutrita peccans infirmatur, eaque propter sanari indiget, quod exposcebat Psalmista Psal. 40. v. 5. *Sana Animam meam, quia peccavi tibi*: ergo dandum est medicamen ad sanitatem, quod idem Propheta Psal. 146. v. 3. Indicavit: *Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum*, ubi Augustinus — „ Quid sunt ista alligamenta? . . . . Temporalia Sacramenta, quibus habemus consolationem — Et Leo Magnus *Epist* 91. ad Theodorum ait — Multiplex misericordia Dei, ita lapsibus subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per Pœnitentiæ medicinam spes vitæ reparetur æternæ —

42 OSTENDITUR III. Secundum regulam Divi Augustini *Tract. 8. in Joann.*, ab Hæreticis adoptatam — Accedit verbum „ ad elementum, & fit Sacramentum — Quam regulam in Baptismo observatam nos docet Apostolus ad Ephes. 5. v. 26. *Mundans lavacro aquæ in verbo vitæ*; sed in Pœnitentia verbum accedit ad elementum; ergo ipsa est Sacramentum. Assumptum excellenter habetur 2. Corinth. 5. vers. 18. *Omnia autem ex Deo, qui nos reconciliavit sibi per Christum, & dedit nobis ministerium reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Christo, Mundum reconcilians sibi, non reputans illis delicta ipsorum, & posuit in nobis verbum reconciliationis*. Verbum hoc reconciliationis non est solummodò verbum Evangelizationis, & deprecationis, sed est verbum effectionis, & consecrationis, illudque planè est, quod Apostolis Christus insuflavit dicens: *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Quod si ad contextam mentem convertamus, evidenter patet Apostolis eam reconciliationis potestatem ministerialiter collatam esse, quam Christus per excellentiam habuit, atque exercuit: Christus porrò non habuit solùm reconciliationis verbum per prædicationem, & precationem, sed etiam verbum effectionis, & potestatis, eoque usus est, cum Magdalenæ dimisit peccata, cum Paraliticum sanavit: ergo pariter Ecclesiæ Ministris utrumque reconciliationis verbum contulit, quorum alterum, si exteriori Pœnitentiæ adjungatur, Sacramentum perficit. Quare optimè Hieronymus *Lib.* 1. contra Pelagianos habet — Redimatur sanguine „ Salvatoris, aut in domo baptismatis, aut „ in pœnitentia, quæ imitatur Baptismatis „ gratiam — Ambrosius *Lib.* 1. *de Pœnit. Cap.* 7., ubi æquiparavit Pœnitentiam cum Baptismo, objicientibus autem Novatianis, quod in Baptismo Deus operatur subdit — Quid in Pœnitentia? non ne nomen Dei „ operatur? —

Apostolis collata potestas reconciliandi.

43 OSTENDITUR IV. Pœnitentia peccata per modum judicii potestativi remittit; sed remissio peccati per judicium potestativum est Sacramentum, seu per Sacramentum; ergo est Sacramentum. Hic discursus quia efficax ab Hæreticis impugnatur; hi siquidem ut de medio sacramentalem tollant confessionem, omnibus viribus conantur improbare judicium potestativum, remissivum peccatorum. Assumptum tamen habetur Apocal. 20. v. 4. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & judicium datum est illis*, nec tantùm pro ultimo judicii die, sed pro toto Ecclesiæ Militantis tempore. Ordinem attende. Pater, *Joann.* 5. omne judicium dedit Filio, & Filius dedit Apostolis. Math 18. *Quæcumque ligaveritis super Terram &c.* Hinc pulchrè Hieronymus *Epist.* 1. ad Eliodorum — Absit ut de his quidquam „ sinistrum loquar, qui Apostolico gradui „ succedentes, Christi Corpus sacro ore „ conficiunt: per quos, & nos Christiani „ sumus, qui Claves Regni Cœlorum ha„ bentes, quodammodo ante judicii diem „ judicant — Idem docet D. Augustinus *Lib.* 20. *de Civit. Dei Cap.* 9., S. Gregorius *Hom.* 20. *in Evang.* Hujusmodi porro judicium esse sacramentale in aperto est: Conjungit enim illud Hieronymus Baptismo, & Eucharistiæ, quod facit etiam S. Augustinus *Epist.* 180. ad Honoratum, in qua ostendit necessitatem Ministrorum in casibus communibus tribulationis — Si Ministri ad„ sint . . . . alii baptizantur, alii reconci„ liantur, nulli Dominici Corporis com„ munione fraudantur — Victor pariter Uticensis *Lib.* 2. de persecutione Vandalica inducit Populos alloquentes Sacerdotes in exilium dimissos illis — Quibus nos miseros „ relinquitis, dum pergitis ad coronas? „ Qui hos baptizaturi sunt parvulos Fonti„ bus aquæ perennis, qui nobis munus pœ-

Judicii potestas in competit Ecclesiæ Ministris.

„ nitentiæ collaturi sunt, & reconciliatio-
„ nis indulgentiâ obstrictos peccatorum
„ vincula soluturi? quia vobis dictum est,
„ Quæcunque solveritis super Terram —

44 Huic judicio conveniunt omnes conditiones, quas adoptaverunt Hæretici, & præcipuè Kemnitius, & Calvinus ut in Sacramentorum albo rem aliquam exscriberent, eaque propter fateri debent verum esse Sacramentum. Symbolum sensibile requirunt ipsi mandato Dei institutum in novo Testamento, perpetuum cum promissione gratiæ reconciliativa externo signo vestitâ, in particulari singulis applicatâ: Sic apud Kemnitium *parte 2. Examinis*; atqui omnes istæ conditiones adsunt in hoc pœnitentiali judicio; Prima nempe conditio intervenit, quia verbum absolutionis, & confessio oralis sunt sensibilia: secunda, & tertia, quia non ab humano ingenio adinventum, sed a Christo, qui author novi Testamenti est, quique dixit: *Quorum remiseritis peccata*: ex quo potestatem peccatorum remissivam Ecclesiæ reliquisse, quamdiù ipsa durabit, in aperto est; Quinta, & sexta, quia remissio peccatorum in verbis Christi promissa, absque gratia, & quidem sanctificativa haberi nequit; Septima demum, & octava; Quia singulis pœnitentibus, & externè confitentibus per absolutionem exterius prolatam applicatur.

Sacramenti definitio convenit pœnitentiæ.

45 Calvinus exigit externum benevolentiæ Dei erga nos symbolum, promissionem ejusdem, fidei sustentationem, cum nostra erga Deum pietatis testificatione; atqui hæc omnia perfectè pœnitentiali conveniunt judicio, quidquid in oppositum oblatret Impius *Cap.* 19. §. 15. Æternum namque symbolum datur in ritu judicialis confessionis, benevolentia Dei, & promissio gratiæ per remissionem peccatorum, fidei corroboratio adest, dum pœnitens audiens sibi a Sacerdote tanquam Dei Ministro dimitti peccata in spem erigitur, atque in fide roboratur, testatur quoque erga Deum benevolentiam, dum de peccatis dolet, atque Deo reconciliari exposcit: Ergo etiam per Calvinum Pœnitentia verum debet esse Sacramentum.

46 OSTENDITUR V. Pœnitentia de criminibus post Baptismum commissis pertinet ad vitæ spiritualis incohationem, non autem ad perfectiora salutis; sed hujusmodi est Sacramentum novæ legis: ergo pœnitentia baptizatorum est verum Sacramentum. Argumentum habetur satis clarè apud Apostolum ad Hebræos 6. v. 1., & seqq. *Quapropter intermittentes incohationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursum jacientes fundamenta pœnitentiæ ab operibus mortuis, & fidei ad Deum; Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum*. Inter salutis initia Pœnitentiam, fidem, & Baptismatum doctrinam enumerat: fides est initium eorum, qui primò convertuntur ad Deum; Pœnitentia est initium eorum, qui secundò convertuntur, hoc est post lapsum, utrumque Sacramentum esse affirmat, & ideo Baptismatum dixit; quod enim facit Baptismus regenerando infideles, facit Pœnitentia lapsos lavando fideles; unde ortum est dictum illud a Concil. Tridentino recitatum *Sess* 14. *Cap.* 2. Pœnitentia esse baptisma laboriosum a SS. Patribus appellatum; & sanè Patres duo hæc, Baptisma scilicet, & Pœnitentiam, tamquam duo instrumenta justificationis conjungunt. Tertullianus *Lib. de Pœnit. C.* 7. — Hæc venena ejus providens
„ Deus, clausa ignoscentiæ janua, & intin-
„ ctionis sera obstructa, aliquid adhuc per-
„ misit patere. Collocavit in vestibulo pœ-
„ nitentiam secundam, quæ pulsantibus pa-
„ tefaciat — Ecce duas januas justificationis admittit. Sermo de Cœna Domini apud Sanctum Cyprianum ait — Post Baptis-
„ mum, qui sua reverentia non patitur
„ iterari, aliud lavacrum procuratum — In duo lavacra S. Ambrosius *Lib.* 1. *de Pœnit. C.* 7. habet — Cur baptizatis, si per homi-
„ nem peccata dimitti non licet? In Bap-
„ tismo enim utique remissio peccatorum
„ omnium est. Quid interest, utrum per
„ Pœnitentiam, an per lavacrum hoc
„ jus sibi datum Sacerdotes vendicent?
„ unum in utrumque mysterium est — Ecce duo mysteria, hoc est Sacramenta; sic enim apud Veteres appellantur Sacramenta. Hieronymus *Lib.* 2. adversus Pelagianos ait — Quod scriptum est, & sanguis
„ Jesu emundat nos ab omni peccato, tam
„ in confessione baptismatis, quam in cle-
„ mentia pœnitudinis accipiendum est —

47 Quid de hac Controversia senserint Patres Latini æquè, ac Græci planum est: Jodocus Coccius *Tom.* 2. *Controversiarum Lib.* 7. *art.* 1. eorum profert auctoritates, quæ inibì videri possunt. Et Maironus in sua Evopolia Fidei Catholicæ ostendit omnes Orientales Ecclesias a Romana Sede non dissentire.

§. III.

SOLVUNTUR HÆRETICORUM ARGUMENTA.

48 OBJIC. I. Ministri Evangelici missi sunt in ministerium reconciliationis, sicut Christus missus fuit a Patre. Joan. 20. *Sicut misit me vivens Pater, & ego mitto vos*; Sed Christus reconciliationem contulit absque ullo Sacramento, ergo etiam Evangelici Præcones conferunt remissionem peccatorum absque Sacramento.

RESP. Argumentum contra Kemnitium urget: probat enim neque Baptisma esse Sacramentum; siquidem Christus neminem baptizavit *Joann.* 4. Sicut ergo Christo non baptizante, baptizabant Apostoli, ita Christo reconciliante absque Sacramento, Apostoli non reconciliabant nisi cum Sacramento; Mittit Rex Proregem, & Prætorea Ducem, nec tamen æqualis singulorum authoritas est, sed superioritas gradus servatur, & universalior potestas. Christus missus fuit ut Sacramentorum author, atque Ecclesiæ Caput, Apostoli missi sunt tanquam Ministri ipsius Christi, ea propter Apostolorum missio proportionem importat cum missione Verbi a Patre, secus omnimodam æqualitatem.

Apostoli Ministri Christi.

49 OBJIC.

49 OBJIC. II. Eundem sensum, & vim habent illa verba Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, ac illa Lucæ 24. v. 46., & seq. *Sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes*; Sed Lucæ verba peccatorum remissionem per simplicem divinæ promissionis annuntiationem, nullatenus per Sacramentum conferendam significabant; ideo dixit *in omnes gentes*, hoc est ante usum Baptismi, quo tempore Pœnitentia Sacramenti naturam non sortitur: ergo etiam verba Joannis judiciariam peccatorum remissivam potestatem non significant.

RESP. *negando maj.*: alia est doctrina, & potestas, quam Christus *Joan.* 20., alia quam *Luca* 24. Apostolis tradidit. Singulariter de remissione peccatorum conferenda agitur *Joan.* 20.; idea verba determinata, & peculiaria sunt. Potestas ibi collata est authoritativa, ea proportione, qua in Cœlo dimittitur a Deo peccatum; est judiciaria, ut scilicet causa cognoscatur, quod nequit fieri, nisi pœnitens sua peccata aperiat; non enim homo cognoscit cor alterius, neque ubique præsens est. Cæterum laudato Lucæ capite omnia comprehenditur Pœnitentia, quæ in Christi nomine, & ea ejusdem meritis Passionis, & Resurrectionis peccata dimittit, quæque ad ipsa sive ante, sive post Baptismum commissa extenditur, delenda utique per Sacramentum a Salvatore institutum, ea propter dicitur *in nomine ejus*, idest ejusdem auctoritate; cumque præceperit Pœnitentiam annunciare in omnes gentes, planè evincitur loqui sive de Baptismi, sive de Pœnitentiæ Sacramento; Apostolorum namque prædicatio non jam ad solos fideles, sed ad infideles, qui soline lavacri regenerationis capaces erant, dirigebatur.

Pœnitentia alia generalis, specialis alia.

50 OBJIC. III. Act. 4. vers. 12. *Nec aliud nomen est sub Cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*; sed statuendo Pœnitentiæ Sacramentum aliud nomen salvans adstruitur, hominis videlicet, cujus actus sanctificare dicendi sunt, ergo Pœnitentia non est Sacramentum.

RESP. Argumentum Kemnitium ferit. In Baptismo datur verbum hominis, datur humana actio ablutiva, datur materiale elementum: ergo homines a Christo ad humana, & creata avocantur; neget hoc Hæreticus, Baptismi Sacramentum profitens, neget ergo similiter in Pœnitentia; cum utrobique sit par ratio; utrobique virtus nominis Jesu operatur; utrobique Passio Christi sanctificat; utrobique meritum Crucis verbum, & elementum elevat; utrobique de suo Creatura non operatur in remissionem peccatorum, cum homo ut divinæ instrumentum virtutis agat.

Virtus Christi per Ministros operatur.

51 OBJIC. IV. Ministri Evangelici nullam aliam Pœnitentiam annunciant, nisi quæ fuit in lege veteri: hinc S. Paulus Act. 26. v. 20., & seqq. Regi Agrippæ satisfaciens ait: *Annunciabam, ut pœnitentiam agerent, & converterentur ad Deum, digna pœnitentiæ opera facientes. Hac ex causa me Judæi cum essem in Templo comprehensum tentabant interficere; Auxilio autem adjutus Dei usque in hodiernum diem sto, testificans minori, atque majori nihil extra dicens, quam ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses*; Sed Pœnitentia in veteri lege non erat Sacramentum; ergo neque est in nova.

RESP. Tripliciter seipsum, & suos in hujusmodi loquendi modo decipit Kemnitius, de medio tollit Baptismum; quia nullatenus remissio peccatorum, & pœnitentia infidelium se convertentium fuit per Baptismum in lege veteri collata; si ergo in lege Evangelica prædicatur sola pœnitentia, quæ fuit in lege veteri, nec alia remissio peccati, sequitur neque Baptisma prædicari in lege nova. Deinde Paulus nullatenus se prædicare veteris legis Pœnitentiam dicit, sed quæ futura esse prædixerunt Prophetæ, & Moyses, videlicet Christum, ejusque legem: in hoc porro continetur Pœnitentiæ Sacramentum; præterea in veteri lege, sicut dabatur pro originali peccato circumcisio, cui correspondet Baptisma; sic pro actualibus peccatis dabantur sacrificia expiativa, quibus Christiana correspondet Pœnitentia: necesse est enim adimpleri figuras.

Pœnitentiæ Sacramentū in veteri lege præfiguratū.

52 OBJIC. V. Secundum regulam Augustini *Tract.* 8. *in Joan.* ad Sacramentum requiritur elementum per Ministrum applicabile; sed in Pœnitentia nullum est applicatum a Ministro elementum; ergo non est Sacramentum.

RESP. Non ejusmodi sententiæ est Augustinus, elementum applicari debere per Ministrum, sed requiri elementum, hoc est rem aliquam sensibilem, quæ simul cum verbo Sacramentum faciat; sicut enim Sacramenta, quia diversa, diversam petunt materiam; ita non est necesse, quod in omnibus eodem modo, & per Ministrum applicetur, sed secundum Christi institutionem, qui singula sapientissimè disposuit. Pœnitentia instituta est tanquam reconciliativum hominis cum Deo remedium; ad hoc apprimè proprii actus deserviunt; ac proindè actus nostri rectissimè in Sacramenti materiam assumpti fuere. Nomine etiam elementi non ea veniunt, quæ a Philosophia ad universi Orbis constitutionem requiruntur, aliàs Cœna non esset Sacramentum, cum in ea panis adhibeatur, sed venit res aliqua sensibilis, & exterior, sive actio sit, sive aliud quidpiam a Christo deputatum; nam sufficit elementum, quod habeat significationem intentam in Sacramento.

Sensibile aliquod in Sacramento requiritur.

53 OBJIC. VI. Joannes Baptista pœnitentiam annunciabat, quæ partes omnes, quas Pontificii desiderant, sortiebatur, contritionem nempe, & confessionem; sed hoc non obstante inter Sacramenta neutiquam adscripta est: ergo neque Pontificia. Idem instirui potest argumentum ex pœnitentia veteris legis, quæ in vie contritione, & confessione coalesceret, a Sacramenti tamen ratione deficiebat. Apostoli quoque nullo adhibito Sacramento peccata remittebant, sicut in Paulo Corinthium incestuosum, & Galatas reconciliante videre est.

RESP. In Præcursoris pœnitentia, remissiva peccatorum potestas, quæ ad constituendum Pœnitentiæ Sacramentum potissima

ma pars est, cum per modum judicii instituta sit, desiderabatur, ea propter casso irritoque effectu laborat Kemnitius alia emendicando momenta, nobisque ea objiciendo, eam scilicet confessionem non fuisse de singulis peccatis, judiciarium non intercessisse processum, mulctam non fuisse injunctam, sed media fide petentibus, credentibus, iramque Dei timentibus reconciliationem gratis per Christum concessam: Nullius, inquam, momenti hæc sunt; non enim talia afferunt Catholici, ut e Sacramentorum albo Baptistæ Pœnitentiam expungant. Cæterum voluntaria sunt, quæ Hæreticus producit: Etenim neutiquam explicat Evangelista, num illa peccatorum confessio fuerit generalis, vel singularis; num mulcta fuerit imposita nec ne; immo, si res altiùs perpendatur, dicendum venit mulctam fuisse additam: Exhortabatur namque, ut Audientes dignos pœnitentiæ fructus facerent, inter quos unus est pro offensa satisfacere, quod per pœnalia opera completur: Nec non nisi impiè negatur gratis remissionem fieri per Christum, cum ipsius meritis auxilia ad necessarios eliciendos actus conferantur. Nullus pariter in laudato loco sermo de postulatione, nec de timore iræ Dei ex parte Confitentium, cum Præcursor pœnam solummodo duris, & pœnitere nolentibus comminatur. Verùm hujusmodi comminatio ad movendos homines, ut pœnitentiam præconcipiant, ordinatur.

Pœnitentia Præcursoris a Sacramenti ratione deficiebat.

Lubenti quidem animo concedimus Pœnitentiam legis veteris a Sacramenti ratione defecisse, utvis in ea contritio, & aliqualis confessio inveniretur, verùm non ob aliud, nisi quia spiritualis dimissiva peccatorum potestas ob illius Sacerdotii imperfectionem deerat. Cum igitur talia sentiamus, perperam nobis imponitur, quod a Pœnitentia legis veteris nostram esse Sacramentum arguamus, cum solummodo ex figuris, in quibus lex nova continetur, argumentum instituatur. Fatemur quidem S. Petrum profiteri *Act.* 10. *v.* 43. Omnes Prophetas testimonium perhibere remissionem peccatorum accipere per nomen Jesu omnes, qui in eum credunt, sed hoc non est dicere eandem esse Pœnitentiam veteris, & novæ legis, nullumque alium ritum esse adhibendum, sed qualis sit Pœnitentia a Jesu instituta aliunde quærendum est.

Concedimus similiter nullum in Scripturis manifestum dari exemplum, in quo fiat mentio aliquem ex Apostolis sacramentalem dedisse absolutionem; nobis traditionis testimonium hac de re fidem faciens abundè sufficit, cumque Scriptura doceat Apostolis collatum fuisse ministerium reconciliationis, pro certo habeas illud juxta Christi mandatum, atque institutionem fuisse impletum. Falsò tamen oppositum colligi ex Paulo affirmamus: nam quo ritu reconciliatus fuerit Corinthius incestuosus, non exprimitur: Gravem ipsi pœnam impositam legimus, eamque a Paulo in persona Christi remissam, sed quonam pacto, qua cæremonia restitutus non recensetur. Galatas verò lapsos adhortari ad pœnitentiam in aperto est; utrum autem conversi fuerint, & qualiter reconciliati, non indicatur: ex propter Kemnitio non proficit Paulus.

54 OBJIC. VII. Quod ad solam disciplinam pertinet, Sacramentum esse neutiquam potest; atqui Pœnitentia a Pontificiis explicata ad solam Ecclesiæ disciplinam spectat, tum quia orta est ex spectaculis publicæ pœnitentiæ, tum quia variæ, & incertæ sententiæ extant apud Pontificios de necessitate confessionis.

RESP. Expectamus a Kemnitio edoceri, quibus nam momentis probet sacramentalem Pœnitentiam a spectaculis publicæ pœnitentiæ emanasse: Temporibus namque, quibus publicæ pœnitentiæ disciplina vigebat, Patres de secreta Exomologesi doctrinam tradidere. Hos inter Tertullianum habemus *cap.* 10. *Scorpiaci* -- Nam etsi adhuc „ clausum putas Cœlum, memento claves „ ejus hic Dominum Petro, & per eum Ec„ clesiæ reliquisse -- S. Ambros. *Lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 7. -- Cur baptizatis, si per ho„ minem peccata remitti non licet? In Bap„ tismo utique remissio peccatorum omnium „ est. Quid interest, utrum per Pœniten„ tiam, aut per lavacrum hoc jus sibi da„ tum Sacerdotes vendicent? Unum in „ utrumque mysterium est -- S. Doctor hic clarè loqui ad rem nostram pro comperto est: non enim publica Pœnitentia mysterium nuncupabatur: Demum S. Pacianus, aliis omissis, Epist. ad Sympronianum Novatianæ Hæresis propugnatorem superiora clariùs evincit ostendendo peccatorum remissionem vel ab ipsis Apostolis, cæterisve Ecclesiæ Ministris ex divina institutione obtineri -- Solus hoc, inquies, Deus pote„ rit? Verum est: sed & quod per Sacer„ dotes suos facit, ipsius potestas est. „ Nam quid est illud, quod Apostolis di„ cit; Quæ ligaveritis in Terris, ligata „ erunt & in Cœlis, Et quæcunque solve„ ritis in Terris, soluta erunt & in Cœlis? „ Cur hoc, si ligare hominibus, & solve„ re non licebat? .... Si ergo & lava„ cri, & Charismati potestas, majorum „ longè Charismatum, ad Episcopos inde „ descendit, & ligandi quoque jus adfuit, „ atque solvendi -- Illa porro sententiarum inter Doctores varietas rei summam non tangit, sed accidentalia, quod si unus, aut alter diversimodè senserit, ipsi non se credit Catholica Fides.

Alia publica, alia Sacramentalis Pœnitentia.

55 OBJIC. VIII. Humano corpori, teste Apostolo *ad Rom.* 12., assimilatur Ecclesia; atqui cum corpori per accidens adveniant morbi, videlicet propter hominis passibilitatem, nulla ad illos repellendos determinata datur potentia: Natura quippe eas solummodo facultates indidit, quæ ad naturalis vitæ perfectionem desiderantur: ergo neque in mystico Ecclesiæ corpore determinatum fingere debemus Sacramentum spiritualium infirmitatum curativum, quæ per accidens sive ex Adæ lapsu, sive ex naturali hominis debilitate obveniant.

RESP. Utvis humano corpori ex ejusdem corruptibilitate accidant morbi, nihilosecius sicut medicamen habens sanativam morborum virtutem sub actione naturalis virtutis homini intrinsecæ providit natura; ita tu-

Ec-

Ecclesiæ corpore ad peccata, quæ spirituales sunt morbi, determinatum medicamentum Christus præparavit; hoc porro Pœnitentiæ Sacramentum esse adstruunt PP. S. Joannes Chrysostomus *Homil. 5. de Pœnit.* -- „ Pœnitentia medicamentum est peccatum „ extinguens -- Et *Hom. 80. ad Populum Antioch.* -- Sicut in corpore vulnera sunt, & „ medicamina, itidem in anima peccata „ sunt, & Pœnitentia; Et quid loquar, „ animadverte. Vulnus, & medicamen- „ tum, peccatum, & Pœnitentia -- S. Isidorus Hispalensis *Lib. 2. de Divinis Officiis cap. 16.* -- Pœnitentia est medicamen vul- „ neris, spes salutis, per quam peccatores „ salvantur -- Utique peccabilitas in homine ex ejusdem infirmitate emanat; per se tamen ipsi convenit, utpote facto ex nihilo; cumque per spiritualem regenerationem non auferatur, ne renatorum desperata sit salus, a divina providentia fuit, certum parare remedium, quo lapsus repararentur.

Pœnitentia medicina salutis.

56 OBJIC. IX. Verum mortuorum Sacramentum, debet gratiam producendo, peccatum immediatè, quod ad maculam expellere; sed Christianæ Pœnitentiæ hoc modo peccatum expellere nequit; ergo non potest esse Sacramentum. Assumptum declaratur. Tota virtus delativa peccati in illis continetur verbis: *Quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cœlo.* Ista porro verba ad culpam neutiquam respiciunt; correferuntur namque ad illa *Quæcumque ligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cœlis,* quæ nullatenus supra culpam cadunt; Hæc namque potestas ad culpam non spectat; ligare solùm queit, pœnam, vel præceptum imponendo, cui si non fiat satis, incurritur peccatum: Similiter ergo, quæ primò attulimus verba, versari circa maculam non possunt, sed solum circa pœnam, & præceptum.

RESP. Christi verba ad Apostolos *Matth. 18.*, & ad Petrum *Matth. 16.* non unicè ad peccata se extendunt, cum inibì quoque Ecclesiæ potestas sit ampliata ad leges ferendas, ad juramenta solvenda, & similia; ideoque prout comprehendunt peccata solvenda, vel liganda intelligenda veniunt sicut apud S. Joan. 20., ubi non dicitur, *ligaveritis, sed retinueritis*; retinentur autem peccata, quoties denegatur absolutio, quam denegationem ratam habet Deus in Cœlo, ac propter non aufertur peccatum; At si per contritionem deleatur, debet Pœnitens illud subdere clavibus, quod si non faciat, incidit in reatum, & absolutio in Cœlis habita ei nequaquam proficit.

Multiplex Ecclesiæ concessa potestas.

57 OBJIC. X. Nullum novæ legis Sacramentum ex solis componitur verbis; Sed Pœnitentia, quæ Sacramentum asseritur, ex solis componitur verbis; nam ex parte formæ sunt verba absolutionis, ex parte materiæ verba sunt confitentis; Confessio enim solis verbis constat, nec Matrimonii paritas urget, quia ibi præter verba mutua corporum traditio intercedit.

RESP. Pœnitentis confessio, quamvis verbis fiat, rationem tamen rei induit, actusque ille confessionis pro re acceptatur, & tanquam determinabile per verba absolventis usurpatur: Confessio siquidem non est materia, nisi ut interioris significativa compunctionis, seù ut per dolorem informata, quo pacto rem aliquam importat. Illa quoque ad reum declarandum instituitur, eumque clavibus subjicit, & sic æquiparatur Matrimonio, reumque includit, cui impertitur absolutio; Persona enim ea est, quæ a peccatis absolvitur. Nec in Sacramentis singulis eadem materiæ qualitas, sed fini præintento aptata desideratur. Pœnitentiam judicium quoddam dicas, in quo delinquentis confessio prærequiritur, sicùt & Judicis sententia, adeoque sufficienter ex re, & verbo habetur compositio.

CONTROVERSIA III.

AN PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM ESSENTIALITER COMPONATUR EX PARTIBUS.

§. I.

HISTORICA SYNOPSIS.

58 QUidam ex Hæreticis, utvis impiè a Sacramentorum numero Pœnitentiam expungant, nihilominus omnes ipsam ut imperfectum Sacramentum non renuunt; hujus tamen essentiam in absolutione constituentes, totis viribus ritum aliquem intervenire habentem rationem materiæ, ut essent humani actus, refugiunt concedere. Hos inter jure adnumerari potest Kemnitius *in 2. P. Exam. Concil. Trident.* asserens -- Par- „ tes Pœnitentiæ, quas enumerant Pontifi- „ cii, hypocritæ quoque simulare, & præ- „ stare possunt, & tamen illis tribuunt re- „ missionem peccatorum -- Idem sentit Illiricus *in Apolog. Confessionis Augustanæ cap. 18.*, & Calvinus apud Tapperum *art. 3.* ait -- „ Ac ut ipsas belvas in sua arena conficiam, „ si ullum hic est Sacramentum, nunc longè speciosiùs jactari poterat absolutionem „ Sacerdotis Sacramentum esse, quam Pœ- „ nitentiam interiorem, vel exteriorem -- Innocentius Gentiletus Juris-Consultus Delphinensis *Canonem 4. Sess. 14. Trident.*, ubi de partibus Pœnitentiæ, apertè reprobat. E putrido Lutheri fonte errorem suum hauserunt Novatores; Is enim *Art. 5.* ex damnatis a Leone X. dicebat -- Tres esse par- „ tes Pœnitentiæ, Confessionem, Contri- „ tionem, & Satisfactionem non est funda- „ tum in Sacra Scriptura, nec in antiquis „ Sanctis Christianis Doctoribus -- Hanc suam esse doctrinam negavit postmodum, verùm has omnes partes a Pœnitentia relegasse, infra pro comperto erit.

59 Ipsos inter Catholicos, salva tamen dogmatis veritate, dissidium in hac Controversia invenire est. Utvis enim in eam conflnant sententiam Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, sicut & Absolutionem veras esse Sacramenti Pœnitentiæ partes, discriminantur tamen, volentes

qui-

quidam, ùt Durandus *in 4. dist. 16. q. 1.*, Contritionem præsupponi debere, & Satisfactionem fructum esse, non verò partes. Contendunt alii sola absolutione essentialiter compleri Sacramentum; alii alia dicunt, sed catholicè sentientes profitentur prædicta ad constituendum Sacramentum requiri, ùt mox diximus: Perperam igitur Acatholici nostrum Regnum divisum esse declamant, cùm in unitate doctrinæ fundata sit Ecclesia, adversus quam portæ Inferi prævalere nutiquam possunt.

§. II.

PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM EX ABSOLUTIONIS VERBO, HOMINISQUE ACTIBUS TANQUAM EX MATERIA, ET FORMA ESSENTIALITER COMPONITUR.

60 BRevi calamo Controversiam hanc absolvemus; plura enim dedimus Tract. I. de Sacramentis in Genere Disp. II. Controv. I.

PROB. igitur I. Pœnitentiæ Sacramentum institutum est per modum judicii reconciliativi hominis cum Deo. Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui ad judicium reconciliativum præter Judicis sententiam requiruntur actus ipsius rei; Ad judicium namque essentialiter causæ cognitio exigitur, quæ impræsentiarum per voluntariam accusationem, & confessionem habetur; ut autem hujusmodi confessio ad reconciliandum apta sit, oportet esse detestativam offensæ Deo illatæ, ad distinctionem judicii simpliciter punitivi, & vindicativi, in quo accusatio, confessio, & punitio invita licet, & coacta sufficiunt. Quoniam verò peccatorum detestatio non est tantæ efficacitatis, ut omnem pœnæ peccatis debitæ reatum auferre possit, ideo secundùm Sacerdotis sententiam satisfacere debet peccator; Confessio igitur, Contritio, & Satisfactio sunt materia Sacramenti Pœnitentiæ, sicut & absolutio ejusdem est forma.

Ad judicium, & actus rei, & Judicis sententia intervenit.

61 PROB. II. Quod in Sacramento est per se sensibile signum effectus proprii illius Sacramenti, intrinseca ejusdem pars censeri debet; atqui & absolutio, & ipsius pœnitentis actus sunt per se sensibile signum effectus proprii pœnitentiæ Sacramenti: ergo utrumque est intrinseca pars. *Min. evincitur.* Verbum absolutionis gratiam peccatorum remissivam sensibiliter significare nemo unus etiam adversarius audet denegare; Pœnitentis actus eandem gratiam significare luce clariùs est; qui enim de patrato crimine veniam exposcit, illudque dolens confitetur, dubio-procul se a peccato recedere, atque se justificationis gratiam exoptare satis manifestat; hujuscemodi verò actibus remissionem esse a Deo promissam docet Scriptura. Porro significatio hæc sufficienter sensibilis est, nec Sacerdotes absolvunt, nisi per sensibilia signa ipsi pœnitentis dolor innotescat. Addas velim actus istos simul cum verbo ad delictorum remissionem concurrere; Desit absolutio, non conficitur Sacramentum, desint actus, absolutio frustra impertitur, cum hoc tamen discrimine, quod forma absolutoria cadit super actus, non autem è contra, eaque propter isti materiæ rationem jure sortiuntur, illa verò formæ.

Verbum, & pœnitentis actus sunt sensibile signum gratiæ.

62 PROB. III. Eugenius IV. in Decreto pro Armenis enumeratis septem Ecclesiæ Sacramentis subdit — Hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, videlicet
„ rebus tanquam materia, verbis tanquam
„ forma, & Persona Ministri conferentis
„ Sacramentum, cum intentione faciendi,
„ quod facit Ecclesia — Hinc specialiter de Pœnitentia verba faciens ait — Quartum Sacramentum est Pœnitentia, cujus
„ quasi materia sunt actus pœnitentis, qui
„ in tres distinguuntur partes, quarum prima est cordis contritio, ad quam pertinet, ut doleat de peccato commisso cum
„ proposito non peccandi de cætero; Secunda est oris confessio, ad quam pertinet, ut Peccator omnia peccata, quorum memoriam habet, suo Sacerdoti
„ confiteatur integraliter; Tertia satisfactio pro peccatis secundum arbitrium Sacerdotis, quæ quidem præcipuè fit per
„ Orationem, jejunium, & eleemosynam.
„ Forma hujus Sacramenti sunt verba:
„ Ego te absolvo &c. His consonè loquitur
„ Tridentinum *Sess. 14. cap. 3.* — Docet
„ præterea Sancta Synodus, Sacramenti Pœnitentiæ formam, in qua præcipuè ipsius
„ vis sita est, in illis Ministri verbis positam esse: Ego te absolvo &c. . . . . Sunt
„ autem quasi materia hujus Sacramenti
„ ipsius pœnitentis actus, nempe Contritio,
„ Confessio, & Satisfactio; qui quatenus in
„ pœnitente ad integritatem Sacramenti,
„ ad plenamque, & perfectam peccatorum
„ remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur — Nec discrepat Cathechismus Romanus *de Sacram. Pœnit. n. 10.*, immo satis dilucidè exponit, quare prædictæ partes quasi materia dicantur — Jam quoniam
„ nihil Fideli Populo notius esse debet,
„ quam hujus Sacramenti materia, dicendum est in eo maximè hoc Sacramentum
„ ab aliis differre, quod aliorum materia
„ est res aliqua naturalis, vel arte effecta,
„ Sacramenti verò Pœnitentiæ quasi materia sunt actus pœnitentis, nempe Contritio, Confessio, & Satisfactio — Et clariùs n. 17. — Quasi materia igitur Pœnitentiæ partes nuncupantur, quia nihil elementare, aut sensibile solidum habet, sicut in Baptismo, Eucharistia, & hujusmodi adinvenitur est.

Sacramentū ex quibus coalescit.

§. III.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

63 OBJIC. I. Humanis actibus Divinitatem tribuere impium est; atqui constituere Pœnitentis actus ut Sacramenti partes nil aliud planè est, quam eisdem Divinitatem tribuere: Etenim Sacramentum divinum est opus: ergo pœnitentis actus haud censendi sunt hujus Sacramenti partes.

RESP. Ipsum Kemnitium argumentum ferit; æquè enim impium est Divinitatem in Baptismo verbis, & aquæ tribuere, ac pœnitentis actibus; & tamen verba, & aquam in sacra Baptismi ablutione ut ipsius partes profitetur: Si igitur hæc Sacramentum regenerationis conficiunt ut elevata per virtutem Dei ac Christi meritis, cur eandem Christi virtutem in pœnitentis actibus non agnoscit? Veneretur igitur Dei virtutem in forma, & Sacramentorum materia, nec in meridie gestiat cæcutire, ut videns non videat, & intelligens non intelligat.

Materia, & Sacramentorum forma a Dei virtute elevantur.

64 OBJIC. II. Talem Dei misericordiam constituere, quæ peccatorum remissionem nequaquam gratis tribuat, a Catholica Fide alienum est; sed si actus pœnitentis forent partes Pœnitentiæ Sacramentum constituentes, jam Dei misericordia non gratis tribuit peccatorum remissionem; ex operibus namque meritoriis daretur remissio: Actus ergo pœnitentis non sunt Sacramenti materia.

RESP. Captiosè Ecclesiæ doctrinam intelligit Kemnitius. Perpetuò docet Ecclesia peccatorum remissionem gratis dari, nullumque ex præviis nostris actibus ad justificationem meritorium esse. Disponi quidem iisdem hominem explicat Sancta Tridentina Synodus; unde *Sess.* 14. *cap.* 4. loquens de contritione inquit -- Fuit autem „ quovis tempore ad impetrandam veniam „ peccatorum hic contritionis motus ne„ cessarius, & in homine post Baptismum „ lapso ita demum præparat ad remissionem „ peccatorum &c -- Et infra de imperfecta contritione -- Quamvis sine Sacramento „ Pœnitentiæ per se ad justificationem per„ ducere peccatorem nequeat, tamen eum „ ad Dei gratiam in Sacramento Pœniten„ tiæ impetrandam disponit -- Gratis itaque peccatorum remissionem largitur nobis Deus, cum Contritio, Confessio &c. non sint merita justificationis, sed dispositiones ad ipsam. Neque inde inferendum potest hominem seipsum justificare. Nam locutio hujusmodi absolutè prolata significat principaliter, & ex propriis seipsum sanctificare, quod anathemate damnat Ecclesia, cum Deus instituerit, ut actus Contritionis, & Confessionis sint materia Sacramenti reconciliationis, eosque elevaverit ad proprium illius Sacramenti effectum producendum, non minus, ac aquam in Baptismate, & in hoc sensu pœnitentis actus ad productionem gratiæ remissivæ activè concurrunt.

Partes Sacramenti disponunt ad justificationem.

65 OBJIC. III. Nihil a Recentioribus
A adinventum pars Sacramenti esse potest; Sed actus pœnitentis materiam esse Sacramenti Pœnitentiæ noviter adinventum est; Antiquitati siquidem hujusmodi quæstio incognita fuit: ergo.

RESP. Verum est, quod primis Ecclesiæ Sæculis Sacramenta dicebantur non quidem componi ex materia, & forma, sed ex signo, & re invisibili, seu ex rebus, & verbis, Seculo autem XIII. materiæ, & formæ nomen usurpatum est ad clariùs explicandam Sacramentorum essentiam, ut fusiùs dictum est Controversia superiùs citata. Quid porro infert Kemnitius? Novitatem verborum
B jure reprehendere posset, si absque gravi fundamento non fuisset adoptata; Quoniam verò ad catholicam veritatem dilucidandam assumptum fuit materiæ, & formæ vocabulum, nihil est, quod nos criminetur. Cæterum licet Patres his vocibus usi non fuerint, hasce partes enumeraverunt. Sufficiat Chrysostomus *Ser.* 1. *de Pœnit.* -- Perfecta „ Pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter sufferre . . . . In corde ejus contritio, „ in ore ejus confessio, in opere tota humilitas -- Et clariùs de satisfactione Ser. de confessione peccati inquit -- Pejus est Dei „ offensam non satisfactione placare, quam
C „ peccando Dei bonitatem offendere --

Quando materiæ, & formæ nomen adoptatū est;

66 OBJIC. IV. Piceninus argumentum ex Kemnitio exscripsit. Nihil certi apud Catholicos circa hujus Sacramenti essentiam firmatum est, quidam prædictos actus exposcunt, alii negant, Scotus in sola absolutione essentialiter consistere affirmavit: ergo.

Huic argumento factum fuit satis in Historica Synopsi n. 59.

67 OBJIC. V. idem Hæreticus. Devotio, & Oratio non sunt partes, seu materia Eucharistiæ: ergo neque pœnitentis actus.

D RESP. Eucharistia per modum cibi instituta est; ad hoc porro ut aliquid habeat rationem cibi, non indiget actione manducantis; cæterum Pœnitentiæ Sacramentum habet rationem judicii; ad judicium autem non solummodo Judicis sententiam, sed actus quoque ipsius rei intervenire necesse est.

In judicio actus rei, & judicis requiruntur.

68 OBJIC. VI. Sensibile Sacramentum sensibilibus coalescere debet partibus; atqui internus animi dolor nequaquam sensibilis est: non ergo pars dici debet: igitur per contritionem non internus animi dolor, sed externa doloris signa accipienda sunt, & hujusmodi signa esse ad peccati
E remissionem necessaria absque Scripturæ fundamento affirmantur: ergo.

RESP. Argumentum duo intendit, primum quidem externa signa haud necessariò per Scripturas exigi ad peccatorum remissionem; secundum internum dolorem non habere rationem partis -- Partes Sacramenti „ Pœnitentiæ visibiles esse debent; est enim „ Sacramentum signum visibile -- talia inquitur Kemnitius. Primum falsitatis evincitur, cum dicatur Isaiæ 30. *Cum conversus ingemueris, salvus eris*; & 1. Jo. 1. *Si confiteamur peccata nostra, fidelis est Deus, & justus, ut*

Dolor internus, q. o pacto habet rationem partis in Sacramento.

C *remit-*

remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate. Similia habes *Joelis* 2., & alibi in Scripturis. Quantùm verò ad internum animi dolorem, ut sit pars Sacramenti sensibilis, sat est sensibilem fieri per externam confessionem: Anima enim est vera hominis sensibilis pars, & tamen per se sensibilis non est; Verbum in Baptismo, quod inter Sacramenta ab Hæretico recensetur, est illius pars essentialis quatenus significativum; porro significatio non est per se sensibilis. Sacramentum itaque est absolutè, & veraciter sensibile signum, etsi pars omnis non sit per se immediatè sensibilis.

69 Utrum verò contritio præcisato modo sensibilis intret ad constitutionem hujus Sacramenti in recto, ùt ajunt, aut in obliquo, diversa est apud Theologos præcipuè Thomistas opinio; Quoniam autem hoc fidei summam non tangit, ad ipsosmet Theologos Lectorem remittimus, quos inter videri poterunt PP. Salmanticenses *Tract. XXIV. de Pœnit. Sacram. Disp. 1. Dub. 2. n. 94., & seqq.*, sicut èt P. Laurentius *in suo Spicilegio Tom. 4. Controv. XI. §. 1. n. 8., & seqq.* Quorum uterque pro se stare D. Thomam egregiè propugnat.

CONTROVERSIA IV.

AN TERRORES CONSCIENTIÆ A LEGE INCUSSI, FIDES, & OBEDIENTIA, VEL MORTIFICATIO, ET VIVIFICATIO CUM NOVÆ VITÆ PROPOSITO SINT PARTES SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

§. I.

NOTIO HISTORICA.

70 HÆretici, qui circa partes Sacramenti Pœnitentiæ nobiscum sentire renuunt; ne a communi omnium intelligentia aberrare videantur, quasdam omnino voluntarias, primævæque Ecclesiæ sensu alienas finxerunt. Lutherus, qui in assertione Articulorum suorum falsas fuerat se unicè insurrexisse contra asserentes satisfactionem juris esse divini, in deteriora prolapsus in articulis Smalchaldicis *Cap. de Pœnitentia* duas esse affirmavit Pœnitentiæ partes legem videlicet, & Evangelium, seu, quod in idem redit, terrores conscientiæ a lege incussos, & Fidem ex Evangelii prædicatione conceptam: Ejusdem labii sunt Melancthon, Centuriatores, aliique, si illos excipias, qui prædictis opus bonum, seu novam obedientiam addant.

Calvinus, cui Lutheri dogma non arridebat, alias Pœnitentiæ partes adinvenit, Mortificationem nempe vitiorum, seu abnegationem sui per veteris hominis expoliationem, & vivificationem, quæ ex pio vivendi studio, affectuque ad opera bona consurgit.

71 His sufficienter ita prælibatis dicendum primò terrores conscientiæ a lege incussos, Fidem, & obedientiam non esse partes Sacramenti Pœnitentiæ.

PROB. I. Patres Pœnitentiam definiendo, veram ipsius notionem ad regulam Scripturarum tradiderunt; atqui in nulla Patrum definitione fit mentio terroris legis, Fidei, seu fiduciæ, & obedientiæ; & sanè nullam hujusmodi afferunt Novatores, cum ex adverso quælibet ex iisdem tota est in confessione, mulctis, & lacrymis commemorandis: ergo præcitatæ Hæreticorum partes a Pœnitentiæ Sacramento amandandæ sunt. *Notio Pœnitentiæ a Patribus tradita.*

72 PROB. II. Quod pœnitentiam præcedit, haud illius pars est; sed Fides, & terrores hanc præcedunt: ergo. Fidem præcedere certum est; hæc quippe totius spiritualis ædificii fundamentum est, dicente Apostolo, *Accedentem ad Deum oportet credere*. Pœnitentiam pariter præcedunt terrores Legis; etenim secundum Adversantium placitum Lex Fidem Christi præcedit, & ex cognitione minarum, quæ ab ipsa Lege intentantur, homo ad pœnitendam excitatur; hinc Apostolus 2. ad Corinth. 7 v. 10. inquit. *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, Pœnitentiam in salutem stabilem operatur*. Tristitia igitur ipsa non est Pœnitentia, sed ad eam operatur. Apparet itaque quàm jure, quàm meritò Tridentinum inter dispositiones, atque justificationis initia Fidem, & timorem enumeraverit, & quidem consonè ad Scripturas, quibus malè abutuntur Hæretici; Nam Marc. 1. v. 15. *Pœnitemini, & credite Evangelio*, & Act. 20. v. 21. *Testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*. Fides ùt a Pœnitentia distincta apertè describitur, & etsi ex loquendi modo pœnitentia præmittatur, haud censendum est ad ipsam subsequi fidem, sed hujus finem esse, qui, cum sit primus in intentione, ultimus est in executione: Fide enim excitati pœnitentiam agimus, justificationem consequimur, & demum, accedente perseverantia, vitam æternam. *Fides Pœnitentiam præcedit.*

73 PROB. III. Inter Pœnitentiæ partes jure enumerari non debet, quod absque illa subsistit; atqui terror legis, & Fides absque pœnitentia subsistunt: In illis siquidem, qui verè credunt, nec tamen pœnitent, legis terror sæpe consurgit; Quot enim sunt veri Fideles perditæ conscientiæ? In magna domo sunt aurea, & lutea vasa, sicut èt in area paleæ frumento admiscentur. Addas velim, quosdam non jam timore, sed Dei amore actos verè pœnitere, hos inter habemus pœnitentem Mulierem, de qua Christus dixit Luc. 7. v. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Divina dilectio nequit utique esse absque Fidei lumine; Fides tamen a dilectione distinguitur; atque propterea neque hæc, neque terror a Lege incussus partes sunt Sacramenti Pœnitentiæ. *Absque Pœnitentia Sacramento datur timor.*

74 Dicendum secundò contra Calvinum. Mortificationem, seu abnegationem sui per veteris hominis expoliationem, & vivificationem, seu pium bene vivendi studium, affectumque ad bona opera non esse partes pœnitentiæ, quod breviter evincitur. *Vivificatio, & mortificatio non sunt Pœnitentiæ partes.*

Præ-

Prædicta in reconciliatione inchoantur, & post justificationem longo vitæ tempore, immo per totam vitam perficiuntur; atqui Pœnitentia justificationem præcedit: ergo. Et clariùs. Pœnitentia non est nisi pro peccatoribus; sed mortificatio, & vivificatio Peccatores non minus, quam Justos complectitur: ergo hujusmodi partes a Pœnitentiæ Sacramento rejiciendæ sunt.

§. I I.

HÆRETICORUM MOMENTA EXPENDUNTUR.

75 OBJIC. I. Si terrores conscientiæ a lege incussi, & fides non essent Pœnitentiæ partes, frustranea esset Evangelica prædicatio ad pœnitentiam excitativa; Hoc non est dicendum: ergo admittendæ sunt.

Terrores conscientiæ, & Fides ad justificationem disponunt.

RESP. Dolus tota die meditati Hæreticos cum Psalmista dicere possumus. Quis unquam ex Catholicis negat sive fidem, sive conscientiæ terrores ad pœnitentiam apprimè deservire? Nemo unus verè sentiens dubitat, sed cum Tridentino *Sess.* 14. *Can.* 4. illos dumtaxat anathematizat, qui veræ Pœnitentiæ Sacramentum a Christo institutum rejiciunt, statuentes duas tantummodo esse Pœnitentiæ partes, terrores scilicet conscientiæ, & fidem; cæterum utrumque admittimus ùt dispositiones, adeoque Evangelii prædicatio frustranea haud dicenda est.

76 OBJIC. II. Sola fides salutarem pœnitentiam ab serviali distinguit, ùt in aperto est de Juda desperante, & Petro verè resipiscente; Horum primus doluit de patrato crimine, illud confessus est, pro eo satisfecit, & tamen — Fide illa speciali „ destitutus laqueo se suspendit — sic argumentatur Kemnitius.

Judæ inutilis contritio, & cur.

RESP. Certum est Fidem veram a falsa pœnitentia discriminari, non quia pars pœnitentiæ censenda sit, sed quia salutis initium est: immo fidei conjungi debet spes de obtinenda peccatorum venia, sine qua nec vera dici potest contritio; Hac porro spe deficiente desperavit Judas, quaque habita resipuit Petrus. Verùm si ex Evangelio Pœnitentiæ notionem desumere intendit Hæreticus, cur candidè exemplum Filii Prodigi non perscrutatus est? Luc. 15. adinvenisset confessionem dolore refertam: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te*; vindictam a Patre indicandam: *Jam non sum dignus vocari Filius tuus. Fac me sicut unum de Mercenariis tuis*. Talia proposuit Christus, talia profitentur Catholici.

77 OBJIC. III. — Ad perpetuam rei „ memoriam sit notum veræ Ecclesiæ Dei „ Concilium Tridentinum promittere pœ„ nitentiæ reconciliationem cum Deo, & remissionem peccatorum sine fide — Sic inclamat Kemnitius; sed hoc est contra Apostolum dicentem *sine fide impossibile est placere Deo*: ergo &c.

Kemnitii calumnia.

RESP. Hujusmodi Kemnitii calumniæ ex *Sessione* 6. *cap.* 6. Tridentini corruunt ex toto. Dicit itaque Sancta Synodus — „ Disponuntur autem ad ipsam justitiam, „ dum excitati divina gratia, & adjuti, „ fidem ex auditu concipientes, liberè mo„ ventur in Deum credentes vera esse, quæ „ divinitùs revelata, & promissa sunt — En fides ad justificationem requisita? Fidem itaque nusquam excludimus, cum hanc omnis justitiæ fundamentum profiteamur, sed unicè illam ùt Pœnitentiæ partem recognoscere cum Hæreticis nequaquam possumus.

78 OBJIC. IV. ex Calvino. Pœnitentiam brevibus capitibus Psalmista Ps. 34. *Declina a malo, & fac bonum*; sed declinare a malò est mortificatio, facere bonum est vivificatio: Hæc duo igitur sunt Pœnitentiæ partes.

RESP. Declinare a malo, & facere bonum justis quam maximè convenit; ea propter inibi non describitur pœnitentia, quæ via est ad justificationem, sed a Tertulliano nobis veræ pœnitentiæ regula traditur *lib. de Pœnitentia* — Cum igitur pro„ volvit hominem, magis relevat. (*En „ cordis contritio*) Cum squalidum facit, „ mundatum reddit. (*En satisfactio*) Cum „ accusat, excusat. (*En Confessio*) Cum „ condemnat, absolvit. (*En absolutio per „ Sacerdotem*) —

Declinare a malo, & facere bonum justorum est.

CONTROVERSIA V.

AN AD SACRAMENTI PŒNITENTIÆ VALOREM NATURALIS DOLOR SUFFICIAT.

§. I.

79 CUm affirmativa sententia & jure, & merito quibusdam parùm tuta in fide videatur, ea propter operæ pretium erit hanc præcedentibus subnectere. Notandum tamen venit dolorem naturalem eum esse, qui ex motivo puro naturali oritur, ùt si de peccato doleas, quia contra Deum principium, totiusque naturalis ordinis finem, vel quia contra prudentiæ regulas, contra rectam rationem, aut inclinationem virtutis, cæteraque moralis honestatis fundamenta, quæ ad evitanda crimina Ethnicos quoque aliquando impulerunt, ùt legenti Senecam, cæterisque quosdam Philosophos in aperto est; nec ab hac Controversia dolorem amandamus, qui a supernaturali quidem motivo procedat, sed non nisi naturæ viribus elicitus, quod non rarò evenire docent Theologi; non tamen ad casum viri justi, qui sive de præteritis, sive de levibus doleat, extendimus: ille namque actus, ùt plerique docent, est quidem entitativè naturalis, sed modificativè, ùt ajunt, supernaturalis, quatenus in justo actus quilibet, sive naturalis habitus aliquid de linea charitatis recipit, virtute primi actus conversivi hominis ad Deum tanquam ad ultimum finem; omnes enim honestos actus a justo elicitos in finem ultimum dirigit charitas;

Naturalis dolor quinam sit.

ritas; Quo pacto hoc contingat, qui velit, Theologos consolat.

80 Controversia circa Sacramenti valorem versatur, quia catholicâ credendum fide ducimus ad Sacramenti fructum nullimodè naturalem dolorem sat esse: Ad fructum namque Sacramenti dolor concurrere debet ùt dispositio ad gratiam; Pelagianum porrò dogma est quidpiam naturale ad gratiam, & speciatim ùt justificantem disponere: Hinc meritò Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 4. ad Pœnitentiæ Sacramentum ùt fructuosum, dolorem exposcit vel charitate perfectum, vel ex Spiritus Sancti impulsu; hujusmodi autem non est naturalis dolor. Controversiæ igitur summa est. An ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem dolor præcisè naturalis sufficiat, & negativam sententiam, quam PP. Salmaticenses egregiè propugnant, & a quibus plura excerpsimus *Tract.* *XXIV.* *Disp.* 1. *Dub.IV.* *§.IV.*, *& seqq.* adoptamus.

Naturalis dolor ad fructum Sacramenti non sufficit.

81 PROB. I. Innocentius XI. suo Decreto anno 1679. edito proscripsit 65. propositiones, quarum 57. erat hujusmodi — „ Probabile est sufficere attritionem naturalem, modo honestam — & quidem in ordine ad sacramentalem confessionem: ergo ejus contradictoria vera est, videlicet, non est probabile sufficere attritionem naturalem, modo honestam: ergo hæc alia certa censenda est; Necessaria est supernaturalis attritio. Discursum hujusmodi nemo, ùt opinor, inficias ibit; eum neutiquam infirmatur dicendo damnatam propositionem ad Sacramentum ùt fructuosum appellare. Proscripta namque absolutè propositio complectitur Sacramentum sive secundum essentiam, sive ùt fructuosum.

Naturalem attritionem ad Pœnitentiam sufficere damnatum est.

Quod si uterque sensus censuræ notâ non inureretur, nunc æquè vera esset, sicut antea; nam secundum unum legitimum sensum, in ordine videlicet ad Sacramenti essentiam, haud reprobaretur; ad hanc nempe naturalis attritio sufficeret; cumque ab essentia principalis habeatur denominatio, illa proscripta propositio absolutè vera foret. Addas velim. Illius Thesis Patronos Catholicos esse; Nemo autem unus ex Catholicis affirmare audet opus naturale ad supernaturalem fructum deservire; hoc namque Pelagianam sapit pravitatem. Quid plura? Damnatæ propositionis contradictoria negativa est, cujus natura quidquid post se invenit, excludit, adeoque utrumque destruit sensum.

82 PROB. II. In Sacramentis materia proxima non solummodo ad fructum, sed ad valorem, & essentiam pertinet; atqui supernaturalis dolor est proxima Sacramenti Pœnitentiæ materia: ergo supernaturalis dolor non solummodo ad fructum, sed ad valorem, ejusdemque essentiam pertinet. *Ostenditur min.* Contritionem proximam esse Sacramenti materiam tum ab Eugenio IV. in instructione Armenorum, tum a Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 3. firmatum novimus; dolorem ad supernaturalem ordinem spectare debere ex laudato Concilii loco evincitur, ubi de actibus pœnitentis ait — „ Qui quamvis in pœnitente ad integritatem Sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requirantur: Hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur — Nota, quod *hac ratione Pœnitentiæ partes dicuntur*, quatenus scilicet ad integritatem insimul & remissionem requiruntur; dolor namque ùt supernaturalis pars Sacramenti est.

Dolor materia proxima Sacramenti.

83 Porrò inane effugium deprehendet quilibet dicentium loqui Concilium de Sacramento cum fructu percipiendo: Non enim Concilium duplicem assignat materiam, quarum una ad Sacramentum secundùm substantiam deserviat, deserviat altera pro eodem ùt fructuoso, quod utique evenisset, si vera sentirent Adversantes; aliàs mutilam tradidisset Sancta Synodus doctrinam. Non abnuimus fateri Concilium revera sermonem instituere de Sacramento ùt fructuoso; nihilo tamen minus veram Sacramenti essentiæ notionem tradit, verasque partes explicat; quod in aperto est aliorum Sacramentorum exemplo, quorum essentiam describit, dum de eorundem fructu agit: cum igitur dicat Concilium Contritionem esse pœnitentiæ materiam, eamque ad peccatorum remissionem exposcit, jam planè fit supernaturalem contritionem ad Sacramenti essentiam omnimodè requiri. Res tota clarescit ex cap. seq. ejusdem Concilii — Contritio, quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus „ habet, animi dolor, ac detestatio est de „ peccato commisso, cum proposito non „ peccandi de cætero. Fuit autem quovis „ tempore ad impetrandam veniam peccatorum hic contritionis motus necessarius — Declarat itaque Concilium Contritionem, quæ est materia præcedenti capite assignata, illam eandem esse, quæ quovis tempore ad justificationem fuit necessaria, ad hanc porrò obtinendam supernaturalis dolor fuit requisitus.

Concil. Sacramenti essentiam describit.

84 PROB. III. Interiores hominis actus, qui ad justificantem gratiam in aliis Sacramentis sunt dispositiones, in Pœnitentiæ Sacramento sunt etiam de essentia per modum materiæ; sed in aliis Sacramentis prædicti actus non sunt dispositiones ad justificantem gratiam nisi ùt supernaturales: ergo in hoc de essentia neutiquam erunt, nisi ùt supernaturales. Quod in aliis Sacramentis (Conjugium excipias) humani actus non requirantur de essentia, seu ùt partes essentiales, quodque requirantur ùt dispositiones ex parte suscipientis habeantur ùt dispositiones ad gratiam, adeoque ùt supernaturales, certò certius est; si ergo in Pœnitentia exiguntur ùt partes, quisnam jure negare poterit, eos supernaturales esse debere?

Dispositiones ad gratiam supernaturales sunt.

Verùm aliter instituamus argumentum. Dolor de peccatis, qui ùt dispositio ad gratiam in suscipientibus Baptismum interveniat debet, in Pœnitentiæ Sacramento inter ejusdem partes computatur. Utrumque habemus ex Tridentino, primum *Sess.* 6. *c.* 6. — „ Ac propterea moventur adversus peccata „ per odium aliquod, & detestationem — Secundum *cap.* 14. ejusdem *Sess.* — Unde „ docendum est, Christiani hominis pœnitentiam post lapsum multò aliam esse a „ baptismali; eaque contineri non modo „ cessationem a peccatis, & eorum detesta-

„ tionem,

„ tionem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam &c. -- Atqui dolor pro dispositione ad Baptismum requisitus supernaturalis esse debet: ergo pari ratione requisitus ùt essentialis Pœnitentiæ pars.

Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii reconciliativi.

85 PROB. IV. Pœnitentiæ Sacramentum juxta Patrum, & Tridentini doctrinam per modum judicii reconciliativi institutum est, ad quod constituendum potissima pars dolor reputatur; hoc siquidem desiderato oppositæ voluntatea offensi, & offendentis reconciliari nequeunt; atqui ad constituendum hujusmodi judicium nullatenus naturalis dolor deservire potest: ergo necesse est supernaturalem esse. Argumentum explicatur. Ad Sacramenti essentiam, utvia non sit necesse actu producere effectum, qui per peccatum impediri potest; ipsi tamen competit, ut in actu primo sit causativum, taliter ut ex parte Sacramenti nil officiat, ut effectum suum producat; easque propter partes Sacramentum constituentes tales debent esse virtutis, ut præcisio impedimento effectum suum queant producere: dolor porro naturalis nullatenus est in actu primo reconciliativus hominis cum Deo offenso ùt supernaturalis ordinis auctore: dolor itaque naturalis nequit intrinsecè spectare ad constituendum judicium reconciliativum Dei in supernaturali ordine læsi.

§. II.

ADVERSANTIUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

86 OBJIC. I. Eodem planè modo humani actus sunt materia in Conjugii Sacramento, ac in Sacramento Pœnitentiæ, eodemque modo ad effectum gratiæ in utroque concurrunt, dicente D. Thoma 3. *p. q.* 84. *art.* 1. *ad* 1. -- „ In illis autem Sacramentis, quæ habent „ effectum correspondentem humanis acti„ bus, ipsi actus humani sensibiles sunt lo„ co materiæ, ùt accidit in Pœnitentia, „ & Matrimonio -- Atqui in Matrimonio naturales actus sufficiunt, ùt satis indicat Tridentinum *Sess.* 24. *cap. unico doctrinali*: ergo etiam in Pœnitentia ad valorem naturales actus sufficient.

Matrimonii, & Pœnitentiæ discrimen.

RESP. In Conjugii Sacramento humani actus, videlicet mutuus Contrahentium consensus, illius censentur materia: Non enim Sacramentum est, in quo Minister intercedat formam proferens, & extrinsecam exhibens materiam, nec abnuimus admittere ad illius valorem naturales actus sufficere, falsò tamen ad Pœnitentiæ Sacramentum trahitur illatio, eo nempe sensu, quod naturalis actus doloriferus sufficiat, verùm oppositum inferri debet. Rem docet Tridentinum laudato doctrinali capite asserens elevatum fuisse consensum duorum in Sacramentum, qui aliàs fuerat in officium naturæ præscriptum; ille porrò consensus omnino naturalis erat, ideoque in Conjugio naturalis consensus est satis; ex opposito idem Concilium *Sess.* 14. *cap.* 4. affirmat in Pœnitentia eam contritionem elevatam fuisse, quæ fuit quovis tempore necessaria ad impetrandam gratiam, quæ utique supernaturalis esse debet. Præterea ex mox citata *Sessione* in Pœnitentia una & eadem contritio & est Sacramenti materia, & dispositio ad gratiam. In Matrimonio autem actus hominis, qui est materia, a ratione dispositionis longè abest; Cum enim sit Sacramentum vivorum, ante consensum essentialis dispositio præsupponi debet. Quare duo hæc Sacramenta in eo conveniunt, quod actus humani sint ipsorum materia, sed aliter, & aliter; nam primi supernaturales esse debent, alii non, sic eorum natura exigente. Idem evenire dicas in aliis Sacramentis. Quantum ad D. Thomam certum est in Pœnitentiæ Sacramento supernaturales actus admittere, in responsione siquidem *ad* 2. affirmat eos actus esse a Deo inspirante interiùs, & 4. *contra Gentes cap.* 12. hanc operationem esse divinâ gratiâ informatam.

87 OBJIC. II. Pœnitentiæ Sacramentum est humanum quoddam judicium humano modo exercendum; atqui in humano judicio sufficit naturalis operatio, maximè accedente bona fide: ergo in Pœnitentia naturalis contritio ad intentum sufficiat; tunc potissimè ubi supernaturalis existimabitur.

Sacramentale judicium, in quo ab humano differat.

RESP. In humano judicio nedum ad valorem, sed èt ad fructum naturalis operatio, & bona fides sufficiunt; hoc de sacramentali nullus catholicè sentiens affirmabit. In re siquidem hujuscemodi judicium divinum, utvis ad analogiam humani, institutum est, utpote ad divinam reparandam justitiam ordinatum media gratia sanctificante, concurrente quidem ùt essentiali materia contritione ab homine elicita, adeoque in actu primo talis dolor esse debet proportionatus in vi reconciliativa.

88 OBJIC. III. Materiam inter, & Sacramentorum formam proportio intervenire debet; atqui forma Sacramenti semper est naturalis; intentio quoque ejusdem ordinis esse potest, cum videlicet est peccaminosa: ergo.

Dolor debet esse reconciliativus.

RESP. Reddit argumentum de Sacramento ùt sanctum, quod tale est, stante formæ prolatione sub naturali, immo peccaminosa intentione; hoc tamen haud probabit de actu doloris, seu attritione naturali, immo peccaminosa. Porro in eo situm est discrimen, quod materia, nempe dolor debet esse reconciliativus hominis cum Deo, tendens ad destruendam offensam ipsi per proprios voluntatis actus irrogatam, eaque propter jure exigitur ipsos in eodem supernaturali ordine versari. Forma autem, sicut èt intentio fundatur in legitima potestate absolventis, qua positâ absolutio, & intentio assumuntur a Deo ùt instrumentum peccata dimittens; ad quod sufficit extrinseca elevatio, cum qua malitia absolventis componitur.

89 OBJIC. IV. Pœnitentiæ Sacramentum cum reliquis univocatur; atqui ad eo-

rundem

eundem valorem naturales actus a Miniſtris exhibiti ſufficiunt: ergo etiam in Pœnitentiæ Sacramento.

RESP. Apud D. Thomam ſolemne eſt Sacramenta univocari in ratione ſigni, uniuſcujuſque tamen ſervatâ naturâ. Sacramentum, de quo inſtituitur quæſtio, concipitur, & eſt velut ſpiritualis medicina ab intrinſeco, & ab extrinſeco ſanativa; ea ſanè proportione, qua corporalis ſanitas partim virtute naturæ, partim medicaminis efficaciâ habetur; proindeque ſicut in phyſicis naturalis virtus eſſe debet ſaltem in actu primo ſanativa, ita & in Pœnitentiæ Sacramento pars ab intrinſeco concurrens ſimiliter cum ſupernaturali ſalute coadæquari eſt neceſſe, atque propter ad ſupernaturalem ordinem ſpectare pro comperto eſt. Hæc ſanè de aliis Sacramentis (excepto Conjugio) non verificantur. Unde adducta paritas non urget.

Diſcrimen inter Sacramenta.

90 OBJIC. V. Actus naturalis, divina accedente ordinatione, habere poſſunt rationem ſigni ſanctificantis gratiæ; unde etiam naturalis dolor aptus cenſendus erit ad Sacramentum Pœnitentiæ.

RESP. In præſenti providentia, ſecundùm quam Deus naturalem ordinem ad ſupernaturalem finem elevavit, a veritate alienum eſt Adverſariorum principium; In hac ſiquidem rerum ordinatione actus, qui ſolummodo eſt diſpoſitio ad gratiam, ſi ſupernaturalis eſſe debet, quantò magis in eodem verſabitur ordine ille, qui aſſumitur per modum partis conſtituentis Sacramentum illud, quod ex ſuis eſſentialibus eſt productivum gratiæ? In alia providentia aliter diſcurrendum eſſet.

In præſenti providentia ſupernaturalis dolor requiſitus.

91 OBJIC. VI. In ordine ad Pœnitentiæ Sacramentum major proportio datur in orali confeſſione, utpote directè ſenſibilis, quam in dolore; atqui illa eſt entitativè naturalis: eſt quippe ſola peccatorum narratio: ergo.

RESP. Oralis confeſſio eſt actus entitativè naturalis, non ſolùm cum Sacramentum eſt validum, verùm etiam cum eſt fructuoſum; & tamen arguens, qui nimium huic inſtantiæ fidit, reprobat ſententiam aſſerentem actum naturalem contritionis ad fructuoſum Sacramentum ſufficere. In Sacramento itaque Pœnitentiæ ex parte materiæ potior eſt contritio, quam oralis confeſſio, aliàs contritio entitativè naturalis eſſe queit, ſecus exterior peccatorum narratio, quæ per corporeum membrum exercetur; verùmenim verò illam, cujus eſt capax, habere debet ſupernaturalitatem, in actibus videlicet interioribus doloris, & propoſiti exteriorem imperantibus confeſſionem, & per extrinſecam Dei elevationem. Chriſtus dolorem a pœnitente elicitum pro hujuſmodi Sacramento decrevit, & meritò quidem; nam ſi peccando diſpoſitivè, & effectivè Dei amicitiam repulit, æquum eſt, propriis actibus diſpoſitivè, & effectivè ad ejuſdem gratiæ reſtaurationem concurrere, adeoque ſi ut diſpoſitio expoſcitur actus ſupernaturalis, pari ratione ut pars effectivè concurrens, ſeu etiam ut pars elevanda ad effectivè reparandam gratiam in eodem ſupernaturali ordine jure adnumerari debet.

Contritio potior pars in Pœnitentiæ Sacramento.

92 OBJIC. VII. Ex D. Thoma *in 4. diſt. 17. quæſt.* 3. datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; atqui hoc eſſet impoſſibile, ſi dolor eſſentialiter deberet eſſe ſupernaturalis; ſufficeret namque ad valorem, & ad fructum, cum tunc eſſet & pars, & diſpoſitio: ergo.

RESP. Ex parte doloris haud admitti poteſt Sacramentum validum, & informe, propter invictum Angelici momentum, quod ſæpe conclamat, judicii videlicet reconciliativi, ad quod Tridentinum recurrit, ut hujus Sacramenti naturam explicet, quo fundamento utuntur Doctores, ut Pœnitentiæ Sacramentum validum, & informe funditus evertant. Ex propterea Sanctus Doctor non loquitur de toto Sacramento, ſed de unica illius parte, de exteriori ſcilicet confeſſione. Verùm de hoc ſuo loco eſt ſermo.

DISPU-

Digitized by Google

DISPUTATIO SECUNDA.

DE REMOTA POENITENTIÆ MATERIA.

§. I.

NOTIO HISTORICA.

1 ALexander hojus nominis VIII. an. 1690. unam supra triginta proscripsit propositiones, quarum 19. erat — Homo „ debet agere totâ vi„ tâ pœniteotiam pro peccato originali — Hojus seotentiæ Lutherus, & Calvious fulsse videntur, dum perperam contendebant origioale peccatum consistere in ipsa humanæ naturæ corruptione, sive in concupiscentia, quæ otique post Baptismum, immo usque ad mortem perseverat; adeoque quovis vitæ tempore pœnitendum. Jansenius, ùt probat Moraines *disp. 15. n. 25.*, eâdem ferè coinquinatus pice affirmavit hominem, dum vivit, debere pro originali pœnitere, quod in nobis ad mortem usque in concupiscentia perseverat. Hæc Jansenii sententia satis colligitur ex his, quæ habet *Tom. 2. lib. 1. de statu naturæ lapsæ cap.6.* — „ Peccatum origioale per libidinem, seu „ concupisceotiam tanquam per veram cau„ sam transfusionis ex natura rei propaga„ tur — Si originale per concupiscentiam propagatur, hæcque toto vitæ tempore perdurat, jam planè fit, non longè a Luthero, & Calvino aberrasse: Igitur operæ pretium erit inquirere.

Novatorum hac de re sententia.

CONTROVERSIA I.

AN ORIGINALE PECCATUM CUM PERSONALIBUS ANTE BAPTISMUM PERPETRATIS SIT REMOTA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MATERIA.

2 DICENDUM origioale cum personalibus mox indicatis non esse remotam Sacramenti Pœnitentiæ materiam. PROB.I. Ea peccata Pœnitentiæ Sacramento subdi debent, quæ a judiciali Ecclesiæ potestate judicabilia sunt. Jo. 20. v. 21. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui originale peccatum, cæteraque ante Baptismum commissa, utpote extra Ecclesiam contracta, judicialem ejusdem effugiunt potestatem, dicente Apostolo 1. ad Cor. 5. v. 12. *Quid enim mihi de iis, qui foris sunt, judicare? Nonne de iis, qui intus sunt, vos judicatis?* ergo.

Originale peccatum judicio Ecclesiæ non subditur.

3 PROB. II. Ut Pœnitentiæ Sacramentum vel in re, vel in voto peccata delere valeat, fas est, ut supponat Baptismum; cum absque illo nullum subsistat Sacramentum; est enim omnium Sacramentorum janua; Baptismus autem in re susceptus ex sua institutione tollit peccatum originis, anathematisante Tridentino *Sess. 5. Can. 5.* eum, qui — Per Jesu Christi Do„ mini nostri gratiam, quæ in Baptismate „ confertur reatum originalis peccati re„ mitti negat — Porro dum originale deletur, deleri necesse est èt personalia; cum omnibus gratia sanctificans opponatur.

Absque Baptismo nullum Sacramentũ vim habet.

4 PROB. III. In casu Baptismatis fictè, ùt ajunt, suscepti forsan censeri poterit delebile per pœnitentiam originale peccatum; atqui hoc falsum est; Deleri siquidem nequit originale, nisi per remedium a Deo institutum, & aliàs Sacramentum absolutionis ad culpam aliena voluntate contractam nequaquam se extendit; ea propter in eo casu ablata fictione originale dimittitur vel per reviviscentiam lavacri regenerationis, vel iterandum esset Baptisma, quod planè hæreticum est. Si igitur hoc medio peccatum originis aufertur, optimo jure auferentur alia ante Baptismum commissa; gratia namque sanctificans, ùt modo dictum est, omnia mortalia crimina destruit.

Baptisma fictè susceptũ, quando operatur.

5 PROB. IV. Nullimodè salus haberi potest sine Baptismo vel in re, vel in voto, dicente Christo Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*; atqui si pœnitentia etiam per accidens origionale destrueret peccatum, aliaque sibi conjuncta, jam daretur casus, in quo sine salutari regenerationis lavacro salus consequi posset: Nam per Baptismum in re fictè susceptum nulla utique datur salus, cum nulla producatur gratia, neque confertur per Baptismum in voto; votum siquidem non jam est de re præterita, sed de futura: ergo.

Nemo sine Baptismo salvatur.

6 PROB. V. Christus Sacramentorum Institutor ita singulis determinatum statuit effectum, ut non nisi ab illis haberi possit, unde sicut gratia spiritualis nutritionis unicè ab Eucharistia, sic pari ratione baptismalis gratia unicè a salutari lavacro sortitur, eaque propter peccatum originis etiam in casu fictè susceptionis per Baptismum deleri necesse est, qui, ùt ait Augustinus *lib. 1. contra Donatistas cap. 12.* — „ Tunc valere incipiat ad salutem, cum „ illa fictio veraci confessione recesserit — Eandem repetit doctrinam *lib. 3. cap. 13.* — „ Tunc incipit valere idem Baptismus ad „ dimittenda peccata, cum ad Ecclesiæ „ pacem venerint —

Gratia regenerans nisi per Baptisma

§. II.

§. II.

OPPOSITA DILUUNTUR ARGUMENTA.

7 OBJIC. I. Si post Baptisma de originali peccato pœnitentia agenda esset, quæ hucusque dicta sunt, planè corruunt; atqui ex D. Augustino *lib. de vera, & falsa Pœnitentia cap.* 8. de originali peccato pœnitentia agenda est — Ipsum autem peccatum originis ob hoc est „ malum, quia fuit in Adam spontaneum; „ illius enim voluptas malæ usæ libertatis „ punitur in nobis, non quia necessarium, „ sed quia fuit spontaneum —

RESP. Auctor libri de vera, & falsa Pœnitentia clarè distinguit Pœnitentiam ante, & post Baptismum, hinc docet de peccatis ante Baptismum perpetratis requiri pœnitentiam, idest displicentiam in eo, qui propria voluntate deliquit, eique haud prodesse solam Ecclesiæ fidem, sicut Infantibus prodest: Hanc doctrinam luculenter tradit Augustinus *Hom. ult. ex 50.*, * ubi mirè explanat, qualiter baptizatus de originali noxa dolere debeat, in effectibus videlicet ab ipsa in vitiata natura relictis, quos inter jure adnumeratur concupiscentia subjiciens nos in captivitatem peccati: Falsum porro est ad pœnitentiæ Sacramentum originale cum personalibus adjunctis spectare. Cum autem de originali homo nequeat sibi complacere, utpote avertens a Deo, si semel actum aliquod circa ipsum elicere velit, debet esse displicentiæ, quin hæc ad Pœnitentiæ Sacramentum referatur.

Quo pacto de originale displicendum.

* Homil. ult. ex 50 a V. Beda inscribitur de Pœnitentia.

8 OBJIC. II. Peccatum omne a Deo avertens, æternæque felicitatis adeptionem impediens est Sacramentalis pœnitentiæ materia; atqui dubio-procul originale, sive in se ipso, sive per ipsam a Deo avertit, atque beatitudinis consecutionem impedit: ergo. Ratione hac utitur S. Augustinus *cit. hom. ex 50. cap.* 3., dum secundam pœnitentiam enucleat.

RESP. Secunda pœnitentia malum a Deo avertens non quomodocumque respicit, sed ut proveniens a proprio voluntatis actu; ipsius enim voluntatis duritiem comminuit; quæ utique non contrahitur, nisi suum actum in commutabili bono constituat. S. Augustinus laudato loco nequaquam loquitur de originali in se, sed in suis effectibus, & de his præcipuè, qui habent rationem pœnæ — Primò quia vitam æternam incorruptibilem, immortalemque nullus desiderat, „ nisi eum vitæ hujus mortalis, corruptibi„ lisque pœniteat — In aperto igitur est S. Doctorem usurpare pœnitentiam latâ quadam significatione, quæ in simplicem displicentiam recidit.

Secunda Pœnitentia quodnam malum respicit.

9 OBJIC. III. Homo sacro tinctus lavacro per veram contritionem de peccatis ante Baptismum commissis dolere rationabiliter potest; atqui contritionis, sacramentalisque absolutionis eadem materia censetur: ergo.

RESP. Contritio prout novo, veterique Testamento communis est, abstrahit ab ordine ad claves, solamque peccati detestationem ex motivo divinæ dilectionis importat; Hinc contritionis hujuscemodi peccatum ante regenerationem perpetratam capax est, atque laudabiliter baptismali gratia donatus sæpe conteri potest; Illa porro, quæ Pœnitentiæ Sacramenti pars reputatur, ordinem dicit ad claves, hujusque propria materia peccata ante Baptismum commissa esse nequeunt.

Contriti[illegible]

10 OBJIC. IV. Peccata semel dimissa sunt Sacramentalis absolutionis materia sufficiens: Quamvis ergo dimissa fuerint ea, quæ Baptismum præcesserant, poterunt iteratò cadere sub clavibus.

RESP. Peccata ante Baptismum perpetrata, non ideo ab hoc Sacramento amoventur, quia remissa, sed quia fuerunt hominis intra Ecclesiam non existentis; alia verò Baptismum subsequentia ad claves ut primò dimittenda spectant; quare iteratò clavibus subjici possunt.

Homo ante Baptismum extra Ecclesiam.

11 OBJIC. V. Ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 5. ejusdem rationis est contritio præparatoria ad Baptismum, & ad Pœnitentiæ Sacramentum: utriusque pariter Sacramenti eadem materia censenda est.

RESP. Contritio a laudata Synodo commendata, motus nempe, seu animi dolor de commisso crimine cum proposito non peccandi, cum Baptismi voto tollit peccata ante lavacrum perpetrata, cum voto pœnitentiæ contracta post ipsum aufert: Cæterum cum hæc non sint regeneratorum crimina, nullimodè ad Pœnitentiæ Sacramentum spectare possunt.

Quæ peccata ad pœnitentiam spectet.

12 OBJIC. VI. Sacramentalis absolutio, ut forma satis indicat, cadit supra Personam; Persona verò, dum absolvitur, est intra Ecclesiam, adeoque etiam de contractis ante Baptismum sordibus absolvi poterit, & præcipuè cum Baptismus fuerit fictè susceptus.

RESP. Existentia Personæ intra Ecclesiam non sufficit ad intentum, sed opus est, materiam judicii reconciliativi positam fuisse, dum Ecclesiæ subjiciebatur; Non enim in foro externo sat est Personam sub Judicis jurisdictione connumerari, sed causam ad eandem jurisdictionem pertinere oportet, propterea Clericus ab Episcopo puniri nequit ob reatum in laicali statu patratum, nec Regularis Prælatus damnare ob crimina in seculo commissa subditum Deo dicatum.

Non omnia crimina ab Ecclesia judicantur.

13 OBJIC. VII. Dum Baptismus cum fictione suscipitur, peccata prius patrata per solam pœnitentiam deleri queunt; hæc siquidem solummodo fictionem tollit mediâ gratiâ, per quam omnia, quæ in homine reperiuntur delicta, delentur: Unde quilibet Baptismi influxus in præcedentium peccatorum remissionem meritò excluditur, totaque remissio pœnitentiæ tribuenda est.

RESP. Argumentum circa gravissimam illam versatur controversiam, quæ diu, multùmque Ecclesiam vexavit, quamque adversus Augustinum urgebant Donatistæ, videlicet num Baptisma ex parte Hæreticorum susceptum Ecclesiæ filios gignat, deleatque peccata: Argumentabantur illi. Si Baptisma ex parte Donati aufert crimina, quis

Augustinus contra Donatistas.

inibi

inibi veram adesse Ecclesiam negabit, si non aufert, ut originale, aliaque tollantur crimina, iterandum erit: S. Augustinus *lib. 1. de Baptismo contra Donatistas* totus in eo est, ut catholicum dogma de Baptismo non iterando propugnet, & eâ qua pollebat doctrinæ robore, difficultates omnes enervat, enucleat, quando Baptisma ab Hæreticis collatum valeat, & in cujus virtute agat, quando, & quonam pacto tale Sacramentum fictè susceptum gratiam producat, tuncque proficere affirmat, cum fictio a veraci confessione recesserit. Augustinus itaque vim delendi sive originis peccatum, sive alia, si quæ ante regenerationis lavacrum perpetrata fuere crimina ipsi Baptismo apertè tribuit. Quonam modo id eveniat, videat, qui velit PP. Salmanticenses *Tract. XXIV. Disp. II. Dub. I. §. III.*

CONTROVERSIA II.

AN OMNIA PECCATA POST BAPTISMUM CERTO COMMISSA SIVE LETHALIA, SIVE VENIALIA SINT PROPRIA SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MATERIA.

HISTORICA NOTIO.

14 MOderante Petri Cathedram Sixto IV. Petrus de Osma in Salmanticensi Academia Sacræ Theologiæ professor Libellum de Confessione edidit, novem erroneas continentem propositiones, quarum prima erat — Peccata mortalia, quantum „ ad culpam, & pœnam alterius seculi „ delentur per solam cordis contritionem, „ sine ordine ad claves — Tertia verò — „ Pravæ cogitationes confiteri non debent, „ sed solâ displicentiâ delentur sine ordine „ ad claves — Novi dogmatis rumor ad Pontificem perveniens causæ examen Alphonso Carillo Archiepiscopo Toletano demandavit, qui assumptis quinquaginta duobus vel in Teologia, vel in jure Canonico Magistris Compluti summa cum diligentia Libellum ad examen revocavit, atque expensis ad veritatis lumen propositionibus Apostolica auctoritate sibi commissa Libellum igni tradendum declaravit, novemque præcipuè selectas propositiones ut falsas, hæreticas, scandalosas, malè sonantes, erroneas damnavit. Sententiæ obtemperans Petrus se graviter errasse fassus est, sua dogmata anathematizavit, seque judicio Sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter submisit. Sequenti anno scilicet 1478. V. Idus Augusti Pontificatus VIII. damnationem confirmavit Sixtus, cujus Bullæ exemplar in Toletanæ Ecclesiæ Bibliotheca asservatur.

Petri de Osma propositiones damnatæ.

15 Leo X. Pontificatus anno VIII. unum supra quadraginta Lutheri errores damnavit, Constitutione edita, cujus initium. *Exurge Domine*, hos inter octavus erat — Nullo modo præsumas confiteri peccata venialia, sed nec omnia mortalia; „ quia impossibile est, ut omnia mortalia „ cognoscas — Ubi a Pœnitentiæ Sacramento venialia delicta omnimodè expungit; nam ut ait n. 9. — Dum volumus omnia „ purè confiteri, nihil aliud facimus, quam „ quod misericordiæ Dei nihil volumus re„ linquere ignoscendum —

Lutheri error.

16 Catholici Doctores omni ævo Ecclesiæ doctrinam secuti duplicem Sacramenti Pœnitentiæ materiam, aliam necessariam, liberam alteram distinxerunt: Prima ea est, quæ aliter expiari nequit, nisi per Sacramentum vel in re, vel in voto, & ex præcepto clavibus subjici debet; gravia crimina hujusmodi sunt: Secunda verò, quæ absque Sacramento deleri potest, nec de illa in confessione aperienda divinum urget præceptum; capax tamen est, ut per Sacramenti efficaciam auferatur; unde ad valorem, fructumque Sacramenti sufficiens jure censetur.

Duplex Pœnitentiæ materia.

17 Hinc dicendum peccata omnia post Baptismum certò commissa sive lethalia, sive venialia propriam esse Sacramenti Pœnitentiæ materiam. PROB. I. Materia per se Sacramenti Pœnitentiæ peccatum illud censetur, quod per potestatem a Christo Ecclesiæ collatam remitti potest, juxta illud Jo. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui omne lethale, & veniale verum est peccatum, ac proinde remissibile: ergo in propositione indefinita, & universali comprehensum.

Omne peccatum materia pœnitentiæ.

18 PROB. II. Pœnitentiæ Sacramentum ad modum judicii perfectè reconciliativi est institutum; sed perfecta reconciliatio graves, levesque expurgat injurias; aliàs ex Scripturis pro comperto est graviter per lethale, leviterque Deum per veniale peccatum offendi: Utrumque enim, inæqualiter licet, Dei injuria meritò judicatur: ergo.

Veniale peccatum injuria Dei.

19 PROB. III. Sacramentum hoc, secundum Conciliorum, Patrumque doctrinam constitutum est, ut spiritale animæ medicamen per quandam analogiam ad corporis medicinam; atqui humanum corpus nedum a morbis, mortiferisque vulneribus, verùm etiam a levinsculis per medicæ artis antidota curatur: ergo spirituali medicinâ gravia quidem curanda sunt vulnera, sed minora non omittenda.

Veniale infirmitas animæ.

20 PROB. IV. Propria hujus Sacramenti materia illud peccatum est, quod est Pœnitentiæ virtutis objectum; actus siquidem hujus Pœnitentiæ ad proximam illius materiam pertinet; porrò pœnitentiæ virtus dubio-procul venialia respicit peccata, adversus illa insurgit, eaque detestatur; mortalia quoque destruere planum est: ergo.

Contritio detestatur veniale.

21 PROB. V. Cuilibet peccato utvis minimo satisfactio correspondet Deo exhibenda; Stipula enim, & fœnum 1. *ad Corinth.* 3. Igne probari dicuntur, & apud Deum levis macula abstergenda est, ut homo salvus fiat; cum nihil coinquinatum in Regnum Cœlorum introire possit, & Christus seipsum pro Ecclesia obtulit, ut ipsam exhiberet sibi gloriosam, non habentem maculam, aut rugam, utque sit sancta, & immaculata; atqui Christi oblatio, quæ per sanguinis effusionem completa est, per Pœnitentiæ Sacramentum applicatur, ac pro-

Satisfactio cuilibet peccato correspondet.

inde ad emundationem cujuslibet maculæ, aut rugæ sive lethalis, sive venialis necessaria jure censetur.

OPPOSITA SENTENTIA DISPELLITUR.

22 OBJIC. I. Lutherus errore n. 9. in laudata Leonis Bulla relato ait — „Dum volumus omnia purè confiteri, nihil aliud facimus, quam quod misericordiæ Dei nihil volumus relinquere ignoscendum — Ut ergo aliquid Dei misericordia in nobis operari possit, non omnia crimina confiteri debent.

Justificatio misericordiæ tribuenda.

RESP. Alienum adeo a Catholicis est, ut nihil Dei misericordiæ ignoscendum relinquamus, ut potius eidem totum remissionis opus adscribamus. A Dei misericordia peccatorum remedium paratum profitemur; ab eadem peccator ad pœnitentiam revocatur; ipsa movente criminum confessio peragitur, atque peccatori a Dei misericordia Christi sanguis applicatur: Gratis enim justificati sumus. Falsò igitur fingitur malè de misericordia Dei audire Catholicos, dum omnia delicta adstruant ut necessariam pœnitentiæ materiam.

23 OBJIC. II. Solummodo peccatum, quod solvi, & retineri potest, est Sacramenti Pœnitentiæ materia; atqui veniale non est hujusmodi; quoniam a Sacerdote non solutum, salutem non impedit, cum pluribus aliis modis expiabile sit: ergo.

Veniale subditur Sacerdoti.

RESP. Etiam veniale retinetur per absolutionis denegationem, quoties fidelis sine dispositione ad Sacerdotem accedit; ligatur quoque per pœnalis satisfactionis impositionem, nec non per onus medicinalis præservationis: suo modo pariter salutem impedit, cum beatitudinis ascensionem retardet: aliis modis esse expiabile unicè declarat non esse necessariam Sacramenti reconciliationis materiam, sed non evincit non esse sufficientem.

24 OBJIC. III. Ad venialis remissionem haud requiritur gratiæ infusio, cum soli charitatis fervori opponatur; sed omne Sacramentum per gratiæ infusionem peccata remittit: ergo.

Veniale deletur per gratiam.

RESP. In hoc statu nusquam veniale dimittitur, nisi gratiæ augmentum interveniat; nam media, quibus expiatur, sunt Sacramenta, vel sacramentalia: Sacramenta ritè suscepta semper gratiam producunt; sacramentalia non delent, nisi cum pio aliquo voluntatis motu, qui in justo meritorius est. Verùm quomodo expientur venialia non est hujus Instituti examinare, dicimus tamen gratiam a Sacramento productam connotando dolorem de venialibus quendam oppositionis modum inducere, per quem deletur macula.

25 OBJIC. IV. Venialia ex se spiritualem non inferunt mortem; atqui Pœnitentia essentialiter est mortuorum, non autem viventium Sacramentum: ergo.

Veniale ad mortale sternit viam.

RESP. Utvis venialia animæ mortem non inferant, lædunt tamen, spiritualemque vulnerant vitam, & sive remotè, sive proximè disponunt ad interitum; adeoque sunt propria Sacramenti mortuorum materia; quod quidem per se primò mortem reparat, sed & secundariò ad mortem dispositiones removet. Computrescant ipsemet cicatrices licet leves, ubi studiosè non curantur, & e re medica est leviores humorum commotiones temperare, ne lethalem pariant morbum.

26 OBJIC. V. Sicut venialia ad mortale disponunt, sic disponunt imperfectiones; sed istæ ad pœnitentiæ materiam non pertinent: ergo neque pertinebunt venialia.

Quæ imperfectiones clavibus subjici possunt.

RESP. Imperfectiones duplicis generis enumerantur, negativæ aliæ, aliæ positivæ; negativæ sunt simplices perfectioris operis omissiones; positivæ omissiones operis debiti, vel ex congruitate stricta, vel ex lege simpliciter pœnali; de primis in objectione non est sermo, sed de secundis, quæ aliquem de linea moris includunt defectum; quamvis præcisivè consideratæ venialem culpam non contineant; præcisivè dicimus, nam in concreto, & in individuo vix a peccato sejunctæ adinveniuntur, propter Patrum doctrinam de nostris actionibus in Deum referendis. Cæterum positivè hujusmodi defectus Deo aliqualiter displicent, & per suos Vicarios justemerito puniuntur, ac proinde actuum ad pœnitentiæ virtutem spectantium capaces sunt; non sunt tamen sufficiens Sacramenti materia, cum forma, quæ est peccatorum absolutio, de illis verificari nequit: Utiliter tamen viri sanctiori vitæ addicti Sacerdoti exponunt ad excitandum dolorem, ad humilitatis exercitium, ad auxilia impetranda, quæ Deus propter illas imperfectiones subtrahit, demum ad animam adversus passiones, & tentationes corroborandam maximè deserviunt.

27 OB. VI. Apud veteres Eremi Incolas solemne erat ob involuntarias immunditias Monachos ab Altari arcere, & S. Malachias apud S. Bernardum pœnâ mulctavit Diaconum, qui nocturnas passus illusiones sacris ministrare non est veritus; Nec Ecclesia Carthusianorum institutum reprobat, quod eas patientes ab Eucharistica sumptione removet; atqui prædicta ad Pœnitentiæ Sacramentum nequiquam spectant: ergo multò minus venialia.

Summa puritas sumentibus Eucharistiam.

RESP. Illud Sacramentalis absolutionis capax est, quod verè peccati malitiâ coinquinatur; Hoc Christi institutio suadet, & Tridentinum explicat. Veterum Patrum, Carthusianorumque disciplina optima est, & laudabilis, maximèque cum doctrina Trid. cohæret, sanctitatem, eamque singularem exigens ad Christi Corporis perceptionem; nec a veteri disciplina alienum est vel propter licitum conjugii usum homines Sacra Sinaxi privare. Ad id, quod de Carthusianis dicitur, addimus, ex eorum legibus cautum esse Prælatos, seu Confessarios in prædicta pœna posse dispensare. Patet itaque veniale utpote verè peccatum ad pœnitentiam spectare, secùs alia in argumento enumerata.

CON-

CONTROVERSIA III.

AN PECCATA RITE' CONFESSA, ET PER ABSOLUTIONEM QUOAD CULPAM, ET PŒNAM DIMISSA SUFFICIENTEM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MATERIAM JURE CENSEANTUR.

Non est necesse peccata ritè confessa confiteri.

28 REgnante Joanne XXII. Pontifice Max. Joannes de Poliaco Parisiensis Doctor alios inter errores docuit, peccata semel confessa iterum esse clavibus subjicienda apud suum ordinarium Pastorem -- Confessi „ fratribus habentibus generalem licentiam „ audiendi confessiones tenentur eadem „ peccata, quæ confessi fuerant, iterum „ confiteri proprio Sacerdoti -- Confessio apud habentem generalem licentiam legitima censenda est, adeoque Auctor peccata ritè confessa, & absoluta necessariam iteratæ confessionis materiam constituebat. Errores præcitati Doctoris proscripsit laudatus Pontifex anno V. sui Pontificatus, ut habetur ex Extravaganti *Vas electionis* tit. de Hæreticis, hancque jam reprobaverat Benedictus XI. Extravag. *Inter cunctas* tit. de Privilegiis.

Melancthonis error.

29 Ex adverso stetit Philippus Melancthon, qui anno 1530. in Augustanis Comitiis Confessionem dictam Augustanam Carolo V. Imperatori exhibuit unum supra viginti articulos ad fidem spectantes continentem, ad quam propugnandam librum edidit, qui Augustanæ Confessionis Apologia nuncupatur. In utroque opere sub titulo de Confessione plurima effutit adversus Catholicos; eorumque doctrinam Pœnitentiæ Sacramentum explicantem. Inter alia adversus dimissa peccata insurgit, quæ Catholici sacramentalis reconciliationis sufficientem esse, ut ajunt, materiam docent. Apologiæ verba in medium lubet afferre -- „ Quid agit potestas clavium, si peccatum „ jam est remissum? Hic verò multò ma- „ gis etiam sudant, & potestatem clavium „ impiè extenuant -- In hoc propterea præsens versatur concertatio; Dicta criminum necessariam non esse materiam plenissimè constat; hæc namque est peccatum, quod gratiam aufert, essentialemque impedit beatitudinis consecutionem; hujusmodi nequaquam est peccatum ritè per confessionem dimissum.

Iterata confessio laudabilis.

30 Dicendum itaque peccata ritè confessa, & per absolutionem quoad culpam, & pœnam dimissa sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ materiam jure censeri. Evincitur I. Ex laudata Bened. XI. Extravag. habetur -- „ Cæterum licet, sicut prædicitur, de ne- „ cessitate non sit eadem confiteri peccata, „ tamen quia propter erubescentiam, quæ „ magna est Pœnitentiæ pars, ut eorundem „ peccatorum iteretur confessio, reputamus „ salubre -- Ergo prædicta peccata iterum subjici clavibus jure possunt.

31 PROB. II. Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 5. declarans venialia sufficientem esse materiam pro Sacramentali absolutione eo utitur discursu -- Nam „ venialia, quibus a gratia Dei non exclu- „ dimur, & in quæ frequentius labimur, „ quamquam rectè, & utiliter citra omnem „ præsumptionem in confessione dicantur, „ quod piorum hominum usus demonstrat; „ taceri tamen citra culpam, multisque „ aliis remediis expiari possunt -- Nonminus autem frequens est usus peccata jam ritè clavibus subjecta, & dimissa, quam venialia confitendi, ut quotidiana testatur experientia, sive in generali, sive in annuali exomologesi: ergo. Hinc in libro de vera, & falsa Pœnitentia, qui Augustino adscribitur *cap.* 18. legitur -- Quædam enim pec- „ cata sunt mortalia, & in pœnitentia fiunt „ venialia -- hoc est venialium sortiuntur conditionem, ratione cujus liberè in Confessione exponi possunt.

Usus confitendi dimissa peccata.

32 PROB III. Christus Pœnitentiæ Sacramentum instituens illimitatam, indefinitamque Ecclesiæ tradidit potestatem ad omne crimen post Baptismum perpetratum, nullo apposito discrimine, quod dimissa, vel non dimissa fuerint; ea propter sufficiens absolutionis materia sunt peccata aliàs ritè confessa; quod indicavit Tridentinum Sessione laudata *cap.* 2. divinam explicans institutionem -- Ante hoc Tribunal tanquam „ reos sisti voluit, ut per Sacerdotum sen- „ tentiam non semel, sed quoties ab ad- „ missis peccatis ad ipsum pœnitentes con- „ fugerint, possent liberari -- Quoties inquit, & non semel, primò utique de non confessis, secundò de confessis. Idem Scripturæ, quibus utitur *cap.* 4., suadent. *Lavabo per singulas noctes lectum meum*: peccato remisso planè convenit. *Amplius lava me*: qui mundatus est, magis, magisque mundari orat. *Qui justus est, justificetur adhuc*: satis innuit iteratæ pœnitentiæ culpam semel dimissam esse capacem.

Ecclesiæ potestas circa peccata indefinita est.

33 PROB. IV. Quoties eadem remota materia proximè subesse potest, toties iteratis Sacramentis queit deservire; constat in aqua Baptismatis, constat in Sacerdotum Ordinatione, in qua eadem Patena, idemque Calix pluribus Sacramentalibus Ordinationibus deserviunt; cumque dimissum crimen infinities sub Contritione cadere possit; illa namque proxima Sacramenti Pœnitentiæ materia est, infinities legitimæ absolutioni substitui potest.

Eadem materia pluribus formis subesse potest.

34 PROB. V. Spirituali ligatus vinculo, potest voluntariè eodem iteratò ligari, ut in aperto est in votis, quæ annuatim renovantur, in juramentis, quæ ad eundem referuntur contractum, in jejuniis, ad quæ ex diversa ratione homo se se obligat; in hisce casibus pristina obligatio magis, magisque firmatur: a vinculo igitur peccati semel solutus innovatis accusatione, & dolore, novis, diversisque accedentibus momentis iterum, iterumque solvi potest.

Vinculum iterato solvi potest moraliter.

35 PROB. VI. Peccatum in Scripturis dicitur vinculum: *Dirupisti vincula mea*: detinet enim, impeditque animam, ne bonum consequatur: Porrò peccatum, quando dimittitur, nusquam totaliter in esse vinculi aufertur, sed de eo semper aliquid

 rema-

remanet, dicente Angelico *in Suppl. quaest.4. art. 2. ad 3.* -- Quamvis per pœnitentiam „ peccator cedeat ad gratiam pristinam, & „ immuoitatem pœnæ, nunqnam tamen ce- „ dit ad pristinam dignitatem innocentiæ; „ & ideo sempee ex præterito peccato ali- „ quid in ipso manet -- ergo.

De peccato semper aliquid remanet.

36 PROB. VII. Quod in ordine ad remissionem patitur latitudinem, semel quoad totam substantiam dimissum adhuc dimitti potest; quo pacto infinities visibile, si quoad substantiam videatur, adhoe videri queit, ùt patet in Deo beatificè viso: Peccatum infinitæ remissionis capas est, ut statuit laudatus Doctor *ibid. ad 5.* -- Dolor contritio- „ nis eesponder colpæ ex parte aversionis, „ ea qua baber infinitatem; unde èt con- „ tritio semper debet manere -- quod proportionaliter venialibus applicari debet: Propter infinitatem ergo ex parte aversionis sempee debet contritio manere, & tamen per primam contritionem peccatum dimissum est.

Contritio semper durare debet.

37 Esplieatur. Peccatum mortale (idem servata proportione de venialibus discurtendum) jus triplex in Deo fundat, odii videlicet, compensationis, & vindictæ: hæc jura porrò separabilia sunt; condonato siquidem jure odii, jus compensationis remaner, & vindictæ, & remissio altero jo- ce, jus vindictæ superesse potest. Hoe in humanis videre est, odio erga inimicum deposito, jus habet offensus ad compensationem sibi eshibendam, qua data cessat adhue jus vindictæ apud Judicem, qui ob violatam legem pœnas ab offendente queit esigere. Jos compensationis per peccatum apud Deum inductum est a ereatura inexplebile, tum quia infinitum, tum quia superioris ordinis. In justificatione gratia Deus dimittit jus odii, jusque vindictæ quoad æternam pœnam, atque pro jure compensationis imperfectam aliquam esigit satisfactionem, qua eshibita illud remittit quantum ad debitum æqualis solutionis, & quantum ad terminos obligationis, sed non quantum ad ejusdem, ut sic dicamus, extensionem per voluntariam solutionem. In humanis quandoque Creditor remittit debitori obligationem solvendi debitum, relicta tamen potestate solvendi, si velit, cujus solutionem toties aceepiat, quoties eshibetur. Dimisso itaque crimine quoad culpam, æternamque pœnam, jusque compensationis quoad totalitatem obligationis, veraciter perseverat ulterior solutio, quæ unsqusm a pœnitente compleri potest.

Peccatum triplex jus fundat.

38 Res clarescet D. Augustini, atque D. Thomæ exemplo. Præceptum dilectionis Dei per laudatos Doctores in hac vita totâ spectatâ dilectionis lineâ adimpleri nequit, & in alio solommodo seculo completur. Ait enim S. Thomas 2. 2. *q.* 44 *art. 6.* -- „ Et ideò plenè, & perfectè in patria im- „ plebitur hoc præceptum: in via autem im- „ pletur, sed imperfectè -- Attamen non repugnat ejusdem adimpletio quoad absolutam obligationis vim, quæ quibusdam circumscribitur terminis. Justus Deum repetitis actibus diligens satisfacit præcepto quantum ad obligationis terminos, ut scilicet peccatum evitet, non autem præceptum adimplet quantum ad terminos diligibilitatis; sic pœnitens per primam contritionem, & confessionem jus solvit compensationis quantum ad terminos obligationis, ut sub peccato ad aliud non teneatur, sed non solvit debitum compensationis, quantum ad omnes ejusdem terminos; eàpropter locus superest pro infinitis Confessionibus, ejusdemque peccati contritionibus, pro extinctione debiti integræ solutionis. Hujusmodi doctrina omnium difficultatum vim enervat, satisque innuit debitum semper pœnitentiam agendi.

Dilectionis præceptum in vita perfectè nō completur.

OPPOSITA MOMENTA REFELLUNTUR.

39 OBJIC. I. Panis semel consecratus iterum consecrari nequit; nam panis substantia per conversionem est destructa: ergo cum per confessionem, & absolutionem peccatum deletum fuerit, pro iterata confessione deservire nequit.

RESP. Quod consecratus panis novæ subesse nequeat consecrationi, ea communi Sacramenti ratione neutiquam utitur, sed quia remota materia pluries haud potest subesse proximæ; peccatum verò contritioni, quæ Sacramenti Pœnitentiæ proxima materia jure reputatur, pluries subesse potest. Præterea conversio substantiæ panis in Christi Corpus plenissimus est consecrationis effectus; sed peccati quoad culpam, æternamque pœnam dimissio non est adæquatus Sacramenti reconciliationis effectus: ergo circa eadem crimina est iterabile.

Eucharistiã inter & Pœnitentiam differentia.

40 OBJIC. II. Patres in solutione Lazari a corporeis vinculis commissam Apostolis agnoscunt peccatorum solutionem per Sacerdotis absolutionem; atqui homo semel a corporeis solutus vinculis neutiquam potest ab iisdem iterum solvi: ergo spiritualibus solutus eatenis liber omnino evadit, nec amplius solvi potest.

RESP. Vel ab Adversantibus solvendum est argumentum. Per solam cordis contritionem spiritualia solvuntur vincula, & tamen perpetrata crimina jam in Sacramenti voto penitus ablata clavibus subjicienda sunt. Respondetur itaque corporalium vinculorum solutionem nullum positivum producere effectum, seu qualitatem, solutio verò a spiritualibus vinculis fit per medicinalis gratiæ productionem, in qua tanquam in formali causa peccatorum inest remissio, cumque gratia possit & sæpe produci, sæpiusque augeri, sæpè etiam eorundem criminum repeti potest solutio. Et sanè luce clarius est, a corporeis vinculis solutionem nil ulterius solvendum post se relinquere, eaque propter iteratæ solutioni non superit locus.

Vinculorum corporale a spirituale diversum.

41 OBJIC. III Lethale crimen spiritualis mors animæ censetur; est enim privatio gratiæ, & charitatis, quæ supernaturalis vita est; unde 1. Joan. 3. legitur. *Qui non diligit, manet in morte*; atqui in naturalibus, qui semel ad vitam restitutus est, ad eandem nequit pluries revocari: consimiliter ergo per novas criminum relasa-

laxationes eadem spiritualis mors excludi nequaquam potest.

RESP. Sicut in corporalibus per mortem omnis tollitur vitæ spiritus, & per reparationem totus, qui perierat spiritus, restituitur, & tamen in spiritualibus, per spiritualem mortem non omnis extinguitur spiritus vitæ, remanentibus aliisque superioris ordinis auxiliis, & ut in plurimum fide, & spe; ita in reditu ad spiritualem vitam, totum, quod per mortem deperditum erat, non reparatur; eaque propter Pœnitentiæ Sacramentum iterari potest. Reparatio itaque corporalis vitæ absoluta est, per formam videlicet omne esse cadaveris excludentem, reparatio verò spiritualis est respectiva, siquidem non unicè importat gratiæ productionem, sed remotionem jurium, quæ adversus hominem in Deo fundavit peccatum; Porrò hujusmodi jura nusquam ex toto reparantur; unde in prima absolutione totum extinguitur peccatum, si culpa, æternaque pœna spectentur, non verò totaliter si vel temporalis pœna, vel virium debilitas, vel debitum compensationis, quod a Patribus debitum semper flendi nuncupatur, consideratur.

Mors animæ quomodo reparetur.

42 OBJIC. IV. Ex Apostolo *ad Rom.* 8. Nihil damnationis remanet in renatis; atqui, si peccatum semel remissum adhuc remitti posset, aliquid damnationis in iis admitti oporteret: ergo.

RESP. Nihil formalis damnationis in justificato superest; de pœnitentibus enim dicitur Ezech. 18. *Omnium iniquitatum ejus ... non recordabor*; remanet tamen aliquid materialis damnationis ad sensum Concilii Trident. de renatis per Baptismum in hæc verba *Sess.* 5. loquentis — In renatis enim nihil „ odit Deus, quia nihil est damnationis iis, „ qui verè consepulti sunt cum Christo per „ Baptismum ... Manere autem in baptizatis „ concupiscentiam, vel fomitem hæc „ Sancta Synodus fatetur, & sentit, quæ „ cum ad agonem relicta sit, nocere non „ consentientibus, sed viriliter per Christi „ Jesu gratiam repugnantibus non valet; „ quinimmo, qui legitimè certaverit, co„ ronabitur. Hanc concupiscentiam, „ quam aliquando Apostolus peccatum ap„ pellat, Sancta Synodus declarat Ecclesiam „ Catholicam nunquam intellexisse pecca„ tum appellari, quod verè, & propriè „ in renatis peccatum sit, sed quia ex pec„ cato est, & ad peccatum inclinat — Ex peccato originis per lavacrum dimisso nihil remanet, quod a Cœlorum ingressu retardare possit, aliquid tamen superesse dicitur, scilicet concupiscentia, quæ peccatum nuncupatur, non quidem propriè, sed velut consecutivè, quia & ex peccato est, & ad illud inclinat; attamen pro spirituali certamine utiliter exercendo sufficiens materia sit, & quo magis hujusmodi exercentur actus, eo concupiscentiæ vis attenuatur, nunquam verò totaliter comprimitur. Consimiliter in renatis per pœnitentiam nihil, quod jus ad æternam vitam impediat, quodque hominem a cœlestibus excludere possit, est invenire; remanet tamen debitum compensationis quantum ad æqualitatem nusquam extinguibile, quod per repetitam exomologesim magis, magisque minuitur; proindeque sufficiens materia est pluries subjicienda Pœnitentiæ Sacramento, non est quidem necessaria, quia Deus ulteriorem hanc compensationem non præcipit, sed liberam reliquit.

In pœnitente quid remanet delendum.

43 OBJIC. V. Sacramentalis absolutio supponit, verumque respicit debitum; atqui semel remisso delicto nullum verum superest debitum: ergo.

RESP. Sufficit ad rem nostram debitum extitisse. Absolutio præsens, vel præteritum respicit debitum, respicit quoque necessitatis, vel sufficientiæ debitum: Remissâ culpâ non extat præsens debitum quantum ad culpæ, æternæque pœnæ reatum, extitit tamen; Nec præsens subsistit debitum necessitatis, benè verò sufficientiæ.

Debitum aliud necessitatis, sufficientiæ aliud.

44 OBJIC. VI. Peccatum deletum æquiparatur peccato, quod nusquam fuit, atque esse existimatur; sed hujusmodi non est sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ materia: ergo neque peccatum deletum iteratæ subesse poterit absolutioni.

RESP. Peccatum deletum non æquivalet peccato, quod nusquam fuit, quia revera illud aliquando extitit, & post se aliquos reliquit affectus, secus secundum. Sacramentum reconciliationis est Sacramentum veritatis, suam habet institutionem, non quidem ab humano arbitrio, sed a divina pendentem voluntate, quæ peccatum verè tale, non quod esse reputatur ut illius materiam præscripsit; sicut pro regenerationis lavacro non reputatam, sed veram pro materia destinavit aquam.

Peccatum dimissum verè fuit.

45 OBJIC. VII. Absolutoriæ formæ veritas nequit subsistere, dum peccata iterum subduntur clavibus, cum revera Sacerdos dicens: *Ego te absolvo a peccatis tuis* non dimittat peccatum, eo potissimùm in casu, quod haberetur revelatio, per quam Sacerdoti, aut Pœnitenti innotesceret peccatum quoad culpam, pœnam temporalem, omnesque criminis reliquias fuisse remissum: ergo.

RESP. Argumentum & Adversantes urget. Utique contingere potest pœnitentem per intensissimam contritionem justificari; tunc sanè omnis culpæ, omnisque pœnæ haberetur plena remissio: Certa de hoc habeatur revelatio, illum adhuc ad confessionem teneri nemo unus dubitabit, atque in hoc casu absolutionis veritas subsistere dicet. Cur non & in re nostra? Pro solutione adverto I. Peccatum reatum inducere culpæ temporalis, æternæque pœnæ, jus inimicitiæ in Deo, pro illata offensa jus compensationis, virium debilitatem ad bonum exercendum, & ad actualia vitanda delicta, atque omnia hæc radicaliter, & amittentur dicit lethale crimen, & cum proportione veniale.

Damna peccati.

Adverto II. ex doctrina ex libro de vera, & falsa Pœnitentia excerpta proprios gratiæ sacramentalis effectus esse culpam delere, auferre reatum æternæ, temporalisque pœnæ, hominem Deo reconciliare, cor adversus actualia peccata corroborare, quos effectus non, & eadem facit gratia eos radicaliter præcontinens.

Effectus gratiæ.

Ad-

Adverto III. Utvis eadem gratia hos radicaliter contineat effectus, actuque producat, non omnes tamen eodem causat modo, sed inæqualiter. Sacramentum producendo primò gratiam ea toto æternæ pœnæ, & culpæ reatum delet, atque Deo amicitiam repatat, non tamen ea tota temporalis pœna reatam aufert, nisi valde intensa sit contritio, & regulariter de hujuscemodi reatu aliquid solummodo remittitur. Similiter nonnisi aliquid de debitu compensationis relaxatur; & hoc semper; cum tale debitum inextinguibile sit, eaque propter a Patribus debitum semper flendi vocatur — Præteriti nos semper debet pœ„ nitere peccati — Scribebat Ambrosius *lib. 77. de Pænit. cap.* 10. Debilitas quoque adversus peccata semper magis corroborari potest.

Primus Sacramenti effectus.

His præmissis dicimus semper absolutionis formam verificari, quia aliquid de commisso crimine semper relaxatur; semper sacramentalis gratia producitur, ut actu aliquid ea præterito delicto solvens, nec est necesse primariam semper auferre rationem, quam post se peccatum relinquit; sufficit aliquid a peccato relictum tollere: Medicina, quæ prima applicata vulnus de lethale reddidit sanabile, hinc dolorem lenivit, solidavit postremò partes, verè sanare dicitur; quia præposteras hujusmodi rationes ad vulnus primò positam spectant. In nostro pariter casu reatus culpæ, æternæ pœnæ, & inimicitiæ ea sunt, quæ primò in lethali peccato considerantur; pœnæ temporalis reatus, compensationis debitum, necessitas corroborationis aliæ sunt rationes a peccato emanatæ; unde primo sanato vulnere semper verè pœnitens sanari dicitur, & per iterata pœnitentiæ remedia aliquid sanitatis aquirere; Porrò aliquid semper sanitatis aquirendæ superesse mox ostendimus.

Aliquid peccati semper remanet.

DISPUTATIO TERTIA.

DE FORMA SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

AN IN PŒNITENTIÆ SACRAMENTO INDICATIVA FORMA SIT CONVENIENS, SECUS DEPRECATIVA.

NOTIO HISTORICA.

Armenorum error.

1 Varianus unus ea præcipuis Pseudomagistris, qui Armenicæ Fidei puritatem maculaverant, *lib. de Monstris a 1. cap., & sequentibus* fallaci doctrina Pœnitentiæ Sacramentum abrogare conatur, *cap 7.* exemplis vanisque utitur ratiociniis, ut evincat solummodo deprecativam formam, quam aliqui adhibent, esse usurpandam, eumque, qui aliter absolveret, Diabolo, qui sibi divinam assumit auctoritatem, similem esse proclamat.

2 Doctrina hæc Novatianorum sapit errorem; Hi namque, ut pluribus probatur, dicebant a Lapsis post Baptismum a solo Deo peccatorum remissionem expectandam fore, nullamque Sacerdotibus dimittendi peccata concessam potestatem affirmabant.

Colloquium Constantini Imper. cum Acesio Novatiano.

3 Pro re elucidanda sat erit innuere, quid in Colloquio Constantini Imperatoris evenerit cum Acesio Hæretico Episcopo Novatiano apud Socratem *lib. 1. Eccles. Historiæ cap. 7.* Post aliquas interrogationes Acesio factas, quibus stadnit respondere, quæsivit Imperator, qua de causa ab Ecclesia recesserit. Ille res, regnante Decio Imp., Cornelium inter & Novatum gestas narrabat, & quæ persecutione ingruente acciderant — „ Exquisitamque severi cujusdam Canonis „ observationem in medium adducebat, „ nimirum eos, qui post Baptismum in il„ lud peccati genus, quod Sacrosanctæ „ Scripturæ peccatum ad mortem appel„ lant, delapsi fuissent, non debere divi„ norum ministeriorum fieri participes, sed „ ad pœnitentiam cohortandos, & remissio„ nis spem, non a Sacerdotibus, sed a „ Deo, qui & potest, & authoritatem „ habet peccata remittendi expectandam. „ Quæ cum dixisset Acesius, Imp. sic illum „ denuò affatus est. Erigito tibi scalam, „ Acesi, & ad Cælum solus ascendito — Ex historica hac narratione in apertò est, Sacerdotes absolutam neutiquam habere potestatem dimittendi peccata, sed solummodo Deo preces fundere, ut crimina condonare dignetur. Falsis hisce Novatianorum principiis Varianum adhæsisse videtur, cum eam solummodo approbaverit formam: *Deus remittit tibi peccata tua.*

4 Hugo de S. Victore *de Sacramentis Fidei lib. 2. p. 14. cap.* 8. quorundam recitat opinionem remissionem peccatorum Deo adscribentium, ita quod nullatenus homo hujusmodi potestatis particeps fieri potest. Nihilotamenminus debent pœnitentes Sacerdotibus aperire peccata, ut ipsorum velut testimonio remissio jam collata comprobetur. Utebantur hi pro sua firmanda sententia Leprosorum exemplo, qui a Christo sanati ad Sacerdotes ire jussi sunt.

5 Nostris temporibus Morinus *lib. 8.* de

de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap.12. ostendere plurimâ comendit eruditione Græcos semper usos fuisse deprecatoriâ formâ. Hunc sequitur Gaspar Juvenin *Tom.2. Comment. Historico-Dogmaticorum quæst. 9. cap. 2. art. 1.*, ubi conatur probare, etiam nunc Græcos ea uti, eamque adhibendi legitimum facere Sacramentum, & *art. 2.* docet prioribus Catholicæ Fidei seculis Latinam Ecclesiam formam deprecativam usurpasse.

Forma deprecativa sine potestate.

6 Dicendum tamen formam Sacramenti Pœnitentiæ non esse deprecativam, sed indicativam. PROB. I. Forma Sacramenti reconciliationis vim potestativam præcontinere debet, dicente Christo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, remittere peccata potestatem satis indicat; atqui deprecativa forma vi caret potestativa: ergo a divina institutione recedit, qui tali utitur forma.

Forma indicativa ex paritate colligitur.

7 PROB. II. Christus Matth. 28., quia Apostolis dixit, *Euntes ergo, docete omnes gentes: baptizantes eos*, colligit Ecclesia Baptismi formam absolutam esse: *Ego te baptizo &c.*: ergo cum Matth. 18. dicatur, *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in Cœlo* colligi jam planè debet formam sacramentalis absolutionis non quidem esse deprecativam, sed absolutam.

8 PROB. III. Paulus, cui ministerium reconciliationis datum est, incestuosum Corinthium absolvens, absolutâ usus est formâ, 2. ad Corinth. 2. *Ego quod donavi, si quid donavi, propter vos in persona Christi*. *Ego*, inquit, *donavi*, porrò donare peccatum est a peccato absolvere; donare non est deprecari, ut Deus indulgeat. Certò certiùs est Paulum auctoritativam illam formam neutiquam sibi usurpasse, sed qui a Domino Evangelium acceperat, formam absolvendi a Christo institutam didicerat. Claram ibidem subnectit Apostolus rationem: Remissio enim in persona Christi nequit esse deprecativa, eisque siquidem auctoritativè crimina relaxabat: Sacerdus in persona Christi absolvit, sicut in persona Christi Eucharistiam conficit; proindeque utriusque Sacramenti formam oportet esse absolutam.

Condonare peccata potestatem dicit.

9 PROB. IV. Sacramentalis absolutio a Sacerdote profertur tanquam a legitimo Judice juxta Tridentinum *Sess. 14. c. 2.*, quod prius S. Gregorius de Sacerdotibus loquens *Homil. 26. in Evangel.* dixerat — „ Principatum Judicis sortiuntur, ut vice „ Dei quibusdam peccata remittant, qui„ busdam relaxent — Porrò contra rerum naturam est judicialem sententiam deprecativè proferre.

Sacerdotes sunt Judices.

10 PROB. V. Valet Sacramentum a Sacerdote malo collatum, ut patet ex Constantiensi Concilio in damnatione 22., & 30. propositionum Wiclephi, & ita valet, ut ex parte Ministri infallibiliter conferatur effectus; hoc autem non subsisteret, si forma esset deprecatoria; Deus enim peccatores non exaudit, immò nec oratio justi suum semper sortitur effectum.

Absolutio a malo Sacerdote valet.

11 PROB. VI. Conveniens forma proprium significare debet Sacramenti effectum; atqui Pœnitentiæ effectus per indicativum, & absolutum verbum propriissimè significatur: Est enim a peccatorum vinculis solutio: Quare post Florentinum in instructione Armenorum definitè Tridentinum *Sess. 14. cap. 3.* habet — Docet præterea „ Sancta Synodus Sacramenti Pœnitentiæ „ formam, in qua præcipuæ ipsius vis sita „ est, in illis Ministri verbis positam esse: „ Ego te absolvo — Cumque Concilium Pœnitentiæ Sacramenti constitutiva nobis ex Patrum doctrina, atque ex Ecclesiæ intelligentia tradere fateatur, jam sequitur absolutam formam semper in Ecclesia fuisse..

Forma significat effectũ.

ADVERSA ARGUMENTA EX RATIONE DESUMPTA RESOLVUNTUR.

12 OBJIC. I. Absolutio a censuris per potestatem veræ jurisdictionis exercetur, nec tamen verbis fertur determinatis. II. Sacerdotalis potestas in foro pœnitentiali æquè est ad ligandum, & ad solvendum; ad ligandum non requiritur determinata forma: ergo neque ad solvendum. III. Ministerialis absolutio necessariò debet esse subordinata; atqui in forma absoluta nulla relucet subordinatio, secus in deprecativa: ergo. IV. Sacerdos nullum jus habet in peccatorem, qui soli Deo peccavit; sed in forma absoluta jus Sacerdotis in peccatorem exprimitur: ergo. V. Sicut dedit Deus Apostolis potestatem absolvendi a peccatis, ita & infirmos sanandi. Matth. 10. *Et convocatis duodecim Discipulis suis dedit illis potestatem spirituum immundorum, ut ejicerent eos, & curarent omnem languorem, & omnem infirmitatem*; sed potestatem hujusmodi deprecativè exercebant: ergo æquo jure potestas dimittendi peccata. VI. Stat in Extrema Unctione infallibilis effectus cum forma deprecativa; cur non idem eveniet in pœnitentiali absolutione? VII. In Sacramentorum collatione neutiquam in homine spes ponenda est; si autem potestativè absolutio impertiretur, spes in homine esset constituenda; Hinc reliquæ Ecclesiasticæ absolutiones verbis exercentur deprecativis.

RESP. Tot adversariorum momenta veritatem non obruunt, ideo breviter ad primum dicimus: Utvis absolutio a censuris determinatis verbis non feratur, non tamen deprecatoria in usu est, sed absoluta forma: Non fit autem cum certa verborum serie, quia est absolutio in exteriori judicio, cujus efficacia tota ab intentione pendet absolventis; secus accidit in absolutione a peccatis, quæ utpote sacramentalis exigit fieri per determinata verba; cumque a Christo institutore efficaciam habeat, ad placitum absolventis adhiberi nequit, sed juxta instituentis intentionem terminos, qui præteriri non possunt, perscribentis.

Absolutio esse debet ad mentem Christi.

Ad II. Duobus potissimè modis pœnitentem ligat Sacerdos, positivè perficiendo Sacramentum, & negativè non perficiendo, quando perficiendo ligat, iisdem verbis ligat ad onera, quibus solvit a culpa, quando ligat negativè non absolvendo

vel

Sacerdos ligat abſolutionem denegando.

vel in pœnam, vel in medicinam nulla ſacramentalia neceſſaria ſunt verba, cum non fiat Sacramentum. Et ſicut Scriptura Deum eor indurare dicit, dum gratiam ſubtrahit, ita Miniſtrum beneficium abſolutionis denegando peccatorem ligare jure optimo adſtruere poſſumus.

Subordinatio in inſtrumento.

Ad III. In qualibet ſacramentali, & inſtrumentali actione importatur ad agens principale ſubordinatio: Sacerdos ut Chriſti Miniſter abſolvit, ejuſdemque perſonam gerens dicit ſententiam; adeoque indubiam ſubordinationem inibi videre eſt.

Jus Dei, & Miniſtri idē.

Ad IV. Jus Dei, & Sacerdotis non ponit in numero, quia idem eſt Chriſti, & Miniſtri Tribunal. Deus ſuas committit vices Sacerdoti, ſuique juris ceſſionem, & remiſſionem huic ſub conſtitutis regulis commendat; nec in hoc abſurdum aliquod eſt invenire.

Ad V. Poteſtas, ſeu miraculorum vis etiam ab Apoſtolis etiam auctoritativè fuit exercita; Conſtat Act. 3., ubi Petrum claudum ſanando dixit: *In nomine Jeſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula*. Non erat tamen virtus illa peculiari alligata modo: Erat namque gratia gratis data in hominum utilitatem, atque in Eccleſiæ ædificationem, ac proinde ad praxim deducenda ubi, & quoties gloriæ Dei convenions eſſe videretur, nec donum hujuſmodi ad ordinarium Eccleſiæ regimen ſpectabat, ea propter Apoſtolorum ſucceſſores illud vi miniſterii neutiquam habent. Hinc modo orantes, modo imperantes, nunc per ſimplicem contactum, nunc per ſolam nominis Jeſu invocationem, vel per manuum impoſitionem, aut benedictionem infirmos ſanabant. Hæc patrandi miracula diverſitas apprimè neceſſaria erat ad fidei ſtabilimentum, ut in aperto eſt. Aliter de poteſtate abſolvendi a peccatis eſt loquendum. Collata hæc fuit tanquam ad ordinarium Eccleſiæ gubernium neceſſaria, atque uſque ad conſummationem ſeculi exercenda: Et ſicut certis alligata fuit regulis ex parte pœnitentis, ita ex parte Miniſtri determinari conveniens fuit, ut per ſucceſſionem demandata certò dignoſceretur, atque uniformiter exerceratur; cumque aliàs collata ſit pro Sacramento judicii naturam habente per determinata, atque poteſtativa verba eſſe debuit. Ex intrinſecis itaque utriuſque poteſtatis tum ſupra infirmos, tum ſupra peccata eſſentiale diſcrimen ſatis apparere nullus eſt, qui non videat.

Potestas miraculorum, & clavium diverſa.

Sacramentorum diverſa ratio.

Ad VI. Sacramentorum non una eſt ratio, virtus, aut effectus; quare mirum non eſt eadem non eſſe in omnibus conſtitutiva. Porrò quod in Extrema Unctione forma ſit deprecativa clarè ex inſtitutione a B. Jacobo relata evincitur. *Orent ungentes eum*: Immò hujus Sacramenti natura id expoſtulat; Habet enim pro effectu præter ſpiritualem, corporalem quoque ſanitatem, non abſolutè, ſed ſi animæ expediat. Congruum igitur fuit formam non abſolutis, & poteſtativis, ſed precariis verbis efformare: Nihilotamen minus ſpiritualem ſalutem propter divinam promiſſionem infallibiliter operatur.

Ad VII. Nullum ſubeſt periculum noſtram ponendi ſpem in homine, cum ſatis conſtet miniſterialiter abſolvere, ſicut in Baptiſmo, cæteriſque Sacramentis contingit, quorum præcisè Miniſtri ſunt Sacerdotes: Aliæ abſolutionis verbis deprecatoriis, quamvis non omnes, concipiuntur, quia non ſunt Sacramenta, ſed Eccleſiaſticæ inſtitutiones.

MOTIVA EX TRADITIONE EXPENDUNTUR.

13 OBJIC. I. Qui ſacramentalem peccatorum remiſſionem precibus fieri admittit, formam approbat deprecatoriam; atqui Patres precibus Peccatores abſolvi concedunt, ut S. Pacianus in Paranæſi ad Pœnitentiam -- Qui fratribus peccata ſua non tacet, Eccleſiæ lacrymis adjutus, Chriſti precibus abſolvitur -- S. Auguſtinus *Hom*. 49. *cap*. 3. -- „ Agite pœnitentiam, qualis agitur in „ Eccleſia, ut oret pro vobis Eccleſia. „ Nemo ſibi dicat, occultè ago, apud „ Deum ago; ergo ſine cauſa dictum eſt? „ Quæ ſolveritis &c. -- Et *lib*. 3. *de Baptiſmo cap*. 16. -- Manus impoſitio non ſicut „ Baptiſmus repeti non poteſt; quid enim „ eſt aliud, niſi oratio ſuper hominem? -- Leo Magnus *Epiſt*. 83., aliàs 91. ad Theodorum Forlivienſem Epiſcopum -- Multum „ utile, & neceſſarium eſt, ut peccatorum reatus ante ultimum diem ſacerdotali ſupplicatione ſolvatur -- Apud Patres ergo forma deprecativa legitima jure cenſebatur.

Omiſſa ſatis valida reſponſione affirmante Patres de publica, atque canonica loqui abſolutione, de qua inferiùs, dicimus Patrum locutiones a precibus, quas in Sacramenti adminiſtratione ſemper miſcuit Eccleſia, denominari; ea planè ratione, qua Eucharistica forma nuncupatur oratio a D. Baſilio *lib. de Spiritu Sancto cap*. 38., & ab Auguſtino *Epiſt*. 149. Hoc ſatis apparet, dum laudati Patres docent Sacerdotibus conceſſam eſſe veram poteſtatem dimittendi peccata, & Pœnitentiæ Sacramentum per modum judicii eſſe inſtitutum, in quo Sacerdotes Judices cenſentur, cum hoc utique non ſtat forma deprecativa, adeoque nullimodè propugnaſſe deprecativam formam dicendum eſt.

Preces cum Sacramenti forma.

14 OBJIC. II. S. Auguſtini ætate forma abſoluta non erat in uſu. Apertè namque *Hom*. 25. *ex* 50. *cap*. 7. eā utentes redarguit -- Medicus bonus ægros non ſolùm præſentes ſanabat, ſed et futuros „ etiam prævidebat: Futuri enim erant „ homines, qui dicerent: Ego peccata „ dimitto, ego ſanctifico, ego ſano, quoſcunque baptizo -- Porrò ſi vel in ſua, vel aliis in Eccleſiis illa forma foret uſurpata, meritò redargueretur Sanctus Doctor, nullamque vim ſuum habuiſſet argumentum; cum quilibet potuiſſet ei opponere legitimum Eccleſiæ uſum.

RESP. Abſre affertur Auguſtinus, cujus mens in aperto eſt, videlicet hominem

ex

ex propria virtute peccata neutiquam remittere posse. Auspicatur proemium ex Judæorum murmurationa adversus Christum Magdalenæ crimina condonantem; dicebant namque, quomodo homo peccata dimitteret? Hinc superbos, atque Hæreticos homines jactantes merita suæ Sanctitatis se peccata remittere urget, eosque improbat -- „ Dimittunt homines peccata? falsum est, „ quod ait Christus, quæ solveritis in Terra, soluta erunt & in Cœlo. Nescis „ quare hoc dictum sit, quomodo dictum „ sit? Datus erat Dominus hominibus „ Spiritum Sanctum, & ab ipso Spiritu „ Sancto fidelibus suis peccata, non meritis hominum volebat intelligi dimitti peccata -- Hinc plurima eruditione hoc idem clarius explicat. Nec aliter Augustinum sensisse dicendum est, ne velimus Sanctum Doctorem Romanam Ecclesiam, quæ absoluta utitur formâ, carpere, quod absurdum esse nemo est, qui non videat.

Peccatorum remissio virtute Dei.

15 OB. III. Octavo Seculo nulla absolutæ formæ sacramentalis mentio, sive in Sacramentario D. Gregorii in Ordine Romano apud Alcuinum de Divinis Officiis, sive in Pœnitentiario Halytgarii Cameracensis, sive in Decreto Burchardi Wormatiensis, adeoque tunc temporis Ministri Sanctuarii judicialem actum non indicativis, sed deprecatoriis verbis exprimebant.

RESP. Deficit argumentum, tum quia simpliciter negativum, quod vi caret, tum quia a publica ad privatam transit pœnitentiam. Qui eo utuntur, potissimè Alcuinum afferunt de Divinis Officiis, quod tamen opus spurium agnoscunt Eruditi plures, ex quo titum transcribunt; Alcuinum porrò de publica Exomologesi meminisse evincunt, quæ ipse ibi refert -- Post hæc egrediatur „ pœnitens mane de loco suo, ubi pœnitentiam gessit, & in gremio Ecclesiæ „ præsentatur, prostrato omni corpore in „ terra; tunc dicantur hi Psalmi &c. -- Deficit, quia tertia reticentiis utentes assumit: Patet ex eodem Alcuino, qui tertiam referendo orationem interponit verbum *& reliqua*, in quo cætera comprehenduntur, quæ de more requiruntur; quod clarè evincitur, cum neque Confirmationis formam integram referat; hocque solemne erat; nam notæ, & vulgares Sacramentorum formæ censebantur.

Publica Pœnitentia deprecatoria forma.

Deinde argumentum nostram firmat positionem, teste Amalario, qui ab Alcuini temporibus parùm abfuit, hic *lib. de Officiis Ecclesiasticis cap. 7.* refert in ordine Romano Confirmationis formam verbis absolutis expressam, ex propter jure colligitur in usu fuisse absolutam formam etiam in pœnitentia, nisi nullam de ea mentionem habeat. Præterea Sacramentarium S. Gregorii non continebat, seu interpretari nequit contra doctrinam, ejusdemque Sancti Doctoris mentem. Is apertè docet Sacerdotes solvere a peccatis potestativè, seu auctoritativè *lib. 2. in Evang. hom. 26.* -- Principatumque superni judicii sortiuntur, ut „ vice Dei quibusdam peccata retineant, „ quibusdam relaxent -- Hinc postquam judiciariam hujusmodi potestatem declaravit, subdit -- Ut quos Omnipotens Deus „ per compunctionis gratiam visitat, illos „ Pastoris sententia absolvat -- *Absolvat*, inquit, non oratio, non deprecatio, de qua neque verbum ibi hac de re agens.

16 OBJIC. IV. Circa annum 1230. Guillelmus Parisiensis *de Sacramento Pœnitentiæ cap. 9* docuit -- Neque more Judicum „ forinsecorum pronunciat Confessor: Ab„ solvimus te; Non condemnamus, sed „ magis orationem facit super eum, ut „ Deus absolutionem, & remissionem, „ atque gratiam sanctificationis tribuat -- Neutiquam talia docuisset egregius ille Doctor, nisi mos fuisset deprecatoriè absolvendi. Circa annum 1002. Petrus Cantor Parisiensis de Sacramentis ea habet, quæ planè suadent eam disciplinam extitisse absolutionis deprecatoriæ; docet namque quibusdam in Monasteriis eam viguisse consuetudinem, ut liberum esset cuilibet Fratrum confiteri, sed solummodo ab Abbate absolutio impertiebatur: Quidam autem in extremis constitutus, cum Abbati ultimodè peccata sua aperire vellet, aut ab illo absolvi, Priori confessus est, qui illum absolvere posse apertè negavit; ne autem sic e vita decederet, dixit Prior; Quoniam non vis, absolvat te Deus. Quæsitum ergo fuit, utrum fuerit moribundus absolutus; nam *si Abbas eum absolveret, non aliter diceret*: Sic concludit Cantor.

RESP. Alexander Alensis Guillelmo coevus, atque in eadem Parisiensi Academia non inferioris notæ Doctor de indicativa absolutione tanquam communi calculo approbata rotundis verbis meminit *4. p. Summæ q. 21. M. 1.* ubi duplicem personam in Sacerdote considerans inferioris scilicet, & superioris pulchrè qualiter deprecativè, qualiterque potestativè in absolutione se gerat, explicat -- Secundum primum modum po„ test gratiam impetrare, & ad hoc est „ idoneus; Secundum alterum modum po„ test Ecclesiæ reconciliare; & ideo in „ signum ejus præmittitur in forma absolu„ tionis oratio per modum deprecativum, „ & subjungitur absolutio per modum in„ dicativum -- Tangit Alensis primum, quod ponit Guillelmus, discrimen Sacerdotem inter, & externi juris Judicem; iste namque absolvit, & damnat, ille verò etiam pro pœnitente orat; secundum ponit discrimen, quia forinsecus Judex ab omnibus non absolvit delictis, secus Sacerdos -- „ Unde in absolutione confitentium non „ consueverunt dicere: dimittat tibi Deus „ peccata, quæ confessus es mihi, sed po„ tius omnia --

Sacerdos duplex munus exercet.

17 S.Thomas, qui a 20. circiter annis post Guillelmum floruit *Opusc. 22. cap. 2.* constanter affirmat indicativam formam Parisiis fuisse communem. Franciscus Mayron, qui 60. circiter annis post Alensem extitit, *4. dist. 14. q. 1.* objicit sibi quosdam eâ formâ utentes -- Absolvat te Deus „ Pater, Deus Filius, Deus Spiritus San„ ctus -- Et respondet -- Sic fiebat in Pro„ vincia Provinciæ, sed improbata fuit illa „ forma -- Eo quod nova censebatur forma illa ex privato spiritu excogitata. Causa

Sacerdotes verè peccata remittunt.

E verò,

verò, cur Doctores quidam ad formam declinabant deprecativam, ea fuit deceptio, quia credebant Sacerdotes nequaquam peccata remittere, sed solummodo remissionem a Deo factam declarare, adeoque non nisi deprecativè homines Deo reconciliare. Petrus Cantor in eo non est, ut in verba deprecativis vim faciat, sed in modo, & circumstantiis, quibus Prior ea protulit verba, quæ Abbas sive prævie, vel simul cum forma protulisset, & in hoc sensu easam ad examen revocat. Esto tamen hujus fuisset sententiæ citatus Auctor, non tantæ est auctoritatis, ut cæteris præferri debeat.

18 OBIJC. V. Græca Ecclesia nusquam absoluta, & indicativa, sed deprecativa forma semper usa fuit. Alienam porrò a veritate jure censeri debet illustrem hanc Gregis Christi portionem quovis tempore irritum fecisse Sacramentum. De primis Seculis constat ex Euchologio Barberino antiquissimo, & ex Euchologio Cryptæ ferratæ a sexcentis plusquam annis exscripto, in quibus unicè deprecativa forma adinvenitur, si quis autem eam reprobet, fateri debet Græcam Ecclesiam a recta Sacerdotum instructione defecisse, cum tamen ad hunc effectum sacramentales ritus in hisce libris fiat descripti. De sequentibus Seculis patet ex Veneto Euchologio edito sub anno 1638. Hoc quatuor describit recitandas orationes supra Pœnitentes, nullamque aliam formam recenset. Constat ex Hieremia CP. Patriarcha *cap.* 11. Censuræ adversus Augustanam Lutheranorum Confessionem, ubi Sacerdotum precibus peccatorum remissionem adscribit. Nec discrepat Clementis VIII. Decretum in Instructione super ritus Græcorum data anno 1595. — In casu necessitatis „ Presbyteri Græci Catholici possunt Latinos absolvere: Utantur forma absolutionis in Generali Concilio Florentino „ præscripta, & postea, si voluerint, dicant „ orationem illam, quam pro forma ejusmodi „ absolutionis dicere tantùm consueverant — Hic Pontifex fatetur apud Græcos deprecatoriam absolutionem fuisse in usu. Addatur demum responsio Ligarini Sacerdotis in Romano Collegio Græcorum Præfecti hac de re a Morino, dum Romæ ageret, sciscitati, qui non aliam nisi deprecatoriam descripsit formam.

Ex quo Morinus *lib.* 8. *de Administr. Pœnitentiæ cap.* 12. hanc adoptavit opinionem, Recentiorum pleríque ei adhæserant. Attamen Petrus Arcudius *de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis lib* 4. *de Pœnit. cap.* 3. huic doctrinæ non fidit, nec putat apud Græcos formam esse deprecativam. Huic Auctori multùm deferendum est, cum plures ejusdem liber a Romanis Pontificibus exactissimo traditus fuerit criterio, ea quidem ratione, ut deservire posset ad tutissimam instructionem circa Græcorum ritus pro Alumnis educandis in Collegio de Propaganda Fide. Porrò sententiam suam ex Sacramenti institutione conatur evincere, cui forma non consonat deprecativa: Et sanè Concilium Tridentinum *Sess.* 14. ex illo principio Christum, videlicet, veram contulisse potestatem Sacerdotibus peccata dimittendi, formam hujus Sacramenti absolutam esse, seu indicativam jure intulit; illud verò principium esse affirmat ex universorum Patrum consensu, adeoque etiam Græcorum, proindeque apud eosdem etiam viguit absoluta, & non simpliciter deprecativa forma. Catechismus Pii V *part.* 2. *de Pœnit. n.* 15. habet — Est autem forma: „ Ego te absolvo, quam non solùm ex illis verbis licet colligere: Quæcunque „ solveritis super Terram, erunt soluta & „ in Cœlis, sed ex eadem Christi Domini „ doctrina ab Apostolis tradita accepimus — Apostoli autem non solùm Latinam, sed etiam Græcam instruxerunt Ecclesiam, ea propter utrique eandem tradiderant formam. Et sanè temporibus Chrysostomi formam absolutam in Ecclesia Græca in usu fuisse evincunt, quæ S. Doctor *lib.* 3. *de Sacerdotio* scripsit — Qui terram incolunt, „ atque in ea versantur, iis commissum est, „ ut ea, quæ in Cœlis sunt, dispenseat: „ iis datum est, ut potestatem habeant, „ quam Deus neque Angelis, neque Ar„changelis datum esse voluit, neque enim „ ad illos dictum est: Quæcumque alliga„veris: Habent quidem & terrestres prin„cipes vinculi potestatem, verum corpo„rum solùm, id autem quod dico Sacer„dotum vinculum ipsam etiam animam „ contingit, atque ad Cœlos usque pervadit, „ atque adeo, ut quæcunque infernè Sacerdo„tes confecerint, illa eadem Deus supernè „ rata habeat, ac servorum sententiam Do„minus confirmet — Sententiam, inquit, non orationem, aut deprecationem; sententiam igitur dicendo solvebant Græci Sacerdotes, non preces solummodo fundendo.

Quod de Euchologiis dicitur ab Eruditis facilè enervatur, eum non jam de sacramentali, sed de canonica, & publica agunt absolutione. Id satis ex titulis, qui illis præponuntur orationibus colligitur. In Euchologio Veneto prima oratio hunc habet titulum. *Oratio super eos, qui sunt in pœnitentia, & seipsos juramento ligaverunt.* Patet hunc titulum esse de canonicè pœnitentibus. Secunda habet. *Oratio super eos, qui de pœnis pœnitentialibus solvuntur.* Quod sanè evidens est non esse de absolutione sacramentali. Tertia habet *Oratio super Pœnitentes.* Pœnitentium nomine apud Morinum, aliosque ipsum sequentes stat pro publicis addictis expiationibus. Quarta nullum titulum habet, solum ponitur, *Alia Oratio.* Hic autem terminus *alia* est connotativus ad præcedentes, ac proindè de canonicè Pœnitentibus. Quare Euchologia Adversariorum causæ haud patrocinantur. Ut autem pro secreta sacramentali absolutione Sacerdotes Græci instruerentur, sat erat ex Patrum doctrina traditio. Aliam dabimus solutionem sequenti num.

Responsum Hieremiæ Patriarchæ omni vi caret, tum quia illa locutio a precibus, quæ cum vera forma admiscentur, denominatur, tum quia ex in responsione turpiter errat Schismaticus Patriarcha, ait enim — Quidquid „ verò peccatorum, aut propter oblivionem „ omiserit, aut propter verecundiam ob„ticuerit (*scilicet Pœnitens in confitendo*)

„ Ora-

Deprecativa forma a Christi institutione aliena.

Euchologia de publica loquuntur pœnitentia.

Error Græcorum quorumdam.

„ Oramus misericordem , & mitissimum „ Deum , ut ei hæc quoque remittantur, ac „ confidimus ea ipsi remissum iri -- Error est manifestus , quod peccata propter verecundiam silentio prætermissa sacramentali deleantur absolutione . Si igitur in hoc errasse nemo Catholicus negabit , cur non & in assignanda forma errasse dici meritò potest .

Clemens stat pro absoluta forma .

Instructio Clementis VIII. nostram firmat positionem ; Vult enim , quod formâ utantur absolutâ , & non solâ deprecativâ ; supponit itaque solâ deprecativâ errare, & ideo corrigit . Noverat quosdam corruptos Græcos preces solummodò adhibere, & ideò ipsos instruit declarando non sufficere . Res certa est in pluribus a puritate fidei , & circuum post Schisma recessisse Græcos . Dicere autem , quod Pontifex loquatur de sola absolutione Latinorum solido caret fundamento; si enim deprecativa forma pro Græcis sufficiebat , sufficiebat etiam pro Latinis ibi existentibus ; nec conveniens esse videbatur pro accidentali eyemo Græcos ad novam adiscendam formam adstringere . Ligartous privatas erat Presbyter, qui Patrum doctrinæ prævalere nequit . Potest etiam dici sic esse locutum ratione precum, quas Græci miscent , non autem quia solas adhibeant .

19 OBJIC. VI. Forma deprecativa æquipollet absolutæ ; Etenim qui Deum deprecatur , ut crimina condonet , jam ipse dimittit , ea propter indicativa forma in deprecativâ virtualiter contineri videtur ; qui enim Deo dicit : *Oro ut condones , seu condona peccata* ; Censetur dicere : *Ego jam condono , sed tuam bonitatem oxoro , ut et tu quoque condones* ; Profectò Sacerdos æquè benedicit , sive dicat , *Ego te benedico* , sive *Benedicat te Deus* ; Æquè injurias fratri remittimus, sive dicamus *Parco tibi* , sive , *Parcat tibi Deus* . Præterea in deprecativa forma exprimitur propria omnis conditio , quod Sacerdoti apprimè convenit : Non enim absolutè arbitrari potest . Ulteriùs in forma deprecativa directum sacerdotale munus ab Apostolo ad Hebræos descriptum , Mediatoris scilicet Deum inter , & Hominem exercetur ; & hæc est doctrina B. Dionysii *de Ecclesiast. Hierarch. cap. 12.* Denique Ecclesia certis appositis regulis efficere potest, ut Sacramentum, omnis omnes quoad substantiam partes intersint , nullum fit ; Constat in Matrimonio ; hæc sanè potissimum in Pœnitentiæ Sacramento , quod judicii rationem sortitur verificari possunt ; in judiciis namque, quæ forum sapiunt, certas posse statui leges , quibus irritum efficiatur, quod antea erat firmum , & validum nullus est , qui dubitet .

Materialis variatio non officit Sacramento.

Fatemur hoc esse fundamentum , quo Eruditi utramque Ecclesiam , Latinam scilicet , & Græcam componere student , fanam utique supponit doctrinam, atque communem , videlicet ad valorem Sacramentorum sufficere in essentialibus æquipollentiam, quæ potissimè , & facillimè in formis, secus in materiis adinvenire est . In formis attenditur significatio formalis , & hæc per diversa materialiter verba nequit haberi ; Quapropter Pœnitentiæ Sacramentum irritum nullatenus erit per deprecatoriam, seu indicativum verbum , si utrumque æquivalentem sensum contineat . Verùm enimverò valdè incertum est in casu nostro has duas formas æquipollere ; nam forma deprecatoria nullam supponit in deprecante potestatem dimissivam , secus absoluta : Illa in sua significatione totam potestatem dimissivam agnoscit in Deo , Deoque tribuit , secus altera . Et sanè æquipollentiam hujusmodi non videtur agnoscere Tridentinum ; quod eam perpetuò Ecclesiæ sensa definivit illa Christi verba : *Quorum remiseritis peccata* auctoritativum facere sensum , non autem simpliciter declarativam remissionis a Deo factæ . Deprecatio , & oratio neutiquam ea se auctoritatem in Orante important , sed solummodò declarat eam in Deo existere ; Sed demus deprecativam formam sensum absolutum præcontinere , adhuc in casu non sufficit allatenus , nam in Sacramentis proprium formalem sensum directè per verba formæ exprimi oportet ; declarante Tridentino Sacramenta significando efficere , & verba , quibus Christus Pœnitentiam ad Sacramenti rationem elevavit directè , explicitè , & per se sensum habere auctoritativum . Sacerdos est utique Dei nuncius ; sed in hoc Sacramento non est unicè divinæ voluntatis annunciator , verùm potestate a Deo collata verè agit , & hoc est primarium illius ministerii munus , adeoq. per formam exprimendam. Mediator Dei , & hominum est etiam Sacerdos , sed diversas in munera partes exercet : Orator est , sed & Judex ; Orator est , sed & Sacrificator ; Orator demum , sed etiam Regenerator ; Sed sicut nec Sacrificium sola oratione , sed absoluto conficit verbo ; nec sola oratione regenerat , sed verbo indicativo : ita nec judicando sola oratione solvit . Ecclesia non eam habet potestatem, quam Adversarii ipsi affingunt irritandi Sacramenta , cum horum substantiam haud mutare posse clarè profiteatur. Si horum doctrina vera esset, & a recto veritatis tramite non aberraret, posset Ecclesiâ, una, vel alterâ appositâ conditione , omnium Sacramentorum eamdemque vertere naturam ; non enim est major ratio de uno , quam de altero , & quodlibet est institutum per analogiam ad aliquam naturalis ordinis actionem , atque effectum . In Matrimonio , quotquot sunt Doctores singulare præ cæteris Sacramentis motivum, atque radicem agnoscunt . Pro adæquata tamen argumenti solutione operæ pretium erit , hic formulas afferre ùt in Pœnitentium absolutione apud Græcos solemnes esse refert Arcudius , hinc conciliare doctrinam . Prima , quæ in Euchologiis reperitur forma , ad hanc reducitur . *Domine . . . . Remitto , dimitto , condono peccata hujus N. &c.* Altera , quæ in quibusdam exemplaribus Canones continentibus legitur , hujusmodi est : *Dominus noster Jesus Christus . . . . absolvat te , sive condonet tibi peccata* . Tertia , quæ in quibusdam Conciliis adhibita fuit , habet . *Habeo te veniâ donatum* . Quæ bene reddit sensum . *Veniam do, ignosco , condono , indul-*

Sacerdos non unicè divinæ voluntatis nuncius.

Formula Græcorum cum Latina conciliantur .

ƒoe, remitto tibi peccata &c. Hanc formam nunc esse in uso apud Græcos docet laudatus Arcudius, & convenientem affirmat. Convenientem esse non dubitamus, quia in sensu indicativo formali convenit cum Latina; sed difficultatem facit, quod in Euchologiis non reperitur, ac proinde universalis esse nequit, nec apud omnes in usu, communiter namque Eruditi docent Græcos per primum formæ genus absolvere; Ceterum novis forma hæc pro absolutione ab excommunicatione specialiter affectatur, nil officit, quin optimè absolutioni a peccatis deservire possit. Prima autem, & altera in idem recidunt, ea propter si una valet, subsistit & altera.

Dicimus itaque formam illam *Domine condona peccata &c. Dominus absolvat te &c.* non esse formam revera deprecativam, sed auctoritativam ministerialiter. Ut veritas appareat quædam prælibanda sunt.

I. Idem formalis sensus verborum est sub passiva, ac sub activa expressione. Idem redolet, si dicatur *Te diligo, & tu a me diligeris*. Unde si activa propositio auctoritatem sonat, etiam passiva eundem faciet sensum. Quare Theologi secuti D.Th admittunt, valere Baptismum collatum sic. *Baptizetur Servus N. in nomine Patris &c.* quia huic æquivalet: *Baptizo Servum N. &c.* Doctrinam hanc a Christo adoptavimus Matth. 9. Ipse potestativè Paralitico dimisit peccata dicens: *Remittuntur tibi peccata tua*; id est *a me, & per me*, & hunc sensum intellexerunt Scribæ, qui propterea obmurmuraverunt; & Christus se dimisisse potestativè confirmat adjiciens: *Ut autem sciatis, quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait Paralitico, Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam*; Ecce quam benè ille dicendi modus *Remittuntur tibi peccata tua*, est auctoritativus, huic planè æquivalens *Remitto tibi peccata tua*.

II. In illa formula, *Domine condona*, expressè subintelligitur *per me*, & cum intentione hac proferuntur; non quidem ex particulari Sacerdotis intentione, sed Ecclesiæ, & Christi. Ratio in aperto est; nam Græci in Euchologiis diligentissimè præmittunt verba, quibus Christus dedit potestatem Sacerdotibus dimittendi peccata, & aliquando illa eadem post prolatam formam repetunt, eo fine ut intelligatur formam ab ipsis auctoritativè proferri, utque innotescat se ut Christi Ministros absolvere.

III. Verbum illud, *Condona*, *Remitte* imperativum est attenta sermonis expressione, nisi ea dicendi modo vim deprecativam imbibat; & licet in quibusdam precibus præmittat Euchologium *Oro*, *Rogamus*, nihilominus minus verba illa vim, & imperativam efficaciam non amittunt; Ideoque mentio semper fit remissivè potestatis Apostolis concessæ, eorumque Successoribus. Unde hæc forma simul importat expressionem causæ primariæ remissivæ peccatorum, qui est Deus, quatenus ea grammaticali locutione modum retinere videtur deprecationis, additis maximè precibus, quæ præmittuntur, & causam ministerialem, non qualemcumque, sed potestativam infallibiliter, quatenus Deo imperat, ut peccata dimittat.

Nec indecens censeri debet Servum Domino imperare, nam quæ præmittuntur preces, imperantis humilitatem satis exprimunt; & ipsemet Dominus hujusmodi imperativam formam æquivalenter præcipit, quatenus talem remissivam peccatorum potestatem concessit, ut quæ soluta sunt in Terris, sint quoque soluta in Cœlis. Nec hujusmodi loquendi modus a Scriptura alienus est, & si quæ dura locutio apparet, jam per illam particulam *per me* attemperatur, vi cujus locutio illa *Domine condona ei peccata sua* apertum hunc reddit sensum; *Condono ei peccata sua in persona tua*. In omnibus Sacramentorum formis, quæ apud Græcam, & Latinam Ecclesiam in usu sunt; illud semper intercedit discrimen, quod Græci expressiùs conantur actionem significare principalis agentis; Latini autem instrumentalem Ministri; sed utraque legitimam adhibendo formas verum formalem sensum a Christo Domino intentum servat.

40 Contra datam explicationem, quam nos docent Sapientissimi, illud urgetur, quod frequentissimè in Euchologiis Græcorum illa ingeminantur verba; *Remitte, Condona, Absolve* contra sacramentalis formæ naturam, quæ debet esse brevis, nec repeti, cum infallibiliter operetur: Quapropter non possunt trahi in sensum absolutum, sed dicere oportet esse formulas simpliciter deprecativas, cum preces repeti possint.

RESP. Idem inconveniens in forma deprecativa urget; omnis siquidem sacramentalis forma ex se effectum habet infallibiliter, eaque propter neque deprecatio repeti posset, quare illa repetitio neutiquam necessaria ex mente Ecclesiæ censenda est, sitque absolutio essentialis, & per prima illa verba, quæ a Sacerdote præmissa mentione potestatis concessæ a Christo Sacerdotibus dimittendi peccata proferuntur, fit absolutio per illa, inquam, verba, si cum eis fiat mentio peccatorum, & indicetur persona, cui absolutio impertitur, quæ verò antecedunt, ad præparationem spectant, sicut apud Latinos; & quæ subsecutivè quasi imperantis repetuntur ad majorem expressionem, & ad majorem declarationem collatæ remissionis peccatorum habentur; Vel dicas non proferri a Sacerdote in persona Christi, & Ecclesiæ absolventis, sed in propria Sacerdotis persona, & Ecclesiæ orantis; ac proinde illæ repetitiones vim superinducunt deprecativam. Etiam apud nos fit hujusmodi transitus, in una actione quandoque fit transitus ab uno ad alium sensum, & frequentissimè in Scriptura.

Repetitio ad majorem expressionem.

CON-

CONTROVERSIA II.

DE SENSU, SEU EFFECTU FORMÆ SACRAMENTALIS.

NOTIO HISTORICA.

21 Circa ſenſum formæ abſolutionis multiplex extitit error. Alphonſus Toſtatus Abulenſis Epiſcopus, qui anno 1440. floruit circa clavium poteſtatem Catholicè ſentiens viſus eſt negare in uſu efficacitatem abſolutionis, quatenus dixit Sacerdotem propriè loquendo non abſolvere *Parte 1. ſui Defenſorii cap. 5., & 6.* Deceptus ex ſiniſtra interpretatione Clementinæ primæ de Privilegiis, ubi Pontifex Religioſis quibuſdam arrogantibus ſibi juriſdictionem, quam non habebant, prohibuit abſolutionem ſub illis verbis „ Non a culpa, nec a pœna, ut eorum „ verbis utamur, abſolvant „ Vehementer ſuſpectus comparere juſſus coram Eugenio IV. ſuæ doctrinæ rationem reddidit, ſeſſus ſe ſolummodo locutum eſſe de actu peccaminoſo, qui citò in ſe tranſit *ibid. cap. 7.*, qua reſponſione non evacuavit ſuſpicionem alterius erroris poſtea ab Eccleſia in Bajo damnati, quod ſcilicet tranſacto actuali peccato nihil remaneat, niſi reatus ad pœnam.

Ricardus a Sancto Victore, qui Seculo XII. floruit, *1. Part. lib. de Poteſtate ligandi, atq. ſolvendi cap.* 12. docuit effectum abſolutionis eſſe remiſſionem reatus pœnæ æternæ, non autem culpæ, quæ a ſolo Deo remitti propugnabat, quam doctrinam defenſavit Hugo a Sancto Victore Ricardo Coævus. Hujuſmodi error poſterioribus Seculis fuit a Sede Apoſtolica repetitis Conſtitutionibus in Bajanis propoſitionibus proſcriptus.

Petrus Lombardus Sententiarum Magiſter nuncupatus ejuſdem avi Auctor 4. *Sent. diſt.* 18 tenuit efficaciam formæ abſolutoriæ ad ſolam liberationem pœnæ temporalis ſe extendere. Hunc ſecutus eſt Alexander Alenſis; Gabriel Biel *diſt.* 14. *q.* 2., qui vivebat ad annum 1490. dicebat reatum culpæ, & pœnæ voto Sacramenti ſolvi; per actualem verò abſolutionem auferri vinculum obligationis ſubjiciendi iteratò peccata novæ confeſſioni. Jo. de Medina *de Pœnit. tract.* 2. *q.* 38. defendit effectum formæ eſſe reſerrationem Regni Cœlorum, quod clauſum remanebat uſque ad abſolutionem. Alii tuebantur effectum eſſe declarationem canonicam in facie Eccleſiæ de remiſſione peccatorum interius a Deo facta.

Quidam Lutheraniſmum profitentes dicunt pœnitentialis abſolutionis effectum eſſe ſecuritatem conſcientiæ propter certam credulitatem de ſibi facta remiſſione peccatorum apud Cajetanum *Tom. 1. Opuſc. Tract.* 22. *de Confeſ. q.* 5.

Quinque primi modi dicendi, a veris Catholicis defenſati orti ſunt ex deceptione, qua crediderunt ſolum Deum abſque miniſterio Sacerdotali peccata quoad culpam remittere; ex quo inferebant peccata contritione dimitti, & ſine hac clavee effectum non ſortiri. Declaravit autem Eccleſia Chriſtum dediſſe Sacerdotibus veram poteſtatem peccatorum remiſſivam quantum ad maculam; ubi obiter notari velim molem illam auctoritatis deductæ ex Cathalogo antiquorum Scholaſticorum, quam non nulli tanti faciunt pro enervanda doctrina ſufficientiæ attritionis pro valore Sacramenti Pœnitentiæ ex toto corruere, quoniam a via veritatis aberraverunt circa primarium hujus Sacramenti effectum, qui eſt vera remiſſio culpæ, qua deceptione poſita legitimè intulerunt contritionis neceſſitatem; nunc verò poſita contraria definitione ſequitur contraria illatio. Hinc ad rem noſtram ſequens ſit concluſio.

§. I.

EFFECTUS SACRAMENTI PŒNITENTIÆ EST COLLATIO GRATIÆ SANCTIFICANTIS REMISSIVÆ PECCATORUM; ADEOQ. VERBA FORMÆ EUM REDDUNT SENSUM: DO TIBI GRATIAM PECCATORUM REMISSIVAM.

22 Omiſſis, quæ Diſp. I. Contrcurrentis I. dicta ſunt, placet advertere abſolvere a peccatis grammaticaliter uſurpatum negationem dicere, veraciter tamen, & Theologicè quid poſitivum importare; nam peccati macula, quæ in privatione conſiſtit, non auſertur niſi per oppoſitam formam, ſicut tenebræ non tolluntur niſi poſita luce. Nunc aſſertio oſtenditur I. Effectus proprius eſt effectus per ſe primò intentus; atqui Pœnitentiæ Sacramentum per ſe primò poſitivam peccatorum remiſſionem intendit, ut in verbis inſtitutionis ſatis elucet: Jo. 20. *Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis*; Ea propter Concil. Tridentinum *Seſſ.* 14 *Cap* 3. habet „ Effectus hujus Sacramenti, quantum ad ejus „ vim, & efficaciam pertinet, reconcilia„ tio eſt cum Deo „ Quæ utique abſque infuſione gratiæ peccatorum emundativæ non datur. II. Miniſterium reconciliationis Chriſtus principaliter, Sacerdos inſtrumentaliter exercet; 2. Corinth. 5. *Dedit nobis Spiritum reconciliationis; quoniam quidem Deus erat in Chriſto Mundum reconcilians ſibi*. Chriſtus illud exercet producendo principaliter gratiam peccatorum deletivam; adeoque & iſtam inſtrumentaliter efficit Pœnitentiæ Sacramentum. III. Sicut Baptiſmus inſtitutus eſt adverſus originale, Joann 3. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non poteſt introire in Regnum Dei*; ita pœnitentiale remedium adverſus perſonale peccatum; atqui Baptiſmi effectus eſt immediata ablatio maculæ originariæ mediâ gratiâ regenerationis: Ergo effectus Pœnitentiæ immediatem eſſe debet purgationem a perſonali macula mediâ gratiâ medicinali. IV. Contritio cum Sacramenti voto efficit per ſe pec-

peccatorum remissionem : *In quacumque enim die peccator ingemuerit , salvus erit* : proindeque potiori jure per Sacramentum in re susceptum effici oportet peccatorum remissio. Etenim juxta philosophicum axioma: Propter quod unumquodque tale , & illud magis. V. Instrumentum directè ordinatum ad spiritualem auferendam mortem virtutem continere debet spiritualiter vivificandi ; Pœnitentia, utpote Sacramentum mortuorum, in spiritualis mortis destructionem directè ordinatur , efficitque proinde vitam spiritualem : Hinc proscripsit Ecclesia 58. Baii propositionem dicentem -- Peccator Pœni- „ tens non vivificatur ministerio Sacerdotis „ absolventis , sed a solo Deo , qui pœni- „ tentiam suggerens , & inspirans vivificat „ eum, & resuscitat , ministerio autem Sa- „ cerdotis solùm reatus tollitur --

23 Evincitur ulterius , brevi calamo apertam aliorum sententiam indicando. Potestas Sacerdotalis solvit in Terra , quod solvit Deus in Cœlo Matth. 18. *Quodcumque solveritis super Terram , erit solutum & in Cœlo*. In Cœlo solvit Deus criminum maculam ; hanc quoque solvere debet Sacerdos super Terram ; adeoque Sacerdotalis absolutionis effectus non est canonica declaratio absolutionis coram Ecclesia, ut aliquibus arridebat. Rursus reatus pœnæ æternæ est reatus privationis beatitudinis sempiternæ; atqui habens sanctificantem gratiam per præcedentem contritionem jus possidet ad gloriam, cum sit Dei filius per Charitatem diffusam in cordibus nostris, in qua clamamus, Abba Pater : Porrò si Filius: ergo & heres, adeoque solutio ab æternæ pœnæ reatu non est effectus Sacramenti in re suscepti , quod alii dicebant. Denique deobligatio a nova confessione est quid simpliciter negativum ; omne autem Sacramentum aliquod positivum efficit ; deinde non daretur potestas ad venialia absolvenda , cum ea confitendi nulla detur obligatio : ea propter hæc recedit a Sacramenti effectu , quod quidam affirmabant.

24 Ex his sequitur sensum verborum absolutionis esse : Ego confero tibi gratiam solutivam a peccatis, quod in idem reddit: Solvo te a vinculis peccatorum : Remitto tibi divinam offensam: sicut qui diceret : Aufero tuas tenebras, idem esset, ac illumino te, do tibi lucem. Rationem affert Tridentinum *Sess. 7. Can. 7.* illum anathematizans, qui -- Dixerit Sacramenta novæ legis non „ continere gratiam, quam significant ; aut „ gratiam ipsam non ponentibus obicem, „ non conferre -- Sacramenta itaque gratiam continent , & quam continent , significant, & quam significant, efficiunt ; quapropter directum significatum est directus effectus : Porrò directus hujus Sacramenti effectus est a vinculis peccatorum absolutio , seu reconciliatio hominis cum Deo , quæ est remissivæ gratiæ formalis effectus ; proindeque illius collatio debet directè significari per verba absolutionis , quæ semper verificantur , quoties Sacramentum validum est ; Etenim auctoritativè proferuntur sub indefectibili Dei promissione , cujus efficaciam solus obex ex parte Pœnitentis valet impedire.

§. II.

PRÆCLUDUNTUR OBJECTA.

25 OBJIC. I. Sensus verborum absolutionis debet esse illatus de præsenti ; atqui peccatum commissum , cum non sit præsens , nequit immediatè respici a sensu formæ ; ac proinde effectus erit sola declaratio absolutionis a Deo factæ.

RESP. Peccatum in se transit , sed remanet moraliter irretractatum , transit actu, remanet reatu tum culpæ , tum pœnæ, sicut constat plurima Scripturarum auctoritate , & Canonica damnatione propositionis Bajanæ per Constitutionem B. Pii V. , & Gregorii XIII.

Peccatum moraliter remanet.

26 OBJIC. II. Effectus Sacramenti Pœnitentiæ vitam realiter supponere debet ; siquidem Ecclesiast. 17. dicitur : *A mortuo quasi nihil, perit confessio* . . . ac propter verba gratiam non significant remissivam.

RESP. Inconcussum dogma docet Sacramentum Pœnitentiæ esse mortuorum. Ecclesiasticus textus evidenter loquitur de undequaque mortuo , scilicet corpore , & spiritu. Ait enim : *Non demoreris in errore impiorum , ante mortem confitere*. Mortuo quasi nihil , perit confessio ; Confiteberis vivens , & sanus confiteberis , & laudabis Deum , & gloriaberis in miserationibus illius. Itaque a re nostrâ Scriptura aliena est.

Pœnitentia Sacramentū mortuorū est

27 OBJIC. III. Patrum , & Conciliorum testimonio in aperto est Deum Sacramentum reconciliationis constituisse Animarum medicinam ad analogiam corporalis ; sed hæc nunquam mortuum sanat , solisque vivis prodest : ergo & illud.

RESP. Evangelicus Samaritanus semivivo a Latronibus relicto medicamina applicavit saluberrimè, quia corporalis medicina etiam lethalia vulnera curat. Peccator enim Deo mortuus censetur , quatenus gratiâ hominem simpliciter vivum in ordine supernaturali constituentem caret , nihilominus semivivus reputatur , sive quia ut in plurimum in eo fides , & spes informis remanent , sive quia intrinseca, & extrinseca parata auxilia habet, quibus benè utendo potest se disponere ad substantialem reparandam vitam , unde Sacramentum ipsum vivificare potest.

Spiritualiter mortuus vivificari potest.

28 OB. IV. Si Petri sententia solvit , nihil Deo solvendum relinquitur : Illa namque hanc præcedit ; atqui falsum est Deum nihil solvere ; ergo Petrus non solvit.

RESP. Totum Deus solvit ; actio siquidem agentis principalis, & instrumenti eadem est; Petri sententia in eo sensu dicitur præcedere , quod nisi Petrus solvat , Deus non solvit ; solutionem namque a peccatis dependenter a clavibus ipse decrevit.

Deus justificat dependenter a Sacramento.

29 OBJIC. V. Ejusdem rationis est Sacramentum Pœnitentiæ ab attrito susceptum , ac a contrito ; atqui in hoc casu non datur locus infusionis gratiæ remissivæ ; cum nul-

nullum sit vinculum solvendum; nihil enim remanet, quod sit formale peccatum: Inhabilitates namque, debitum compensationis, & similia non habent formalis criminis rationem; eo itaque in casu verba absolutionis non possunt habere sensum explicatum, & tamen eodem proferuntur modo.

RESP. Solvimus superius argumentum. Omnis positivus, vel negativus effectus per peccatum inductus, obligatio omnis ad illud consequens, vinculum nuncupantur; quamvis ablatâ maculâ neutiquam formalis peccati rationem habeant; veraciter tamen sunt aliquid a peccato relictum: sunt quædam negativa onera, quædam sunt vincula a formali peccato exorta, quæ constituunt sufficientiam pro absolutione etiam post primam confessionem, quæ cadit sub præcepto: unde fit quod gratia sacramentalis semper in actu est remissiva non ex toto, sed ex parte; non inquam ex toto, quia supponitur remissum peccatum quantum ad maculam, quam tamen semper magis, magisque remittit per elongationem, sed ex parte, quia semper ex relictis debitis extinguit. Deus justificando peccatorem, cedit juri compensationis quantum ad æqualitatem; non cedit tamen quantum ad debitam possibilitatis, quia gloriam suam nemini dabit; & quamvis non obliget sub peccato, nisi ad certos possibilitatis gradus; integrum tamen relinquit debitum in sua latitudine, semper magis, & magis extinguibile.

Plura remanent ex peccato.

30 OBJIC. VI. Aliquoties Sacramentum Pœnitentiæ validum est, sed informe; atqui, tunc nec in actu secundo, ut ajunt, gratiam producit; neque est productivum in actu primo, cum elevatione careat; etenim elevatio datur propter effectum; cumque in eo casu non possit dari propter obicem; ipsa frustra daretur, quare verborum sensus neutiquam tunc verificaretur.

RESP. Non est possibile Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe; data tamen possibilitate dicimus tunc Sacramentum esse in actu primo gratiæ causativum, quantum est de se, & verba absolutoria significare gratiam quantum est de se remissivam; Porrò per accidens est, quod actu non producatur, & actu non remittat, sed casus per accidens non officit. Si Sacramentum validum censetur, necesse est, quod sit elevatum ad esse artefacti significativi, & causativi; Essentia namque Sacramentorum constituitur per esse signi gratiæ sanctificantis; illa autem elementa nudè accepta absque elevatione nequeunt esse signa gratiæ, & multò minùs causativa juxta Trident. *Sess. 7. Can. 6.* Sacramenta gratiam, quam significant, continent; ut ergo sit Sacramentum, gratiam continere debet, & hoc non est possibile sine elevatione: res namque possibiles ex se gratiam non continent. Sacramentum validum, & informe comparatur a suis propugnatoribus causæ perfectæ in naturalibus impeditæ in actu secundo ab obice, qui est in subjecto; in se tamen in actu primo totam habet virtutem ad agendum necessariam; ita etiam Sacramentum validum, & informe eandem virtutem habere debet.

Sacramenti virtus in actu primo.

31 OBJIC. VII. D. Thomas reponit hunc esse sensum verborum. *Impendo tibi Sacramentum absolutionis.*

RESP. Dictum D. Thomæ in idem recidit cum nostra sententia; aliter est falsum, nam falsò dicitur Sacerdotem absolventem impendere Sacramentum Pœnitentiæ; Siquidem Minister non ponit, nisi unam partem, cæteras exhibet Pœnitens, secus in Baptismo, & similibus, in quibus Minister remotam, & proximam materiam, insuper & formam exhibet.

CONTROVERSIA III.

§. I.

DE VERBIS PRO VALIDA ABSOLUTIONE ESSENTIALIBUS.

32 CUm in Sacramentis verba ut significativa assumantur, secundùm formalem sensum attendi debent. Hic porrò neutiquam secundum privatam, sed penes communem vocum acceptionem intelligi necesse est; communis namque verborum intelligentia Reipublicæ commercio, ac societati inservire pro comperto est, privata verò nata est æquivocationem gignere; & quamvis pro valore formalis sensus, qui in æquipollentibus adinvenitur, attendatur, attamen graviter illicitum jure reputatur a communi Ecclesiæ usu recedere. Ritualia Sacramenti Pœnitentiæ formam referentia afferunt quidem expressè particulam *Ego*, nec non Sanctissimæ Trinitatis invocationem; ast neutrum ad essentiam spectat: Etenim particula *Ego* in vulgari locutione subintelligitur expressa in verbis, puta, audio, scribo, absolvo; de invocatione autem Trinitatis altum in Scripturis silentium. Num verò ejus omissio absque causa culpâ vacet, non omnes idem sentiunt. Quidam lethali, veniali nonnulli, alii nullo irretitum crimine volunt omittentem. Preces apprimè convenienter recitantur sive ad Pœnitentis dispositionem, sive ad applicandum fructum Passionis Christi, atque ad elevanda pia opera ad uberiorem peccatorum satisfactionem, ea propter Tridentinum *Sess.* 14. c. 3. laudabiliter adjungi affirmat, unde mortalem saltem culpam in earum omissione non est invenire. Tota igitur difficultatis vis in eo sita est, an verba, *Absolvo te a peccatis tuis* explicitè sint de essentia. Juenin *de Pœnit. Sacramento quæst. 9. cap. 1. art. 2.* vult verba, *A peccatis tuis* necessaria necessitate præcepti, non autem Sacramenti.

Communis verborum intelligentia in Sacramentis usurpanda.

Dicendum tamen prædicta verba, *Absolvo te a peccatis tuis* explicitè prolata esse de essentia Sacramenti. PROB. I. Christus, ex quo Baptismi essentiam tradens, de Trinitatis invocatione meminit, expressa ejusdem invocatio meritò de Baptismi essentia censetur: ergo, ex quo Christus Sacramenti Pœnitentiæ essentiam tradens peccatorum remissionem expressit. Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, peccatorum ex-

Sacramenti Pœnit. forma a Christo.

expressio essentialis censenda est; ea propter haud sat est dicere *Absolvo te*, sed necessariò quoque addendum est, *A peccatis tuis*.

Particula Te necessaria, sicut A peccatis tuis.

33 PROB. II. Ea qua Christus Sacerdotibus absolvendi potestatem conferens Personæ absolvendæ, *Quorum remiseritis*, particula *Te* est simpliciter, & expressè necessaria: ergo, ex quo de vinculis, a quibus Persona solvenda est, meminit, peccatorum explicatio est absolutè necessaria.

Forma a Christo usitata.

34 PROB. III. Sacerdotalis absolutio formam, qua Christus absolvebat, imitatur; atqui Christus iis in casibus, in quibus certò constat peccata remisisse, semper peccatorum expressam facit mentionem. Matth. 19. *Confide Fili; remittuntur tibi peccata tua*; Luc. 5. *Homo remittuntur tibi peccata tua*, & cap. 7. *Remittuntur ei peccata multa*: Peccatorum itaque expressio necessariò facienda est.

Verba indifferentia determinari debent.

35 PROB. IV. Forma magis, quam materia determinata esse debet; illa quippe actus est, & terminus, & velut ejusdem materiæ finis; principaliùs namque ad artefactum constituendum, atque ad effectum producendum concurrit: Porrò verba illa *Absolvo te* neutiquam in circumstantiis Confessionis determinata censentur, sed indifferentia sunt sive ad absolvendum a peccatis, sive a Censuris, sive ab obligatione restitutionis, sive a propriis, vel alienis debitis; eaqua propter per expressionem a peccatis determinari debent; hac quidem ratione, quotquot sunt Doctores, determinatam Personæ expressionem exigunt, ut vis pœnitens gemens, & solvi expostulans adsit.

Verba Christus elevavit ad Sacramentum.

36 PROB. V. Ideo peccatorum expressio necessaria non reputatur, quia circumstantiæ loquuntur; atqui Christus non circumstantias elevavit, nec eis sacramentalem tribuit efficaciam, sed verba & quidem Sacerdotis ad esse Sacramenti evexit: locutio autem, quæ a circumstantiis mutuatur, neque æquivalenter ab ore Sacerdotis est, sed a Pœnitente; Iste enim est, qui confitetur, qui absolutionem exposcit. Argumentum urget exemplo particulæ *Te*, quæ non sufficit subintellecta in circumstantia Personæ confitentis.

Materia Sacramentorum exponi debet.

37 PROB. VI. Pœnitentiæ Sacramentum, si remota materia spectetur, in eo ab aliis discriminatur, quod ipsa in cæteris usu exhibetur, in pœnitentia verò removetur; atqui in aliis Sacramentis Minister expressè remotam materiam applicat: ergo in hoc debet ab eodem expressè removeri. Audiatur S. Thomas 3. *p. quæst.* 84. *art.* 3. — Hoc Sacramentum non consistit in „ consecratione alicujus materiæ, nec in „ usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed „ magis in remotione cujusdam materiæ, „ scilicet peccati, prout peccata dicuntur „ esse materia pœnitentiæ .... Talis autem „ remotio significatur a Sacerdote —

Forma exprimit Sacramenti effectum.

38 PROB. VII. In Sacramentis verba vim formæ exercent, prout practica signa sunt effectum Sacramento proportionatum determinatè significantia; Sed proprius, & significatus hujus Sacramenti effectus est a peccatis relaxatio: ergo verba ut formaliter peccatorum remissionem significantia sunt essentialia. Hoc utitur argumento laudatus S. Thomas *Opusc.* 22. *cap.* 1. affirmans Sacramenti Confirmationis formam esse — „ Consigno te signo Crucis, & confirmo „ te Chrismate salutis — Quia proprius effectus figurandus est; unde concludenter asserit illa solummodo verba: *Et confirmo te* nequaquam sufficere, nisi addatur, *Chrismate salutis*. Prædictis vim affert Trident., dum ait *Sess.* 14. *cap.* 3. formam eam esse, *Ego te absolvo &c.* addendo &c. aliud necessarium vult addendum; quod aliud utique non est, nisi *A peccatis tuis*, quod evincitur, ex quo eadem Sessione, dum inquit de Extrema Unctione *cap.* 3. formam esse: *Per istam unctionem &c.* luce clariùs est velle per hoc sequentia videlicet, *Indulgeat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* omnimodè necessaria esse.

§. II.

ADVERSA EXPENDUNTUR ARGUMENTA.

39 OBJIC. I. In judicio forensi per Judicis sententiam haud necessaria est criminis expressio. II. Supposita criminis confessione verbum *Absolvo* sensum habet determinatum, quod in Prob. IV. desideratur. III. Christus Matth. 18 remissivam peccatorum tradens potestatem, nullam eorundem expressam fecit mentionem, sed tantummodo dixit: *Quodcumque solveritis*, & Jo. 11. v. 44. de Lazaro peccatoris figuram gerente ait: *Solvite eum, & sinite abire*: ergo.

Sacramenti natura servanda.

RESP. Pœnitentiæ Sacramentum analogatur quidem cum forensi judicio, salvâ tamen Sacramenti naturâ, quæ ex sui institutione tum formam, tum determinatam exigit materiam; nec Ministri libertati hac, vel illa uti conceditur. Deinde vel in forensi judicio, quando a lege in particulari assignatur ferendæ sententiæ modus, crimen exprimitur; quare juxta plurium Doctorum placitum in canonica absolutione a Censuris, criminis expressio necessaria reputatur. Ad II. In nullo artefacto materia formam determinat, sed ex adverso; Confessio ad materiam refertur; quare verba formæ determinare nequit. Ulterius. Confessio aptiùs determinat subjectum, quam Sacerdotis verba; Confessio namque ab ipsomet exhibetur subjecto, quodque non solùm moraliter, verum etiam physicè ad plenam usque Sacerdotis absolutionem præsens perseverat, & tamen hujuscemodi determinationem nemo non dicet sufficere, ut expressio particulæ *Te* omitti possit: ergo multò minus sufficiet ad alias omittendas, videlicet, *A peccatis tuis*. Ad III. Sat est Christum alicubi peccatorum mentionem fecisse, & potissimùm ubi de peccatorum agit remissione, sicut contigit in locis num. 34. relatis. Agit quidem *Matth.* 18. de peccatorum relaxatione, sed non unicè potestatem impertitur pro peccatis, sed etiam pro Censuris, pro legibus, aliisque vinculis solvendis. Textus ex Joanne figurativus est, adeoque obscurior,

Forma materiam determinat.

scurior, quam ubi res ipsa clarè exprimitur.

40 OBJIC. II. Æquivalentem sensum ad Sacramenti valorem sufficere nemo dubitat; atqui sive explicitè, sive implicitè peccata subintelligantur, æquivalens sensus reputatur; Quemadmodum in idem recidit, sive dicatur *Petrus est homo*, *sive est animal rationale*; quare necessaria est quidem peccatorum mentio, sed non expressa. II. In humanis reconciliationibus injuria non exprimitur. III. Sanctus Thomas *loco mox laudato ex 3. p.* in absolutione peccata prætermittit, & pro adæquata forma unicè apponit verba *Absolvo te*.

Peccata in verbo Absolvo non includuntur.

RESP. Si primum quidquam evincit, probat etiam particulam *Te* omitti posse. Verùm falsò asseritur æquivalentem adesse sensum, si explicitè *A peccatis tuis* reticeatur, quo pacto falsum est peccata in verbo *Absolvo* pari ratione implicitè includi, qua in verbo *Homo* includitur *rationale animal*: Homo enim est definitum, & animal rationale est definitio hominis; non est autem definitum *Absolvo te*, & *A peccatis tuis* definitio, nec Confessio peccatorum est definitum, vel definitio absolutionis, nec ex adverso absolutio est definitio, vel definitum confessionis. Verbum itaque *Absolvo Te* indifferens est; Pœnitens plura, eaque diversa habere potest vincula; Vinculum est peccatum, vinculum est Censura, obligatio restitutionis, onus legis, & similia sunt vincula. Secundum, quod affertur, e re nostra alienum est, sive quia humana reconciliatio non est sacramentalis, proindeque certis nullatenus est alligata legibus, sive quia tùm ea conditio in humana reconciliatione determinata præscribitur forma, utique servanda: Reconciliatio hominis cum Deo hanc habuit a Christo determinationem, adeoque servanda. Nec S. Thomæ auctoritas obstat; nam *cit. loc.* non verborum quantitatem, sed qualitatem scrutatur, formam videlicet non jam per deprecativum, sed per indicativum verbum exprimi debere, ad quod probandum sufficit referre verbum *Absolvo*, cæterum ea ratione, qua utitur, satis colligitur illud ad essentiam non sufficere, nisi addatur *A peccatis tuis*. Hinc *Opuscul. 22. cap. 1.* particulam *A peccato* addit, probatque ex Apostolo *2. ad Corinth. 2.* — Ego donavi, si quid donavi, „ propter vos in persona Christi .... Do„ nare autem peccatum est absolvere a pec„ cato: ergo convenienter Minister dicit: „ Ego te absolvo a peccato —

Humana reconciliatio a sacramentali differt.

41 OBJIC. III. In omni naturali artefacto præter essentiam integrales enumerantur partes; atqui Sacramentum est velut quoddam artefactum; ea propter verba *Absolvo Te* ad essentiam referri æquum est, cætera ad Integritatem. II. In jure verba ad plura indifferentia tenent; ùt si fiat legatum Titio servo, & duo sint ejusdem nominis servi. *L. duo sunt Titii §. de Testamentaria tutela*; tenebit igitur èt verbum *Absolvo*, quamvis indifferens censeatur. III. Sicut additamentum illud *A peccatis tuis* propositionem complet, sic èt additamentum invocationis Sanctissimæ Trinitatis; Porrò hoc non est de necessitate: ergo neque illud.

RESP. Non omne naturale artefactum integralibus coalescit partibus, ùt in aqua videre est, nec in omnibus Sacramentis dictas partes est invenire; cum non omnia donata sint quantitate. Verùm integrales partes, quæ in Pœnitentiæ Sacramento enumerantur juxta D. Thomæ doctrinam *3. p. q. 90. art. 1.* non jam ex parte formæ, sed ex parte materiæ computantur. Ad II. Christus in Sacramentis non æquivoca, sed clara verba assumpsit; unde paritas de civili lege non officit. Tertium non concludit; illud namque *A peccatis tuis* pars intrinseca est propositionis, secus Sanctissimæ Trinitatis invocatio, quæ extrinseca omnimodè est, ea propter hujuscemodi additio est invocativa diversam orationem a prima propositione constituens. Nota demum Trinitatis invocationem nequaquam necessariam censeri ad exprimendam ministerialem Sacerdotis actionem, quæ aliunde constat; In Baptismo autem necessaria jure meritò dicitur, cum ipse sit Sacramentum Fidei, cujus potissimè mysterium judicatur Dei Unitas, & Trinitas.

Verba Sacramentorum clara esse debent.

42 OBJIC. IV. In Baptismo, omissa originalis peccati mentione, verba, *Ego te baptizo* sufficiunt: ergo similiter in Pœnitentia sufficient: *Ego te absolvo*: Et sanè paritas æqualiter inter utrumque Sacramentum versari videtur, cum hoc personalia, originale illud respiciat. II. In consecratione Calicis non omnia, quæ in Canone apponuntur verba, inter essentialia computantur: ergo idem dicendum venit de verbis, quæ pro absolutionis forma referuntur; & aliàs utrobique lex urget de tutiore eligenda parte. III. Christus verba humano modo significantia, atque prout communi societati deserviunt, ad Sacramenti rationem elevavit; atqui ipsa humanæ societati deservire in aperto est, prout subsunt circumstantiis, per quas verba aliàs æquivoca determinantur ad unum, ùt in amphibologiis apparet, quæ juxta Theologorum sententiam in veras transeunt locutiones, si circumstantiis vestiantur: ergo.

RESP. Christus in sua Baptismi institutione de originali noxa non meminit, secus in Pœnitentiæ Sacramento; Aliàs certò certiùs est crimen originis neutiquam esse remotam Baptismi materiam: Materia enim remota est aqua; in Sacramento autem reconciliationis remota materia est personale delictum, proindeque exprimendum: Hinc est, quod Baptismus sine originali peccato, ùt in Deipara, confertur, sine actuali verò nemo ad Pœnitentiæ Sacramentum accedere potest. Quod secundò subditur de Calicis consecratione, nobis non adversatur: Plures namque, iique egregii D. Thomæ Discipuli invictè propugnant, omnia Canonis verba ad essentiam spectare, & sicut hæc sequenda sententia utporè tutior, ne Sacramentum frustrationis periculo exponatur, ita verba *A peccatis tuis* sunt de essentia, eademque regula observanda est. Esto tamen non omnia in Calicis consecratione ùt essentialia considerentur, latum adhuc in-

Discrimen Baptismum inter, & Pœnitentiam.

Paritas de Calicis consecratione.

recedit discrimen; Forma siquidem Calicis integrum sensum sortitur his solummodo verbis: *Hic est sanguis meus*, cætera autem extrinseca censentur, diversasque constituunt propositiones, atque significata; in Pœnitentia verò verba *A peccatis tuis* ad integrum essentialem sensum verborum *Absolvo te* pertinent, quod planè patet, cum novam non faciant propositionem, novamque significationem non inducant. Ad III. Christus verba formalia humano significantia modo ad esse formæ elevavit, non verò res, & circumstantias. Addas, si lubet, prædicta ab Adversantibus urgeri circa particulam Te.

43 OBJIC. V. Datur in Sacerdote absolvente tum privatæ, tum publicæ personæ, seu Ministri Christi conditio; verbum *Absolvo* indifferens est, ut ab ipso vel ut privata, vel ut publica persona proferatur; in Pœnitente etiam vinculum dari potest, peccati, voti, præcepti, restitutionis &c., & verbum *Absolvo* relatè ad vincula indifferens est, ut supra peccati, vel Censuræ &c. vinculum cadat; atqui per intentionem, externasque circumstantias prolatio verborum satis apertè ad publici Ministri conditionem determinatur: ergo per eandem intentionem, easdemque circumstantias sufficienter verbum *Absolvo* ad peccatorum potius, quam voti vinculum determinatur.

RESP. Hujusmodi ratiocinium ex ipsis terminis evincit neque particulam *Te* necessariò exprimendam esse. Argumentum deinde potius probat verba illa *A peccatis tuis* explicitè apponendam esse, ut verbum *Absolvo* a Sacerdote ut a publica persona exire intelligatur; a peccatis namque nemo absolvere nequit, nisi Christi Minister sit, hocque per formam exteriùs prolatam constare debet. Non itaque eadem utriusque ratio est: intentio interior per ritus exteriùs manifestata optimè determinat, constituitque Sacerdotem tanquam Christi Ministrum agentem, quia esse debet intentio faciendi, quod facere intendit Ecclesia, & ob hoc nullimodè sufficere potest ad determinandum verbum *Absolvo* ad peccata, ita quod eorundem expositio non sit necessaria; nam Ecclesiæ intentio est, ut Sacerdos ut sensibilis Minister, modoque sensibili a peccatis absolvat, ac proinde sensibilis peccatorum expressio intervenire debet, sicut ex parte Pœnitentis peccatorum confessio sensibilis esse debet. Præterea Sacerdos per intentionem, externasque circumstantias in esse Ministri Christi constitutus adhuc indifferens est, ut a peccatis, vel a Censuris absolvat; quare etsi Ecclesiæ constet, quod ut publicus Minister agat, ipsi tamen non innotescit, quod peccatorum potiùs, quam censuræ vincula dissolvat, nisi peccata exprimantur.

Intentio Ecclesiæ in forma Pœnitentiæ.

Placet satis aptam D. Thomæ paritatem afferre. Quia ablutio aquæ, quæ in Baptismo fit, fieri potest sive ad corporalem munditiam, sive ad sanitatem, sive ad ludum, per intentionem abluentis ad sacramentalem effectum determinari debet, hæcque intentio per verba, quæ in Baptismo proferuntur, exprimitur: Ergo quia verbum *Absolvo* indifferens est ad censurarum, vel peccatorum solutionem, non exprimit, nisi explicitè dicatur *A peccatis tuis*, Sacerdotis intentionem ad peccata solvenda.

44 Verùm quid ultra, cum de sententia hac minimè dubitandum esse videatur? Hæc tutior est, adeoque propugnanda. Nec momentosum est refugium ad Catechismum Romanum, seu ad instructionem, quam pro Confessariis Sanctus Carolus Borromæus edidit; Uterque quidem exprimit solummodo verba *Ego te absolvo*, sed uterque subintelligit additionem *A peccatis tuis*; neque propter S. Carolus, ut de sua sententia satis constare videretur, precee subdit, prout in Rituali leguntur. Clariùs. Uterque verba illa vult esse recitanda secundùm communem usum; quoniam verò notissimus est, ideo ea ipsis nemo credidit majorem necessariam esse declarationem; ea planè ratione, qua neuter explicavit omissionem verborum *A peccatis tuis* esse peccatum.

CONTROVERSIA IV.

DE ABSOLUTIONE IN ABSENTEM.

§. I.

NOTIO HISTORICA.

45 MOrinus *lib. de Administr. Sacramenti Pœnit. cap. 25.* plurima contendit eruditione prioribus Ecclesiæ Sæculis in Absentem sacramentalem licuisse absolutionem, affirmatque jure divino irritam non esse, posterioribus tamen Pontificio jure reprobatam: Ad præteritum alludere videtur Sæculum quo occasione digladiantium hinc inde partium constitutionem hac de re edidit Apostolica Sedes: Mordicus enim affirmativam Theologi boni nominis tuebantur, alii verò nec inferioris notæ negativam propugnabant. Decretum itaque Clementis VIII. anno 1602. emanatum litem diremit; eo siquidem proscripta fuit propositio affirmans licere per literas, sive internuncium Confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere.

Decretum Clem. VIII.

Non defuere, qui sunt interpretati Clementem locutum in sensu copulativo, non licere videlicet, nec valere absolutionem in absentem, quando & Confessio facta, & absolutio similiter collata est absenti, non verò in sensu diviso, scilicet si præsenti facta sit Confessio, & absenti jam confesso detur absolutio, vel si absenti facta sit confessio, & confesso præsenti beneficium absolutionis impendatur. Hujusmodi interpretationem malè audiens Clemens Auctorem Romam vocavit, prædictamque interpretationem ab evulgato libro jussit abradi.

Præscriptæ, & expunctæ propositionis Patroni novum excogitaverunt effugium, nempe Pontificem abrasionem mandasse, e

non

non quia apposita interpretatio tanquam falsa, vel improbabilis esset judicanda, sed quia nolebat Clemens ipso inter vivos agente Decretum suum interpretari. Causa iterum ad Apostolicam Sedem delata Paulus V. die 4 Julii 1605. auditis momentis ab Auctore excogitatis — Decrevit prædictam „ interpretationem non subsistere, & ideo „ amovendam esse ab ejus libris, juxta „ Decreta aliàs facta a fel. record. Clemente „ VIII. — Aliud Decretum eadem de re emanavit idem Pontifex, cui tertium addidit Sacra Congregatio Rom. Inquisitionis die 18. Augusti. Quibus in aperto est Sedem Apostolicam absolutè, & veraciter prohibere doctrinam, ejusque interpretationem.

Pauli V. declaratio.

Semitam aliam Defensores proscriptæ propositionis arripuerunt, dixerantque Clementem VIII. vivæ vocis oraculo mentem suam declarasse, quatenus interrogatus, consultusque circa quæstionem Moribundi sensibus destituti, qui ex adstantium testimonio absolutionem petiit, respondit absolvendum. Verùm duo hæc satis discriminantur, ut idemmet Clemens declaravit Archiepiscopo Armacano, qui Pontificem ea de re interpellavit — Ac respondit mihi „ Sua Sanctitas non fuisse sibi propositum „ damnare, seu prohibere, quod absolutio sacramentalis impendatur incidenti „ casu expresso in posteriori illa quæstione „ (videlicet de moribundo) sic testor anno 1624. 6. Junii, uti adhuc feci ante „ annos aliquot. Petrus Lombardus Archiepiscopus Armacanus Primas Regni „ Hiberniæ — In præsentiarum ad trutinam reducitur Controversia de absolutione inter absentes, ut ab altera prorsus aliena de moribundi absolutione, qui coram Sacerdote signa Contritionis non dedit, & inquiritur

Status quæstionis.

§. I I.

AN SACRAMENTALIS ABSOLUTIO SIVE IN COPULATIVO, SIVE IN DIVISIVO SENSU LICEAT, ET VALEAT INTER ABSENTES.

46 Dicendum nullimodè aut licere, aut valere sacramentalem absolutionem inter absentes.

PROB. I. Ex Ecclesiæ doctrina nobis a Florentino Concilio in Instructione Armenorum tradita Sacramentum omne rebus, & verbis, tanquam materiâ, & formâ, excepto Conjugii Sacramento, in quo nutus sufficiunt, necessariò constat, & verba formæ munus referentia formalia esse debent; quod illo Augustini effato *Tract. 80. in Joan.* brevibus explicatur — Accedit verbum ad „ elementum, & fit Sacramentum: Nam in „ ipso verbo aliud est sonus transiens, aliud „ virtus permanens — Ex quo satis apertè colligitur ad Sacramenti valorem verbi, & elementi coexistentiam requiri; unum enim alteri accedit; atqui cum absolutio Absenti impenditur, hujusmodi coexistentia, qua verbum ad elementum accedat, non datur: ergo ex ipsa Sacramenti natura in dicto casu non fit Sacramentum. Hoc luce clariùs est, si loquamur in sensu copulativo supra explicato, verùm idem recurrit in sensu divisivo. Vel enim impenditur absolutio Absenti, qui præsens confessus est, & jam Sacerdotis verbum neutiquam ad elementum accedit; cum Epistola, aut Internuntius non sint formalia Sacerdotis verba; vel absolutio impenditur præsenti, qui absens confessus est, & neque verbum accedit ad elementum, nempe ad confessionem, quæ non est, sed fuit; eapropter ex divina institutione hujuscemodi absolutio irrita est, ac nulla.

Materia, & forma coexistere debent.

47 PROB. II. Sacramentalis curatio in illa corporali Lepra *Levit.* 13., *&* 14. fuit aptè præfigurata; atqui in hac corporali necesse erat Leprosum ad Sacerdotem accedere, qui Lepræ conditionem exploraret, ferretque judicium: ergo sacramentalis curatio per simultaneam Ministri, & Pœnitentis perfici præsentiam necesse est. Hanc habemus doctrinam ex Can. *Quem pœnitet* dist. 1. *de Pœnitentia* — Præcepit enim „ Dominus mundandis, ut ostenderent ora „ Sacerdotibus, docens corporalia præsentia confitenda peccata non per Nuncium, „ non per scriptum manifestanda, dicite „ enim, ora monstrate —

Præsentia necessaria ad spiritualem curationem.

48 PROB. III. Ecclesia Sacramenti institutionem referens talia habet in Trid. *Sess.* 14. *cap.* 2. — Nam hos (scilicet baptiza„ tos), si se postea crimine aliquo contaminaverint, non jam repetito Baptismo „ ablui, cum id in Ecclesia Catholica nulla „ ratione liceat, sed ante hoc Tribunal, tan„ quam reos sisti voluit, ut per Sacerdotum „ sententiam, non semel, sed quoties ab ad„ missis peccatis ad ipsum pœnitentes confu„ gerint, possent liberari — Nemo non non videt, quam clarè hic reprobetur absolutio in absentem: divina siquidem institutio expostulat, ut reus ad Sacerdotem accedat, & Sacerdos in ipsum ferat sententiam; ex Concilio namque sistere se, ut per Sacerdotis sententiam liberetur, simultaneæ præsentiæ sunt correlativa.

Sacramenti institutio præsentiam exposcit.

49 PROB. IV. Nullum est Sacramentum, ubi forma a Christo instituta nequit in sensu formali verificari; atqui inter absentes hoc contingit: Forma enim ea est: *Ego te absolvo a peccatis tuis*, formalis, immo & grammaticalis ejusdem sensus mutuam absolventis, & absoluti præsentiam essentialiter postulat; Locutio siquidem ad secundam Personam directa hujus præsentiam essentialiter exposcit, sicut locutio ad absentem ordinata tertiam enuntiat personam. Quis sanè de absente loquens dicit unquam *Diligo Te*? Cum igitur absolutio ad secundam personam non quomodocumque, sed ad pœnitentem, & confessum dirigatur, jam planè fit debere esse præsentem ut confessum. Simili ratiocinio, quotquot sunt Theologi, nullam declamant consecrationem, quæ in materiam actu præsentem non fertur, nec momenti est aliquando fuisse præsentem, puta sub Missæ initio, quia consecrationis forma ad rem præsentem dirigitur. Quare universali Ecclesiæ usui, quæ nusquam sacramentaliter absentes a peccatis absolvit, standum esse in aperto est.

Ecclesiæ usui standum est.

§. III.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

50 OBJIC. I. Reprobari non debet, quod Traditio firmat; atqui plurimis exemplis ex Traditione desumptis clarè evincitur Ecclesiam sacramentalem absolutionem in Absentes impertitam esse: ergo &c. Primum adhibet exemplum S. Dionysius Alexandrinus in Epist. ad Fabianum Papam; ut ab Eusebio *lib. 6. c. 36* refertur; Scribit enim pœnitentI Serapioni, atque extremùm ægrotanti per Puerum missam fuisse a Presbytero Eucharistiam; Certum autem est ex eodem Dionysio grave Idololatriæ scelus Serapionem perpetrasse; indubium quoque est nemini id temporis sacramentaliter non fuisse absolutum, nec ante exomologesim gravium præcipuè criminum sacram Synaxim quempiam sumere potuisse; Fateri igitur necesse est Sacerdotem sacram mittendo Eucharistiam absentem senem prius a peccatis absolvisse, quod sequentia S. Dionysii verba apertè indicant — An non „ igitur satis constat eum fuisse reservatum, „ & usque eo in vita mansisse, quod esset „ penitus culpæ vinculis solutus? Et ita „ labe, qua erat Idolis immolando aspersus, omninò deletâ, posset pro multis „ bonis, quæ gessisset in vita, in numerum „ Confessorum referri — Consecutus est ergo absolutionem non quidem a præsenti, qui nullus aderat, Sacerdote, adeoque ab Absente.

Secundum habes exemplum apud Sanctum Cyprianum *lib. 3. Epist. 17.*, qui fatetur Lapsos ab ipso absente absolutionem postulasse: Porrò si ex veteri disciplina non esset absentes Deo reconciliare, hoc nequàquam poposcissent delinquentes.

Tertium proponit Duziacense Concilium sub Joanne VIII. celebratum an. 872.: Patres namque illi in Synodo Congregati Roberto Cenomanensi Episcopo absenti; atque per libellum, quo absolutionem enixè, humilitatque expetebat, confessio illam benignè contulerunt — Pietatis vestræ mi„ sericordiam singulis interpositio implorare „ non cesso, quatenus potestate cœlitùs vo„ bis collatâ vincula meorum piaculorum „ enodetis, & precum vestrarum studiis „ commissa mea peccata pietis, ut cum „ reprobis non ducar ad tartara, quin po„ tiùs vestro interventu cœlestis merear su„ blimari ad gaudia — De sacramentali absolutione sermonem instituisse Robertum iis ex verbis *ut cum reprobis non ducar ad tartara* planè fit; sola enim peccata ad inferos detrudunt; Sacramentalem verò reconciliationem dedisse laudatos Patres verba potestativa, quibus utuntur, evincunt, affirmant id facere ex potestate Apostolis concessa Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.*

Quartum sumitur ex cap. *Qualis* 30. q. 5., ubi ex S. Leone pœnitentia Adulteræ per scripturam exhibita recipi præcipitur.

A Quintum ex Sancto Gregorio VII., qui Episcopo Lincolniensi per litteras confesso absolutionem non denegavit — Absolu„ tionem peccatorum tuorum, sicut rogasti, „ auctoritate Principum Apostolorum Petri, „ & Pauli fulti, quorum vice, quamvis in„ dignè fungimur, tibi mittere dignum du„ ximus, si tamen bonis operibus inhærendo, „ do, & commissos excessus, plangendo „ quantum valueris, corporis tui habitacu„ lum Deo mundum templum exhibueris — Sic legitur *Epist. lib. 1. Epist. 34.*

Alexander III. sexto loco affertur, qui S. Thomam Cantuariensem a peccato specialiter per Epistolam clavibus exposito ab**B**solvit. Mitiùs namque se gesserat in tuenda Ecclesiæ libertate contra Henricum II. Angliæ Regem — Nos de Beatorum Petri, „ & Pauli Apostolorum meritis confidentes, „ te ab eo, quod commissum est, absol„ vimus —

RESP. Hujusmodi exempla a proposito non removent; hinc ad singula devenien do; ad primum meritò respondetur Serapionem ab Idololatriæ crimine per absentem Sacerdotem sacramentaliter non fuisse absolutum; constat namque ex ipso S. Dionysio canonicam fuisse relaxationem, cum dicit à nemine fuisse absolutum — Hic sæpenu**C**„ mero in Ecclesiâ denuò recipi supplex „ postulabat, sed nemo, quia Idolis sacri„ ficasset, ejus postulatum aliquando au„ scultavit — Absolutio, quæ solum recipiebatur in Ecclesia canonica dicitur. Potuit itaque eo tempore, quo se gravissimâ afflictabatur pœnitentia, secretam, sacramentalemque suscepisse absolutionem; quod clarescet, ex quo Sacerdos de hac relaxatione nullimodè meminerit; justum quippe erat, si absentem absolvisset senem, per puerum, qui sacram deferebat Eucharistiam, de hoc admonere. Dicas, si velis, Serapionem peccatorum remissionem contritione, **D** cum voto Sacramenti consecutum fuisse; hæc utique sufficiens erat in extrema necessitate constituto. Veræ contritionis efficax argumentum Sacerdoti innotuerat tum ex durissimis laboribus, quos pro peccatis subierat senex, tum ex ardenti affectu, quo Sacerdotem exaraverat advocare, in quo et Sacramenti votum elucet. Acerbitate morbi triduo obmutuit, quarto demum Nepotem accersit, ipsum interpellavit — Prope„ rate obsecro, & me ocyus dimittite. „ Aliquem ex Presbyteris advoca ad me —

Serapionis canonica absolutio.

Exemplum secundo loco allatum nullam vim habet. Siquidem S. Martyr impo**E**tentes ad ipsum accedere non sanè absolvebat, sed misericorditer indulgebat, ut ad Ministros suos accederent, atque ab ipsis absolverentur. Cæterum laudatum Martyrem non jam de sacramentali, sed de canonica absolutione loqui dubio-procul est, in ea namque concessione vult, quod absente Sacerdote absolvat Diaconus; Porrò nusquam Pœnitentiæ Sacramentum ministrasse Diaconum pro comperto est — Si qui „ infirmitatis periculo occupati fuerint, „ non expectent præsentiam nostram, quin „ ad Presbyterum quemcumque, vel si „ Presbyter repertus non fuerit, & urgere

Diaconus non est Pœnitentiæ Minister.

„ exi-

„ exitus cœperit, apud Diaconum quoque „ Exomologesim facere delicti sui possit — Hæc omnia non jam sacramentalem, sed canonicam sonant condonationem.

Concilii Duziacensis Patres Roberto sacramentalem absolutionem non impenderunt: Nam confessio ab ipso facta non specifica, ut Sacramentum exigit, sed generalis fuit, & contra communem Ecclesiæ disciplinam absolutio a pluribus fuisse collata, & aliàs Patres solummodò deprecatoriè absolverunt — Virtute Sancti Spiritus, qui est remissio omnium „ peccatorum, dimittat tibi omnia peccata „ tua, liberet te ab omni malo, conservet „ in omni bono, & perducat te ad vitam „ æternam, & ad Sanctorum consortium — Dixerat quidem Episcopus misericordiam exoptare, ne duceretur ad tartara; verùm hujusmodi est pius timoratorum affectus, & de sua salute solicita trepidatio. Quod verò Patres & remissivam potestatem a Domino donatam laudaverint, & eidem inniti absolverint, id ex spe ortum esse videtur, quod Deus eorum preces esset exauditurus, cum tanquam Ministri ad peccata remittenda constituti Dominum sint deprecati: Hinc eo dicendi modo postulantem consolari voluerunt. Ad Roberti quoque fidem respexerunt Patres, & secundùm hanc Deum sua dona ipsi daturum crediderunt; undè præmiserunt — Ex in se fide„ liter credenti dixit (supple Christus) „ fiat tibi secundum fidem tuam — Si quis autem assereret eam absolutionem fuisse canonicam, a veritate non aberraret.

Absolutio deprecatoria non est sacramentalis.

Quartum exemplum ex canone desumptum absolutioni in absentem non favet. Illa pœnitentia, de qua ibi sermo est, non est erga Deum, sed erga Maritum, non sacramentalis, sed civilis, testificatio videlicet mulieris resipiscentiæ, atque certum futuræ fidelitatis testimonium affatentis: Sacramentalem non esse absolutionem capitis inscriptio palam facit — In contra„ hendo conjugio ista sunt observanda — In fine postmodum capitis de Adultera legitur — Et si fornicata fuerit, dimittenda, „ sed illa vivente altera non ducenda; „ quia Adulteri Regnum Dei non possidebunt; & pœnitentia illius per scripturam „ recipienda — Hoc relatè ad Maritum dictum esse patet.

Uxoris resipiscentia a Marito acceptanda.

Gregorius VII. absolutionem per modum Indulgentiæ Episcopo Lincolniensi largitus est. Invaluerat quippe consuetudo hujusmodi apud Romanos Pontifices; Hujus rei exemplum ex ipsomet Gregorio VII. habes, hic Alphonso Hispaniarum Regi absolutionem concessit, nec soli, sed etiam subditis, qui nec illam postulaverant, nec certè Pontifici fuerant confessi; *Epist. lib. 8. Epist.* 2. hæc leguntur — Omnipotens Deus „ omnium rerum Creator, & rector, om„ nium dignitatum ineffabilis dispensator „ auctoritate Beatorum Apostolorum Petri, „ & Pauli nobis licèt indignis per eos qua„ licunque commissa, te, tuosque fideles in „ Christo ab omnibus peccatis absolvat &c.— Nec aliter sentiendum esse res ipsa ostendit. Num Lincolni Sacerdotes deerant, a quibus Episcopus sacramentaliter absolveretur? Num contra jus divinum generalis sufficiebat peccatorum confessio? Verùm quid ultra? Ex Pontificio rescripto planè eruitur ipsum de Indulgentia locutum fuisse: dum enim dicit — Et commissos excessus plan„ gendo quantum valueris — Declarat ad obtinendam Indulgentiam sacramentalem confessionem præcedere debuisse. Nemo siquidem excessus suos, sicut valet, plangere dicitur, nisi suo Sacerdoti confiteatur.

Indulgentia per modum absolutionis.

Factum S.Thomæ pro re nata deservit. Alexander namque præcepit Archiepiscopo ut præsenti Sacerdoti sacramentaliter confiteretur — Si igitur aliquid te recolis com„ misisse, de quo propria te debeat con„ scientia remordere, quidquid sit, Sa„ cerdoti, qui discretus, & providus ha„ beatur, tibi consulimus per pœnitentiam „ confiteri — His posterioribus verbis declaravit per sacramentalem exomologesim de præsenti factam dimitti peccatum quoad culpam. Ex propter meritò asserimus Pontificem unicè Sanctum Thomam absolvisse a censuris: Timuerat namque Archiepiscopus in eas incidisse omissione validioris resistentiæ adversus Regem contra Ecclesiæ jura agentem. Hanc eandem particularem confessionem ab Hincmaro Archiepiscopo Rhemensi injunctam legimus Hildeboldo Episcopo Suessionensi — Præter istam gene„ ralem confessionem; quæ ab ineunte æta„ te usque ad horam, in qua nunc degis, „ te commisisse cognoscis, specialiter, ac „ singulatim Deo, & Sacerdoti satagas con„ fiteri —

Post canonicã sacramentalis præcipitur absolutio.

51 OBJIC. II. Pœnitentiæ Sacramentum rationem habet judicii; hoc porrò subsistit, nisi sententia in absentem lata sit, ut in foro civili quotidiana docet experientia: ergo.

RESP. Pœnitentia habet quidem rationem judicii, sed insimul est Sacramentum, de cujus essentia est determinata forma, & materia ad legem Instituentis, ut scilicet reus sit sui accusator, & testis, Judex quoque determinatis, atque demonstrativis verbis ferat sententiam: Hæc porrò servari nequeunt nisi Judicis, reique præsentia intercedat; secus accidit in civili foro, in quo altercantium, seu reorum momenta ab alio afferuntur; eaque propter rei præsentia necessariò non desideratur, nec determinatis verbis sententia est alligata, aut in Judice certitudo requiritur de bona, vel mala delinquentis dispositione, unde etiam in invitum datur sententia, quod sanè in nostro casu nequaquam approbari potest.

Pœnitentia est judicium, sed sacramentale.

52 OBJIC. III. Pœnitentiæ Sacramentum cum Matrimonio apprimè convenit; in utroque enim humani actus rationem habent materiæ; atqui Matrimonium inter absentes contrahitur: ergo & Pœnitentiæ Sacramentum in absentes subsistet.

RESP. Tota analogia inter duo hæc Sacramenta circa materialem partem versatur; ut scilicet humani actus in utroque pro materia exigantur; ex quo fit, ad confessionem nutus, scripturam, interpretes sufficere posse, sicut in Matrimonio; Ce-

Analogia Pœnitentiam inter, & Matrimonium.

torum

terum ratione formæ toto distant cœlo. Pœnitentia formam postulat demonstrativam, sicut alia quoque Sacramenta, proindeque mutuam confitentis, & absolventis præsentiam; actus humani in hoc Sacramento esse debent reconciliativi, atque necesse est Sacerdotem certificari de ipsis; hanc certitudinem habere nequit, nisi adsit absolvendus, qui & peccata confiteatur, & de illis det signa doloris, qui ad completam absolutionem perseveret: Si verò absens sit Pœnitens, quæ certitudo haberi poterit, cum hominis voluntas tot subsit mutationibus?

53 OB. IV. Propugnant Doctores valere absolutionem datam viro ab hostibus impedito, ne loquatur, qui aliàs per scripturam confessionem fecit Sacerdoti præsentialiter absolventi; atqui hujusmodi confessio æquivalet factæ absenti: ergo.

Dispositio innotescere debet. RESP. Absolutio eo in discrimine non valet, nisi de præsenti absolvendus indicet per verba sive formalia, sive æquivalentia se esse dispositum; Quare non est paritas cum absolutione inter absentes.

54 OB. V. Affirmant nonnulli I. valere absolutionem ad passus viginti collatam; proindeque valebit ad quamcumque distantiam, cum major, vel minor sit materialis. II. Absolutio valida censetur, si pro *Absolvo Te*, dicatur *Absolvo v. g. Petrum*; propositiones namque æquivalentes sunt; atqui hujusmodi forma inter absentes verificari potest: ergo. III. Ad veritatem absolutionis sufficit moralis præsentia; sed corpore absens ex confessione per litteras facta fit moraliter præsens: ergo. IV. Concilium Basileense Sacramentum Pœnitentiæ inter absentes validum censuit. V. Ecclesia praxim hujusmodi, quam aliqui dicunt apud Fideles inter Hæreticos conviventes adesse, non reprobat: ergo.

RESP. Adducta nullius momenti sunt. I. Quia Auctores putant distantiam illam non tollere realem præsentiam, qua homine modo demonstrativa locutio verificari potest, dum exprimitur particula *Te*; a simili de hostiæ aliqualiter distantis consecratione; *Distantia, quæ impedit absolutionem.* Verùm hac de re certa assignari regula nequit, sed prudentiâ opus est; illud pro comperto sit illam requiri propinquitatem, secundùm quam duorum simul colloquentium conversatio subsistat. Secundum non urget; illæ siquidem locutiones non sunt æquipollentes, sed satis diversæ; & secunda non valet. Ad III. Falsum plenè est per Epistolam absolvendum constitui præsentem moraliter; Non enim Sacerdos, & Pœnitens mutuò colloqui possunt. Ad IV. Nihil illa Synodus definivit, utvis quidem ex Patribus illam propugnare viderentur sententiam, hinc post primas sessiones illegitima judicata est. Nec ultimum quidquam evincit, cum absque sufficienti testimonio praxis illa asseratur, & aliàs si quæ adsit consuetudo, sæpius ab Ecclesia reprobata fuit.

* * * * *

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN MANUS IMPOSITIO SIT DE NECESSITATE SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

55 Circa manuum impositionem in absolutione adhibendam duplex extitit error, primus principem habuit Wiclephum, qui sacram in pœnitentium reconciliatione cæremoniam, manus super eorum capita imponendi damnabilem dixit *lib. 4. Trialogi cap. 24. apud N. Waldensem cap. 147.* „ Luciferna foret præ„ sumptio hominis adinvenire noviter, qui „ hunc, vel illum per impositionem ma„ nuum capiti absolvunt simpliciter a pec„ cato „ Ritum hunc non esse Luciferum *Wiclephi error.* satis evincit doctissimus Waldensis figurativo exemplo *Levit. 16.*, ubi Aaron Sacerdos Summus confitens peccata, universaque filiorum Israel delicta jussus est utramque ponere manum super caput Hirci Emissarii, atque imprecans capiti ejus in desertum emittere. Hircus peccatoris figuram gerebat, qui dum Sacerdotis manibus subditur, flens, & dolens a peccato mundatur. Alia prodit exempla, sed non est hujus loci sacram hanc propugnare ceremoniam.

56 Alium finxit errorem innominatus quidam Theologus a S. Thoma *Opusc. 22. c. 4.* relatus; intendebat namque manus impositionem esse de necessitate Sacramenti; Porrò manus impositio dupliciter censeri potest de necessitate, videlicet vel ut valeat, vel ut licitè fiat. In primo sensu ab Auctore defenditur.

57 Dicendum tamen est manus impositionem non esse de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ. PROB. I. Christus essentialia tradens Sacramenti Pœnitentiæ de manuum impositione nullam fecit mentionem Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: Matth. 16. *Quodcumque solveris super Terram, erit solutum & in Cœlis*; & alibi; atqui si necessaria esset, defecisset, quod nefas est excogitare, in Ecclesiæ instructione: ergo. *Christus Ecclesiam instruxit.* II. Apostoli Sacramenta referentes, in quibus manuum impositio requiritur, de ea meminerunt, ut videre est Act. 8. de Confirmatione: *Imponebant manus super eos, & accipiebant Spiritum Sanctum*; de Ordine 2. ad Timoth. 1. *Ut resuscites gratiam Dei, quæ est in Te per impositionem manuum mearum*; atqui sacrum reconciliationis ministerium referentes, manuum impositionem omiserunt: ergo. III. Concilia Sacramentorum naturam explicantes nullatenus hujusmodi manuum impositionem exposcunt, ut legere est in Florentino in Instructione Armenorum, & in Tridentino *Sess. 24.* impium autem est dicere Concilia in Spiritu Sancto congregata integram non tradidisse Sacramentorum naturam: ergo. IV. Juxta Augustini regulam stultissimum est credere universalem Ecclesiam errare; atqui universalis Ecclesiæ consuetudo manuum impositionem prætermittit.

mittit : argo. V. Sacramentum hoc a Domino præ cæteris institutum fuit paucioribus alligatum ceremoniis, sive ob summam ejusdem necessitatem, sive ob ejusdem frequentiam; talia porrò satis innuunt manuum impositionem non esse de necessitate Sacramenti, nec etiam præcepti: Non rarò etenim evenit, ut absolvendus sit pœnitens distans a Sacerdote, ut in bellicis concertationibus, in naufragiis, grassante vulgari lue: ergo.

Pœnitentiæ Sacramentū non confert gratiæ plenitudinem.

58 PROB. II. Ex D.Thoma 3. *p. q.*84. *art.* 4. — Dicendum, quod impositio manuum in Sacramentis Ecclesiæ fit ad designandum aliquem copiosum gratiæ effectum: quo illi, quibus manus imponuntur quodammodo per quandam similitudinem continuantur Ministris, in quibus copia gratiæ esse debet. Et ideo manus impositio fit in Sacramento Confirmationis, in quo confertur plenitudo Spiritus Sancti . . . Sacramentum autem Pœnitentiæ non ordinatur ad consequendam aliquam excellentiam gratiæ, sed ad remotionem peccatorum: & ideo ad hoc Sacramentum non requiritur manuum impositio, sicut etiam nec ad Baptismum: in quo tamen fit plenior remissio peccatorum — Ergo manus impositio nullatenus dicenda est de necessitate hujus Sacramenti.

§. II.

REFELLUNTUR OPPOSITA ARGUMENTA.

59 OBJIC. I. Christus Pœnitentiæ Sacramentum instituens dixit Jo.20. *Accipite Spiritum Sanctum &c.*; atqui Spiritus Sanctus per manuum impositionem confertur, Act. 8. ergo. II. Marc. 16. Discipulis dixit Christus: *Super ægros manus imponent, & bene habebunt*; sed peccatores sunt ægri spiritualiter sanandi: ergo super illos manuum impositio necessaria est. III. Matth. 19. de Christo legitur: *Oblati sunt parvuli, ut eis manus imponeret*; sed in istis parvulis peccatores designantur, vel quia peccando pueriliter egerunt, vel quia per peccatum coram Deo minimi censentur, vel demum quia contritione humiliati: ergo. IV. Quod Sacramentum denominat, de ejusdem necessitate est: ea propter aqua abluens necessaria in Baptismo jure censetur, quia ablutionis, & lavacri Sacramentum nuncupatur; atqui Pœnitentiæ Sacramentum manus impositio asseritur ab Augustino *lib.* 3. *de Baptis. cap.* 6. — Manus impositio, non sicut Baptismus repeti non potest — V. Pœnitentiæ Sacramentum est ministerium reconciliationis; sed pœnitentium reconciliatio fit manuum impositione, ut perpetuò docent Sacri Canones, & praxis traditione habita ex Niceno I. *cap.*9., ex Concilio Carthaginensi 3. *cap.* 32., *&* 4. *cap.* 76. Denique Crucis signum manus impositioni æquivalet, sicut exemplo Confirmationis apparet; atqui in Pœnitentia necessarium videtur Crucis signum, tum quia universalis Ecclesiæ usu adhibetur, tum quia illo ministerialis actio Sacerdotis absolventis exprimitur, unde & jure, & meritò dixit Augustinus *Serm.* 19. *de Annunciatione* — Hujus Crucis mysterio, & universaliter omnia Ecclesiastica Sacramenta in hujus virtute perficiuntur — Et Stephanus VI. in Epist. ad Episcopos Orientales — Per venerandam Crucem omnia dona Sacerdotalis ministerii perficiuntur —

Manus impositio in Confirmatione.

RESP. Omnia argumentorum tela in unum collecta vim non habent catholicam infringendi veritatem. Hinc ad I. Dum a Christo peracta *Joan.* 20. leguntur. Instituit Pœnitentiæ Sacramentum, atque Sacerdotibus completam peccatorum remissivam potestatem, quam radicaliter in sacra contulerat Ordinatione, largitus est: Ad neutrum tamen manuum impositione usus est. Manus impositio, de qua *Act.* 8., Sancti Spiritus collativa est Confirmationis Sacramentum per majores Sacerdotes conferendum, adeoque ibidem de Pœnitentia mentio nulla. Ad II. Christus laudato loco de signis ab iis, qui fidem habebunt, faciendis loquitur; ea propter nihil ibi de reconciliativa manuum impositione, immò neque talia prodigia ad Ecclesiæ Ministros determinavit, sed indefinitè ad omnes Credentes: Constat autem hoc de Sacramento reconciliationis nequaquam verificari posse. Ad III. Manus illa impositio ad Pœnitentiæ Sacramentum frustra extenditur;

Mos benedicendi parvulos apud Hebræos.

Parvulis namque impendi non consuevit, sed ad illos juxta Hebræorum morem benedicendos peragebatur; nec in parvulis signantur peccatores, sed potius simplices, & innocentes. Ad IV. Intrinseca denominatio necessitatem arguit, secus extrinseca, & Augustini temporibus hujusmodi Sacramentum a manuum impositione ampliativè dicebatur,

Pœnitentia cur dicatur manuum impositio.

quatenus ceremonia publicè absolvendi Pœnitentes ad secretam absolutionem propter particularem Africanæ Ecclesiæ usum applicabatur. Ad V. Canones ibi relati de solemni, & publica reconciliatione (sive simul sacramentalis interveniret, sive non) agunt; in cujus rei evidens signum, in casu necessitatis, seu mortis Eucharistia concedebatur, sed non illa reconciliatio, ac proinde tunc

Publica reconciliatio per manuum impositionem.

sola secreta, sine qua non licebat sacram Synaxim sumere, conferebatur. Si qui alii Canones afferantur, extensivè intelligendi sunt, ex primæva disciplina publicè absolvendi Pœnitentes per manuum impositionem. Quod de Crucis signo additur, falsum est quoad utrumque, & quod extensioni manuum æquivaleat, & quod sit necessarium sive de necessitate Sacramenti, sive præcepti: Pro libito namque a Sacerdote adhibetur, & absque illo benè percipitur, & ministerialis actio absolventis distinguitur. Augustinus, & Stephanus verum dicunt, ad eum nempe sensum omnia Sacramenta ex virtute, & meritis Crucis Christi, quam transiens Crucis signum repræsentat, dum in actionum, Ecclesiasticarumque ceremoniarum exercitio formatur, perfici, & operari; sed ex hoc nequaquam evincitur ipsum in Sacramento reconciliationis necessarium.

DISPU-

DISPUTATIO QUARTA.

DE NECESSITATE SACRAMENTI POENITENTIÆ, EJUSQUE INSTITUTORE.

CONTROVERSIA I.

§. I.

AN LAPSIS PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM SIT DE NECESSITATE MEDII.

1 CAthari non jam illi, qui primis Ecclesiæ Seculis Catholicæ Fidei bella moverunt, sed ii potius, qui & Patareni (taliter se nominabant velut expositi passioni pro fide) dicebantur, atque ejusdem furfuris erant ac Arnaldistæ, Speronistæ, aliique, qui Insubriam, aliasque Italiæ partes longè, latèque fœdaverunt, malè audierunt, alios inter errores, de Pœnitentiæ Sacramento; Nam errore 2. dicebant omnia Sacramenta Ecclesiæ nihil ad salutem prodesse, errore 15. per pœnitentiam nec gloriam augeri, nec inferni pœnas minui, demum errore 18. de peccatis non esse dolendum; talia leguntur in Cathalogo, quem refert Turrecremata *de Ecclesia lib.4. p. 2. cap.* 35. apud ipsum Cathari Patareni, vel Paterini tres in sectas dividuntur, quarum prima erat Albanensium, Concorrezensium, seu Cozorensium secunda, tertia Bagnolensium, seu Bajolensium: Hos scriptis insectatus est V. P. Moneta Ord. Prædic. 1 Hæreticos hujuscemodi in Parisiensi colloquio imitati sunt Calviniani Ministri in articulis de Baptismo, ubi *art.* 12. affirmarunt nostra Sacramenta nihil aliud esse nisi pura signa, & *art.* 24 ipsa non esse ad salutem necessaria.

Catharorum errores.

2 Duplex a Doctoribus afferitur necessitas, altera, quam vocant, medii, eaque est, quæ nullimodè dispensationem patitur propter essentialem medii ad finem colligationem. Hujusmodi est actualis, vel habitualis fidei necessitas, de qua dicit Apostolus ad Hebr. 11. *Sine fide autem impossibile est placere Deo*; Præcepti altera ea nempe, quæ pro tempore est fini alligata, absolutè tamen, & in aliqua rerum circumstantia capax est dispensationis; de hac loquitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*; mandatum namque, si positivum est, potest absque crimine non adimpleri, vel quia ejus materia non occurrat, vel quia de eo fiat dispensatio, vel quia invincibiliter ignoratur. Medium insuper essentialiter connexum fini, qui vita æterna est, usurpari potest, vel determinatè in re, vel determinatè in voto, vel disjunctivè, in re, vel in voto; similiter necessarium esse potest nulla facta suppositione, seu simpliciter, ut cibus ad vitæ sustentationem; sive ex suppositione aliqua, ut ad pellendos morbos medicina. Quærimus in præsenti de essentiali necessitate disjunctivè vel in re, vel in voto, & de necessitate ex suppositione. Ad plenam hujus resolutionem apprimè faciunt, quæ ad auriculari confessione dicuntur, ideò paucis rem totam perstringimus.

Necessitas duplex.

3 Dicendum Lapsis Pœnitentiæ Sacramentum vel in re, vel in voto necessarium necessitate medii. Ostenditur I. Nemo clausum ingredi potest cubiculum, nisi medio usu clavis, vel instrumenti aperientis; atqui Pœnitentiæ Sacramentum peccanti mortaliter clavis est Regni Cœlorum per culpam, & pœnæ reatum clausi: Matth. 16. *Tibi dabo claves Regni Cælorum, & quodcumque solveris super terram, erit solutum & in Cælis*: ergo sine aliquo ipsius usu reserari nequit; adeoque hujusmodi Sacramentum necessarium est necessitate medii.

Pœnitentiæ Sacramentū reserat Regnum Cælorum.

4 PROB. II. Quoties in aliqua benè ordinata Republica Princeps certum, determinatumque pro dirimendis litibus instituit Tribunal, toties secundùm jus ordinarium non vult nisi dependenter ab eo Tribunali dirimi lites; atqui in Ecclesia, in qua ordo summè elucet, Christus pro peccatis dirimendis Pœnitentiæ Sacramentum deputavit, Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*: ergo absque hujus Sacramenti virtute nullimodè auferri potest peccatum.

Per pœnitentiā remittuntur peccata.

5 PROB. III. Quandiù non relaxantur crimina, nequaquam salus habetur; atqui sine Sacramenti Pœnitentiæ usu crimina non relaxantur; sublatâ enim ejusdem efficaciâ, seu non habita in re, aut in voto absolutione retinentur, dicente Christo Matth. 16. *Quodcunque ligaveris super Terram, erunt ligata & in Cælis*, & Jo. 20. *Quorum retinueritis peccata, retenta sunt*. Porrò retinentur peccata, sive ligatur Pœnitens, si non absolvatur: ergo.

Sine pœnitentia crimina non relaxantur.

6 PROB. IV. Sicut Baptismus ad delendum peccatum originis fuit institutus. Jo. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei*, ita Pœnitentiæ Sacramentum adversus personale delictum legitur ordinatum, Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*: Baptismi præceptum dedit Dominus Matth. ult. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris &c.*, illud verò pœnitentiæ Luc. ult. *Oportet prædicare pœnitentiam in remissionem peccatorum*, & 2. Corinth. 5. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*: atqui nemo nisi Baptismi virtute in re, vel in

Baptismus, & Pœnitentia comparatur.

voto

voto suscepti ab originali noxa mundatur: ergo nullus similiter, nisi per Pœnitentiæ Sacramentum in re, vel in voto a personalibus delictis curari poterit.

7 PROB. V. Dum Matth. ult. dicitur. *Data est mihi omnis potestas in Cælo, & in Terra*, universalis intelligitur propositio, negativum sensum faciens; videlicet, Pater sine me nihil agit: pari ergo ratione, dum Matth. 18. legitur: *Quæcunque ligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cælis*, eundem negativum sensum reddere meritò censendum est, ut neminem Deus solvat a peccatorum vinculis sine sacerdotali ministerio vel in re exercito, vel a pœnitente exoptato.

Deus quo pacto remittat delicta.

8 PROB. VI. Ut Peccator spiritualem consequatur salutem, opus planè est, ut ab ipso auferatur peccatum; hoc namque cum consummatum fuerit, generat mortem; atqui nullimodè queit auferri, nisi virtute Passionis Christi per medium ab ipso præordinatum applicatâ; atqui medium ab ipso præordinatum non aliud sanè est, nisi Pœnitentia, quæ est medicinale Sacramentum personalia criminum vulnera sanans: ergo. Quare egregiè dicebat S. Leo *Epist.* 91. -- „ Multiplex Misericordia Dei ita lapsibus „ subvenit humanis, ut non solùm per Baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ „ medicinam spes vitæ reparetur æternæ, „ ut qui regenerationis donum violassent, „ proprio se judicio condemnantes ad remissionem criminum pervenirent, sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut indulgentia Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat obtineri -- Hæc autem supplicatio sacramentalis absolutio est.

Passio Christi per Sacramenta applicatur.

9 Adductis momentis non leve pondus afferunt Patres, qui perpetui sunt in adstruenda Sacramenti hujus necessitate. Plurimis, brevitatis gratiâ, missis aliquos tantummodo seligimus. S. Basilius in Regulis brevioribus ad Interrogationem 288. habet -- Ne„ cessariò iis peccata aperiri debent, qui„ bus credita est mysteriorum dispensatio -- S. Hieronymus *in cap. 10. Ecclesiastis.* -- Si „ quem serpens Diabolus occultè momor„ derit, & nullo conscio, peccati ve„ neno infecerit; si tacuerit, qui percus„ sus est, & non egerit pœnitentiam, nec „ vulnus suum fratri, & magistro voluerit „ confiteri, magister, qui linguam habet „ ad curandum, facilè ei prodesse non po„ terit: Si enim erubescat ægrotus vulnus „ Medico confiteri, quod ignorat, medi„ cina non curat -- S. Augustinus *Hom.* 49. „ 50. -- Qui post uxores vestras vos illicito „ concubitu maculastis, & præter uxores ve„ stras cum aliqua concubuistis; agite pœ„ nitentiam, qualis agitur in Ecclesia, ut „ oret pro vobis Ecclesia. Nemo sibi dicat, „ occultè ago, apud Deum ago; novit „ Deus, qui mihi ignoscit, quia in corde meo „ ago: ergo sine causa dictum est; Quæ „ solveritis in Terra, soluta erunt in Cœ„ lo? ergo sine causa sunt claves datæ Ec„ clesiæ Dei? Frustramus Evangelium; „ frustramus verba Christi? Promittimus „ vobis, quod ille negat -- Idem habet *Epist.* 180.

Necessitas ex Patribus.

§. II.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA OBTRUDUNTUR.

10 OBJIC. I. Cum Apostolus dicat 2. ad Corinth. 5. vers. 20. *Pro Christo ergo legatione fungimur*, novi Testamenti Sacerdotes non nisi delegati Judicis personam gerere possunt; atqui a Judice delegato non est necessariò expectanda sententia; cum a delegante ipsa haberi possit: ergo nec Pœnitentiæ Sacramentum, quod a Judice delegato exercetur, necessarium omnimodè censendum est.

RESP. Sacerdotes Delegatorum vices sub Deo, ad Deique efficientiam relati sustinere dicuntur; quemadmodum causæ secundæ ad primam comparatæ instrumenta reputantur; Cæterum si ad Ecclesiam referantur, Ministri, atque ordinarii Judicis munus exercent, eodem Apostolo prædicante Act. 20. *Quos posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; & 1. Petri 5. *Pascite, qui in vobis est, gregem*.

Sacerdotes Judices.

11 OBJIC. II. Quandoquidem, ut n. 4. dictum est, analoga est Ecclesia humanæ Reipublicæ, in qua cum liberum est immediatè Principem adire, eique causam dicere, atque delicti solutionem obtinere, poterit æquo jure Peccator soli Deo crimina sua plangere, atque absque ulla alligatione ad Sacerdotale judicium in favorem rei a Domino constitutum remissionem consequi: ergo.

RESP. Utique in favorem rei pœnitentiale judicium constituit Christus, sed cum ad reparandum divinum jus læsum per peccatum suos Vicarios Sacerdotes reliquerit, per quos visibiliter suas gubernat oves, quæ intra visibilem Ecclesiam peccando errant, non nisi per visibiles Pastores ad ovile revocandas statuit; Neque in humanis jure ordinario, nisi per Judices a Principe constitutos reorum causæ dissolvuntur. Princeps quandoque immediatè reos subaudit, sed tunc planè cum iniquitas, & injustitia Ministros excæcaverint, nec dispari ratione absque actuali Sacramento contritis peccata dimittit Deus, si aut Sacerdos injustè criminis relaxationem denegat, aut Confessarii copia desit.

Peccatum per Sacer-[illegible] relaxat Deus.

12 OBJIC. III. Esto per Sacramentum expientur venialia, eorumque Judices sint Sacerdotes, non inde hujus Sacramenti evincitur necessitas: Poterit ergo consimiliter lethalia dimittere, & lethalia judicare Sacerdos, quin inde stricti juris necessitas inferatur sacramentalia virtutis ad eorundem expiationem.

RESP. Venialia censemus quidem sufficientem Sacramenti Pœnitentiæ materiam, sed liberam, ea quippe absolutè Cœlum non claudunt; Lethalia verò, sicut absolutè ad cœlestem Patriam aditum obserant, ita quoad remissionem ab usu clavium necessariò dependent; scriptum namque est: *Quæcunque solveris super Terram, erunt soluta & in Cœlis*.

Discrimen veniale inter, & mortale.

13 OB. IV. Lex Christi suavis, antiqua verò importabilis in Scripturis nuncupatur; eaque propter ad hujus legis sectatores dixit Christus: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos*: ergo si suavis lex Christi est, quonam pacto arctior erit salutis via, quæ sine Sacramento nequaquam consequi potest, cum in veteri lege, sola contritione obliteratis criminibus, illam quisque obtinere posset?

Facilis in lege gratiæ assecutio salutis.

RESP. Lex Christi suavis non aliunde censenda est, nisi a Charitate, quæ in novo Testamento abundat. Onerabat lex vetus servitutis jugo, neque vivificantem habebat spiritum, quo onus ad portandum leve fieret; Grave onus apud Veteres, arctiorque proinde via, quia peccatorum remissio non nisi per contritionem, quæ homini satis difficilis est, habebatur. Leve onus in lege gratiæ vel quia ad criminum purgationem sufficit cum Sacramento attritio, vel quia abundantiora ad contritionem collata auxilia.

14 OBJIC. V. Ex Patrum sententia Fideles peccatis se polluendo naufragium patiuntur, secundam proinde tabulam post naufragium Pœnitentiam dicunt; atqui per hoc Sacramenti necessitas excluditur; Nam sicut in corporali naufragio natantes propriis solummodo motibus sese a subversionis periculo eripiunt, ita in spirituali, nullo clavium usu intercedente, solis contritionis motibus, quoties libuerit, a naufragio emergent Peccatores.

Pœnitentia est naufragii tabula.

RESP. Conantur quidem natantes solis naturæ viribus naufragium evadere, verùm tabulam, cui innitantur, anxiè perquirunt; huc, illuque oculos convertunt, ut illam prospiciant, visamque quam libentissimè amplectuntur; unde habes contritionis motum ad salutem perducere, sed non absque respectu, & voto ad Sacramenti tabulam, quam amplecti tenetur Pœnitens, ubi Confessarii copia non desit.

15 PROB. VI. Charitatis operatio nullo habitu ad Sacramentum respectu crimina delet, utpotequæ ex suis intrinsecis ad Deum, quem tanquam finem ultimum respicit, convertitur. Quare Chrysostomus *Hom. 2. in cap. 2. Epist. ad Timotheum* ait -- „ Ubi charitas est, omnia sublata sunt ma„ la -- ergo.

Charitas cum ordine ad claves delet peccata.

RESP. Sicut ex Chrysostomo, *ubi charitas est, omnia sublata sunt mala*, ita ex cap. 10. Proverb *Universa delicta operit Charitas*. Videamus quid de hoc sentiat Sanctus Thomas 3. *p. quæst* 84. *art.* 5. *ad* 2., quod aptè Chrysostomi sententiæ convenire pro comperto erit -- Ex quo aliquis pecca„ tum incurrit, Charitas, Fides, & Mi„ sericordia non liberant hominem a pec„ cato sine pœnitentia: requirit enim Cha„ ritas, quod homo doleat de offensa in„ amicum commissa, & quod amico homo „ studeat satisfacere: requirit etiam ipsa„ fides, ut per virtutem Passionis Christi, „ quæ in Sacramentis Ecclesiæ operatur, „ quærat justificari a peccatis: requirit „ etiam & misericordia ordinata, ut homo „ subveniat periculo suæ miseriæ &c. -- En quo pacto charitas deleat peccata; dolendo nempe de offensa, atque per Sacramentum percipiendo fructum Passionis Christi. Non ergo sine ordine ad claves fit peccatorum remissio.

16 OBJIC. VII. Quia in criminalibus Judices de reis ferunt sententiam, ideo ad suum Tribunal ipsos cogunt accedere; atqui Sacerdotes hoc nequeunt: ergo.

Humanum Tribunal ad vindictam, divinum ad reconciliationem ordinatur.

RESP. Humanorum Judicum Tribunal coactivum, atque ad vindictam ordinatum est; Sacerdotum verò ad reconciliationem. Non cogit Peccatores Sacerdos, ut sibi sistant; quia contemptoribus duriùs sibi reservat judicium Deus. Unde non est in utroque par ratio.

17 OBJIC. VIII. Non minoris est efficaciæ vis gratiæ, quam naturæ; atqui hæc ex sua intrinseca virtute absque Medici, medicaminisque subsidio sanat vulnera, durissimosque pellit morbos: ergo.

Nullus sine medicina sanatur.

RESP. Nemo unus a lethalibus convalescit morbis absque aliquo exteriori adjutorio, quietis saltem, & dietæ; quibus interior naturæ virtus adversus infirmitatis vim corroboratur; Ceterum vel pauperes Medicos, & medicinas quærunt, & peroptant; usu tamen sæpè carent, paupertate cogente; Gratia verò & movet interiùs, exteriùsque ad Medicum quærendum, qui ut in plurimum in promptu est, impellit; quod si deesse contingat, sacramentalis medicina in voto a peccati vulnere sanat; ea propter spiritualis medicina in eo corporalem longè transcendit, quod illa etiam in re non applicata propter efficaciam Passionis Christi, per quam elevatur, ab ægroto infirmitatem pellit.

18 OBJIC. IX. & urget contra votum Pœnitentiæ. Scripturæ, Concilia, & Patres æqualem agnoscunt necessitatem in Baptismo, ac Pœnitentia; atqui lavacri Sacramentum in voto non salvat infantes: ergo neque Sacramentum reconciliationis in voto salvabit peccatores.

Votum adultis, non parvulis prodesse potest.

RESP. Parvulis, quibus lavacrum in re necessarium est, non est possibile votum: Hoc namque est actus liberi arbitrii, & rationis, cujus usu carent. Pœnitentia solummodo actualia delet crimina; hæc a parvulis perpetrari nequeunt, sed a solis adultis, qui adversus legem voluntariè moveri possunt, propterea ad legis reparationem, deletionemque culpæ propriis semper actibus moveri oportet; cumque aliquando contingat præstò non adesse Confessarium, tunc solo contritionis motu cum Pœnitentiæ voto fit peccatorum plena remissio.

CON-

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN SACRAMENTI PŒNITENTIÆ VOTUM DEBEAT ESSE FORMALE.

Justificatio sine Sacramēto in re suscepto.

19 CUm Ecclesia per Constitutiones Pii V., Gregorii XIII., & Uebani VIII. Michaelis Baï propositionem 71. proscripserit asserentem — Per contritionem etiam „ eum charitate perfecta, & cum voto suscipiendi Sacramentum conjunctam non „ remittitur crimen extra casum necessitatis, aut Martyrii sine actuali susceptione „ Sacramenti — Fit inde Saceamentum in re susceptum aliis etiam in casibus præter duos assignatos ad consequendam justificationem neutiquam necessarium esse, utvis suo tempore suscipiendum sit: Dicitur enim Ezech. 33. *Impietas impii non nocebit ei in quacunque die conversus fuerit ab impietate sua*. Et sanè, si possibile non foret hominem ante actualem Sacramenti susceptionem efficaciter ad Deum ultimum finem converti, adeoque justificari, jam impietas ejus ei noceret.

Sola contritio non justificat sine ordine ad claves.

20 Cumque pari anathemate Sixtus IV. & Complutense Concilium Præside Alphonso Toletano Petri Oxmensis assertionem reprobaverit conclusione 1. contentam -- Peccata „ mortalia quantum ad culpam, & pœnam „ alterius seculi delentur per solam cordis „ contritionem sine ordine ad claves -- Et aliam conclusione tertia expositam -- Pravæ „ cogitationes confiteri non debent, sed „ solâ displicentiâ delentur sine ordine ad „ claves -- Evincitur ad justificationem extra Sacramentum ordinem ad claves necessariò requiri, qui ordo a Doctoribus votum nuncupatur Sacramenti; quod duplex esse in aperto est; aliud nempe formale est, videlicet formalis actus, quo contritus Sacramentum a Domino in peccatorum remissionem institutum suscipere intendit; virtuale alterum, implicita scilicet intentio alio in actu præcontenta suscipiendi Sacramentum. Porrò quale ex his duobus votis sit necessarium in præsentiarum inquiritur.

21 Dicimus, formale votum per se necessarium esse in concursu ad justificationem, virtuale per accidens sufficere.

Votum implicitum per se non sufficit.

PROB. I. Contritio quoad substantiam accepta sub statu novæ legis implicitum votum importat; atqui contritioni hujusmodi Ecclesia justificationis vim non tribuit, sed ut conjunctum Sacramenti votum habet: ergo sentit votum formale per se necessarium esse ad justificationem. En Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. -- Etsi contritionem hanc „ aliquando charitatem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, „ priusquam hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine Sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse „ adscribendam -- Duo distinguit Concilium contritionem nempe, & votum, atque utrumque separat, nec contritioni secundum se justificandi munus defert, sed eidem cum Sacramenti voto. Idem clariùs præmisit in laudato capite -- Et in homine „ post Baptismum lapso ita demum præparat ad remissionem peccatorum, si cum „ fiducia divinæ misericordiæ, & voto præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad „ ritè suscipiendum hoc Sacramentum re„ quiruntur -- Hic dubio-procul de actu formali est sermo; Et sanè sicut fiducia divinæ misericordiæ formalis esse debet, ita & votum; eadem enim utroque casu locutio est.

Votum circa Pœnitentiam versari debet.

22 PROB. II. Votum, de quo multus sermo apud Patres, & Concilia, circa Pœnitentiæ Sacramentum ùt ad peccatorum remissionem institutum versari debet; eapropter Sacramentum ratione istius voti supra contritionem quasi reflectit, eique ad extrasacramentalem justificationem efficaciam confert; atqui virtuale votum pœnitentiam æquè, ac Sacramenta reliqua & præcepta respicit; Si quis namque sincerè de peccatis doleat, ad universam Christi legem observandam debet esse paratus: ergo.

Sine voto formali non datur plena subjectio ad Deum.

23 PROB. III. Votum ab Ecclesia exigitum Sacramentum respicit ùt reconciliativum, eandemque reconciliandi virtutem contritioni confert; quapropter naturam reconciliationis sapere, eique proportionari debet; Hæc porrò in eo, qui reconciliari peroptat, meditatum petit propositum, quo se offenso subjiciat, eligatque seriò exequi, quod ille decernit; sine formali voto hoc desideratur: ergo.

Pœnitentia agenda prout in Ecclesia agitur.

24 PROB. IV. Utvis in nova lege dilectionis actus virtualiter pœnitentiam contineat: Charitas enim operit multitudinem peccatorum; nihilo tamen minus, ùt justificetur Peccator, ad formalem pœnitentiam per se loquendo tenetur, cum pluries inclamet Scriptura pœnitentiam agite: Ergo etsi contritio virtualiter Sacramenti votum præcontineat, attamen Pœnitens Sacramentum illud formaliter velle, atque suscipere tenetur; cum non qualiscunque præcipiatur pœnitentia, sed *qualis in Ecclesia agitur*, ùt dicebat Augustinus n. 9. laudatus: Nemo autem ignorat hanc esse cum voto formali: ergo.

Fides explicita requiritur in iis, qui in Ecclesiam accedunt.

25 PROB. V. Quia scriptum legitur: *Qui non crediderit, condemnabitur*, post Evangelii promulgationem ad Ecclesiam sive primò veniens, sive ad eam revertens explicitam Christi fidem, unionemque cum Ecclesia per se velle debet: Ergo cum pariter scriptum sit: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, pœnitentem oportet velle se formaliter clavibus subjicere, nec per se sufficiens est implicitum votum ad Sacerdotale judicium; quia fides, & unio cum Ecclesia, sicut & Pœnitentiæ Sacramentum sunt de necessitate medii.

26 Dicta huc usque evincunt necessitatem per se voti formalis, nunc pars altera probanda superest, videlicet virtuale votum per accidens sufficere. Contingere potest pœnitentem ad obligationem suscipiendi

G 2 Sa-

Sacramentum non advertere, vel ex fori muneris ad contritionis actum, vel ex defectu sufficientis instructionis; atqui his in circumstantiis, divina dispensante misericordia, implicitum sufficit votum; eo planè modo quo, ut apud Doctores in aperto est, divinæ dilectionis actus absque formali peccatorum detestatione justificat, ubi taliter peccator in Dei dilectionem fertur, ut nullatenus ad formalis Pœnitentiæ præceptum advertat: ad rem nostram apprimè deservit, quod PP. Salmaticens. *Tract.* 17. *Disp.* 6. *Dub.* 1. §. 3. n. 79. propugnant, videlicet contingere posse pro hoc statu, ut fides implicita Christi sufficiat ad salutem, cum aliàs per se explicita sit necessaria, casu nempe quo Catechumeno unicè proponatur Deus ut Auctor, & finis supernaturalis, fidemque in ipso concipiat, illumque amore charitatis diligat, tunc justificabitur, æternamque consequetur salutem absque explicita Christi Fide. Ratio autem congruentiæ pro nostra firmanda assertione esse potest, quod gratia naturam ad modum ipsius proportionatum perficit; est autem juxta rationalis naturæ principia, quod si homo compos sit, sibique providere debeat, electivè, formalique actu ad eligenda media determinetur, quoties ad ea advertit, prævidetque; ubi verò ignorat, vel advertentia desit, interpretativè, & implicitè determinari dicitur, quando medium aliquod eligens, quod aptum credit, sibi meliori modo quo potest consulere censetur, quodcumque medium paratus assumere.

Voti implicitum sufficit per accidens.

§. II.

OPPOSITA MOTIVA REPELLUNTUR.

27 OBJIC. I. Votum in alio præcontentum, meritò censetur votum implicitum; atqui Sacramenti votum est votum in contritione præcontentum, cui ex Trident. *Sess.* 14. *cap.* 4. justificandi vis tribuitur -- Ipsam nihilominus „ reconciliationem ipsi Contritioni sine „ Sacramenti voto, quod in illa includi-„ tur, non esse adscribendam -- Ergo votum implicitum per se sufficiens esse dicendum est.

RESP. Includitur unum in alio dupliciter, virtualiter nempe, & formaliter. Quod virtualiter includitur, non importat quid ab includente virtute distinctum, nec illi aliquid superaddit; quod verò in alio formaliter includitur, quid in se distinctum, & superadditum explicat; Hoc pacto dicuntur partes in toto includi, terminique in propositione. Concilium de formali inclusione loquitur, ea propter in laudato capite prius dixerat -- Si cum fiducia Di-„ vinæ Misericordiæ, & voto præstandi „ reliqua &c. -- Contritionis igitur motus ad peccatorum remissionem præparat cum fiducia, & voto; fiducia actum distinctum superaddit contritioni: proinde etiam votum. Omnia clarescent, si attendatur contritionem ex suis essentialibus eandem esse esse in veteri, ac in nova lege; in illa porrò ordinem ad Claves neutiquam importare quis dicet.

Inclusio unius in alio duplex.

Votum a contritione distinguitur.

28 OBJIC. II. Sicut nondum renatis Baptismus, ita post ipsius susceptionem Lapsis Pœnitentia necessaria est; atqui in nondum renatis implicitum Baptismi votum sufficiens censetur a D. Th. 3. *p. quæst.* 69. *art.* 4. *ad* 2. -- Remissionem peccatorum „ aliquis consequitur ante Baptismum, se-„ cundùm quod habet Baptismum in voto „ vel implicitè, vel explicitè -- Ergo & implicitum votum pœnitentiæ effectum operabitur.

RESP. Lapsis pœnitentia necessaria est, ut laboriosus Baptismus; Hinc nil mirum plura in ipsa requiri, quam in Baptismo, videlicet formale votum a contritione distinctum, quod aliàs in pœnitentia est Sacramenti pars, in Baptismo solummodo est dispositio, quapropter, ut Lapsum extra Sacramentum justificet, debet saltem specialem ordinem ad claves importare. Disjunctiva porrò a D. Thoma commendata casum sive per se, sive per accidens comprehendit, a quo sensu nec nos recedimus etiam de reconciliationis Sacramento loquendo.

Plura in Baptismo, quam in Pœnitentia requiruntur.

29 OBJIC. III. & probatur nullum pœnitentiæ votum aut necessarium, aut ad justificationem sufficere. Quando Sacramentum non est medium determinatè in re necessarium, neque est votum ejusdem: Non enim votum est Sacramento efficacius; atqui Pœnitentia ut Sacramentum non est determinatè necessarium in re; ergo neque ejus votum in re, & explicitè.

RESP. Argumentum urgeret, si Sacramenti votum non esset loco Sacramenti substitutum. Contritio Lapsum justificans extrasacramentaliter illi subrogatur, supposita Sacramenti ut medii universalis, & necessarii institutione. Contritio, quæ materialis ejusdem pars jure censetur, justificandi vim non obtinet, nisi ut Sacramenti vices gerit: Hoc per ipsius Sacramenti votum sortitur, ac per consequens formale, & in re esse debet.

Contritio loco Sacramenti justificat.

30 OBJIC. IV. Contritioni tanquam ultimæ dispositioni justificans gratia conjungitur; sed hoc ipso æquivalet Sacramento; ergo Sacramenti votum necessarium nequaquam censeri debet.

RESP. Contritioni, ut ordinatæ ad Claves justificans conjungitur gratia, ad Claves autem non nisi per votum ordinatur. Potest enim contritio & secundùm sua essentialia considerari, & ut præscindit, seu ut est communis legi naturæ scriptæ, & gratiæ, demum ut propria statûs gratiæ: primo, & secundo modo intellecta, justificationis gratiam conjunctam habet, sed non jam virtute clavium etiam in voto, alio modo justificat, sed non aliter, quam vi voti, cum in materialem Sacramenti partem assumpta sit.

Contritio ad Claves per votum ordinatur.

31 OB. V. Ex ratione formale votum necessarium probatur, ut in Sacramenti effectum tribuat contritioni efficaciam; atqui hanc non tribuit: Etenim contritio etiam cum voto formali non justificat *ex opere operato*: ergo non erit tantæ necessitatis, sicut adstruitur.

RESP.

Digitized by Google

Contritio Sacramenti necessitatē supplet.

RESP. Necesse est, ut contritio efficaciam habeat supplendi Sacramenti necessitatem; hoc quippe medium est in lege gratiæ ad justificationem: Porrò ad hoc supplementum præstandum opus non est, ut justificationis gratiam *ex opere operato* producat; aliàs ea sola esset Sacramentum; sed satis est *ex opere operantis*; Retinet siquidem esse virtutis actus in ordine ad claves.

32 OBJIC. VI. Salutis consecutio sicut adimpletioni mandatorum Dei alligata est, ùt legitur Matth. 19. *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata*, ita Sacramento Pœnitentiæ justificatio; atqui votum servandi præcepta non justificat: ergo neque Pœnitentiæ votum.

Præcepta servitutem hominis ad Deum indicant.

RESP. Data sunt a Deo præcepta, ùt quædam onera in signum servitutis hominis ad Deum, & ùt quædam virtutum exercitia ad beatitudinem per modum coronæ consequendam conducentia, ea propter votum illa observandi non justificat, sed voluntatem circa mandatorum observantiam firmat: Sacramentum verò Pœnitentiæ institutum est, ùt remedium sanativum omnimodè post Baptismum Lapsis necessarium; Quoniam verò contingere potest, illius susceptionem in hominis arbitrio non esse, ipsius votum contritioni conjunctum misericors Deus substituit.

33 OBJIC. VII. Sicut scriptum est: *Qui non crediderit, condemnabitur*, ita *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; atqui votum fidei nullimodè sufficit ad salutem: ergo etiam in nullo casu pœnitentiæ votum sufficiet.

Fides radix totius ordinis gratiæ.

RESP. Verum itaque est Scripturas fidem velle necessariam, sicut èt pro delinquentibus pœnitentiam; attamen fides, cum totius ordinis gratiæ radix sit, & initium, nullum supernaturalem præsupponit actum, in quo ejusdem fidei votum possit contineri; Pœnitentia verò contritionem, in qua inclusa censeri potest, connotat, adeoque sufficiens erit ad justificationem, atque ad salutem.

CONTROVERSIA III.

§. I.

AN CHRISTUS SIT AUCTOR, ET INSTITUTOR SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

34 SEculo IX. Petrus de Osma, de quo plura Disp. II. Controvers. II., inter propositiones a Sixto IV. proscriptas nonam habet in ordine, videlicet -- Sacramentum Pœ„nitentiæ quantum ad collationem gratiæ „ Sacramentum naturæ est, non alicujus „ institutionis veteris, vel novi Testamen„ti -- Per quod satis pro comperto est Christum juxta hujus Auctoris sensum hoc Sacramentum non instituisse; Novatores clarius errorem suum explicare non abnuunt; Hos inter Kemnitius 2. p. *Examinis Trident. pag.* 935. primum Sacramenti auctorem facit Petrum Lombardum -- Quia „ Lombardus primùm ex Pœnitentia Sacra„ mentum fecerat, cœperunt postea Scho„ lastici quærere, quæ sit materia, & quæ „ forma &c. -- Verùm nil mirum, si nostri temporis Hæretici Sacramenti Pœnitentiæ institutorem Christum inficiantur, cum ferè omnes illud a Sacramentorum albo expungant.

35 Dico tamen, Sacramentum Pœnitentiæ immediatè a Christo institutum esse.

Minister non est institutor.

PROB. I. Simplex Sacramenti Minister nequit esse ejusdem institutor; atqui quilibet alius a Christo est simplex Sacramenti Pœnitentiæ Minister. 2. ad Corinth. 5. *Dedit nobis ministerium reconciliationis*, & universaliter 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo ùt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: ergo.

Sacramenta operantur in virtute Christi.

36 PROB. II. Ille Sacramenti auctor jure censendus est, in cujus virtute, & potestate Sacramentum operatur; sed in potestate, atque virtute Christi Pœnitentiæ Sacramentum operatur: Luc. 24. *Oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis die tertia, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum*: ergo. Consimili ratione utebatur Paulus ad revincendos Corinthios ipsum Baptismi auctorem non esse, 1. ad Corinth. 1. v. 13. *Nunquid in nomine Pauli baptizati estis?* Quod dicebat Sanctus Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 7. -- Forma Sa„ cramenti, & virtus ipsius totaliter est ex „ institutione Christi; ex cujus Passione „ procedit virtus Sacramentorum --

Ex potestate excellentiæ Sacramenta instituuntur.

37 PROB. III. Potestas instituendi Sacramenta est potestas excellentiæ; atqui solus Christus tali insignitus est potestate, ùt habetur ex Angelico *in* 4. *dist.* 17 *qu.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 5. -- Quia Ecclesia funda„ tur in fide, & Sacramentis, ideo ad „ Ministros Ecclesiæ, nec novos articulos „ fidei edere, aut editos removere, aut „ Sacramenta nova instituere, aut institu„ ta removere pertinet. Sed hoc est pote„ statis excellentiæ, quæ soli debetur Chri„ sto, qui est Ecclesiæ fundamentum -- Neque hujusmodi potestatem alicui creaturæ communicavit, ex quo evincitur Christum immediatum hujus Sacramenti institutorem fuisse, & sapientissimo quidem consilio hanc sibi reservavit; Etenim, ùt inquit laudatus Doctor 3. *p. q.* 64. *art.* 4. *ad* 1. -- Christus „ non ex invidia prætermisit potestatem ex„ cellentiæ Ecclesiæ Ministris communicare, „ sed propter Fidelium utilitatem ne in „ hominem spem ponerent -- Et sanè si ex sola Ministrorum in Sacramentis conferendis diversitate oriebatur Apostolorum temporibus inter Fideles divisio, dicentes: *Ego sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ*, quantò magis hoc evaniret, si diversi essent Sacramentorum auctores? Hinc meritò Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 1. dixit anathema contra propugnantes alium a Christo Sacramentorum auctorem -- Si quis dixerit in „ Ecclesia Catholica Pœnitentiam non esse „ verè, & propriè Sacramentum pro Fide„ libus, quoties post Baptismum in pecca„ ta labuntur ipsi Deo reconciliandis, a „ Christo Domino nostro institutum: ana„ thema sit --

38 Di-

38 DICES. Ex prædicto Canone, & rationibus unicè evincitur, Christum mediatè, vel immediatè Sacramenta instituisse, non verò ipsum immediatum esse eorundem auctorem.

Verùm in eo sensu asserere debemus locutum fuisse Concilium, in quo erat cum Sectariis dissidium; hoc porrò solummodo esse poterat de immediata Sacramentorum institutione: Pro comperto siquidem est ea, quæ ab Ecclesia fiunt, mediatè a Christo esse, a quo omnis potestas ad Ecclesiam derivatur; aliàs certum est potestatem excellentiæ, sine qua nullum Sacramentum institui potest, nemini esse communicatam, quod declarasse videtur laudatum Concilium *Sess. 21. cap. 2.* declarans a Christo potestatem habuisse accidentalia mutare circa Sacramenta, non verò aliquid posse circa eorundem essentiam — Præterea declarat „ hanc potestatem perpetuò in Ecclesia „ fuisse, ut in Sacramentorum dispensatio„ne, salvâ eorum substantiâ, ea statue„ret, vel mutaret, quæ suscipientium utili„tati, seu ipsorum Sacramentorum vene„rationi pro rerum, temporum, & loco„rum varietate magis expedire judicave„rit —

Ecclesia Sacramenta instituere nequit.

§. II.

CONTRARIA REFELLITUR SENTENTIA.

39 OBJIC. I. Hominem pœnitere post lapsum de jure naturæ est; Hæc namque dictat jus læsum, maximè divinum, reparandum esse; atqui non est a Christo institutum, quod de jure naturæ meritò censetur: ergo.

RESP. Pœnitere post lapsum, divinumque jus læsum reparare est quidem secundum dictamen rationis, sed hoc, vel illo modo pœnitere natura non præcipit; ea propter ùt notat Sanctus Thomas *in 4. dist. 22. q. 2. art. 3. quæstiunc. 2.* — Tempore „ legis naturæ non erat aliquis modus de„ terminatus; sed quilibet secundum quod „ sibi veniebat in cor, modum pœnitendi „ sibi determinabat — Porrò hujusmodi pœnitentiam nequaquam dicimus Sacramentum esse a Christo institutum, sed illam, quæ determinatum modum importat peccata clavibus subjiciendi, habendique remissionem sub certa verborum forma.

Pœnitere sub certo modo Sacramentum Christi est.

40 INSTABIS. Pœnitentia sub determinato modo fuit in lege veteri: unde Psal. 31. v. 5. legitur: *Dixi: Confitebor adversum me injustitiam meam, Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*: ergo.

RESP. Utvis in lege veteri aliquis fuerit modus pœnitendi, non is tamen, qui in lege nova a Christo fuit institutus, quique essentiale ponit discrimen in ipsa Pœnitentia. Nam, ùt inquit Sanctus Thomas loco supra laudato — Quando variatur aliquid, „ quod est de essentia rei, non est eadem „ res numero; unde cum determinatus „ modus, qui in Ecclesia a pœnitentibus „ observatur, sit de essentia hujus Sacra„ menti, hoc Sacramentum non fuit, an„ tequam iste modus pœnitendi esset; Et „ quia iste modus non fuit ante Christi ad„ ventum, ideo nec Sacramentum Pœniten„ tiæ antea fuisse debet dici, quamvis esset „ aliquid similis etiam ante Christi adven„ tum, & aliquis modus pœnitentiam agen„ di — Brevius. Non nisi post Christi institutionem ad obtinendam peccatorum remissionem, quis dolere debebat cum proposito subjiciendi se per confessionem, & satisfactionem clavibus Ecclesiæ sub spe veniæ, virtute Passionis Christi. Iste modus novus est, & a Christo: ergo ipse hujus Sacramenti immediatus fuit institutor.

Modus pœnitendi essentiale ponit discrimen.

41 URGEBIS. Pœnitentia prout in nova lege fuit etiam in antiqua; Præcepta enim fuerat Contritio Joel. 2. *Scindite corda vestra*; Confessio Num. 5. *Vir, sive mulier, cum fecerint ex omnibus peccatis, quæ solent hominibus accidere . . . Confitebuntur peccatum suum*; Peccatorum quoque remissio per Sacerdotum. Levit. 5. *Anima, quæ juraverit, & protulerit labiis suis, ut vel malè quid faceret, vel benè, & idipsum juramento, & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum, agat pœnitentiam . . . . orabitque pro eo Sacerdos, & pro peccato ejus*: ergo omnia, quæ in novæ legis pœnitentia enumerantur, prævia in veteri Testamento descripta legimus.

RESP. Latum intercedit discrimen inter veteris, & novæ legis pœnitentiam. Tunc enim dolor non erat in ordine ad claves, nec specialis peccatorum confessio, sed generalis solummodo, nec determinata instituta erat absolutionis forma. Quæ cum in Sacramento a Christo instituto inveniantur, jure dicendum est essentialiter distingui Pœnitentiam veteris legis, ab illa quam Christus decrevit.

Discrimen Pœnitentiæ antiquam inter, & novam legem.

42 OBJIC. II. Quia Matrimonium Christum præcessit, ideo non a Christo, sed a Deo fuit institutum: Genes. 4. *Quod Deus conjunxit, homo non separet*; atqui etiam Pœnitentia præcessit Christum: ergo neque ista fuit a Christo instituta.

RESP. Matrimonium considerari potest, & ùt habet rationem contractus, & ùt ad Sacramenti rationem elevatum est; primo modo non est a Christo institutum, sed a natura, secundo modo verum est Sacramentum, suamque elevationem a Christo recognoscit. Pari ratione si humani actus, quibus Pœnitentia componitur, perpendantur, non sunt a Christo, sed neque Sacramenti rationem sortiuntur, si autem considerentur in ordine ad obtinendam peccatorum remissionem, cum certa lege specialis delictorum confessionis, specialisque formæ absolvendi, certò certiùs est Christum non præcessisse, sed ipsum ùt institutorem connotare.

Actus humani ut elevati Sacramentum efficiunt.

43 OBJIC. III. Christus ea Sacramenta, quibus usus est, instituit ùt patet de Eucharistia; atqui non legitur, quod ad remittenda peccata usus sit Pœnitentiâ, ùt accidit in remissionem peccatorum factâ Magdalenæ, Samaritanæ, aliisque: ergo.

RESP. Major propositio voluntaria omni-

omnino est: Neque enim evincitur ea solummodo instituisse Sacramenta, quæ Christus ministravit: Immo potestas excellentiæ, quæ ipsi propria erat, requirebat ut Sacramenta institueret, non verò quod illorum esset Minister; Et sanè congruum apprimè erat, ut ipse excellentiori modo peccata condonaret, videlicet sine alligatione ad certos ritus, & cæremonias. Cur autem Eucharistiam ministraverit, & sumpserit, egregiam retulit Chrysostomus rationem *hom. 83. in Matth.* -- Ipse quoque bibit ea „ eo, ne auditis illis verbis dicerent: „ Quid igitur sanguinem bibimus, & carnem comedimus? Ac ideo perturbarentur. Nam & quando prius de his verba „ fecit, multi solummodo propter verba „ scandalum passi sunt. Ne igitur tunc id „ quoque contingeret, prius ipse hoc fecit, „ ut tranquillo animo ad communionem „ mysteriorum induceret --

Cur Christus Eucharistiam sumpsit.

CONTROVERSIA IV.

§. I.

AN CHRISTUS PŒNITENTIÆ SACRAMENTUM POST RESURRECTIONEM INSTITUERIT.

44 QUI negant Christum Sacramenti Pœnitentiæ institutorem, quique hoc Sacramentum in veteri lege institutum propugnant, de quibus in superiori Controversia, huic quoque adversantur dogmati; quibus meritò ii addi possunt, qui ab Innocentio III. originem habuisse somniatunt: Hos inter recensendus est Wiclephus apud Thomam Waldensem *to.2. de Sacr. Pœn.c.135.* -- „ Duplex est confessio, humana scilicet, facta meritoriè soli Deo, vel facta Deo, „ & ejus Sacerdoti. Prima vocatur confessio generalis, & secunda auricularis. „ De prima loquitur Scriptura. De secunda verò nisi institutio Papalis -- Quæ opinio, utvis directè auricularem confessionem feriat; in præsenti tamen referri debet, quia evertit Tridentini sententiam *Sess. 14. cap. 1.* -- Dominus autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præcipuè instituit, cum a mortuis excitatus insuflavit „ in Discipulos suos dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt -- Sunt & alii, qui hoc Sacramentum ante Passionem a Christo institutum volunt, sed contra omnes.

45 DICO. Pœnitentiæ Sacramentum post Christi resurrectionem ab ipso fuit institutum.

Judicialis sententia cõplet judiciũ.

PROB. I. Judicium, cujus natura est absolvere, & punire delicta, tunc instituitur, cum datur potestas ferendi sententiam; causæ namque cognitio sine hac potestate nequaquam verum judicium esse potest; atqui Pœnitentiæ Sacramentum est per modum judicii, & aliàs potestas judicialem ferendi sententiam Apostolis collata est post resurrectionem, cum Christus dixit Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata &c.* ergo post Christi resurrectionem Sacramentum hujusmodi institutum est.

46 PROB. II. Tunc Sacramentum instituitur, quando partes divisivè sumptæ sub una forma copulantur; sed licet Christus prædicationis suæ tempore plura de Pœnitentia locutus sit, omnia tamen in unum coadunavit post resurrectionem. Nam Matth. 4 de utilitate Pœnitentiæ: *Pœnitentiam agite: Appropinquavit in vos Regnum Dei*, de necessitate Luc. 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; quoad promissionem clavium Matth. 16 ubi dixit Petro: *Tibi dabo claves Regni Cœlorum; & quodcumque ligaveris super terram &c.* de illius efficacia ex meritis Passionis Christi Luc. 24. *Et sic oportebat Christum pati, & resurgere a mortuis tertia die, & prædicari in nomine ejus pœnitentiam, & remissionem peccatorum in omnes gentes.* Omnia tamen complexus est Jo. 20. dum actu tradidit remissivam peccatorum potestatem. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.* Et sanè si potestas in corpus mysticum oritur, & supponit potestatem in reale Christi Corpus; quomodo ante Passionem illam habuisse dicendum est, si hæc non nisi in ipsa nocte, qua Christus tradebatur, collata fuit? in ultima namque Cœna Sacerdotio initiati fuerunt Apostoli; & aliàs de potestate absolvendi altum silentium usque ad resurrectionis tempus.

De Pœnitentia pluries locutus est Christus.

Potestas absolvendi præsupponit Sacerdotium.

47 PROB. III. Pœnitentiæ Sacramentum requirit potestatem jurisdictionis ab Ecclesia collatam: ergo eo tempore debuit institui, quo Christus plenitudinem jurisdictionis Ecclesiæ concessit; atqui hanc Christus contulit post resurrectionem, cum Petrum Ecclesiæ Caput constituit, atque promissas dedit claves, & in Petro, & per Petrum eidem Ecclesiæ. Jo. 21. *Pasce oves meas*: ergo.

§. II.

OPPOSITUS ERROR REFELLITUR.

48 OBJIC. I. Potestas clavium collata est Apostolis ante Christi Passionem, ùt habetur Matth. c. 18. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cœlo, & quæcumque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cœlo*; atqui tunc temporis institutum est Pœnitentiæ Sacramentum, cum Apostolis Christus contulit de præsenti potestatem clavium, nempe ligandi, atque solvendi: ergo hujus Sacramenti institutio ante Passionis tempus reperienda est.

Dicunt quidam eo loci Christum contulisse Apostolis potestatem ligandi, & solvendi per censuras; Quoniam verò Patres talem textum usurpant ad probandam potestatem clavium Ecclesiæ collatam, ideo dicendum est Christum ibi agere de Pœnitentiæ Sacramento, sed illud tunc non instituisse, cum expressè de peccatis non meminerit, sed promiserit claves, quas *Jo. 20.* tradi-

tradidit; Unde non immeritò nonnulli affirmant verba illa esse promissiva potestatis conferendæ, eo ducti motivo, quod Apostoli tunc temporis nec Sacerdotes erant, nec Pastores, quod congruum videbatur, ut in mysticum Ecclesiæ corpus potestatem habere possent, ùt modo dictum est.

Claves promissæ.

49 OBJIC. II. Sicut Joan. 3. dicit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto non potest introire in Regnum Dei*, ita Lucæ 13. *Nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; Atqui ex primo colligitur tunc temporis institutum fuisse Baptisma; ergo ex secundo institutam fuisse Pœnitentiam; Etenim duæ illæ propositiones æquipollentes sunt.

RESP. Propositiones laudatæ ejusdem ponderis, ac momenti jure censentur in ordine ad declarandam necessitatem tum Baptismi, tum Pœnitentiæ; Verùm sicut de Baptismo, ubi de hujus Sacramenti institutione egimus, probatum volumus in Jordane fuisse institutum, ita non evincitur institutum Pœnitentiæ Sacramentum, cum ejus necessitatem Christus declaravit.

Alia est Sacramenti necessitas, alia institutio.

50 OBJIC. III. Rectus rerum ordo postulat, ut prius Sacramentum illud instituatur, quod est dispositio ad aliud, quam illud ad quod disponit; atqui pœnitentia ad Eucharistiam disponit, hæcque ante Christi Passionem fuit instituta: ergo & illa.

RESP. Argumentum aliquid evinceret, si Pœnitentia esset dispositio per se necessaria ad Eucharistiam; quoniam verò prærequiritur solummodo ex suppositione peccati, ideo non concludit. Solutionem hanc habemus ex D. Thoma 3. *p. q. 65. art. 2. ad 4.* — „ Dicendum quod ratio illa rectè procederet, si Pœnitentia ex necessitate requireretur ùt præparatoria ad Eucharistiam: „ Sed hoc non est verum: Nam si aliquis esset sine peccato mortali, non indigeret Pœnitentia ad sumptionem Eucharistiæ. Et sic patet, quod per accidens Pœnitentia præparat ad Eucharistiam, scilicet supposito peccato: Unde dicitur 2. *Paralip. ult.* Tu Domine justorum, non posuisti pœnitentiam Justis —

Pœnitentia per accidens præsupponitur ad Eucharistiam.

51 OBJIC. IV. Quando lex vetus cessavit, cœpitque lex nova obligare, omnia Sacramenta debuerant esse instituta; super ea namque fundatur Ecclesia; sed lex vetus cessavit, novaque cœpit obligare, cum Christus in Cruce dixit: *Consummatum est*: ergo ante mortem Pœnitentia erat instituta.

RESP. Ut argumento clariùs fiat satis tria temporum spatia consideranda sunt. Primum ante Christi mortem, secundum ab ejusdem Passione usque ad sufficientem Evangelii promulgationem, tertium denique post promulgationem: In primo lex nova non obligabat, sed lex vetus, in secundo legalia mortua erant, sed non mortifera, in tertio obligabat lex nova, & vetus erat mortifera. Cum autem lex gratiæ non cœperit immediatè esse sub præcepto a morte Christi, jam planè fit Ecclesiam a Christo perfectam fuisse tum quoad Sacramenta, tum quoad cætera ad ipsam pertinentia illo temporis spatio, quod a Christi Passione ad promulgationem usque Evangelii intercessit; eaque propter meritò dici debet post resurrectionem Pœnitentiæ Sacramentum fuisse a Christo institutum.

Veteris, & novæ legis triplex consideratio.

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ ITERARI POSSIT CIRCA NOVA PERPETRATA CRIMINA.

52 IMpugnavimus in prima hujus Tractatus Controversia Hæreticos negantes Pœnitentiæ Sacramentum, nunc superest alium refellere errorem, illorum scilicet, quos ex Augustino refert Sanctus Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 10. — Qui post Baptismum dicebat „ quidem utilem pœnitentiam, non tamen „ pluries, sed semel tantùm —

53 Dicendum itaque est Pœnitentiæ Sacramentum circa nova ab eodem homine perpetrata crimina iterari posse.

PROB. I. Potestas remissiva peccatorum collata Ecclesiæ est illimitata ad quodlibet peccatum: Jo. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; atqui, si semel ab uno crimine absolutus, non posset quis a noviter commisso absolvi, jam esset limitata, & circumscripta: ergo Sacramentum reconciliationis circa nova peccata iterari quit. Hinc interroganti Petro. *Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? Usque septies? Dicit illi Jesus: Non dico tibi usque septies: sed usque septuagies septies*. Quo igitur pacto tam ampla Christi facultas concessa Petro verificaretur, si semel reconciliatum fratrem iterum reconciliari non posset?

Potestas remissiva peccatorum illimitata.

54 PROB. II. Nobis peccatorum remissionem promisit Christus, sicut nos dimittimus debitoribus; atqui non rarò evenit, ut sæpe debitoribus sit remittendum: ergo etiam Christus sæpe nobis peccata dimittet: sed non dimittit nisi per Pœnitentiæ Sacramentum, cum ad hoc fuerit institutum: ergo.

Deus per Sacramentum peccata dimittit.

55 PROB. III. Misericors Deus humanæ naturæ fragilitatem agnoscens hominum lapsibus miseretur, sicut Pater filiorum delictis. Psal. 102. *Quomodo miseretur Pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, quoniam ipse cognovit figmentum nostrum. Recordatus est, quoniam pulvis sumus*; sed per sacramentalem Sacerdotis absolutionem miseretur Deus: ergo hæc iterabilis jure censenda est.

Misericordia Dei in remittendo.

56 PROB. IV. Sacramentum hoc institutum est per modum medicinæ: Matth. 9. v. 12. *Non est opus valentibus Medicus, sed malè habentibus*; atqui eadem medicina circa eandem personam sæpe in eundem labentem morbum iteratur. Egregiè Augustinus, seu alter sub ejus nomine *lib. de vera, & falsa Pœnit. cap 5.* — Quomodo enim cor„ pus, quod vilius est, & ab ipso dissi„ milius, sæpe sanaret, & animam dignio-

Medicina iterari potest.

„ rem a

„ rem, & redemptam non toties liberaret? „ Medicum se vocat, & non sanis, sed „ malè habentibus opportunum. Sed qua„ lis hic medicus, qui malum iteratum „ nesciret curare? Medicorum enim est „ centies infirmum visitare, cæteris cura„ re --

Deus non vult mortem peccatoris.

57 PROB. V. Si remedium adversus delicta iterari nequiret, vellet Deus mortem peccatoris; cum ad resurgendum nullus superesset aditus; sed hoc impium est; dicente Ezech. 18. v. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus Deus, ut non convertatur a viis suis, & vivat?* & clariùs v. 27. explicat Propheta paratam Dei voluntatem ad miserendum. *Et cum averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam: ipse animam suam vivificabit:* Quoties igitur peccator ab iniquitate revertitur ad Deum, toties inveniet misericordiam. Non tempus misericordiæ deputatur, non peccatorum numerus describitur: ergo semper utilis conversio; Quod si in lege veteri iterata remittebantur crimina, potiori ratione in lege nova idem eveniet; cum venerit Christus non jam vocare justos, sed peccatores.

Patrum sententia de iterata Pœnitentia.

58 PROB. VI. ex Patribus. S. Ephrem *de Pœnit., & Conversione* -- Neque enim super „ aliquibus peccatis limitavit Deus pœnitentiam, super quibusdam autem non: sed ad „ omnem plagam peccati nobis magnus ille „ animarum nostrarum medicus dedit ma„ gnum hoc remedium -- S. Jo. Chrysost. *in Proœmio Commentariorum in Isajam* -- Quotidie „ peccas, quotidianam age pœnitentiam -- Tertullianus *lib. de pænit. cap.* 7. Non statim „ succidendus ac subruendus est animus de„ speratione, si secundæ quis pœnitentiæ „ debitor fuerit: Pigeat sanè peccare rur„ sus, sed rursus pœnitere non pigeat: pi„ geat iterum periclitari, sed non iterum „ liberari. Neminem pudeat iteratæ vale„ tudinis iteranda medicina est. Gratus in „ Dominum extiteris, si quod tibi Domi„ nus offert, non recusaveris. Offendisti, „ sed reconciliari adhuc potes -- S. Hieronymus *Epist. 46. ad Rusticum cap.* 4. -- Justi „ vocabulum non amittit, qui per pœni„ tentiam semper resurgit; Et non solùm „ septies, sed septuagies septies delinquen„ ti, si convertatur ad pœnitentiam, pec„ cata donantur -- Aliis omissis veritatem hanc docuit Tridentina Synodus *Sess.* 14. *cap.* 2., ubi discrimen apponens Pœnitentiam inter, & Baptismum de sacro lavacro initiatis ait -- Nam hos, si se postea cri„ mine aliquo contaminaverint, non jam „ repetito Baptismo ablui, cum id in Ec„ clesia Catholica nulla ratione liceat, sed „ ante hoc Tribunal tanquam reus sisti vo„ luit; ut per Sacerdotum sententiam non „ semel, sed quoties ab admissis peccatis „ ad ipsum pœnitentes confugerint, pos„ sent liberari --

§ II.

OPPOSITI ERRORIS MOMENTA REFELLUNTUR.

59 OBJIC. I. Corporalis infirmitas quandam dicit analogiam cum spirituali, quæ per peccatum contrahitur; atqui Christum bis ab eadem infirmitate languentem sanasse non legitur: Non enim bis Cæcum illuminavit, Leprosum bis mundavit, bis mortuum suscitavit: ergo neque Evangelici Ministri bis poterunt a spirituali morbo peccatorum liberare.

RESP. Utvis Christus bis Cæcum eundem non illuminaverit, aut Leprosum mundaverit, mortuumve resuscitaverit, multos tamen Cæcos, Leprosos sanavit, mortuosque ad vitam revocavit, ut probè discas eundem quoque a repetitis criminibus absolvi posse. Sic Auctor *lib. de vera, & falsa Pænit. cap.* 5. -- Qui autem multos cæcos, „ & diverso tempore illuminaverit, & mul„ tos debiles confortaverit, ostendit in „ diversis illis eadem sæpe peccata dimitti, „ ut quem prius sanavit Leprosum, alio „ tempore illuminavit Cæcum. Ideo enim „ tot salvavit febricitantes, tot languidos, „ tot claudos, cæcos, & aridos, ne de„ speret de se peccator -- Hinc rationem affert cur Christus eundem bis in eandem lapsum infirmitatem non sanaverit -- Ideo „ non scribitur aliquis nisi semel sanatus, „ ut timeat quisque jungi peccato. Vide„ mus adhuc quotidie in Ecclesia sæpe fe„ bricitantes, sæpe languidos, sæpe pas„ sionibus captos sæpe liberari, ut appa„ reat toties opus miserantis, quoties con„ fessio fit pœnitentis --

Eadem infirmitas sæpe sanatur.

60 OBJIC. II. Sicut Baptisma est contra originale delictum, ita Pœnitentia contra actuale; atqui circa eandem Personam non est iterabilis Baptismus: ergo neque Pœnitentia.

RESP. Latum intercedit discrimen inter utrumque Sacramentum. Originale peccatum semel contrahi potest, actuale sæpe perpetrari; Et sicut semel nascitur, pluriesque infirmatur homo, ita semel spiritualiter per Baptisma regenerari potest, pluries a spiritualibus animæ morbis sanari.

Baptismi, & Pœnitentiæ discrimen.

61 OBJIC. III. A divina bonitate quam maximè alienum est delectari in peccatis; atqui si iteratis criminibus præstò esset remedium pœnitentiæ, videretur Deus delectari in peccatis: Ut ait enim S. Ambr. *Serm.* 8. *in Psal.* 118. -- Facilitas veniæ in„ centivum præbet delinquendi -- ergo.

RESP. Iteratæ Pœnitentiæ remedium non jam Dei complacentiam erga peccata, sed ejusdem displicentiam optimè manifestat. Nam ùt ex citato libro *de vera, & falsa Pænit.* -- Si ea amaret, non ita sem„ per destrueret, sed conservaret, atque „ ùt sua munera foveret. Semper destruit „ peccata, quæ invenit, ne solvatur, quod

Deo displicent peccata.

H „ crea-

„ creavit, ne corrumpatur, quod amavit — Nec adversatur Ambrosius, cum ibi eos redarguat, qui a publica absolvunt Pœnitentia non benè perpensis rectæ justitiæ legibus. Cæterùm si magnis fletibus, & laboribus, ùt loquitur Tridentinum *laudata Sessione* per iteratum Pœnitentiæ Sacramentum Divinæ Justitiæ a peccatoribus fiat satis, neutiquam erit incentivum, sed salutare remedium peccati.

62 OBJIC. IV. Nemo ex Patribus asserit Pœnitentiam esse tertiam, benè verò secundam post naufragium tabulam: ergo Pœnitentiæ Sacramentum iterari nequit, aliàs dici jure posset tertia, & quarta tabula post naufragium; ideò meritò inquit S Ambrosius *lib. 2. de Pœnit. cap.* 10. Ecclesiam bis non admittere delinquentes ad Pœnitentiam.

Pœnitentia cur secunda non tertia tabula dicitur.

RESP. Cum Pœnitentia nuncupetur secunda tabula per ordinem ad Baptismum, qui primum remedium est originalis noxæ sanativum, nil mirum si non tertia, aut quarta naufragii tabula censeatur; distinguunt enim Patres peccatum in originale, & actuale, hinc asserunt primum deleri per Baptismum; quoniam verò homo sæpe labitur in actualia crimina, ideo Pœnitentiam, quæ ab æterna morte illum liberat, secundam tabulam appellant, quia est aliud remedium, quod post Baptismum superest. Nec obstat Sancti Ambrosii auctoritas, cum ipse loquatur de publica pœnitentia, ad quam Lapsi non admittebantur tum ad terrorem incutiendum, tum ad scandalum evitandum.

63 OBJIC. V. De peccato semel commisso, toto vitæ tempore, perdurare debet Pœnitentia, docente Augustino *lib. sæpe citato cap.* 13. — Quid uiti semper dolere in „ vita? Ubi enim dolor finitur, deficit & „ pœnitentia. Si autem pœnitentia finitur, „ quid relinquitur de venia? . . . . Dolor „ continuè in pœnitentia custodiatur. Hinc „ semper doleat, & de dolore gaudeat, & „ de doloris pœnitentia, si contigerit, sem„ per doleat — Ergo nullus superest locus iterandi Pœnitentiæ Sacramentum.

De peccatis quomodo semper dolendū.

RESP. Duplici titulo continua debet esse pœnitentia, vel quia de propitiato peccato non debemus esse sine metu, vel quia jus compensationis est infinitæ latitudinis, ùt notavimus, quando probatum est peccata semel dimissa sufficientem esse materiam Sacramenti Pœnitentiæ. Et sanè quandiù quis verè pœnitet, non peccabit; sed quia hanc voluntatem sæpe mutare potest, iterumque peccare, ideo necesse est iterare Sacramentum. Neque inde inferre licet veram non fuisse priorem pœnitentiam; Nam ùt ait S Thomas *3. p. q. 85. art. 10. ad 4.* — „ Quod aliquis postea peccat vel actu, vel „ proposito, non excludit, quin prima „ pœnitentia vera fuerit; nunquam enim „ veritas prioris actus excluditur per actum „ contrarium subsequentem: Sicut enim „ verè cucurrit, qui postea sedet, ita verè „ pœnituit, qui postea peccat —

DISPUTATIO QUINTA.

DE POENITENTIA, UT EST VIRTUS.

1 SAnctus Thomas *3. p.* instituit quæstionem, quæ est 85., de Sacramento Pœnitentiæ, secundum quod est virtus, non quia ipsa sit Sacramentum, sed quia hujusmodi Sacramentum pro materia proxima actum virtutis pœnitentiæ prærequirit: Hinc Pœnitentia ùt Sacramentum, & Pœnitentia ùt virtus & conveniunt, & discrepant inter se: Conveniunt quidem, cum utraque sit medicina adversus peccatum, atque secunda tabula post naufragium; etenim utraque ipsum peccatum tanquam materiam destruendam respicit, & circa idem subjectum versatur. Discrepant verò, quia ùt Sacramentum ex partibus componitur, secus ùt est virtus; ut Sacramentum instrumentaliter gratiam *ex opere operato* efficit, ùt virtus dispositivè, & *ex opere operantis*, demùm ùt Sacramentum a Christo initium, finemque cum militante Ecclesia habet, ùt virtus & ante Christum fuit, & quoad habitum æternaliter in Beatis perseverabit.

Pœnitentia, ut Sacramentum, & virtus.

2 Novatores, qui antea Pœnitentiam ùt Sacramentum maximè debacchantur, eandem ùt virtutem detestantur, sive quia nil aliud velint esse Pœnitentiam nisi novam vitam, ùt Lutherus prædicat *art. 7.* apud Roffensem — Optima pœnitentia nova vita — Sive quia ejusdem actus ùt conscientiæ tortores abhorrent: Ut igitur omnes Hæreticorum errores eliminentur hanc quoque instituimus disputationem, unde sit

CONTROVERSIA I.

§. I.

AN PŒNITENTIA SIT VIRTUS.

3 PŒnitentia sumi potest dupliciter; ùt passio doloris, & ùt per rationem regulata, primo modo intellecta a virtutis conceptu deficit, & in sensitivo appetitu nequaquam a ratione moto residet, altero modo residet in voluntate, & secundum hanc considerationem procedit Controversia. Notandum ulterius venit Pœnitentiam secundum quod a ratione dirigitur accipi & secundum quod est habitus, & secundum quod est actus; tran-

Pœnitentia dupliciter sumitur.

Google

transit ut actus, ut habitus permanet. Est quoque Pœnitentia dolor; non omnis tamen dolor Pœnitentia nuncupari potest, ut cum de præsentibus, præteritisque malis, quæ ipsi non fecimus, dolemus; Pœnitentia namque circa ea, quæ malè gessimus, versatur, atque de iis dolet; Hinc ad difficultatem devenicndo

4 DICO. Pœnitentiam veram esse virtutem.

Præceptum datur de virtutis actu.

PROB. I. Non invenitur in lege gratiæ speciale præceptum nisi de actibus virtutum; atqui de Pœnitentia datur in lege gratiæ speciale præceptum: Matth 3., & 4. *Pœnitentiam agite*: Marc. 1. *Pœnitemini, & credite Evangelio*, & alibi sæpe: ergo Pœnitentia inter virtutes & jure, & meritò recensenda est: Hinc Scriptura ipsam alias inter virtutes adnumeravit; Act. 20 *Testificans Judæis, atque Gentilibus in Deum Pœnitentiam, & fidem in Dominum nostrum Jesum Christum*,

Pœnitentia donum Dei.

5 PROB. II. Dei donum virtuosos producens actus dubio-procul ad virtutem spectat; atqui hujusmodi est Pœnitentia; Nam Act. 11. ipsa dicitur donum Dei: *Et gentibus pœnitentiam dedit Deus ad vitam*; & 2. ad Corinth. 7. virtuosi ejusdem actus describuntur: *Ecce hoc ipsum contristari vos, quantam in vobis operatur solicitudinem: sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed æmulationem, sed vindictam*: ergo.

Definitio virtutis convenit Pœnitentiæ.

6 PROB. III. Virtus definitur, quod sit habitus electivus secundum rectam rationem, seu, ut aliis placet, quod sit habitus, qui facit bonum habentem, ejusque opus bonum; atqui Pœnitentia vel est habitus electivus secundum rectam rationem, vel est habitus, qui facit bonum habentem, ejusque opus bonum; Etenim ad rectam rationem spectat dolere de eo, de quo dolendum est, & eo modo, & fine, quibus dolendum, hoc a Pœnitentia peragitur, quæ dolet de commissa in Deum injustitia, & quidem juxta prudentiæ dictamen, eo fine satisfaciendi Deo, æternamque consequendi salutem; cumque illum, qui pœnitet, justificet, jam planè fit pœnitentiam facere bonum habentem, ejusque opus bonum esse, quippequod Deo acceptum est, atque meritorium.

7 PROB. IV. Patres Pœnitentiam ut virtutem prædicaverunt. Tertullianus *lib. de Pœnit.* — Quid opus est disputare, an „ pœnitentia sit bona, vel mala; si Do„ minus nos admonet ad Pœnitentiam, & „ præcipit eam — S. Augustinus *lib. de bono Pœnitentiæ* — Nos verò pro nostris angustiis „ unum inculcamus, bonum ac optimum „ esse, quod Deus præcipit. Audaciam „ existimo de bono divini præcepti disputa„ re. Non enim, quia bonum est, ideo „ auscultare debemus; sed quia Deus præ„ cipit ad exhibitionem obsequii propere„ mus. Prior est Majestas Divinæ potesta„ tis, prior est authoritas imperantis, „ quam utilitas servientis. Bonum est pœ„ nitare. At ille non præcipit tantùm, „ sed hortatur, & invitat præmio, jurans „ etiam: Vivo ego, dicit Dominus. Nolo „ mortem impii, sed ut convertatur impius „ a via sua, & vivat — Chrysostomus *hom.* 23. *in Matth.* — Non est aliquod omnino „ peccatum, quod non cedat pœnitentiæ „ virtuti — S. Gregorius *lib. 9. Registri Epist.* 39. — Magna est contra peccatum „ virtus pœnitentiæ — Et *lib. 11. Moral. cap.* 19. *aliàs* 26. — Nonnumquam culpa occa„ sio virtutis est —

A B C D E

§. II.

ADVERSA ARGUMENTA REFELLUNTUR.

8 OBJIC. I. Sicuti virtus definitur, quod sit habitus electivus secundum rectam rationem, nec non habitus, qui facit bonum habentem, ita definitur, quod sit dispositio perfecti ad optimum; atqui hujusmodi definitio nequiquam Pœnitentiæ convenire potest; Non enim hæc perfectum supponit peccatorem, quem ad optimum disponat, sed potius vitiatum criminibus, culpisque deformem: ergo toto distat cælo a vera ratione virtutis.

Virtus est dispositio perfecti ad optimum.

RESP. Pœnitentiæ omnes virtutis definitiones apprimè conveniunt; cumque unicè urgeat illa, qua dicitur virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum, ideo explicatur dicendo virtutem esse dispositionem perfecti ad optimum, non quidem præsuppositivè, idest, supponendo subjectum perfectum, sed constitutivè, quatenus ipsum perficiens ad meliora disponit; ea sanè ratione qua dicitur anima forma corporis physici, non quidem aliunde præsuppositi, sed per ipsam animam constituti; Nec aliter sentire oportet; aliàs nulla designari posset virtus; cum nemo unus ante virtutis acquisitionem meritò perfectus nuncupari possit.

9 DICES. Quamvis virtus non supponat, sed faciat perfectum, ipsa tamen essentialiter non prærequirit defectum; aliàs nullus virtuosus censendus esset, nisi vitiis coinquinatus præextitisset; atqui Pœnitentia essentialiter præsupponit peccatum: ergo nullimodè dicenda est virtus.

Quædam virtutes defectũ præsupponũt.

RESP. Instantia facili negotio dissolvitur, cum etiam justitia commutativa, quæ veræ virtutis rationem obtinet, possit præsupponere injuriam alteri irrogatam ab ipsomet, qui illam per satisfactionem reparare intendit; ea propter etsi quædam sint virtutes, quæ nullam connotent imperfectionem, ut v. g. charitas, aliæ tamen inveniuntur, quæ sive ex parte actus, vel ex parte materiæ defectum dicunt. Misericordia v. g. respicit miseriam sublevandam; sed hoc non officit, quominus detur vel in Deo. Pœnitentia igitur licet in exercitio defectum prærequirat, a virtutis jure non recedit, quia in ipsum tendit ut destruendum, & aliàs secundum habitum nullam præsupponat imperfectionem.

10 OBJIC. II. De ratione virtutis est esse per se appetibilem; atqui Pœnitentia non est per se appetibilis, cum essentialiter supponat peccatum: ergo.

RESP. Incarnatio est bonum per se appetibile, & tamen supponit peccatum; bonum patientiæ est per se appetibile, & tamen morbum connotat; bonitas medicinæ est per se appetibilis, & tamen sine infirmitate non habetur. Cur igitur non erit per se appetibilis pœnitentia, quæ prærequirit peccatum, cum peccati destructio, ad quam ipsa tendit, maximum sit bonum?

Destructio peccati bonū est.

11 OBJIC. III. De impossibili non datur virtus; atqui Pœnitentia circa impossibile versatur: Tendit enim in non esse peccati commissi, quod impossibile est; cum ad præteritum non detur actio. Insuper, Pœnitentia peccatum detestatur, quatenus Deum offendit; Porrò actus hujusmodi præteriit, & nequit non fuisse: ergo.

RESP. Aliud est peccatum ut absolutè præteritum detestari, aliud verò detestari, quia præteritum; primo modo est actum abominari, quia malè factum, secundo modo est abominari præteritionem actus, & velle non fuisse, quod frustraneum est. Rursus: Velle non esse peccati fumi dupliciter potest, primò est velle absolutè ipsum non fuisse quoad entitatem, hocque impossibile est, secundò est velle non esse peccati, prout intulit Dei injuriam, maculam, reatum pœnæ, debitum compensationis, quæ omnia præsentia sunt, sicut præsens est peccatum esse malè factum, esse emendabile, atque compensabile: Hæc porrò respicit actus pœnitentiæ; Itaque actus hujusmodi est simpliciter absolutus, quia tendit in peccatum secundum esse præsens absolutè, aliqualiter tamen, seu, ut vocant, secundum quid conditionatus, quia illud, quod præsentia hæc intulit mala, vellet non fuisse. Breviùs. Pœnitentia reprobat, atque detestatur peccatum non intendendo, quod non fuerit, sed abominando, quod fuit, quodque ea illo remanet de præsenti.

Quid detestatur pœnitentia.

12 OBJIC. IV. Verecundia, quia de re turpi est, inter virtutes non recensetur; atqui etiam pœnitentia est de turpi, nempe de peccato: ergo.

RESP. Verecundia non est actus electivus, sed commotio quædam ex passionis impetu excitata infamiam timens, vel objurgationem; ea propter ipsa dicitur de turpi facto præsenti, quatenus ex turpi facto, utvis præterito, homo famæ detrimentum subire, vel redargutionem ea enarratione timet; unde non verecundatur de crimine, quia contra Deum, rectamque rationem, ut ab illo refugiat, atque deterreatur ad emendationem; Pœnitentia verò est actus electivus de culpa, quia Deo injuriosa, atque rationi adversa, erubescens, ut illam destruat, atque emendat. Respicit itaque verecundia vitiosam turpitudinem, sed propter subsequens vituperium; hincque fit, quod vituperium reformidans abstinet a turpi, vel illud abscondit; eumque aliàs sit motus, qui rationi nequaquam subditur, etsi multiplicetur, nusquam habitum gignere potest. Unde apertum intercedit discrimen verecundiam inter, & Pœnitentiam.

Pœnitentiam inter, & verecundiam discrimen.

13 OB. V. Omnis virtus est delectabilis; atqui Pœnitentia non est hujusmodi; cum dolorem, & tristitiam pariat: ergo.

RESP. Pœnitentiæ objectum nempe divina offensa, ut reparanda, quia Deo injuriosum tristitiam parit, sed actus ipsius, cum in destructionem tendat injuriæ Deo irrogatæ, maximè delectat; qua ratione Sanctus Augustinus ad illa verba Psal. 126. *Surgite, postquam sederitis*, inquit -- Dul„ ciores sunt lacrymæ orantium, quam „ gaudia Theatrorum --

Delectatio Pœnitentiam.

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN PŒNITENTIA SIT VIRTUS SPECIALIS.

14 LUtherus *art. 7.* apud Roffensem explicat, quid sentiat de Pœnitentia -- Verissimum est „ enim proverbium omni do„ ctrina de Contritionibus hucusque data „ præstantius, quo dicitur. Optima Pœni„ tentia nova vita -- Et post pauca -- Ego „ autem defendo, quod addidi, quo ostendi „ id Proverbij cum Scriptura convenire; „ ubi Paulus *ad Gal. 6* dicit. In Christo „ enim Jesu, neque Circumcisio, neque „ Præputium aliquid valet, sed nova crea„ tura. Hanc sententiam debueram dam„ nare, qua stabilivi Proverbium, dum „ me voluerunt damnare. Planè enim hic „ Apostolus docet omnia vana esse, nisi si„ mus nova creatura in Christo -- His apertè declarat Hæreticus Pœnitentiam non jam esse specialem virtutem, sed unicè novam vitam, quod luculentiùs adhuc explicat circa primam Conclusionem resolutionum suarum -- In usu Scripturæ Sacræ Pœ„ nitentia non dicitur dolor, sed mutatio „ mentis, & consilii: ac pœnitere, est „ sapere post erratum, animumque ad rectè „ vivendum instituere --

Quidam ex Catholicis Doctoribus volunt quidem Pœnitentiam esse virtutem, non quidem specialem, sed generalem, vel quia ea motivo omnium virtutum exit in proprium actum, vel quia actus omnes aliarum virtutum ad pœnitentiæ actum concurrunt.

15 Dicendum tamen Pœnitentiam esse specialem virtutem.

PROB. I. Si Pœnitentia esset generalis virtus, nequaquam de ea daretur præceptum, nisi simul de aliis virtutibus urgeret mandatum; atqui hoc manifestè falsum esse docent Scripturæ, quæ centies Pœnitentiam ab aliis virtutibus distinctè præcipiunt, & luce clariùs Apocal. 2. *Memor esto, unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac*. Vides Pœnitentiam ab operibus aliarum virtutum distinctam? ergo nequit ipsa rationem induere omnium aliarum virtutum.

Datur de sola Pœnitentia præceptum.

16 PROB. II. Nulla virtus adinvenitur, quæ vel in actus secundarios exeat, nisi sub propria objecti sui ratione; atqui

sola

Virtus proprium respicit objectum.

sola pœnitentia ea est, quæ pro suo objecto immediatè peccatum destruendum respicit, ut Scriptura perpetuò docet. Levit. 5. *Agat pœnitentiam pro peccato, & offerat de gregibus agnum, vel capram*. Jerem. 8. *Nullus est, qui agat pœnitentiam super peccato suo dicens, quid feci?* Baruch. 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, & incedit curva, & oculi deficientes, & anima esuriens dat tibi gloriam, & justitiam Domine*, & hanc gloriam, atque justitiam dat Deo peccator, dum crimina detestatur, divinamque offensam per peccatum eidem irrogatam reparat. Ea propter quisque pro comperto habere potest Pœnitentiam nequiquam importare solum aliarum virtutum adimplementum, aut novam vitam, mentisque atque consilii mutationem.

17 PROB. III. Illa virtus ab aliis virtutibus specificè discriminatur, quæ actum primarium nullimodè aliis congruentem sortitur; Hujusmodi est Pœnitentia, cui taliter dolor, atque peccatorum detestatio tribuitur, ut aliis virtutibus nequaquam convenire videatur: S. Ambrosius *serm. 1. Quadragesimæ* relatus *in cap. 39. de Pœnit. dist. 1.* — Pœnitentia vera est dolor cordis, „ & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit — S. Augustinus *lib. 2. Quæst. ad Simplician. quæst. 2.* — In hominibus opus pœnitendi est, cum procaldubio reperitur voluntas mutandi; sed in homine cum dolore animi est: reprehendit enim in se, quod temerè fecit — Et in *Enchiridion. cap. 65.* — In actione pœnitentiæ non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris: cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit — S. Hieronymus ad illud Psalmi 118. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei* — Vera est pœnitentia jugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare. — Et ad cap. 31. Jeremiæ: *Postquam cognovi, percussi femur meum* — Dolentis, & plangentis, & super errore pristino plorantis judicium est, ut femur manu percutiat — Hanc Patrum sententiam declaravit Tridentinum *Sess. 14. cap. 4.* — Contritio, quæ „ primum locum tenet inter dictos pœnitentiæ actus, animi dolor, & detestatio est de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero — Et infra. — Hanc contritionem non solùm cessationem a peccato, & vitæ novæ propositum, & inchoationem, sed veteris etiam odium continet — Ergo contritio, seu quod in idem redit, detestatio peccati sub ratione offensæ expiabilis, medio prædicto actu taliter Pœnitentiæ, ut primarius ejusdem actus convenit, ut aliis virtutibus nequaquam convenire possit.

Actus primarius Pœnitentiæ aliis non convenit virtutibus.

18 PROB. IV. Laudata Tridentina Synodus propalam docet Pœnitentiam ab aliis virtutibus distingui: Etenim *Sess. 6. Can. 3.* habet — Si quis dixerit sine præveniente Spiritus Sancti inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit — Eandem distinctionem explicat *cap. 6.* ejusdem Sessionis, ubi Pœnitentiam inter dispositiones ad justificationem enumerat, & *cap. 7.* declarat. in eadem justificatione Fidem, Spem, & Charitatem infundi: Si igitur Concilium Pœnitentiam cum aliis virtutibus non confundit, immò vel ab ipsa Charitate, de qua major poterat esse difficultas, distinguit, cur ejus sequendo doctrinam fateri non debemus specialem esse virtutem ex toto stultam Lutheri opinionem rejiciendo, qua asserebat Pœnitentiam nil aliud esse, quam novam vitam, aut mentis, consiliique mutationem? Huic namque falsæ doctrinæ præter dicta expressè refragatur Augustinus *Hom. 50. ex 50.* — „ Non sufficit mores in melius commutare, „ & a factis malis recedere, nisi etiam de iis, quæ facta sunt satisfiat Deo per Pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitus, per contriti cordis sacrificium —

Pœnitentia ab aliis virtutibus distinguitur.

§. II.

OPPOSITA ARGUMENTA.

19 OBJIC. I. Injuria Deo irrogata non jam specialis quædam conditio est, sed generalis, utpote consequens omne peccatum: ergo, cum opposita circa idem sint, virtus illius destructiva non jam specialis, sed generalis censenda est, justitiam nempe sub communissima quadam ratione, secundum quam in omnibus virtutibus adinvenitur.

RESP. Si argumentum alicujus esset momenti, evinceret Christum nequiquam pro nobis satisfecisse per actum justitiæ specialiter dictæ: quod tamen falsum esse in aperto est. Utut igitur ratio quædam justitiæ in omnibus virtutibus inveniatur; cum justum sit hominem justè operari, nihilotamen minus non nisi justitia propriè dicta ea est, quæ jus alienum læsum reparandum respicit: Porrò eam Pœnitentia quædam pars justitiæ sit, dicente S. Thoma 3. *p. q. 85. art. 3* — Pœnitentia non habet, quod „ sit specialis virtus ex hoc solo, quod dolet de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret Charitas, sed ex eo quod pœnitens dolet de peccato commisso inquantum est offensa Dei cum emendationis proposito. Emendatio autem offensæ contra aliquem commissæ, non fit per solam cessationem offensæ, sed exigitur ulterius quædam recompensatio, quæ habet locum in offensis in alterum commissis, sicut & retributio . . . . Utrumque autem ad materiam justitiæ pertinet; quia utrumque est commutatio quædam, unde manifestum est, quod pœnitentia, secundum „ quod est virtus, est pars justitiæ — Hinc fit non esse generalem quandam virtutem, sed specialem, quæ modo dicto tendit ad Dei offensam reparandam.

Pœnitentia pars justitiæ.

20 OBJIC. II. Respiciens generale objectum non est specialis virtus; atqui hujusmodi est pœnitentia, cum pro objecto omnia habeat peccata; non est igitur specialis virtus.

RESP. Licet Pœnitentia omnia dete-

stetur

Pœnitentia sub una ratione omnia peccata respicit.

stetur crimina, non illa tamen abhorret, ut huic, aut alteri virtuti opposita, puta Temperantiæ, Religioni &c., sed solummodo sub indivisibili ratione expiandi divinam offensam. Audiatur Sanctus Thomas *quæst. cit. art. 2. ad 2.* — Pœnitentia habet quidem „ realiter generalem materiam, inquantum „ respicit omnia peccata: Sed tamen sub „ ratione speciali, in quantum scilicet sunt „ emendabilia per actum hominis cooperan„ tis Deo ad suam justificationem —

21 OBJIC. III. Ad eandem spectat virtutem prosequi bonum, & malum fugere; atqui bonum prosequi rationi consonum omnibus virtutibus competit: ergo & fugere malum, seu peccatum; adeoque non requiritur specialis virtus pœnitentiæ.

RESP. Potest quis a malo recedere simpliciter, & illud detestando: Potest v. g. quis ab intemperantia recedere per hoc, quod ab ebrietate abstineat, vel quia est offensa Dei, atque per satisfactionem reparare intendit læsum jus divinum. Ut primo modo quis a malo fugiat, nequaquam necessaria est specialis virtus, benè verò si secundo modo vult a malo recedere. Hoc namque pacto intervenire debet detestatio mali perpetrati; quod pœnitentiæ unicè convenit.

Dupliciter potest quis fugere a malo.

22 OBJIC. IV. Peccatum prout est Dei offensa, ipsi injuriam irrogat; atqui sola Charitas versatur circa bonum Dei: ergo eadem est, quæ refugit peccatum, ut Dei offensam importat.

RESP. Charitas, quæ Deum respicit ut summum bonum in se ipso, potest odio habere peccatum, quatenus prædicto summo bono in seipso opponitur, non tamen tendit primariò ad resarciendam, & reparandam divinam offensam, quæ injuria, & offensa Dei, sed hoc spectat ad pœnitentiam. Nulla etenim virtus, aut potentia sui objecti limites excedere potest. Cum igitur, quidquid Charitas attingit, semper sit in ordine ad bonum Dei secundum se, utpote cujus ratio *sub qua* est divina bonitas, hinc fit ad pœnitentiam spectare divinum jus læsum per satisfactionem reparare. Et quamvis ipsa a Charitate imperetur, non tamen infertur non esse specialem virtutem; Nam ut notat Sanctus Thomas *in 4. dist. 14. q. 1. art. 1. quæstiunc. 3.* — Nulla virtus re„ cipit speciem ex hoc, quod imperatur ab „ alia virtute —

Charitas non eodem modo Deum respicit, ac Pœnitentia.

23 OBJIC. V. Si Pœnitentia inter speciales virtutes adnumerari posset, virtuosior esset, qui frequentius peccaret, ac pœniteret; quia ex frequentatis actibus vel augetur virtus, vel ad majus augmentum disponitur; Sed hoc est falsum: ergo.

RESP. Ut quis per actuum repetitionem fiat virtuosior, necesse est virtutem primò habitam magis, magisque intendi, quod ut contingat, virtus ipsa perseverare debet; Quando autem quis peccat, cum gratiam, cæterasque infusas virtutes amittat, quas inter Pœnitentia recensetur, jam in aperto est ipsam non posse intendi, neque virtuosiorem evadere, qui peccat, atque pœnitet.

Virtus quomodo intendatur.

24 OBJIC. VI. Si Pœnitentia ex eo specialis virtus esset reputanda, quia tendit in destructionem peccati sub ratione offensæ Deo irrogatæ, dicenda foret virtus Theologalis, cum respiceret immediatè Deum offensum; offensa namque passiva immediatè recipitur in Deo, cum ipsa sit moralis privatio ultimi finis Deum immediatè afficiens; atqui nemo dicet Pœnitentiam esse virtutem Theologicam: Ergo vel non est specialis virtus, vel ejusdem objectum non benè explicatur.

RESP. Virtus Theologalis immediatè respicit Deum tanquam objectum, & finem; Pœnitentia immediatè peccatum commissum ut expiabile, Deum verò ut finem, cui satisfactio exhibenda est. Insuper Virtus Theologica habet pro mensura ipsum Deum, atque ab ipso regulatur, Pœnitentia autem a prudentia, quæ præscribit quomodo, & quando dolendum est.

Discrimen Pœnitentiam inter, & virtutem Theologalem.

25 DICES. Virtus moralis habet medium; atqui Pœnitentia medium non habet; quia homo magis, magisque de peccato dolere potest; ideoque sicut de Charitate dicitur: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo*, ita de Pœnitentia: *Convertimini ad me ex toto corde vestro*: ergo non est virtus moralis, sed Theologica.

RESP. Odium peccati duplex est, aliud per modum fugæ, quatenus peccatum est malum bono Charitatis oppositum, quo pacto est secundarius ejusdem actus, neque est invenire medium, aliud est odium per modum aggressionis peccati sub ratione offensæ reparandæ, hocque propriè Pœnitentiæ competit, & secundum hanc considerationem a medio, si per excessum recedat, incidit in desperationem, ut in Juda videre est, sicut & per defectum ut in Antioco.

Duplex peccati odium.

26 INSTABIS. Dolor de peccato nusquam sive quoad intensionem, sive quoad durationem superfluus dicendus est; nisi quando impedire posset aliarum virtutum actus; atqui hoc idem verificatur de Charitate: ergo utraque eodem modo regulatur: ergo utraque est virtus Theologalis.

RESP. Prudentia aliter regulat morales, aliter Theologicas virtutes, has videlicet per accidens, & ex parte subjecti earum actus moderando quoad executionem, ne propter excessum impedire aliud bonum possint, illas verò circa proprium objectum secundum certam rationem medium statuendo, quo posito nusquam Pœnitentiæ actus nec quoad intensionem, nec quoad durationem superfluit.

Prudentia regulat Pœnitentiam.

27 OBJIC. VII. ex Luthero: Juxta commune proloquium *Optima Pœnitentia, nova vita*; atqui nova vita non dicit specialem aliquam virtutem: ergo.

RESP. Nova vita dicitur optima pœnitentia, quia exuendo veterem hominem, & novum induendo, qui a Deo creatus est, tanquam a signo planè evincitur veram fuisse conversionem, sed non inde probatur absque speciali virtute, quæ pœnitentia est, fuisse peractam. Juvat hic Augustini sententiam supra n. 18. allatam exscribere — „ Non sufficit mores in melius mutare, & „ a factis malis recedere; nisi etiam de„

Nova vita per Pœnitentiam.

„ iis,

„ iis, quæ facta faur fatisfiat Deo per pœ-
„ nitentiæ dolorem, per bomilitatia ge-
„ mitus, per aontriti cordis facrificium —
28 OBJIC. VIII. Si Pœoitentia affet
fpecialis quædam virtos, aliquid valeret;
atqui hoc eft contra Apoftolum *ad Gal. 6.* —
„ In Chrifto enim Jefu neque Circomaifio
„ aliquid valet, neqoe Præputium, fed
„ nova creatura: ergo.

RESP. Apoftolus eo loci non compa-
rat novam areaturam, eum Pœnitentia, fed
cum Præputio, & Circumeifiooe, quæ atiqae
nihil fuot poft Evangellcæ legis promal-
gationem; Ceterum Pœnitentia etiam ante (*Pœnitentia quāti valeat.*)
jaftificationem non nifi temerè diaitur, nihil
valere; nam Petros Act. 8. illam Simooi
fuadebar. *Pœnitentiam age ab hac nequitia tua*, ficur èt Chriftus plurica illam prædi-
cavit, nude nova creatora non eft ipfa Pœ-
nitentia, fed ab ipfa efformatur.

29 OBJIC. IX. Pœnitentia metapho-
rica, quæ in Scripturis Deo triboitur, per
analogiam ad bumaoam pœnitentiam expli-
catur; atqul illa per fimplicem motatio-
nem explicator, dicente Augustino ad illa
verba Geoefeos 6. *Pœnituit eum, quod homi-
nem feciffet in terra*, quod novit Deus de
bono in melius ftatuta motare, & *lib. 15.
de Civit. Dei cap. 7.* — Ubi enim legitur,
„ quod pœoiteat eum, mutatio rerum figni-
„ ficatur — Ergo etiam humaoa pœniten-
tia in motatione confiftit, ideft, qood bo-
mo booum illud, qood antea prætermifit,
faciat in futurum.

RESP. Certum utique eft non dari in
Deo nifi Pœoitentiam metaphoricè fump-
tam; certum quoque eft pœnitere Dei nil
aliud importare nifi mutationem in effecti-
bus creatis; nihilominus minus hæc meta-
phorica Pœoitentia taliter in Scriptoris de- (*Pœnitentia Deo qualis.*)
fcribitur, ut dolorem ex loquendi modo in-
cludat; Nam poft allata verba fobditue.
Tactus dolore cordis intrinfecus; per quod de-
notatur, quod Deus, fi capax effet, tri-
ftaretur: Cum ergo homini triftitia non
repugnet, jam alarè patet pœnitentiam in
humaois de commiffo crimine importare
dolorem. Nec renoimus admittere Pœni-
tentiam motationem dicere, fed illam,
quæ peccati deftructionem importat: Hæc
porrò non contingit, nifi per dolorofam
deteftationem perpetrati criminis.

30 OBJIC. X. Tonc Pœnitentia nil
aliud effet, quam nova vita, quando Scrip-
turæ illam defcriberent per receffum a ma-
lo; atqui ita defcribitur Jerem. 33. *Rever-
tatur unufquifque a via fua peffima*. Ezech. 3.
Avertatur a via fua impia, & cap. 33. *Im-
pius ut a viis fuis convertatur*, & alibi fæpè:
ergo.

RESP. Utique pœnitentia receffum di-
cit a via peffima, fed verum, atque cri- (*Recedere a malo quid importat.*)
minis deftructivam, qui nonnifi per dolo-
rem, atque deteftationem haberi poteft; ne-
que enim malum, ad quod anima affecta
eft, deferere poteft, nifi illud odio ha-
beat, ac deteftetur.

31 OBJIC. XI. Per Pœnitentiam re-
conciliatur, Deique amieitia reparatur;
atqui Amicus pœnis amici non delectatur:
ergo Deus non exigit a pœnitentibus pœnas,
cordifque afflictionem, fed folummodo fui
A honoris reparationem, quæ plenè habetur
deferendo offenfam, atque obfequium poft-
modum præftando.

RESP. Quia Pœnitentia reparat amici-
tiam cum Deo, ea propter apprimè necef-
farius eft commiffi criminis dolor; Jus nam- (*Injuria compenfari debet.*)
que amicitiæ exigit illatæ injuriæ compen-
fationem; hæc porrò fit per ultionem,
vindictam delicti. Debet ablatus a Deo per
peccatum honor reparari; per fimplicem
autem futuri obfequii exhibitionem honor
nequaquam reparatur, cum per hoc nil aliud,
quam quod Deo debetur, præftetur: Ne-
que enim vel in humanis per folutionem il-
B lius, quod poftmodum debetur, ablata pe-
cunia compenfatur. Deus utique pœnis ami-
ci non delectatur, fed honore fuo, atque
peccatoris falute complacet, ad quod obti-
nendum voluntaria fatisfactio requiritur:
Undè egregiè dixit Chryfoftomus *Hom. 7.
ad Populum Antiochenum* — Judices cum la-
„ trones ceperint, ac facrilegos, non quo-
„ modo ipfos meliores reddant, confide-
„ rant, fed qoomodo ab ipfis peccatorum
„ pœnas exigant: Deus autem contra, cum
„ aliquem ceperit peccatorem, non confi-
„ derat, quomodo fupplicium fumat, fed
„ quomodo ipfum corrigat.

C 32 OBJIC. XII. Pœnitentia dicit re-
fipifcentiam; atqui refipifcentia folam dicit
mentis mutationem: ergo.

RESP. Falfum eft refipifcentiam folam
mentis mutationem dicere; Habetur enim
apud Lactantium *lib. 6. cap. 24.* — Refipi- (*Pœnitentia quasi refipifcentia.*)
„ fcit, quem errati piget, & feipfum ca-
„ ftigat dementiæ, & confirmat ad rectiùs
„ vivendum —

CONTROVERSIA III.

D §. I.

AN CONTRITIO SIT ACTUS LIBER, ET VOLUNTARIUS.

33 CUm virtutis Pœnitentiæ actus
præcipuus fit Contritio, dicen-
te S. Thoma 4. *Sent. dift. 17.
quæft. 2. art. 2. quæftiunc. 4.* —
Ejus actus principalis fcilicet Contritio fe-
cundum fuam fpeciem refpicit tantùm pec-
„ catum præteritum — Operæ pretium erit
ea, quæ adverfus ipfam effutiunt Novato-
res, in medium afferre, atque funditus
E evertere. Lutherus itaque, qui *Serm. 2. de
Pœnit.* Contritionem non jam virtutis actum,
fed vitium potiùs effe defcripferat — Con-
„ tritio quæ paratur per difcuffionem, col-
„ lectionem, deteftationem peccatorum,
„ qua quis (ut dicunt) recogitat annos
„ fuos in amaritudine animæ fuæ, ponde-
„ rando peccatorum gravitatem, damnum,
„ fœditatem, multitudinem, deinde omif-
„ fionem beatitudinis, & æternæ damna-
„ tionis acquifitionem, & alia quæ poffunt
„ triftitiam, & dolorem excitare, fpe fa-
„ tisfaciendi per bona opera, facit hypo-
„ critam, immò magis peccatorem — Lu-
therus,

„ therua , ioqnam , eum eigidia Lutheranla contendit nihil aliud esse cunieitiunem , quam terrorem qoeudam ea cuosideratiuue commissi peccati , atque cumminati supplicii viuleuter conceptom , rurquentem coofcientiam , eaque propter oun esse actiunem , sed passiunem nuu jam liberam , sed cuactam , quatenus homo a Deo conteritur, ut deiude per fidem justificetue . Talia colligimus ea colloquiu Altemburgeosi *in Collatione* 4. in respoosiune ad Lutheraoos molles, oppositum seotiemea a eigidis, facta ad illorum tertlom scriptum argumeutu 21. -- „ Contritio noo est upus nostrum , est potius passio nustra , qua cunterimur , & „ coocotimur . . . . Nus passivi tautum fumus, oua nibil agimus sed patimur : ipse „ Deus noa conterit,oun ipsi oos -- Heldeggerus Tigurinus Minister vult ioeenatis, ideft justia , Conritiunem voluntariam , & liberam , sed io non renatia , ideft peccatoribua , vult meram esse passionem .

34 Attamen cum Tridentino *Seff.* 14. *Can.* 5. -- Anathema dicimus eootra asse„ rentes contritiunem oun esse verum , & „ utilem dulorem . . . . sed esse dulurem „ coactom , & oon liberum , & vuluuta„ rium -- &

Actus necessarius præcepto negatur.

PROB. I. Actoa , qui a Deo præcipitur libee deber esse , & vuluutarius ; quod enim oecessarium est , sub præcepto cadere nequir , cum nuo sit sub oustra potestate , eaque prupter inutiliter præciperetur ; atqui Contritio a Deo præcipitur : Joelis 2. *Scindite corda vestra* : Matth. 4. *Pœnitentiam agite* , & alibi sæpeuomeru : Ergo debet esse actos liber , & vuluutarius .

35 PROB. II. Veram contritiooem comliautur gemitus , lacrymæ , atque dolentis animæ suspiria ; atqui hæc gratissima Deu fuut ; ùt legitur apud S. Ephrem *Serm.* 3. *de Compunctione* -- O lacrymarum „ poteutia , quomodu io icto oculi quasi „ præpetibus sublata pennia io Cœlom re„ vehia , atque asrendis , & pustulata a „ Deo Sancto obtioes ? Occorritque tibl hi„ lariter , iodulgentiam , ac remissiuoem „ peccatuorom deferena -- Apod Chrysostomum *Serm.* 6. *de Pænit.* -- Clamat Jeeemias „ compunctus pro Pupulu : *Quis dabit capi„ te meo aquam , & oculis meis fontes lacry„ marum , & flebo vulnera Populi mei ?* Scie„ bat enim , quud lacrymæ juvareot Pupu„ lum transmigratum ; sciebat , quod ejus „ fletibus suhveniret ; sciebat , quud Deus „ logentes lætificat , & pœuiteutibus præ„ stu est . . . . Lacrymæ soot , quæ recon„ ciliant Deo , a peccatls redimunt , & „ fanant languures ejus · Si ergo lagrimæ, & suspiria Deu placent , peccatorum remissiouem obtiueut , lugentesque Deus lætificat , jam iu apertu est cuotritiunem oon passiunem cuactam , & iuvoluntariam , sed liberum, ac spuntaneom dulurem esse ; aliàs qui liberè , & vuluotariè a Deu per peccatum eecesseruot , per iuvoluotariam animi tuleraotiam ad Deum converterenrur, eique recoociliarentur , quud absurdum esse nemu oous est , qui nou videat .

Conversio ad Deum voluntaria.

36 PROB. III. Ideo pee adversaotes Hæreticos cootritio passio est coacta, & iuvoluntaria, quia autumaor ipsam nihil aliud esse , quam terrurem ea cousideratione commissi criminis , comminatique supplicii ; atqoi hojusmodi terror , etsi ad cootritionem dispunat, non ramen est ipsa cuotritiu : Nam ùt dicit Apostolos 2. ad Curioth. 7. *Quæ enim secundum Deum tristitia est , pœnitentiam in salutem stabilem operatur* . Ecce qood tristitia , seu terroe a Coriuthiis cuuceptus ea objurgatlone Apostoli pœnitentiam parir , ùt inouitur ibidem . *Gaudeo non quia contristati estis , sed quia contristati estis ad pœnitentiam*, seu ùt explicat Chrysostomus, non gaudeo de teistitia , sed de fructu : Hinc S. Cyprianos Lapsos jamjam perterrefactos ad pœoitentiam pruvocabat , & cootritiooem ; quod utique nun fecisset , si coutritiu nil aliud esset , quam terrue ex perpetrati crimiuis coosideratiuoe conceptus . Audiamus Saoctum Martyrem iu fine libri de Lapsis -- Vos verò fratres , quo„ rum timur iu Deum pruuus est , & in „ cuius licèt auimus coostitutus , mali sui „ memur est, Pœnitentes , ac doleutes pec„ cata vestra perspicite , gravissimom con„ scieotiæ crimen aguuscite , ad iutelligeo„ tiam delicti vestri oculos curdis aperite , oec desperantes misericordiam Domini, nec „ tameo jam veoiam veudicautes -- Porrò prædictum terrorem viam parare ad Charitatem clarè ducuit Augustinus *Tract.* 5. *in Epist. Jo.* -- Si nullus est timur , non est , „ qua intrer Charitas --

Terror non est contritio, sed ad ipsam disponit.

37 His addas velim , quaodoque haberi cuntritiunem sioe præcunceptis animi terruribus , ùt Luc. 7. de Muliere peccatrice legitor : *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm* : quandoque cum terroribus stat prævaricatricis animæ obstinatio , oode de Felice Præside refertor *Act.* 24. ex Pauli verbis ipsum contremuisse , haud tamen fuisse converium .

§. II.

OPPOSITA HÆRETICORUM ARGUMENTA.

38 OBJIC. I. ea Luthero Jeram. 23. legitur : *Quid paleis ad triticum , dicit Dominus ? nunquid non verba mea sunt quasi ignis , dicit Dominus , & quasi malleus conterens petras ?* Sed ignis violenter cumburit , malleusque similitee absque patientis couperatiune conterit : ergo violenta est passiu ipsa contritiu .

RESP. Eo loci, juata Sancti Hieruuymi eaplauationem discrimen ponit Dominus falsus iutee , & veros Prophetas , intenditque prupalam facere falsorom Prophetarum prædicatiunem nollam efficaciam baberc cor eacitandi ad compunctionem ; econtra verò Prophetas Dumini huminum corda muvere ad cooperaudom Deo per liberum arbitrium motom ab ipsomet , & eacitatum : Illi, cum vana, & quæ placebant homioibus , nunciarent , ipsorum saluti nihil proderaot, isti autem minitandu flagella , & supplicia ad pœnitentiam incitabaot ; ad indicandam

Homo cooperatur Deo.

porrò

Google

porrò horum Prophetarum in concionando efficaciam, comparat Deus verba sua, quæ per os illorum ad audientes dirigebat, tritico, quia utilia, igni, & malleo, quia virtutem habebant ad conterenda vel duriora saxis hominum corda. Conterit tamen Dominus, sed et seipsum conterere debet peccator, Joelis 2. *Scindite corda vestra*; ille conterit movendo, & excitando ad pœnitentiam, hic seipsum conterit per liberam voluntatem Deo cooperando. Perperam igitur Lutherani ex laudato Jeremiæ textu propugnant contritionem passionem esse non liberam, sed coactam, cum apprimè innotescat ipsam liberam esse, & plenè voluntariam.

39 OBJIC. II. ex Heideggero. In contritione passiones ad illam constituendam omnimodè necessariæ inveniuntur, ut est futuri judicii timor, compunctio cordis, atque error de peccato: ergo ipsa contritio in passione consistit.

RESP. Utvis antecedenter, sive concomitanter passiones ad contritionem constituendam concurrant, non inde tamen licet inferre ipsam formaliter in passione consistere: Nam taliter passiones contritionem præcedunt, ut tamen liberè operetur voluntas: Sicut, ut oculus videat, necesse est, ut speciem objectum repræsentantem recipiat, sed taliter recipit, ut eliciendo visionem verè agat activè, ita in nostro casu recipit homo gratiam adjuvantem, excitantem &c., sed recipiendo cum Deo operatur; quod brevibus dicit Augustinus *lib de Gratia, & libero Arbitrio cap.* 17 — Ut ergo velimus, „ sine nobis operatur, cum autem volumus, & sic volumus, ut faciamus, nobiscum operatur —

Passiones simul cum libera contritione.

40 OBJIC. III. ex eodem. Actiones, quæ in contritione salutariter adinveniuntur, gratuitæ sunt Spiritus Sancti operationes; atqui caro semper Spiritui Sancto resistit: ergo.

RESP. Certum utique est voluntatem, dum internæ Spiritus Sancti motioni reluctatur, nunquam actum salutarem elicere, cæterum gratuita Dei operatio ita carnem spiritui repugnantem superat, ut voluntas non ex naturæ, sed ex gratiæ viribus cum eodem cooperetur, atque in ordine ad propriam justificationem liberè, & voluntariè agat. Non itaque contritio est passio coacta, sed dolor liber, & voluntarius.

Voluntas non semper spiritui reluctatur.

CONTROVERSIA IV.

§. I.

AN IMPERFECTA CONTRITIO, EX PŒNÆ TIMORE ORTA, SIT BONA, ATQUE UTILIS.

41 NOn est impræsentiarum quæstio, an imperfecta contritio, quæ vulgo dicitur attritio, seu dolor, ex pœnarum metu concepta cum Pœnitentiæ Sacramento conjuncta sufficiens sit ad justificationem: Hoc siquidem fidei summam non attingit, sed contra Hæreticos instituitur Controversia: Lutherus namque docuit dolorem hujusmodi facere hominem hypocritam, atque magis peccatorem, ut in superiori Controversia notatum est. Quid senserint Lutherani ex ibidem dictis facilè deprehendes. Heideggerus per summum nefas fingit Tridentinum statuere attritionem sine Fide, & Charitate ad pœnitentiam disponere, cum aliàs in aperto sit ex *Sess. 6. cap.* 8. justificationis initium Fidem esse, immò *Sess.* 14. *cap.* 4. damnaos asserentes attritionem ex turpitudine peccati, vel ex gehennæ, & pœnarum metu ortam facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, vult esse conjunctam cum spe veniæ; porrò spes in fide radicatur: Calumniatur igitur Hæreticus Tridentinum, dum ex ejusdem mente asserit contritionem sine fide ad justificationem disponere.

Hæreticorum calumniæ dispelluntur.

42 Verùm priusquam Catholicum dogma rationibus firmetur, notandum venit attritionem aliam esse, quæ ex pœnæ timore taliter oritur, ut si non adesset pœna, a peccato non recederet, & hujusmodi timor dicitur serviliter servilis, seu mundanus, & malus est; aliam esse, quæ de peccato quidem dolet ob pœnæ timorem, sed timor pœnæ est motivum quare a crimine recedat, atque ad Deum convertatur, & timor hujusmodi dicitur simpliciter servilis, eumque bonum utilemque esse catholicè profitemur.

Attritio duplex.

43 PROB. I. Timor ille, qui est principium operis virtuosi, quique peccatum expellit, nequit non esse bonus, utilisque; atqui timor, qui attritionem causat, est principium boni operis, atque peccatum expellit: Proverb. 1. *Timor Domini principium Sapientiæ*; Ecclesiastici 1. *Timor Domini expellit peccatum, nam qui sine timore est, non poterit justificari*: ergo hujusmodi timor bonus est, atque utilis; Nec argumenti vim effugiet, qui diceret, ibi sermonem esse de filiali timore: Nam si timorem Domini peccatum expellere asserit Scriptura, jam pro comperto est præsupponi peccatum, quod expellatur. Unde Christus Matth. 10. ad timorem Dei æternas pœnas peccatoribus infligentis homines adhortatur: *Timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam*, quæ verba explicans Augustinus *ser.* 18.

Timor principium boni operis peccatum expellit.

de verbis Apostoli cap. 8. ait -- Modo tu dicis mihi, gehennam timeo, ardere timeo, in æternum puniri timeo, quid dicturus sum? Malè times, vanè times? Non audeo, quandoquidem ipse Dominus ablato timore subjicit timorem, & ait, ubi dixit. Nolite timere, qui corpus occidunt, & postea non habent, quid faciant, sed eum timete, qui habet potestatem &c. -- Et *lib. 1. contra Adversarium Legis, & Prophetar. cap* 16. -- Salubriter non solùm bonitatem, verùm etiam severitatem Dei S. Scriptura commendat; quoniam & amatur Deus utiliter, & timetur -- Si ergo laudatur timor Dei ex pœnarum consideratione conceptus, cur laudabilis non erit, adeoque bona, & utilis imperfecta contritio ex eodem timore exorta?

Timor servilis a Spiritu Sancto est.

44 PROB. II. Quod est a Spiritu Sancto bonum est; atqui timor servilis, ille videlicet, qui ex pœnæ timore oritur, est a Spiritu Sancto, qui peccatorem movet ad recedendum a crimine, atque ad Deum accedendum: ergo bonus est. Argumentum habemus ex S. Thoma 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. -- Nullum malum est a Spiritu Sancto; sed timor servilis est a Spiritu Sancto, quia super illud *Rom.* 8. Non accepistis spiritum servitutis &c. dicit Glosa: Unus spiritus est, qui facit duos timores scilicet servilem, & castum: ergo timor servilis non est malus --

45 PROB. III. ex communi Patrum sententia. Patres perpetuò affirmant timorem ex pœnarum meditatione provenientem salutarem esse. Clemens Alexandrinus *lib. 2. Stromat. propè medium* -- Qui timorem damnant, ii legem etiam insectantur; quod si legem, clarum est, quod & eum, qui legem tulit -- S. Ephrem *Serm.* 1. *de Compunctione* -- Subitò in memoriam mihi venit terribilis ille Christi adventus: unde contremuerunt omnia ossa mea, corporeque simul, & animâ tota exhorrui: atque sic concussus, & perturbatus magno cum dolore cordis flere cœpi, & ingemiscendo dixi: Quomodo ego peccator in illa hora terribili, ac formidanda inveniar? Quomodo ego coram Tribunali tum tremendi Judicis astabo? &c. --

Ex timore pœnarum salutares effectus.

Chrysostomus *Hom.* 15. *ad Populum Antiochenum* -- Vides quantum ex timore lucri factum est? Nisi bonus esset timor, filiis Patres pædagogos non præponerent, non legislatores Civitatibus ullos Magistratus. Quid Gehenna gravius? sed hujus metu nil utilius? Gehennæ namque timor regni nobis affert coronam -- S. Augustinus *in Psalm.* 127. -- Timor nondum castus præsentiam Domini, & pœnas timet, timore facit, quidquid boni facit, non timore amittendi bonum illud, sed timore patiendi illud malum: non timet, ne perdat amplexum pulcherrimi Sponsi, sed timet, ne mittatur in Gehennam. Bonus est & iste timor, utilis est -- Demum cæteris omissis S. Gregor. Magnus *hom.* 22. *in Ezech.* -- Quid est hoc, quod foris concremantur carnes, intus aromata? nisi hoc, quod quotidie videmus, quia duo sunt compunctionis genera. Quia alii adhuc per timorem plangunt, alii verò jam se per amorem in lamentis afficiunt. Multi namque peccatorum suorum memores, dum supplicia æterna pertimescunt, quotidianis se lacrymis affligunt -- Si igitur salutares adeò effectus ex timore pœnarum suboriuntur, quis negare audebit bonos esse, atque utiles; quis imperfectam contritionem, ut malam damnabit? Nemo unus sanè, nisi hæretico imbutus dogmate?

§. II.

HÆRETICORUM DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

46 OBJIC. I. Quod ex charitate non est, inutile censetur ab Apostolo 1. ad Corinth. 13. *Si Charitatem non habuero, nihil sum*; atqui timor pœnarum, atque imperfecta contritio non est ex charitate: ergo inutilis est.

RESP. Quod ex Charitate non est, inutilis dicitur in ordine ad meritum æternæ vitæ: Meritum siquidem gratiam supponit, & Charitatem, quæ utique in attrito peccatore non sunt; cæterum actus sine Charitate inutiles, aut mali dici nequaquam debent, aliàs sequeretur omnia peccatoris opera esse peccata, ut contendebat proscripta Michaelis Baii propositio: Et sanè timor ex pœnarum consideratione conceptus vel externum peccati opus impedit, sed non voluntatem, vel non solùm externum opus, sed etiam peccandi voluntatem refrænat; utroque modo timor ille utvis inæqualiter bonus est. Bonum namque est exterius non peccare, melius est & voluntatem peccaminosam coercere. Porrò solus timor secundo modo consideratus gignit attritionem, quæ est dispositio ad justificationem, accedente Pœnitentiæ Sacramento, ut clarè docuit Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4.

Timor pœnarum duplex.

47 OBJIC. II. Motus animi, qui non est ex Deo, sed ex cupiditate, seu ex amore Creaturæ, nec bonus, nec utilis esse potest; atqui attritio est animi motus, qui ex cupiditate, seu ex amore Creaturæ oritur; ideo enim gehennam timet homo, quia seipsum amat: ergo attritio nec bona, nec utilis est.

RESP. Motus animi, qui est ex cupiditate, seu ex amore Creaturæ, si in ipsa ultimò sistat, & quiescat, utique malus est: Verùm motus animi ex gehennæ timore ortus in amore Creaturæ non quiescit, sed cum sit ex Spiritu Sancti impulsu, nondum quidem inhabitantis, sed moventis, ut loquitur Tridentina Synodus, ad Divinam consegit Misericordiam, & consequenter bonus est, utilisque.

Motus animi ex timore ortus tendit in Deum.

48 OBJIC. III. S. Augustinus affirmat peccare, qui non amore justitiæ, sed pœnæ timore abstinet a malo: Sic legitur *Epist.* 145. *novæ editionis* -- Inaniter victorem se esse peccati putat, qui pœnæ timore non peccat, quia etsi foris non impletur negotium malæ cupiditatis,

ipse

„ ipse tamen mala cupiditas intus est ho-
„ stis — ergo.

RESP. S. Doctor illos damnat, qui a peccato recedunt ex timore serviliter servili, hic peccatum quidem excludit, sed non voluntatem peccandi, de quo sub initio Controversiæ; cæterum timor simpliciter servilis, qui etiam voluntatem peccandi eradicat, ab Augustino non reprobatur, ut supra n. 45. innuimus. Dicas etiam Augustinum non dixisse peccare eum, qui pœnæ timore non peccat, sed solummodo affirmat non esse victorem peccati, quod utique verum est; siquidem timor ille, utvis bonus dici possit, ex quo externum peccati actum impediat, attamen non refert de peccato victoriam, cum pravum affectum non tollat.

Attritio non justificat.

49 OBJIC. IV. Illud malum est, quod excludit Charitas; atqui Gehennæ timor a Charitate excluditur 1. Jo. 3. *Perfecta Charitas foras mittit timorem*: ergo.

RESP. Perfecta Charitas foras mittit timorem sicut perfectum minus perfectum excludit, non tanquam aliquod malum; sicut beatifica visio tum fidem, tum spem excludit, non quia virtutes hujusmodi malæ sint, sed quia perfectiori adveniente, quod minus perfectum est cessare debet. In hoc igitur sensu perfecta Charitas foras mittit timorem. Addas perfectam Charitatem cum mundano timore stare non posse, cum peccandi voluntatem non detestetur, benè verò cum timore, qui ad justificationem cum Sacramento disponit.

Perfectum expellit imperfectum.

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN CONTRITIO SIT CAUSA REMISSIONIS PECCATORUM.

50 UTvis Lutherani, sicut & Calvinistæ ad remissionem peccatorum contritionem requirant, negant tamen ipsam causam esse remissionis peccatorum; cum velint solam fidem justificare. Lutherus *in assert. art.* 2. — Volui enim fidei virtutem
„ declarare, & commendare, quam sola
„ faciat ad remissionem peccatorum, &
„ justificationem pacis. Quod dico, ne
„ quis me putet contritionem, seu pertur-
„ bationem illam cordis, in cognitionem
„ peccatorum suscitatam negare. Volo eam:
„ sed dico eam non operari justificationem,
„ aut remissionem peccatorum: Fides enim
„ in verbum Dei justificat, & purgat — Et
Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. §. 3. — Dici-
„ mus & nos quodam loco nunquam sine
„ pœnitentia obvenire peccatorum remissio-
„ nem, sed simul adjecimus Pœnitentiam
„ non esse causam remissionis peccatorum —
Catholici verò, licet inter se dissentiant, an contritio sit causa merè dispositiva justificationis, vel meritoria de congruo, cum Tridentino *Sess.* 6. *cap.* 6. asserunt Contritionem causam esse remissionis peccatorum; quod intelligi dupliciter potest, primò quia ad justificationem disponit, secundò quia peccatorum remissionem impetrat; cum enim dispositio non solùm se teneat ex parte materiæ, sed etiam ex parte agentis, ea propter actus pœnitentiæ, quatenus ab auxilio gratiæ, & libero arbitrio procedunt, hominemque ad justificationem disponunt, aliquo modo ipsius justificationis efficiens causa dici possunt: Veniam quoque ex laudata Synodo *Sess.* 14. *cap.* 4. peccatorum impetrant: Porrò impetrare, aliquam rationem causæ importat. Prætermisso igitur Theologorum dissidio, an Contritioni in ordine ad justificationem competat ratio meriti, nec ne.

51 DICIMUS Contritionem causam esse remissionis peccatorum.

PROB. I. Qui animam per peccatum mortuam vivificat, causa est remissionis peccatorum; atqui Ezech. 18. *Cum averterit se impius ab impietate sua, ipse animam suam vivificabit*, & aliàs nonnisi contritionem in propriam vivificationem, seu justificationem influit: ergo contritio est causa vivificationis, seu remissionis peccatorum.

Contritio animam vivificat.

52 PROB. II. Luc. 7. de Muliere peccatrice dicitur: *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; atqui particula *quoniam* causalitatem importat, seu influxum in ipsam remissionem peccatorum: ergo.

Remissio peccatorum contritioni tribuitur.

53 PROB. III. Charitas facit Dei amicos, seu potius est ipsamet amicitia hominis cum Deo: Proverb. 8 *Ego diligentes me, diligo*; Unde S. Ambrosius *Epist.* 7. *ad Simplicianum* — Libertas liberum facit ho-
„ minem, Charitas amicum Dei — Atqui perfecta Contritio Charitatem importat: ergo Contritio facit Dei amicum; sed non potest Dei amicum facere peccatorem, nisi expellendo peccatum; aliàs homo amicus simul esset, & inimicus Dei: ergo ipsa expellere debet peccatum: Porrò expellendo peccatum jam est causa remissionis illius. Expellitur namque peccatum, quia remittitur: ergo.

Contritio facit Dei amici.

54 PROB. IV. ex Patribus. Justinus *Dialog. cum Triphone* — Davidis peccatum
„ tum demum remissum est, cum ita plo-
„ ravit, & lamentatus est, sicut de eo
„ scriptum est. Verùm enim verò si viro
„ tanto non ante est noxa remissa, quam
„ pœnitentiam egit, ac tum demum cum
„ tantopere flevit, & res tantas fecit ma-
„ gnus ille Rex, & unctus, & Propheta,
„ quam tandem impuri isti, & nullius men-
„ tis, complorati que adeo homines, nisi
„ lamentati fuerint, & planxerint, & pœ-
„ nitentiam egerint, spem habere possunt,
„ non imputatum illis iri a Domino pecca-
„ tum? — S. Athanasius *lib. de Virginit. post medium* — Magna virtus in lacrymis, &
„ præclara per ea fiunt: magna peccata,
„ & iniquitates per lacrymas obliterantur —
Chrysostomus *lib.* 2. *de Compunctione Cordis* —
„ Sola est cordis compunctio, quæ sicut
„ ignis omne animæ vitium percutit, &
„ adimit, & quantacunque in ea repererit
„ mala, abstergit universa, & penitus de-
„ let — Et *Hom.* 41. *ad Pop. Antiochenum* —

Effectus Pœnitentiæ peccatorum remissio.

„ Vis perfectam discere pœnitentiam? Audi post negationem Petri pœnitudinem. Narraus enim, quæ gesta sunt ab eo, nobis Evangelista dicit: Egressus flevit amarè. Propterea dimissum est ei tale peccatum, quoniam quemadmodum oportebat, pœnitentiam egit — Theodoretus *in Psal. 6.* — Non me latet magna, & gravia commisisse me peccata, veruntamen continenter lacrymor, & ea, quæ a me audacter commissa sunt, deploro, atque meum cubile iniquitate contaminatum semper lacrymis abluo, tentans si per hasce illud queam purgare, & donec remissionem consequar, hoc facere non desinam — Si ergo Contritio, quæ per gemitus, per lacrymas, per cordis compunctionem egregiè describitur, delet, aufert, absterget peccata, jam planè constat ipsam esse causam remissionis peccatorum.

Gratia exigit dispositiones.

55 PROB. V. ex Congruentia. Ita se habet proportionaliter gratia in ordine supernaturali, sicut substantialis forma in ordine naturali; atqui hæc ad connaturalem sui receptionem dispositiones exigit: ergo & illa. Assumptum patet: Nam sicut forma substantialis est entitas, quæ dat primum esse, omnesque radicat potentias, ita gratia est entitas dans primum esse supernaturale, omnes supernaturales virtutes radicat: Illatio tenet ex proportione rationis; forma siquidem substantialis per quasdam dispositiones ad materiam trahitur, quia supra materiæ conditionem elevatur; gratia quoque in supernaturali ordine supra conditionem subjecti elevatur, ideo exigit mediis aliquibus dispositionibus coaptari. Quis autem negare audebit has inter dispositiones connumerandam esse contritionem, adeoque esse causam remissionis peccatorum?

§. II.

ADVERSANTIUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

56 OBJIC. I. Scriptura in opere justificationis actus nostros excludit: ergo contritio nequit esse causa remissionis peccatorum. Assumptum patet ad Rom. 9. *Non est volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei*, Oseæ 3. *Perditio tua ex te, tantummodo in me auxilium tuum*; ex quibus Arausicanum II. *Can.* 4. dixit anathema asserenti Deum expectare voluntates nostras, ut a peccatis surgamus.

Præcedenti robur additur. Si non solus Deus, sed etiam homo in justificatione operaretur vera esset propositio: *Deus justificat impium; Impius seipsum justificat*. Vera & alia: *Non est volentis, sed miserentis est Dei; Non est miserentis Dei, sed hominis volentis*; cum nec Deus sine homine, nec homo sine Deo operetur. Verè demum diceret Deus hominibus: *Sine me nihil potestis facere*, sed homines quoque verè dicerent Deo: *Sine nobis nihil potes facere*. Et jure quidem propter exigentiam utriusque concursus divini, & humani.

Liberum arbitrium a Deo motum operatur.

RESP. Omissa responsione, quæ apprimè convenit textui Apostoli, ipsum, videlicet, loqui de æterna electione, dicimus verificari propositionem, quia Deus nos sua vocatione prævenit, & suâ gratiâ proximum posse tribuit; hoc tamen liberi arbitrii cooperationem non lædit; nam licet ex se solummodo ad deficiendum valeat, auxilio tamen Dei præventum operari supernaturaliter potest, ut Oseas dicit. Nec contra nos urget Canon Arausicani Concilii; ferit namque Semipelagianos, viribus industriæ nostræ tribuentes salutis initium.

Impius dispositivè seipsum justificat.

Nec recensitæ propositiones locum habent; Non prima, quia impium seipsum justificare principalem causalitatem, & non tantùm dispositivam sonat; cæterum hominem aliquomodo dispositivè, scilicet cooperando, sanctificare seipsum ex Scripturis habemus. 1. Joan. 3. legitur: *Omnis, qui habet hanc spem, sanctificat se*. 2. ad Cor. 4. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei*. Non secunda: Deus enim, & homo non æqualiter concurrunt ad justificationem; Deus est primum movens, dansque totum posse, homo verò solummodo gratiâ præventus cooperatur; unde absolutè non est volentis, sed miserentis Dei; Nec demum tertia, propter idem momentum; cum totum hominis operari ex Deo sit, & Deus aliundè justificari possit absque hominis dispositione.

57 OBJIC. II. Si contritio esset causa remissionis peccatorum, homo gratis non justificaretur; atqui hoc refragatur Apostolo dicenti ad Rom. 3. *Justificati gratis per gratiam ipsius*: ergo.

Peccator gratis justificatur.

RESP. Utvis contritio ad peccatorum remissionem concurrat, adhuc gratis justificatur peccator, cum ipsa contritio sit donum Dei, & totus supernaturalis ordo liberaliter sit ab ipso dispositus, atque misericorditer peccatorem excitando ipsum prius diligat.

58 OBJIC. III. Modus ille justificationis, qui Deo, & Christo injuriosus est, nullimodè est admittendus; atqui peccatorum remissio tanquam a causa dependens a contritione Deo, & Christo injuriosa censeri debet; Deus namque, cum sit infinitæ virtutis, alterius ope non indiget, & aliàs Christus vices fidejussoris perfectissimè explevit: ergo, ne justificatio, seu peccatorum remissio Deo & Christo sit injuriosa, dicendum jure est nullam requirere causam ex parte peccatoris.

Hominis justificatio a Deo mediante hominis dispositione.

RESP. Non est Deo injuriosum, quod suavem ipsius Providentiam commendat. Hæc porrò in eo maximè relucet, quod in rebus ad suum perfectionis gradum promovendis, sese rerum naturis accommodet. Porrò congruum sanè videtur hominem, qui liberè per proprios actus a Deo recessit, per eosdem, supposita per divinum auxilium elevatione, ad ipsum reverti: Christus insuper vices fidejussoris perfectissimè adimplevit; Ne tamen ejus meritum nobis esset iniquitatis velamen, nostram exigit dispositionem: ea propter dicebat Apostolus se ea adimplere, quæ deerant Passionum Christi:

sti: Contritio igitue absque Dei, Christi-
A ve injuria ad peccatorum remissionem concurrere poiest.

59. OBJIC. IV. Ejusdem planè rationis est parvulorum justificatio, & adultorum sive in Sacramento, sive extra illud; atqui in parvulorum justificatione nulla ax parte ipsorum datur dispositio, & in illa adultorum sufficit attritio, quæ nullimodè ad gratiam disponit: ergo hominis dispositio non requiritur: argo contritio non est causa remissionis peccatorum.

RESP. Justificatio eadem est in facto esse, ùt ajunt; secus in fieri; Ex natura rei est in parvulorum justificatione proprios
B eorundem actua non concurrere, cum subjectum non sit aptum liberè moveri; unde aliqualis concomitans dispositio, quam virtutum habitus præstant, satis esse apparet; secus evenit in adulto, qui liberè moveri potest, adeoque medio superni numinis auxilio ad gratiam se disponera. Falsum quoque ast attritionem non disponare ad peccatorum remissionem; est quidam dispositio contritione inferior, revera tamen saltem remotè munus causæ dispositivæ exercept, ùt air Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4.

Justificatio eadem in omnibus.

60 OBJIC. V. Si contritio esset causa remissionis peccatorum, eodem instanti, quo daretur contritio charitate perfecta, ha-
C beretur peccatorum ramissio; atqui hoc non verificatur; Nam dicente Christo Luc. 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multùm*, jam planè fit, prius dari dilectionem, & postmodum peccatorum remissionem.

RESP. Laudata Christi verba non jam fuerit causativa gratiæ, seu remissionis peccatorum, sad solummodo declarativa habitæ par contritionem vaniæ: Sicut Mulier, statim ac Christi vestimenta tetigit, a fluxu sanguinis sanata est, & tamen procidenti Mulieri ad pedes ejus dixit Dominus
D Marc. 5. *Esto sana a plaga tua*; quibus verbis eam non curavit, sed potius declaravit sanatam. Perfecta igitur contritio immediatè peccatum dastruit, quamvis declarari possit remissum, atque Ecclasiæ clavibus subjici debeat; cum talem remissionam consequatur cum voto Sacramentalis Confessionis.

Peccata quandoque declarantur remissa.

61 OBJIC. VI. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. docet contritionem aliquando hominem Deo reconciliare; si aliquando; ergo non semper: ergo absolutè falsum est contritionem causam esse remissionis peccatorum.

E RESP. Contritio perfecta semper justificat, utvis cum voto Sacramentalis Confessionis; imperfecta verò, quæ cum attritione coincidit, non justificat, nisi in Sacramento; ea propter benè diait Concilium contritionem non semper, sad aliquando justificare; hæc namque sive perfectam, sive imperfectam complectitur.

Contritio alia perfecta, imperfecta altera.

62 INSTABIS. Etiam contritio perfecta non est causa remissionis peccatorum: sic evincitur aa D. Augustino *Tract.* 13. *in Joan.*, ubi sic habet -- Quantumcumque
„ Catechumenus proficiat, adhuc sarcinam
„ iniquitatis suæ portat. Non illi dimitti-
„ tur, nisi cum venerit ad Baptismum. --
Atqui eadem est contritio sive ante, sive post Baptisma, & aliàs Contritio in Catechumeno potest esse perfecta: ergo si ante illius susceptionem nequit peccata remittere, neque ex post talem vim obtinebit, utvis perfecta sit

RESP. Augustinus asserit non remitti peccata Catechumeno nisi per lavacrum regenerationis, quia rarò taliter proficit, ut perfectam consequatur contritionam. Attendendo igitur ad aa, quæ frequentius contingunt, jure merito potuit Sanctus Doctor asserere non nisi per Baptismum sarcinam iniquitatis deponere; potissimùm si pœnæ reatus perpendatur, qui per sacram quidam ablutionem omnimodè aufertur, rarissimè verò totus deletur per contritionem charitate perfectam.

Rara per contritionem justificatio.

63 OBJIC. VII. ea Picinino. Ita contritio concurrit ad ramissionem peccatorum, sicut dolor de infirmitate ad sanitatem; atqui dolor hujusmodi non est vera causa sanitatis: ergo nequa contritio remissionis peccatorum.

RESP. negando paritatem. Nullum datur pactum, aut promissio, quæ sanitatem polliceatur dolenti da infirmitate; datur è contra certa promissio ramissionis peccatorum habenti de illis doloram Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*; Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis . . . . vitâ vivet, & non morietur; Omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Et sanè utrumqua inter dolorem istum intercedere discrimen, vel ipsa Hæraticus fateri debet; asserit namqua de contritione necessariam esse conditionem ad peccatorum remissionam obtinendam, quod certè de infirmitatis dolore non verificatur; cum quis absque eo quod doleat, sanari utique possit.

Contritio promissa peccatorum remissio.

CONTROVERSIA VI.

§. I.

AN OMNIBUS ADULTIS DETUR POTENTIA MORALIS AD PŒNITENTIAM.

64 DUm S. Thomas 3. *p. quæst.* 86. *artic.* 1. inquirit -- Utrum
„ per pœnitentiam omnia
„ peccata removeantur --
Hoc dupliciter contingera posse asserit --
„ Uno modo, quia aliquis de peccato pœ-
„ nitere non possat: alio modo, quia pœ-
„ nitentia non posset dalare peccatum -- Ea propter loquitur de efficacia, vel inefficacia hujus virtutis tum ea parte subjecti, tum eu parta virtutis; ea parte subjecti tunc inefficacia censeri poiait, quando ad pœnitantiam habendam datur impotentia, ea parte autem virtutis, quando supposito exercitio veræ pœnitentiæ adhuc contritio delere peccata nequaquam valeret. Duo hæc, quæ in eodem articulo ad examen revocat Angelicus, ad majorem claritatem divisivè juvat dilucidare. De primo igitur inpræsentiarum age-

agemus; & ne tempus teramus, ad hoc difficultas devolvetur: An omnis peccator adultus eo in statu constitutus rationabiliter operandi veram moralem potentiam habeat de peccatis pœnitentiam agendi, vel Deus aliquibus sua deneget auxilia ad moralem potentiam crimina deflendi necessaria. Loquimur de potentia morali; non enim e re præsenti est Calvinum, aliosque Hæterodoxos impugnare, qui liberum hominis arbitrium per peccatum extinctam fuisse ausi sunt propugnare. Quidam inter Catholicos dixerunt Deum ob criminum gravitatem auxilia ad potentiam moralem resurgendi a peccatis per pœnitentiam denegare; cumque aliàs ex Patrum testimonio, notisque exemplis in aperto sit, etiam ex scelestissimis fuisse conversos; ex propter prædictam auxiliorum denegationem non quidem ex generali regula, sed ex occulta, & incomprehensibili divina ordinatione evenire affirmant.

65 Dicendum tamen omnibus adultis rationabiliter operari valentibus veram dari moralem potentiam ad agendam de perpetratis criminibus pœnitentiam.

Deus omnes ad pœnitentiã vocat, eisque remissionem criminũ promittit.

PROB. I. Implicat Deum summè veracem fallere, Deumque summè perfectum fictè, & simulatè promittere; atqui Deus universaliter omnes peccatores ad pœnitentiam vocat, eisque criminum remissionem promittit: ergo omnibus vera datur potentia ad pœnitentiam agendam; cumq. certum sit absque veraci Dei auxilio hominem nequaquam pœnitere posse, atque ad hoc veram moralem potentiam requiri, jam planè fit Deum unicuique peccatori mediis auxiliis moralem potentiam ad pœnitendum misericorditer largiri; aut impiè dicendum erit Deum nec seriò vocare ad pœnitentiam, fictèque peccatorum indulgentiam promittere. Minor propositio innumeris comprobari posset Scripturis, unam, alteramve placet afferre: Et primò Isaiæ 55. v. 6. & seq. *Quærite Dominum, dum inveniri potest, invocate eum, dum prope est. Derelinquat Impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum.* Terminus ille *Impius, Iniquus* indefinitè acceptus stat pro omnibus, & singulis, & illa causalis: *Quoniam multus est ad ignoscendum.* Optimè divinæ bonitatis promptitudinem, sinceramque voluntatem remissionis declarat. Joel. 2. vers. 32. *Omnis, qui invocaverit nomen Domini, salvus erit.* Si Scriptura neminem a salute excludit, cur nos aliquos rejicimus? Matth 9. v. 13. *Non enim veni vocare justos, sed peccatores.* Hic quoque nullus excipitur; & cap. 11. vers. 28. *Venite omnes, qui laboratis, & onerati estis* singuli Peccatores iniquitatum pondere onerati sunt; ergo singulos vocat, ut eos reficiat; simulata porrò videretur vocatio, si auxilium, quo ad ipsum accederet, deesset.

Propositio universalis singulos complectitur.

Secundò. Juxta Dialecticorum regulas universalis propositio distributiva omnes, & singulos complectitur; atqui Deus omnes, & singulos ad pœnitentiam expectat. 2. Petri 3. v. 9. *Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant; sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Hic sanè sincera Dei voluntas nolentis aliquem perire apparet, quæ nullimodè intelligi potest, sine auxiliorum collatione, quæ ad conversionem necessaria sunt.

Tertiò. Si qui sunt, quibus deneganda videntur auxilia, obdurati præcipuè sunt; atqui istis Deus non denegat auxilia, sed potius ad pœnitentiam eos vocat: ergo: Minor habetur Jerem. 3. *Frons Mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere: ergo saltem amodo voca me . . . Revertere aversatrix Israel ait Dominus, & non avertam faciem meam a vobis, quia Sanctus ego sum, dicit Dominus, & non irascar in perpetuum.* Ad Rom. 2. v. 4. *An divitias bonitatis ejus, & patientiæ, & longanimitatis contemnis? Ignoras, quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? Secundum autem duritiam tuam, & impœnitens cor thesaurizas tibi iram in die iræ.* En quomodo obduratos vocat, & expectat Deus.

66 PROB. II. Concilia perpetuò docent Deum veram potentiam resurgendi concedere Lapsis: ergo Deus nemini moralem denegat potentiam ad pœnitendum.

Concilia potentiã ad resurgendum a peccatis in omnibus agnoscunt.

Probatur assumptum. Concilium Lateranense sub Innoc. III. *cap.* 1. habet — Si post „ susceptionem Baptismi quisquam prolapsus „ fuerit in peccatum, per veram potest „ semper pœnitentiam reparari — Concilium Senonense *Decreto* 15., relato Apocalypsis textu cap. 3. *Ego sto ad ostium, & pulso*, subdit — Neque tanta gratiæ necessitas „ libero præjudicat arbitrio, cum illa sem„ per sit in promptu, nec momentum qui„ dem prætereat, in quo Deus non stet ad „ ostium, & pulset: cui si quis aperuerit „ januam, intrabit ad illum, & cœnabit „ cum illo — Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 1. — „ Quoniam autem Deus, dives in miseri„ cordia, cognovit figmentum nostrum; „ illis etiam vitæ remedium contulit, qui „ sese postea in peccatis servitutem, & „ Dæmonis potestatem tradidissent — Quod in idem redit, cum iis, quæ *Sessione* 6. *cap.* 14. tradidit, videlicet — Qui verò ab „ accepta justificationis gratia per pecca„ tum exciderant, rursus justificari pote„ runt, cum excitante Deo &c. —

67 PROB. III. A fide alienum est judicare Patres hac in re communiter errasse; atqui Patres communiter docent totum præsentis vitæ tempus aptum esse ad pœnitentiam, quo ducti motivo ad resurgendum a peccatis adhortantur Fideles: ergo singulis veraciter dari auxilia ad pœnitendum rectè præsupponunt.

Tempus vitæ tempus pœnitentiæ.

Minor patet. S. Cyprianus *Epist. ad Demetrianum* ait — „ Quandiù istinc excessum fuerit, nullus „ jam pœnitentiæ locus est; in isto adhuc „ mundo manenti, pœnitentia nulla sera „ est: Patet ad indulgentiam Dei aditus — Chrysostomus *Epist.* 5. — Tanta est Dei hu„ manitas, & erga nos amor; nunquam „ aversatur pœnitentiam sincerè factam: Si „ quis ad malitiæ fines olim penetravit, „ illinc eum ad virtutis viam reducere co„ natur, & recipit redeuntem — S. Prosper

tor

in resp. 25. ad Objectiones Vincentianas — Nemini Deus correctionis adimit viam, neque quempiam boni possibilitate dispoliat — S.Gregorius *lib. 17. Moral. c. 4.* — Quisquis deliquit, & vivit, idcirco hunc divina dispensatio in æquitate tolerat, ut ab iniquitate compescat — Alii plures in eandem confluunt sententiam.

Homo tenetur præcepta servare.

68 PROB. IV. Quandiu vivit homo, omnia præcepta observare tenetur, inter quæ pœnitentiæ præceptum adnumeratur; tenetur insuper actu spei sperare salutem; atqui, nisi Deus concederet moralem potentiam, videretur nequiquam hominem obligari ad illa adimplenda; præcepta namque obligant moraliter accepta; & potissimè spei præceptum nequaquam urgeret; Non possumus enim prudenter sperare, quod solummodo physicè possibile censetur; ea propter omnia peccata venialia nequaquam speramus vitare; quia hoc non jam moraliter, sed tantummodo physicè possibile est: oportet ergo, ut pro adimplendis præceptis, sine quorum adimpletione salus nequaquam habetur, moralis detur potentia. Hinc Tridentinum *Sess. 6. cap. 11.* ait — Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet & facere, quod possis, & petere, quod non possis, & adjuvat, ut possis. Cujus mandata gravia non sunt, cujus jugum suave est, & onus leve — His planè constat Concilium loqui non solùm de physica, sed de morali possibilitate adimplendi præcepta; aliàs gravissima essent Dei mandata.

Viator tendere debet ad terminum.

69 PROB. V. Ea est Viatoris conditio, ut semper tendere possit ad terminum; ideo Christus nos adhortatur, ut benè operemur, donec dies illucescit; venit namque nox, in qua nemo operari potest; atqui, ut homo verè tendere possit ad terminum, requiritur moralis potentia resurgendi a peccatis; hæ siquidem finis, seu termini assecutionem, videlicet beatitudinem impediunt: ergo, quandiu homo viator est, moralem habere debet potentiam resipiscendi.

§. II.

ADVERSA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

70 OBJIC. I. Divino destitutus auxilio moralem potentiam non habet ad pœnitendum; cum hæc ab illo absolutè dependeat; atqui plures propter crimina divino destituuntur auxilio: ergo plures inter peccatores morali carent potentia ad pœnitendum. Assumptum clarè ex pluribus Scripturæ textibus evincitur: Ecclesiastes 7. v. 14. *Considera opera Dei, quod nemo possit corrigere, quem ipse despexerit:* Psal. 8. v. 13. *Dimisi eos secundum desideria cordis eorum, ibunt in adinventionibus suis.* Jerem. 6. v. 8. *Erudire Jerusalem, ne fortè recedat anima mea a te;* & cap. 51. v. 9. *Curavimus Babylonem, & non est sanata, derelinquamus eam.* Quid clariùs ad declarandam derelictionem peccatorum.

RESP. Dupliciter Deus hominem suo destituere potest auxilio, finaliter nempè, & temporariè, hocque vel simpliciter, vel secundum quid. Dubio-procul est Deum finaliter derelinquere eos, qui vivendo pœnitere neglexerunt, æternaliter damnando; negari quoque nequit Deum plures secundum quid destituere, peculiaria quædam sive interiora, sive exteriora subtrahendo auxilia; nemini tamen auxilia ad veram moralem potentiam necessaria simpliciter denegat; Ea propter laudati Scripturæ textus intelligi debent de auxiliorum denegatione secundum quid, qua posita difficiliùs utique homo ad Deum convertitur, majoremque adhibere debet diligentiam, ut a peccatis resurgat.

Dei auxilium dupliciter subtrahi dicitur.

71 OBJIC. II. Potentia moralis ea est, quæ practicè ad actum reduci potest; sed plures sunt, qui hac potentia carent: ergo. Assumptum omnes illæ Scripturæ comprobant, quæ dicunt Deum cor obdurasse; ut Josue 11. v. 20. *Domini enim sententia fuerat, ut indurarentur corda eorum, nec mererentur ullam clementiam.* Joan. 12. v. 39. *Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excæcavit oculos eorum, & induravit cor eorum:* Excæcatus nullimodè videre potest, & induratum cor nequit emolliri.

RESP. Falsum est Deum taliter hominum cor indurare, ut omne iis subtrahat auxilium ad pœnitendum. Sap. 12. v. 10. & seq. maximè describitur Palestinorum obduratio, & obcæcatio: *Non ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum. Semen enim erat maledictum ab initio:* His tamen perversis adeo hominibus dedit Deus moralem potentiam ad pœnitendum; v. 10. *Dabas locum pœnitentiæ;* v. 11. *Veniam dabis peccatis illorum;* v. 20. *Si enim inimicos servorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, dans tempus, & locum, per quæ possent mutari a malitia &c.* Si igitur Deus scelestissimis, quorum non poterat mutari cogitatio in perpetuum, adhuc dat auxilia, per quæ possent mutari a malitia sua, jam pro comperto est neminem carere morali potentia ad pœnitendum. Dicuntur equidem non posse credere, non posse pœnitere, quia difficiliùs obcæcati, & obdurati audiunt vocem Dei, & convertuntur. Dici etiam potest esse aliquos, qui habent auxilia ad pœnitendum necessaria, sed non proxima. Pro quo notandum est potentiam moralem duplicem esse mediatam, scilicet, seu remotam, & immediatam, seu proximam. Mediata, seu remota ea est, quando hic, & nunc Peccator propter circumstantias efficaciter retractare nequit peccatum, habet tamen, quo possit alium virtutis actum elicere, quo posito Deus novum dabit auxilium, medio quo in potentia morali proxima ad efficaciter retractandum peccatum constituetur; hoc ergo posse proximum quibusdam peccatoribus denegat Deus, nusquam tamen illud posse mediatum, & auxilium ad orandum subtrahitur, quo benè utentes ulteriora consequentur. Hæc ita esse evincitur ex S. Augustino *lib. 83. Quæstionum quæst. 68.*, qui de Pharaone, quem obduratum fuisse commemorat

Obduratis Deus non denegat auxilia.

Potentia moralis duplex.

Scrip-

Digitized by Google

Scriptura, loquens ait -- Numquid ergo „ latebat Pharaonem, quantum boni consecutæ fuerunt terræ illæ per adventum „ Joseph? Illius ergo rei gestæ cognitio vocatio ejus fuit, ut Populum Israel misericorditer tractans, non esset ingratus. „ Quod autem huic vocationi obtemperare „ noluit, sed exercuit crudelitatem in eis, „ quibus humanitas, & misericordia debebatur, meruit pœnam --

72 OBJIC. III. Quæ ad fidem, moresque spectant, ex Patrum potius doctrina, quam ex Scholasticorum opinionibus pensanda sunt; atqui Patres affirmant Deum quibusdam moralem potentiam ad pœnitendum denegare: ergo ita sentiendum est. Minorem tradit S. Isidorus *lib. 2. de summo bono cap. 15.* -- Nonnulli ita despiciuntur „ a Deo, ut non possint mala plangere, „ etiamsi velint -- S. Augustinus *lib. 1. ad Simplicianum quæst. 2.* asserit Deum nolle illorum misereri, & *Tract. 53. in Joan.* eos deserere non adjuvando, & *Psalm. 147.* eos non vocare, nec eis aperire sensum, nec infundere gratiam, demum, pluribus omissis, *lib. de perfect. Justitiæ cap. 19.* Eos destituere omni lumine veritatis, & divino adjutorio.

Quod difficile est, dicitur quandoque impossibile.

RESP. Quid senserit Augustinus jam vidimus num. antecedenti. Hic tamen solutionem subdere placet ex Angelico 3. *p. q. 86. art. 1. ad 2.*, ubi objiciens sibi laudati Doctoris auctoritatem ex *Serm. de verbis Domini* desumptam videlicet -- Cum vult „ non potest, quia quando potuit, non „ voluit: Ideo per malum velle perdidit „ bonum posse -- Respondet -- Dicendum „ quod illud verbum Augustini sic intelligendum est: Tanta est labes illius peccati, ut deprecandi humilitatem subire „ non possit, scilicet de facili: secundum „ quod dicitur illum non posse sanari, qui „ non potest de facili sanari --

73 OBJIC. IV. Quod meretur peccatum, quodque ad commune bonum deservit, juste a Deo fit; atqui quædam sunt gravissima crimina, quæ moralis potentiæ subtractionem merentur, & pœna hujusmodi alios retrahit a perpetrandis criminibus: ergo. Immo apud probatos auctores habemus aliquos perditæ conscientiæ homines ita in morte fuisse destitutos, ut ad Deum converti nequaquam valuerint, ut videre est apud S. Gregorium *lib. 4. Dialog. c. 38.*, & apud Petrum Cluniacensem *lib. 1. Mirabilium cap. 25.*

RESP. Nemo unus est, qui dubitet posse Deum juste moralem potentiam peccatoribus denegare; verùm hanc pœnam non fuisse tantam propugnamus, sicut nec anihilationem taxavit, quam aliàs demeretur peccator. Illa autem, quæ afferuntur exempla, intelligenda sunt de impotentia facilis executionis tum propter inveteratam consuetudinem, tum propter perturbatam rationem ob imminentis mortis periculum, morborumque angustias, quibus difficilis valdè sera pœnitentia evadit; ea propter SS.PP. peccatores admonent usque ad mortem nequaquam differendam esse pœnitentiam.

Difficilis in morte conversio.

74 OBJIC. V. Cum statu Viatoris non pugnat Confirmationis donum, quo posse morale ad peccandum aufertur; ergo cum eodem statu non pugnat subtractio potentiæ moralis ad resurgendum a peccatis: Hinc videmus nonnullos in pœnam peccati permitti a Deo, ut in perpetuam labantur amentiam, vel letargiam.

RESP. Confirmationis donum tantùm abest, ut consecutionem termini impediat, ut potius ad ipsum promoveat; secus accidit in carentia moralis potentiæ ad resurgendum a peccatis. Non renuimus admittere in criminum pœnam amentiam a Deo immitti; at hoc non refragatur sententiæ nostræ, quæ loquitur de Adultis expeditum habentibus rationis usum. Crediderim tamen physica illa mala directè a Deo non immitti in pœnam peccatorum, sed stantibus causis naturalibus morbos illos inducentibus non impedire, statuendo sequentes morbos in pœnam. Illud porrò certum est cum timore, & tremore nostram operandam esse salutem.

Amentia quomodo pœna peccati.

CONTROVERSIA VII.

§. I.

AN VIRTUS PŒNITENTIÆ, SEU CONTRITIO, EFFICAX SIT IN OMNIA PECCATA.

75 Armacanus *lib. 9. in Quæst. Armenorum cap. 27.* efficaciæ contritionis derogasse censetur, dum asserit, quod -- Probabiliter videtur juxta Scripturam esse a Deo „ peccatum hominis irremissibile -- Et infra -- Probabiliter videtur posse dici, quod „ est a Deo peccatum hominis omnino irremissibile -- In fine tamen ejusdem capitis affirmat, quod -- Sententiam contrarium frequentiùs sonat Scriptura, scilicet, quod nullus est in hac vita constitutus saltem sanus mente, & corpore, „ quin possit veraciter pœnitere, & communiter salvari --

76 Dicendum tamen non tantùm probabile, sed fide certum esse virtutem Pœnitentiæ, seu contritionem efficacem esse in omnia peccata.

PROB. I. Tanta est contritionis efficacia in voto Sacramenti, quanta est efficacia Sacramenti in re susceptì, atque potestatis Ecclesiæ a Deo collatæ in ordine ad dimittenda peccata; atqui hujusmodi efficacia est in omnia crimina, cujuscumque gravitatis, aut multitudinis sint: ergo et illa erit ad omnia peccata. Minor clarè patet Matth. 16., ubi Christus Petro dixit: *Quodcumque solveris super Terram, erit solutum et in Cælo*, & cap. 18. universis Apostolis: *Quæcumque solveritis super terram, erunt soluta et in Cælo*: Et Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Talis locutionis modus planè universalis est, tum circa personas, tum circa peccatorum gravitatem, tum circa numerum, tum circa tempus,

Universalis efficacia Pœnitentiæ.

atque

atque iterationem; Cur igitur non idem sentiendum erit de Contritione cum Sacramenti voto?

77 PROB. II. Divinas promissiones deceptorias esse, atque fallaces ausus est affirmare; atqui Deus universaliter omnium peccatorum veniam pœnitentibus promittit: ergo Pœnitentia, seu contritio in destructionem omnium peccatorum illimitatam habet efficaciam. Minor propositio perpetuò traditur in Scripturis. Isai. 1. v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Et cap. 55. v. 7. *Derelinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ejus*. Jerem. 18. v. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa a malo suo, quod locutus sum adversus eam, agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei*. Ezech. 18. v. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis .... Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*. Demum Sap. 11. v. 24. *Sed misereris omnium, quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam*. *Omnium*, inquit, *propter pœnitentiam*, quia tantæ efficaciæ est, ut omnia deleat peccata. *Omnium*. Porrò, ut ait Sanctus Ambrosius *lib. 1. de Pœnit. cap. 8.* -- Cum omnis dici-„ tur, nullus excluditur --

Indefinita promittitur venia peccatoribus.

78 PROB. III. Pœnitentia, seu Contritio virtutem, & efficaciam habet ex Christi meritis; sed Christi merita adversus omnia, & singula peccata efficaciam habent: ergo etiam Pœnitentia, seu Contritio efficax est in omnia, & singula peccata. Argumenti pondus ex 1. Joan. 2. habetur: *Filioli nolite peccare; sed si quis peccaverit, Advocatum habemus apud Patrem, Jesum Christum, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi*..

Pœnitentia ex Christi meritis.

79 PROB. IV Pœnitentiæ virtus divinæ innititur Omnipotentiæ, ut ea nos laudatæ Sapientiæ textu comprobatum fuit. *Misereris omnium, quia omnia potes*; cui consonant Ecclesiæ preces -- Deus, qui Om-„ nipotentiam tuam parcendo maximè, & „ miserando manifestas -- Innititur quoque Divinæ Misericordiæ. Isaiæ 55. *Quoniam multus est ad ignoscendum*: Joelis 2. *Benignus, & misericors est, & patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*; sed Divina Misericordia, atque Omnipotentia per quæcunque peccata infinities multiplicata exæquari non potest: ergo neque Pœnitentia a peccatorum multitudine, & gravitate exæquari poterit. Hinc injurius Deo fuit Cain, cum dixit Gen. 4. v. 13. *Major est iniquitas mea, quam ut veniam merear*.

Pœnitentiæ efficacia a divina Omnipotentia, & Misericordia.

80 PROB. V. Si Pœnitentia, seu Contritio inefficax esset, præcipuè circa ea crimina, quæ graviora sunt; atqui et in hæc efficax est Contritio. Scelestissimus fuit Rex Achab, qui alia inter crimina homicidium perpetravit, dum innocentem Naboth per fraudem, subdolamque rationem appetiit, ut lapideretur, ejusque vineam sibi usurparet, & tamen veniam impetravit a Domino. 3.*Reg.* 21. v.27., *& segq.* Impius fuit Manasse, cujus iniquitates enarrat Scriptura 2. *Paralip.* 33., & tamen *egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum suorum. Deprecatusque est eum, & obsecravit intentè, & exaudivit orationem ejus*. v. 12., & seq. Spiritui Sancto resistebant Lapidantes Stephanum, quod sanè gravissimum est crimen, & tamen pro ipsis orabat Protomartyr, eorum non desperans pœnitentiam: Nam ut ait S. Augustinus *lib. 1. Retract. c. 19.* corrigens, quod *lib. 1. de Sermone Domini in Monte* dixerat, esse videlicet grande crimen irremissibile -- „ Quoniam de quocunque pessimo in hac „ vita constituto non est utique desperan-„ dum, nec pro illo imprudenter oratur, „ de quo non desperatur --

Graviora crimina per contritionem deleta.

81 PROB. VI. Vera, seu Christiana Contritio ex suo essentiali conceptu opponitur cuicumque peccato: Ipsa etenim essentialiter conversionem dicit ad Deum, & recessum a creatura, & peccatum, quodcunque illud sit, aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam; atqui essentialiter opposita, sicut conversio ad Deum, & aversio a Deo, nequeunt esse simul: ergo Contritio essentialiter opponitur cuilibet peccato.

Aversio, & conversio ad Deum opponuntur, & sunt incompossibilia.

82 PROB. VII. Id tenendum, quod sacra Traditio suadet; sed Traditio sacra tenet, Pœnitentiam, seu Contritionem efficacem esse in omne peccatum: ergo. Minorem habemus ex Patribus. S. Epiphanius *Hær.* 59. -- Qui post Baptismum in „ majora quædam crimina prolapsus est; „ perinde ac qui virginitate excidit, secun-„ dum habet in continentia commendatio-„ nis gradum: sic ille post Baptismum „ graviore obstrictus scelere, secundum „ habet sanitatis genus. Quod tametsi cum „ tanta, quanta prius virtute minimè con-„ junctum sit, non est tamen a consequen-„ da vitæ spe, ac salutis alienum: igitur „ eorum, qui in capescenda pœnitentia la-„ borant, fructum ac præmium divinus „ sermo non rejicit -- Chrysostomus *hom. 57. de Pœnit.* -- Peccasti, Ecclesiam ingre-„ dere, atque tuum dele peccatum. Quo-„ ties cecideris in foro, toties exurgis: „ sic quoties peccaveris, peccati pœniteat, „ neque desperes. Tametsi secundò pecca-„ veris, secundò pœniteat, neque anima „ consternatus, a spe repositorum bonorum „ cedas. Quamvis novissimo in vitæ die „ peccaveris, ingredere; pœnitentiam „ age -- Et *Epist. 5. ad Theodorum Monachum lapsum* -- Talis, mihi crede, talis est erga „ homines pietas Dei: Nunquam spernit „ pœnitentiam, si ei sincerè, & simpliciter „ offeratur. Etiamsi ad summum quis per-„ veniat malorum, & inde tamen velit re-„ verti ad virtutis viam, suscipit libenter, „ & amplectitur, & facit omnia, quate-„ nus ad priorem revocat statum -- Cyrillus Jerosolymitanus *Cathec.* 2. -- Non dixe-„ ris, gravia patravi scelera, idque non se-„ mel, sed frequentissimè? Nunquid con-„ demnabit? Audi, quid dicat Psaltes. „ Quam magna multitudo bonitatis tuæ „ Domine? Non superant vulnera tua „ summi illius Medici experientiam fide-„ lem, modo te præbeas -- Hilarius

Omnia scelera remissibilia.

Cap. 18. *in Matth.* -- Neque fas est nos ea „ præscripto legis, deodæ veoiæ uumero „ concludi, cum per Evangelii graiiam fine „ modo nobis a Deo fuerit indultæ -- Ambrosius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 4. -- Omuibas „ conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis qoicuuque invocaverit „ nomen Domini, salvus erit -- Cæteri Petres ejusdem labii luut, quidquid in oppositum asserat Morinus *lib.* 9. *de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ cap.* 28. cootendens plerosque antiquos Patres propugnasse blasphemiam in Spiritum Sanctam prorsus irremissibilem.

§. II.

OPPOSITI ERRORIS MOMENTA REFELLUNTUR.

83 OBJIC. I. Odium Dei est peccatum, hoc est peccatum directè contra Deum; atqui peccatum hoc est irremissibile: 1. Reg. 2. *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit vir, quis pro illo orabit?* ergo non est in omnia peccata efficax contritio.

RESP. Sacerdus Heli, cujus suot relata mox verba, unicè intendit exponere peccata in Deum, utpote aliis graviora, efficaciora exposcere suffragia ad remissionem, gratioremque amicam mediationi necessarium: Sicut cum in humanis offendi- *Peccata quædā difficilius remittuntur.* tur Princeps, ad eum placandum non quilibet sufficit, sed Præpositus aliquis inveniendus est: Solutiuoem habemus ex Sancto Ambrosio *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 8. -- Non „ scriptum est, nullus orabit pro eo; sed „ quis orabit pro eo? Hoc est, quis ille „ sit, qui in tali causa orare possit, quæ- „ ritur, non excluditur. Denique habes „ in *Psalmo* 14. Domine, quis habitabit in „ tabernaculo tuo, aut quis requiescet in „ monte Sancto tuo? Non enim nullus, „ sed probatus habitabit: Nec hoc dicit, „ quod nemo requiescat, sed requiescat „ electus .... Et ut scias, quia cum di- „ citur quis? non intelligitur nullus, sed „ aliquis significatur .... similiter igitur „ accipiendum: Quis orabit pro eo? Hoc „ est, singularis vitæ aliquis debet orare „ pro eo, qui peccavit in Dominum, quia „ quo major culpa, eo majora quærenda „ sunt suffragia: Non enim quicunque de „ vulgo, pro Judæorum populo, sed Moy- „ ses rogavit, quando vituli caput, fidei „ immemores adoraverunt ..... Meritò „ igitur scriptum est, Quis orabit pro eo? „ Hoc est, talis qualis Moyses, talis qua- „ lis Jeremias &c. -- Eodem pacto respondet Sanctus Doctor ad auctoritatem desumptam ex 1. Joan. 5. *Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem, petat, & dabitur ei vita peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis.* Eodem, inquam, pacto respondet -- Est peccatum ad mortem non „ de illo dico ut oret quis. Ast enim non „ ad Moysem, & Jeremiam loquebatur, „ sed ad Populum, qui suorum peccato- „ rum alium precatorem deberet adhibere, „ cui satis est, si pro levioribus delictis „ Deum precetur, graviorum veniam Ju- „ storum orationibus reservandam putet. „ Nam quomodo Joannes diceret non oran- „ dum pro delicto graviore, qui legisset „ Moysem rogasse, & impetrasse, ubi „ erat prævaricatio voluntaria, qui sciret „ etiam Jeremiam rogasse? --

84 OBJIC. II. Si Pœnitentia efficax esset in omne peccatum, Deus contritos exaudiret; atqui Deus non omnes contritos exaudit: Psal. 17. v. 42. *Clamaverunt, nec erat, qui salvos faceret, nec exaudivit eos.* Jerem. 7. v. 16. *Tu ergo noli orare pro Populo hoc, neque assumas pro eis laudem, & orationem, & non obsistas mihi, quia non exaudiam te:* Cap. 14. v. 11. *Et dixit Dominus ad me noli orare pro Populo isto in bonum. Cum jejunaverint, non exaudiam preces eorum:* Cap. 15. vers. 1. *Et dixit Dominus ad me, si steterit Moyses, & Samuel coram me, non est anima mea ad Populum istum: Ejice illos a facie mea, & egrediantur:* Demum cap. 30. v. 12., & seq. *Insanabilis fractura tua, pessima plaga tua, non est qui judicet judicium tuum ad alligandum; curationum utilitas non est tibi .... Plaga enim inimici percussi te castigatione crudeli: propter multitudinem iniquitatis tuæ dura facta sunt peccata tua.* Amos 1. v. 3. *Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non convertam eum.* Ex his pro comperto quisquis habere potest quendam dari peccatorum numerum, atque quandam criminum gravitatem, quæ pœnitentiâ etiam Sanctorum non vincuntur.

RESP. Laudati textus Catholicam veritatem non feriunt. Nam Regius Psaltes loquitur de iis, qui a Deo exposcebant non jam delictorum condonationem, sed temporalis pœnæ indulgentiam. Contextus rem declarat: Dixerat namque prius v. 38. *Persequar inimicos meos, & comprehendam illos &c.* Clamabant porrò, ut ab imminenti flagro eriperentur, sed Deus non exaudivit eos. Primum, qui ex Jeremia affertur textus, non urget; etenim, ut explicat Sanctus Hieronymus -- Præcepit Deus, ne *Peccata remittuntur cōtritis.* „ pro Populo peccatore, & nullam agente „ pœnitentiam deprecetur -- Si quis converti non valt, nec oratio proderit, nec efficax esse poterit contritio. Eandem tradit laudatus Ecclesiæ Doctor explicationem ad secundum textum -- Jejunia, preces, & „ victimæ, & holocausta proficiunt, cum „ recedimus a vitiis, & flemus antiqua „ peccata. Sin autem in sceleribus perma- „ nentes putaverimus votis, atque Sacrificiis „ redimere nos, vehementer erramus -- Circa tertium legendus est idem S. Doctor ad vers. 7. -- Quid prodest, sæpius me ro- „ gari, cum a viis suis pessimis non rever- „ tantur, nec agant pœnitentiam -- Textum ex *cap.* 30. exponit de temporalibus plagis a Deo peccatoribus immissis ad illos sanandos -- Propter multitudinem iniquita- „ tis tuæ, & dura peccata tua feci hæc „ tibi, non meæ voluntate, sed medicinæ „ ratione urgente -- Dupliciter ad textum Amos respondet Hieronymus v. 4. -- Si se- „ mel meum esset Populum persecutus, ut „ se-

" secundo, darem veniam : nunc verò cum " tertio, & quarto crudelis extiterit, ut " captivam multitudinem planstris ferreis " tereret; nonne debeo eum plagis corri- " pere? — Hic secundum literam non valt Deus peccata remittere perseverantibus in malo; aliam subdit sensum — Juxta tropo- " logiam verò hoc possumus dicere : Pri- " mum peccatum est cogitasse, quæ mala " sunt. Secundum, cogitationibus adquie- " visse perversis. Tertium, quod mente " decreverit, opere complesse. Quartum, " post peccatum non agere pœnitentiam — Adde : non incongruam esse illorum respon- sionem, qui volunt ex prædictis textibus esse colligendum Deum nolle exaudire preces postulantium liberationem a comminatis pœnis, ùt satis colligi videtur ex contex- tu.

85 OBJIC. III. Ita Deus contritos re- spuit, sicut Peccatores quidam vocantem Deum aspernantur; atqui plures Deo vo- canti resistunt : Prov. 1. v. 24. *Quia vocavi, & renuistis; extendi manum meam, & non fuit, qui aspiceret . . . . Tunc invocabunt me, & non exaudiam; mane consurgent, & non invenient me*. Isaiæ 22. v. 14. *Si dimittetur hæc iniquitas vobis, donec moriamini, dicit Dominus Deus exercituum*. Joan. 8. *Ego vado, quæretis me, & non invenietis, & in peccato vestro moriemini*: ergo.

RESP. Cor contritum, & humiliatum Deus nunquam despicit. In Proverbiis Sa- pientia de inutili illa pœnitentia loquitur, qua judicii die perditi homines frustra inge- miscent, ùt contextus clarè indicat. v. 26. *Ego quoque in interitu vestro ridebo, & sub- sannabo, cum vobis, quod timebatis, advenerit*. Textus Isaiæ, sicut èt Joannis prænunciat finalem illorum impœnitentiam, quos Deus in peccato præscivit morituros; cæterùm veraciter quærentes Deum dubio-procul inveniant : Psalm. 68. *Quærite Dominum, & vivet anima vestra*.

Vera contritioni conjuncta peccatorũ remissio.

86 OBJIC. IV. Pœnitentia Deo ac- cepta ea esse videtur, quæ orationi, ac la- crymis conjuncta adinvenitur; atqui hæc non est efficax ad omnia delenda peccata : Nam 2. Machab. 9. de Antiocho legitur : *Orabat hic scelestus Deum, a quo non esset mi- sericordiam consecuturus*; & ad Hebr. 12. de Esau : *Scitote, quoniam postea cupiens heredi- tare benedictionem, reprobatus est : Non enim invenit pœnitentiæ locum, quamquam cum la- crymis inquisisset eam*; ergo a quorundam peccatorum gravitate Contritionis efficacia devincitur.

RESP. Veraciter pœnitenti Deus quo- vis tempore transfert peccatum. Antiochi sincera nequaquam erat oratio; non enim amore justitiæ, sed præsentis infirmitatis timore, viscerumque cruciatu movebatur ad exorandum Deum, quem placatum exopta- bat, ut a corporeis liberaretur angustiis : Esau quoque nec pœnitebat de peccatis, nec sincerè deflebat crimina, sed unicè de amissa lamentabatur hereditate. Hoc textus declarat : *Cupiens hereditare benedictionem*. En flendi argumentum. Nil itaque miran- dum est, si neutiquam misericordiam consecu- tus sit.

Sola contritio vera efficax in peccatum.

87 OBJIC. V. Pœnitentia, seu Con- A tritio, quod irremissibile est, expellere ne- quit; sed peccata in Spiritum Sanctum sunt irremissibilia : ergo Pœnitentia, seu Con- tritio non omne expellit peccatum. Assum- ptum habetur Matth. 12. vers. 31. *Ideo dico vobis omne peccatum, & blasphemia remittetur hominibus; Spiritus autem blasphemia non remit- tetur. Et quicunque dixerit verbum contra Fi- lium hominis, remittetur ei; qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei ne- que in hoc sæculo, neque in futuro*. Idem le- gitur *Marci* 3. v. 28., & *Luc.* 12. *vers.* 10. Hinc Novatianus, ùt refert S. Hieronymus *Epist.* 149. *ad Marcellam*, post Baptismum B commissa crimina irremissibilia adstruebat, putans ea omnia blasphemiam in Spiritum Sanctum præcontinere; idem sentire visus est Origenes, sicut & Theognostus, ùt col- ligitur ex Sancto Athanasio libro in illud Evangelii : *Quicumque dixerit verbum in Fi- lium hominis* conscripto — Prisci igitur ho- " mines, inter quos & Origenes vir mul- " tarum disciplinarum, & multùm indu- " strius, & Theognostus ille admirandus, " & perquam studiosus, tradunt nobis hanc " esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, " cum qui dignati sunt per Baptisma donis " Spiritus Sancti, recurrunt ad peccata, C " atque inde esse irremissibilia — Cur au- tem peccata omnia sint in Spiritum Sanctum rationem affert Origenes — Deus Pater " (sic habetur apud Sanctum Athanasium " laudato loco) in omnia penetrat, & " omnia continet, animata, inanimata, " rationalia, irrationalia : Filii autem " potestas in sola rationalia sese extendit, " quatenus sunt; inter quæ rationalia Eth- " nici sunt, qui blasphemant nondum re- " cepta fide. Spiritus autem Sanctus in " eos solos sese explicat, qui sui participes " facti sunt Baptismatis gratiâ. Cum igi- " tur blasphemiâ Ethnici peccant, in Fi- D " lium peccant, quoniam ille in illis est. " Possunt tamen veniam consequi. Cum " verò baptizati, in quos collatum est do- " num regenerationis, peccant, istiusmodi " iniquitatem in Spiritum Sanctum sese ex- " tendere ait; quoniam cum Spiritu San- " cto contineruntur, delictum faciunt, ac " proinde incondonabilem esse illorum cul- " pam — Apud eundem Athanasium legi- tur momentum aliud, quo Theognostus propugnabat peccatum in Spiritum Sanctum esse irremissibile — Non propter excellentiam " Spiritus præ Filio inexpiabilis, ac citra " veniam est blasphemia in Spiritum San- E " ctum; sed quia in non initiatis venia " locum habet : In his verò qui gustaverunt " cœleste donum, & initiati sunt, nulla " ad veniam relinquitur excusatio, aut sup- " plicii deprecatio —

RESP. Quomodocumque peccatum in Spiritum Sanctum explicetur, semper verum est, Pœnitentiam, seu Contritionem omne peccatum expellere. Ut autem argumento fiat satis, brevi calamo innuendum est, quodnam juxta Patrum sententiam dicatur peccatum in Spiritum Sanctum. S. Augu- stinus dicit finalem impœnitentiam pecca- tum esse in Spiritum Sanctum, eaque prop-

Peccatum in Spiritum Sãctum remissibile.

ter hoc esse irremissibile per accidens; quia videlicet in eo perseverat peccator ad extremum usque spiritum. In *Enchiridion. cap.* 83. -- Qui verò in Ecclesia remitti peccata non credens contemnit tantam divini muneris largitatem, & in hac obstinatione mentis diem claudit extremum, reus est ille irremissibili peccato in Spiritum Sanctum, in quo Christus peccata dimittit -- Et *Serm.* 11. *de verbis Domini cap.* 12. -- Contra hoc donum, contra istam gratiam loquitur cor impœnitens. Ipsa ergo impœnitentia est spiritus blasphemia, quæ non remittetur neque in hoc seculo, neque in futuro .... Hæc ergo impœnitentia (sic enim uno aliquo nomine possumus utcumque appellare & blasphemiam, & verbum contra Spiritum Sanctum, quod remissionem non habet in æternum) .... Hæc omnino impœnitentia non habet remissionem, neque in hoc seculo, neque in futuro -- Utvis finalis impœnitentia quoddam sit peccatum in Spiritum Sanctum, & quidem irremissibile, attamen Christum de aliquo alio crimine locutum fuisse ex eo satis apparet, quod Judæi, quos Redemptor alloquebatur, in extremo vitæ agone tunc constituti nequaquam erant.

Peccatum dicitur irremissibile, quod difficilius condonatur.

Alii aliter explicant peccatum in Spiritum Sanctum, quocunque tamen modo exponatur, irremissibile dicitur, quia difficiliùs condonatur, eo quod resurgendi auxilium, gratiam videlicet Spiritus Sancti directè abjiciat. Et quidem proportionaliter impræsentiarum loquendum est, ac in Tractatu de Visione Dei loquuntur Doctores adversus dogmatizantes Deum a Beatis intuitivè videri non posse, quia in Scripturis dicitur invisibilis; quod sanè tripliciter explicatur; nempè Deus est invisibilis comprehensivè, viribus naturæ, & in hoc seculo, vel oculo corporeo; ita similiter dicetur irremissibile peccatum in Spiritum Sanctum adæquatè, scilicet quoad culpam simul & pœnam; cum Deus semper illud puniat vel in hoc seculo, vel in futuro; irremissibile quoque intelligi potest communibus, & ordinariis Divinæ Providentiæ viribus, quibus alia peccata remitti possunt; ea propter licet absolutè sit remissibile, tamen in aliquo sensu dicitur irremissibile, sicut in aliquo vero sensu Deus invisibilis nuncupatur. Porrò peccatum in Spiritum Sanctum remissibile esse Patres apertè tradunt. Sanctus Athanasius loco laudato ait -- Sunt alii, qui in Spiritum Sanctum impingunt, atque ita in Christi Deitatem blasphemias dicunt, nimirum quod in Beelzebub Principe Dæmoniorum ejiceret Dæmonia. De istis intelligendum est, quod ait; Non remittetur neque in præsenti seculo, neque in futuro. Quin & hoc observandum est, non dixisse Christum blasphemanti, & pœnitentiam agenti remissionem dandam non esse, sed blasphemanti, & in blasphemia manenti. Quandoquidem nullum est peccatum irremissibile apud Deum, in illis, qui verè, & ex animo, & ut par est, pœnitentiam agunt --

S. Ambrosius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 4. utvis duriùs loqui videatur de remissione blasphemiæ in Spiritum Sanctum, quam in eo etiam esse censet, quod Judæi manifesta Spiritus Sancti opera Dæmoni tribuebant, absolutè tamen remitti posse affirmat -- Omnibus enim conversis pollicetur veniam, quia scriptum est: Omnis quicunque invocaverit nomen Domini, salvus erit. Denique etiam Judæorum Populus, qui dicebat de Domino Jesu: Dæmonium habet; in Beelzebub ejicit Dæmonia, qui crucifixit Dominium Jesum, Petri prædicatione vocabatur ad Baptismum, ut sceleris tanti merita deponat --

Clariùs locutus est juxta datam a nobis solutionem Chrysostomus *hom.* 42. *in Matth.* -- Spiritus ne blasphemia non dimittetur Pœnitentibus? Quod omnino falsum esse patet. Nam & hoc peccatum dimissum scimus, cum multis eorum, qui talia in Spiritum dixerant, ignotum esse constet. Quid igitur est, quod dicit? Significare voluit multò minus cæteris hoc esse ignoscibile, ac veniale. Quamnam ob rem? Quia videlicet quisnam esset Christus ignorabat. Spiritus autem Sancti gratia multis, ac magnis signis seipsam manifestaverat --

88 DICES. Præter Origenem, & Theogoostum, de quibus in argumento, S. Pacianus *Epist.* 3. *ad Sympronianum*, Sanctus Hieronymus *in cap.* 12. *Matth.*, & *in Epist. ad Marcellam*, demum Sanctus Hilarius apertè asserunt blasphemiam in Spiritum Sanctum esse irremissibilem. Adeoque dicendum Patres priorum seculorum propugnasse Pœnitentiam, seu Contritionem in omnia peccata efficacem nequiquam esse. Sanctus Pacianus igitur sic ait -- Hæc cæcitas est, non videre, quod videas, & Sancti Spiritus opera Diabolo deputare, eamque gloriam Domini, qua Diabolus ipse superatur, Diaboli appellare virtutem; Hoc est ergo, quod non dimittetur: reliqua bonis pœnitentibus, Frater Semproniane donantur -- S. Hieronymus -- Qui autem manifestè intelligens opera Dei, cum Dei virtutem negare non possit, eâdem stimulatus invidiâ calumniatur, & Christum denique Verbum, & opera Spiritus Sancti dicit esse Beelzebub, isti non dimittetur neque in præsenti seculo, neque in futuro -- Et ad Marcellam -- Manifestum est peccatum in Spiritum Sanctum ideo non posse dimitti, quod habeat blasphemiam: ut eum videas in virtutibus Deum, Beelzebub calumnieris in factis -- S. Hilarius -- Omnia peccata cujuscunque generis remittenda, blasphemiam in Spiritum Sanctum non remittendam. Quid enim tam extra veniam est, quam in Christo negare, quod Deus sit, & consistentem in eo paterni Spiritus substantiam adimere --

RESP. Quamvis falsò asseruerint Origenes, & Theognostus Christianorum peccata omnia esse blasphemiam in Spiritum Sanctum, nihilotamen minus nequaquam Origenes hujus fuit sententiæ, ut baptiza-

rorum

torum crimina irremissibilia affirmaret, ut evincitur ex *lib. 3. contra Celsum* — Neque „ de injusto docemus sufficere ad hoc, ut a „ Deo recipiatur, si agnoscat suam mise„ riam; sed, qui damnatâ præteritâ suâ vi„ tâ convertat se ad meliorem frugem, „ eum a Deo recipi — Porrò si peccator a Deo recipitur, jam planè fit omnem ipsi remissam fuisse noxam. Theognostus, cum ante Novatianam hæresim scripserit, obscurè locutum fuisse jure dici potest, dicente S. Athanasio loco in argumento citato — Arbitror utriusque sententiam (Ori„ genis scilicet, & Theognosti) nonnulla „ adhuc inquisitione, & observatione indi„ gere, cum occultior sit aliquis, & pro„ fundior in eorum verbis intellectus — Sanctus Pacianus blasphemiam in Spiritum Sanctum dicit irremissibilem non quidem absolutè, sed propter majorem difficultatem: Etenim cætera peccata aliquali indigent excusatione — In cæteris (sic imme„ diatè ante citata verba habet) quippe „ peccatis, aut errore labimur, aut metu „ frangimur, aut carnis infirmitate separa„ mur — In blasphemia verò in Spiritum Sanctum major malitia est, adeoque difficilior remissio; Nec aliter sensisse Sanctum Pacianum dici potest, cum *Epist. 1.* ad quendam Sympronianum inscriptam exemplo Davidis, Regis Babylonis, aliorumque, qui passim in Scripturis referuntur pœnitentes, infert omnia peccata a Deo contritis remitti. Subdens — Nunquam Deus non pœni„ tenti comminaretur, nisi ignosceret pœ„ nitenti — Eadem solutione fit satis ad primam Sancti Hieronymi auctoritatem, quæ non enervatur per ea, quæ ad Marcellam scripsit. Nam ibi utitur figurâ concessionis ad revincendos Novatianos affirmantes omnia delicta esse irremissibilia; Esto siquidem blasphemia in Spiritum Sanctum esset irremissibilis, adhuc non probatur cætera esse sine venia, cum non omnia sint blasphemiæ in Spiritum Sanctum. Nec Sanctus Hilarius a prædictis dissentit, cum solummodo & ipse majorem explicare intendat remissionis difficultatem in blasphemantibus in Spiritum Sanctum: Ibidem namque ait — „ Sub secretu indulgentiæ Dei repositam „ esse veniam, qua omne peccatum sit re„ mittendum —

Origenes, & Theognostus explicantur.

Quorundam Patrum mens explicatur.

89 OBJIC. VI. Peccatum scienter, & malitiosè perpetratum nullimodè est expiabile: ergo contritio quodcunque peccatum delere nequit. Antecedens traditur ab Apostolo ad Heb. 6. v. 4. *Impossibile est enim eos, qui semel sunt illuminati, gustaverunt etiam cœleste donum, & participes facti sunt Spiritus Sancti, gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque seculi venturi, & prolapsi sunt, rursus renovari ad pœnitentiam, rursum crucifigentes sibimetipsis Filium Dei, & ostentui habentes.* Et cap. 10. ejusdem Epist. v. 26. *Voluntariè enim peccantibus nobis post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.*

RESP. Communior solutio ea est, quam nobis suppeditat Angelicus 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *ad* 1. — Quia apud Judæos erant se„ cundum legem quædam lavacra instituta, „ in quibus se pluries ab immunditiis pur„ gabant, credebant aliqui Judæorum, „ quod etiam per lavacrum Baptismi ali„ quis pluries purificari posset. Ad quod „ excludendum Apostolus scribit *ad Heb. 6.* „ Quod impossibile est eos, qui semel sunt „ illuminati, scilicet per Baptismum, rur„ sum renovari ad Pœnitentiam, scilicet „ per Baptismum, qui est lavacrum rege„ nerationis, & renovationis Spiritus San„ cti, ut dicitur ad *Titum* 3. Et rationem „ assignat ex hoc, quod per Baptismum „ Christo homo commoritur: Unde sub„ dit: Crucifigentes sibimetipsis Filium „ Dei — Hanc doctrinam habuit S. Doctor a S. Ambrosio *lib. 2. de Pœnit. cap. 2.* — De „ Baptismate autem dictum verba ipsa de„ clarant, quibus significavit, impossibile „ esse lapsos renovari ad pœnitentiam. „ Per lavacrum enim renovamur, per quod „ renascimur, sicut ipse Paulus dicit: Con„ sepulti enim sumus cum illo per Baptis„ mum in mortem, ut quemadmodum sur„ rexit Christus ex mortuis per gloriam Pa„ tris, ita & nos in novitate vitæ ambule„ mus . . . . Ergo quod ait in hac Episto„ la, quæ scribitur ad Hebræos; Impossi„ bile est lapsos renovari in pœnitentiam, „ ac rursus crucifigentes Filium Dei, & „ ostentatione triumphantes, eò spectat, „ ut de Baptismo dictum credamus — Idem sentit S. Augustinus *in Exposit. inchoata Epist. ad Rom.* — Eos, qui jam baptizati fuerint, „ curari melius dicimus per pœnitentiam, „ non renovari: quia renovatio in Baptis„ mo est, ubi quidem operatur pœnitentia, „ sed tanquam in fundamento. Manente ita„ que fundamento, recurari ædificium po„ test; si autem fundamentum iterari quis „ voluerit, totum ædificium subverti, ne„ cesse est. Propterea hoc dicit Hebræis, „ qui ex novo Testamento ad Sacerdotium „ vetus declinasse videbantur — In secundo textu admonet quoque Apostolus in Ecclesia secundum non adesse Baptismum, aut novam Christi Passionem: Sic Chrysostomus *ibid.* — Secundum aufert lavacrum. Non „ enim dixit, non est amplius pœnitentia, „ neque est amplius remissio, sed, non est „ amplius hostia, hoc est, non est amplius „ crux secunda. Hoc enim vocat ho„ stiam —

Baptismalis amissa gratia per novum Baptismi susceptionem reparari nequit.

90 OBJIC. VII. Si pœnitentia omnia expiaret crimina, certò consequeretur venia; atqui hoc falsum est; nam pœnitentibus ut dubia proponitur peccatorum remissio. Danielis 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum; forsitan ignoscet delictis tuis.* Joel. 2. vers. 12., & 14. *Convertimini . . . . Quis scit, si convertatur, & ignoscat Deus*, & alibi: ergo.

RESP. Singulis ex corde cum Filio prævaricatore clamantibus: *Pater peccavi in Cœlum, & coram te*, Luc. 15. v. 18, infallibiliter Deus confert stolam primam. Nec illa dubietas ex defectu pœnitentiæ est a Scripturis indicata, sed ex pœnitentis infirmitate suboritur; cum non semper ve-

Gratia infallibiliter ad veram contritionem sequitur.

ram

ram habeat contritionem: si autem certò de veraci pœnitentia constaret, nullus superesset dubitandi locus.

91 OBJIC. VIII. Sæpè gravissima sunt delicta, & valdè remissa contritio; sed tunc contritio hujusmodi omnia vincere nequit peccata; nam contrarium vincens fortius esse debet: ergo vera pœnitentia non est efficax in omne peccatum.

Contritio privativè opponitur peccato.

RESP. In quocunque gradu sit vera contritio, omnia, & quæcunque peccata destruit; Cum enim essentialiter conversionem dicat ad Deum tanquam ad ultimum finem, in suo intrinseco conceptu ad quodlibet peccatum privativam dicit oppositionem.

CONTROVERSIA VIII.

§. I.

AN UNUM LETHALE PECCATUM ABSQUE ALIO REMITTI POSSIT.

92 GRatianus cap. *Sceleratior* 39. de Pœnit. dist. 13. quosdam fuisse refert, qui ausi sunt affirmare pluribus irretitum criminibus de uno pœnitere posse, veniamque obtinere, & non de alio. Cæterum fide certum est unum mortale peccatum remitti non posse absque alio: Etenim Tridentinum *Sess. 7. cap. 7.* docet justificationem non esse solam peccatorum remissionem — Sed & sanctificationem, & renovationem interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ, & donorum, unde homo ex injusto fit justus, & ex inimico amicus, ut sit hæres secundum spem vitæ æternæ —

93 PROB. I. Quoties anima ab omni macula perfectè expurgata est, toties omne lethale peccatum ab illa aufertur: Peccatum siquidem est macula animæ; atqui Pœnitentia, seu perfecta contritio ab omni macula animam expurgat: ergo omne aufert peccatum. Assumptum Scriptura docet, Isaias cap. 1. adhortans ad pœnitentiam habet v. 18. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur.* Psal. 50. v. 9. *Asperges me hyssopo, & mundabor; lavabis me, & super nivem dealbabor.* 1. ad Corinth. 6. v. 11. *Hæc quidem fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis;* & 2. ad Corinth. 7. vers. 1. *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis & spiritus*, mediâ, scilicet, pœnitentia: ergo hæc perfectè animam ab omni macula expurgat.

Perfecta contritio animam perfectè expurgat.

94 PROB. II. Veraciter pœnitenti supernaturalem vitam promisit Deus; atqui implicat animam supernaturali vita gratiæ vivere, insimul & mortuam esse per peccatum: ergo implicat unum peccatum, & non aliud remitti; cum utrumque sit mors animæ. Prima propositio frequens est in Scriptura: Ezech. 33. v. 16. *Omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei; judicium, & justitiam fecit, vita vivet.* 1. Joan. 3. *Nos scimus, quoniam translati sumus de morte*

Vita, & mors nequeunt esse in eodem subjecto.

ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non
A *diligit, manet in morte.* Argumentum eruitur ex Augustino *Concion.* 2. *in Psal.* 70. ubi loquens de Lazaro, qui resuscitatus a Christo præsente, ipso etiam absente vivebat; subdit — Non sic anima suscitatur. Suscitat illam Deus, moritur si discesserit Deus. Dicam enim audacter fratres, sed tamen verum. Duæ vitæ sunt, una corporis, altera animæ. Sicut vita corporis anima, sic vita animæ Deus. Quomodo si anima deserat, moritur corpus; sic anima moritur, si deserat Deus. Ipsa est enim gratia ejus, ut resuscitet, & sit nobiscum — Sicut igitur non potest homo
B simul vivus esse, & mortuus, sic non potest anima vivere vitâ gratiæ, & mortua esse per peccatum.

95 PROB. III. Vera pœnitentia est dolor propter Deum summè dilectum, & aliàs dilectio mutuum exposcit amorem. Prov. 8. v. 17. *Ego diligentes me diligo;* & Joan. 14. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo.* Rursum Deus miserendo dimittit peccatum, & miserendo diligit. Jerem. 31. v. 3. *In charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te, miserans;* atqui implicat Deum diligere pœnitentem insimul & non diligere: ergo implicat remittere unum peccatum,
C quod dilectionem importat, & non remittere aliud, quod est non diligere; cum Deo odio sit impius, & impietas ejus.

Deus nequit simul diligere, & non diligere pœnitentem.

96 PROB. IV. Opera Dei perfecta sunt, ut dicitur *Deuteron.* 32.; atqui peccati remissio maximè est opus Dei: ergo debet esse perfecta, atque numeris omnibus absoluta; sed si unum peccatum dimitteret Deus, alio non dimisso, perfecta non esset remissio. Ea propter benè dicebat Augustinus, seu alter sub ejus nomine *lib. de vera, & falsa Pœnit. cap.* 9. — Quædam impietas infidelitatis est, ab illo qui justus, & justitia est, dimidiam spectare veniam —

Peccatorum remissio est Dei opus.

D 97 PROB. V. Facienti, quod est in se viribus gratiæ, Deus non denegat gratiam, atque in suis promissionibus Deus verax est; sed pœnitens de peccato, quia est offensa Dei, fecit quantum est ex se viribus gratiæ, ut promissam peccatorum remissionem consequatur: Ergo Deus reconciliationis gratiam ei non denegat; atqui peccator nequit Deo esse reconciliatus, si omnia non sint remissa crimina: ergo.

Per peccatorum remissionem Peccator Deo reconciliatur.

98 PROB. VI. Contradictoria simul incompossibilia sunt; atqui si pœnitenti unum peccatum remitteretur, & non aliud, contradictoria simul componerentur: ergo unum
E peccatum deleri non potest, quin & omnia deleantur. Minor pluribus patet. I. In eo, cui remissum est peccatum, datur gratia, ubi adest peccatum, datur gratiæ privatio; peccatum namque habituale in gratiæ privatione situm est; sed gratia, & non gratia contradictoriè opponuntur: ergo. II. Contritio dicit conversionem ad Deum, peccatum verò aversionem ab ipso; atqui conversio ad Deum, & aversio a Deo sunt contradictoria: ergo. III. Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu; atqui si in pœnitente adesset peccatum, adhuc aliquid damnationis in ipso remaneret; ac praio-

Remisso peccato datur gratia.

proinde nihil damnationis, & aliquid damnationis in eodem supereſset : ergo.

§. I I.

OPPOSITA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

99 OBJIC. I. Peccata in Scripturis aptè pecuniariis debitis comparantur; atqui in hiſce unum debitum, alio non ſoluto, dimittitur : ergo etiam unum peccatum, alio non deleto, a Deo relaxari poterit.

Diſcrimen inter peccata & humana debita.

RESP. Dupliciter homo rationibus reddendis obnoxius eſſe poteſt, primò per debitum diſſolvens amicitiam, ſecundò per debita pecuniaria. Ubi debita amicitiam diſſolvunt, unum abſque alio nequaquam dimittitur, in cæteris verò unum ab alio ſeparari contingit. Peccatum quoad offenſam debitis amicitiam lædentibus jure æquiparatur; ea propter unum ſine alio remitti nequit. Comparatio quidem pœnæ reatui optimè congruit; ideoque dimiſsâ noxâ quoad reatum pœnæ æternæ, temporalis pœnæ reatus adhuc perſeverare poteſt.

100 OBJIC. II. Diverſa, & inter ſe ſeparabilia ſunt mortalia crimina, ſicut & venialia; ſed inter ſeparabilia unum auferri poteſt ſine alio; ut in venialibus pro comperto eſt : ergo unum peccatum alio non dimiſſo condonari queit.

Peccata connexa quoad maculam.

RESP. Peccata ſunt quidem diſparata, & ſeparabilia, dum perpetrantur, & quoad diverſam tendentiam ad propria objecta, ſed quoad maculam, quam poſt ſe relinquunt, & ſecundum averſionem a Deo ultimo fine adæquatè conveniunt, propterea fieri nequit, ut unum ſine alio auferatur. Peccata porrò venialia nullam dicunt connexionem inter ſe : Opponuntur enim ſoli fervori charitatis, qui ſanè non eſt indiviſibilis.

101 OBJIC. III. Beneficium remiſſionis peccatorum, quod per gratiæ infuſionem contingit, ſub pluviæ ſymbolo nobis per Prophetam Amos cap. 4. deſcribitur; atqui pluvia ſuper unam, & non ſuper aliam Civitatem cadit : ibid. v. 7. *Pluvi ſuper unam Civitatem, & ſuper alteram Civitatem non pluvi : pars una compluta eſt, & pars, ſuper quam non plui, aruit :* ergo unum peccatum ab alio dimitti poteſt.

RESP. Cum Propheta expreſsè loquatur de duabus Civitatibus, ſolummodo evincitur unum juſtificari poſſe hominem alio non juſtificato. Quoniam verò argumentum eſt D. Thomæ 3. *p. q.* 85. *art.* 3. referentis D. Gregorium ſuper Ezechielem dicentem — Cum ille, qui proximum odit, „ ab aliis vitiis ſe corrigit, una eademque Civitas ex parte compluitur, & ex „ parte arida manet : quia ſunt, qui, cum „ quædam vitia reſecant, in aliis graviter „ perdurant — Ideo ab eodem Angelico audiamus ſolutionem — Ad primum ergo „ dicendum, quod illud verbum Gregorii „ non eſt intelligendum quantum ad remiſ-„ ſionem culpæ, ſed quantum ad ceſſatio-„ nem ab actu : quia interdum ille, qui „ plura peccata conſuevit committere, de-„ ſerit unum, non tamen aliud, quod qui-„ dem fit auxilio Dei, quod tamen non „ pertingit uſque ad remiſſionem culpæ —

Peccator ab uno crimine, & non ab alio ceſſare poteſt.

102 OBJIC. IV. Peccatorum remiſſio dilectionis Dei opus eſt; Cum enim inimici eſſemus, ipſe dilexit nos; ſed poteſt Deus hominem ut caſtum diligere, eundem ut furem non diligendo, quo pacto dilexit Eſau ſecundum naturæ bonum, & illum ſecundum malum culpæ odio habuit : ergo unum peccatum, & non aliud dimittere poteſt.

RESP. Culpæ remiſſio opus eſt effectivæ dilectionis Dei gratiam infundentis, quæ omni opponitur peccato : Unde in ordine ſupernaturali nequaquam poteſt hominem diligere, gratumque illum habere, niſi ad ſe tanquam ad finem ultimum ſit converſus; quæ converſio cum indiviſibilis ſit, componi nequit cum averſione ab eodem ultimo fine; ea propter nequit Deus in ordine ſupernaturali diligere amore amicabili ſecundum unum reſpectum, & non ſecundum alium. Nec mirum, quod naturæ bonum amore proſequatur, culpamque abominetur; Hæc namque ad ordines diverſos ſeparabiliter conveniunt, quod in noſtro caſu non contingit.

Gratia omni peccato opponitur.

103 OBJIC. V. Non minus ſub una indiviſibili ratione tendit in ſuum objectum pœnitentia, quam ſcientia v. g. Metaphyſica tendat in ſuum; atqui hoc non obſtante ſtat rectitudo in ſcientia circa aliquas concluſiones cum errore circa alias : ergo ſtabit in pœnitentia deteſtatio, & unius peccati remiſſio abſque deteſtatione, & remiſſione alterius : Et quidem proportionalis ratio in utroque videre eſt : ſicut enim unius concluſionis veritas obſcurior, nec tam pervia eſt ut alia, ita unum peccatum alio gravius eſt.

RESP. Dantur in ſcientiis plura media, quæ ad attingendas concluſiones deſervire poſſunt, quamvis ſub una generali ratione ipſa conveniant, ideoque per unum medium unam attingere concluſionem poſſunt, quin alias attingant : Non ſic loquendum in noſtro caſu, ubi in peccatis ratio divinæ offenſæ eadem eſt, atque omnimodè indiviſibilis, quapropter una offenſa excludi nequit, altera remanente, nec odium unius peccati in ordine ad juſtificationem dari poteſt abſque odio alterius.

Ratio offenſæ eadem in omnibus peccatis.

104 OBJIC. VI. Poteſt homo ex motivo attritionis de peccatis dolere; atqui motivum attritionis diviſibile eſt : ergo unum peccatum ſine alio remitti poteſt.

RESP. Attritio ſub motivo particularis turpitudinis eſt utique diviſibilis; verùm hæc ab actuali Sacramenti ſuſceptione ſejuncta nullatenus juſtificat; ut autem cum ipſo conjuncta remiſſionem peccatorum ſortitur; attamen Sacramentum non niſi producendo gratiam, quæ cum omni peccato incompoſſibilis eſt, juſtificat; quare nunquam contingere poteſt, ut unum poſſit delere peccatum ſine alio.

Gratia omni peccato opponitur.

105 OBJIC. VII. Peccatum conſiſtit

in

in condignitate ad pœnam, donec absolvatur; sed Deus quoad unum, & non quoad aliud absolvere potest a reatu pœnæ cum hæc divisibilis sit: ergo unum peccatum absque alio dimitti potest.

Condignitas ad pœnam æternam est in indivisibili.

RESP. Doctrina in argumento allata Ecclesiæ repugnat, quæ propositionem 56. ex Baïo damnavit — In peccato duo sunt, „ actus, & reatus, transeunte actu, nihil „ manet, nisi reatus, sive obligatio ad pœ„ nam — Quare argumentum ex toto corruit. Addas velim reatum pœnæ, in quo consisteret peccatum, esse condignitatem ad pœnam æternam, quæ in indivisibili consistit, in jure scilicet carendi visione Dei: Porrò fieri nequaquam potest, ut cum jure carendi beatifica visione, quod ex non dimisso peccato resultat, stet carentia ejusdem juris ob dimissum peccatum.

§. III.

ARGUMENTA ADVERSUS ULTIMAM RATIONEM SOLVUNTUR.

106 OBJIC. I. Possibilis est juxta Theologorum placitum status naturæ puræ, in quo peccatum in privatione gratiæ nequaquam consisteret: ergo in eo statu unum peccatum absque alio posset dimitti.

Peccatum in statu naturæ puræ Deum pro pa'to offenderet.

RESP. In statu naturæ puræ lethale peccatum indirectè Deum ut auctorem supernaturalem offenderet, porrò hujusmodi offensa, cum sit indivisibilis, reparari nequit, nisi omne auferatur delictum; Deinde pro tali statu peccatum omnem aversionem diceret a Deo tanquam a fine ultimo ordinis naturalis; ea propter homo, cui unum peccatum dimitteretur, ab eo fine non esset aversus, & propter aliud non dimissum aversus esset, quod contradictionem involvit. Rursum peccatum pro tunc in privatione alicujus naturalis rectitudinis per ordinem ad ultimum finem consisteret: ergo per aliquam formam impossibilem est auferendam: positâ autem tali formâ jam nulla privatio concipi posset.

107 OBJIC. II. Habituale peccatum positivam maculam afficientem animam importat, quæ multiplicatis criminibus augetur; atqui nullum videtur inconveniens Deum entitatem illam sua intensione expoliare: ergo nullum est inconveniens unum peccatum absque alio remitti.

Peccati macula vel totaliter, vel nullimodè tollitur.

RESP. Nec macula quid positivum est, multòque minus intensionis, aut remissionis capax. Verùm admissis iis, quæ falsò supponuntur, nequaquam infertur unum peccatum deleri posse absque alio; quod exemplo habitus charitatis, qui ut vis intensibilis, attamen non jam paulatim amittitur, sed totus simul deperditur. Ratio est, quia quodlibet peccatum, quod maculam magis extenderet, aversionem diceit ab ultimo fine, quæ vel totaliter, vel nullimodè aufertur; ipsa quoque pœnitentia nequit unum detestari peccatum tanquam aversivum ab ultimo fine, quin & aliud detestetur; cum omnia in eadem indivisibili ratione conveniant. Præterea si posset Deus unum peccatum absque alio remittere, non esset major ratio de primo, ac de aliis: Demus igitur primum dimittere, tunc auferretur illa positiva entitas, & intensio per alia crimina inducta remanebit, quæ a solo Deo conservari deberet, cum aliud non habeat fundamentum; quod tamen falsum omnino est, cum peccatum a Deo conservari nequeat.

108 OBJIC. III. Causalitas contritionis moralis est, hoc est, a divina dependens acceptatione; atqui Deus pro sua voluntate causalitatem contritionis per ordinem ad unum, & non ad aliud peccatum acceptare potest: ergo unum peccatum remitti potest, & non aliud.

Contritio omnia detestatur peccata.

RESP. Quidam majorem propositionem negant. Esto tamen causalitas contritionis moralis dicatur, nihilotamen minus sub una, eademque ratione singula detestatur delicta; ea propter nequit a Deo acceptari ut unius, & non alterius peccati detestativa; sed sicut omnia crimina Deo displicent, ita omnia a Deo per gratiam remittuntur. Solutio est D. Th. 3. *p. q.* 86. *art.* 3. — Si enim displiceret illud peccatum, „ quia est contra Deum super omnia dile„ ctum (quod requiritur ad rationem veræ „ pœnitentiæ) sequeretur, quod de omnibus „ peccatis pœniteret. Unde sequitur, quod „ impossibile sit, unum peccatum per pœ„ nitentiam remitti sine alio —

109 OBJIC. IV. Peccata sunt alia aliis graviora: ergo Deus pro aliquibus majorem exigere potest contritionem; quæ si minor erit, pro gravioribus non sufficiet; Unde Deus his non remissis alia condonare poterit.

Contritio omnibus opponitur peccatis.

RESP. Contritio vel omnibus, vel neutri sufficiet: Hæc namque oppositionem habet cum omnibus peccatis, & sub quacunque intensione concipiatur, semper cum omnibus oppositionem dicit; Etenim ipsa conversionem ad Deum, & illa aversionem important, quæ rationes omnimodè incompossibiles sunt.

110 OBJIC. V. Tunc aufertur peccatum cum privatio gratiæ amittit esse privationis; atqui fieri potest, quod privatio gratiæ desinat habere hunc conceptum per ordinem ad unum, & non ad aliud peccatum: ergo possibile est unum peccatum absque aliquo auferri. Explicatur argumentum. Privatio hanc desinit habere rationem per hoc, quod in simplicem transeat negationem; transit autem in negationem, quando non amplius est privatio formæ debitæ: Porrò potest Deus statuere homini debitam esse gratiam pro determinato tempore, puta per annum; carentia gratiæ per peccatum inducta eo anno esset privatio, ipso elapso, cum gratia non amplius esset debita, in simplicem transiret negationem.

Privatio non tollitur sine forma opposita.

RESP. Admisso peccatu habituali in privatione gratiæ consistere, nullatenus absque gratiæ infusione, quæ omnibus opponitur peccatis, auferri potest: Nec vim aliquam habet inducta probatio; Etenim in moralibus ad inducendam privationem, quæ

talis

talis sit quovis tempore, sufficit formam fuisse debitam, quando primò carentia A inducta fuit; nec est necesse formæ debitum semper perdurare; ùt patet v. g. in voto: Si quis voverit per annum die Sabbati jejunare, si jejunium omittat, illa omissio semper erit privatio, donec per oppositam auferatur formam. Deinde qui contra supernaturalem legem peccat, peccat etiam contra naturalem præscribentem legitimè præcipienti obediendum; ea propter, & omne peccatum a Deo tanquam ab ultimo fine, auctore naturæ avertit, & omnis privatio per peccatum inducta est etiam illius naturalis rectitudinis privatio, quæ semper est B debita; cum semper naturalis lex obliget; adeoque in nulla suppositione gratiæ privatio in simplicem transire potest negationem.

111 OBJIC. VI. Possibile est peccatum ab intrinseco irremissibile; atqui in eo casu posset Deus alia remittere crimina: ergo possibile est unum peccatum absque alio dimitti: Majorem probat Cardinalis de Lugo. Potuisset Deus decernere pœnitenti nolle quoddam peccati genus dimittere, puta incredulitatis, hinc decretum homini, qui de facto non crederet peccaminosè, revelare, tunc illud peccatum esset ab intrinseco irremissibile; si enim remitteretur, de- C cretum verum non esset, & revelatio falsa.

RESP. Cum Pœnitentia, seu Contritio ex suis essentialibus cuicunque peccato sit opposita, utpotè illius detestativa propter Deum summè dilectum, fieri nequaquam potest, ut detur dilectio Dei super omnia, & quod aliquod peccatum sit irremissibile; peccatum siquidem essentialiter avertit a Deo summè dilecto. Quod clariùs evincitur ea ratione D. Thomæ loco laudato *art.* 1., & a PP. Salmaticens. *tract.* 24. *disp.* 6 *dub.* 3. §. *IV.* enucleata. Etenim peccatum nequit esse irremissibile ex defe- D ctu virium gratiæ; aliàs defectus refunderetur in gratiam Dei, & qui sic cogitaret, meritò a D. Augustino *in Enchirid. cap.* 98. reprehenderetur -- Quis ita desipiat, ut „ dicat Deum malas hominum voluntates, „ quales voluerit, quando voluerit, ubi „ voluerit non posse in bonum converti? -- nec ex resistentia liberi arbitrii propter idem momentum subjectionis humanæ voluntatis ad Deum, nec demum ex ipsomet peccato, quod tolli jure potest per conversionem ad Deum. Nec urget adducta probatio, nam quod est ab intrinseco irremissibile, non indiget decreto impossibilitatem E decernente; sicut quia impossibile est hominem non esse rationalem, ad hoc non requiritur decretum. Decreta itaque Dei, cum circa rerum existentiam, vel non existentiam versentur, nullimodè rerum possibilitatem respiciunt. Ea propter illud peccatum non esset irremissibile nisi ex suppositione decreti; porrò quod tale est ex suppositione, non est ex intrinsecis, & essentialiter tale. Verum quidem est, stante decreto de irremissibilitate, peccatum aliquod non remitti, sed hinc non colligitur peccatum illud esse essentialiter irremissibile.

Contritio essentialiter ad Deum convertit.

Unde corruit argumentum. Qui ampliorem exoptat solutionem, adeat præclaros Auctores egregiè rem hanc dilucidantes.

112 OBJIC. VII. Potest Deus eodem instanti, quo homo peccatum aliquod actu committit, illud remittere; sed homo ille alia quoque peccata habere potest, quæ Deus nisi satisfactione exhibita remittere velit: ergo unum peccatum absque alio remitti posse videtur. Majorem probat Lugo laudatus: Ipso instanti quo peccatum perpetratur, cedere potest Deus juri suo, & condonare, qua ratione potest quoque peccatum nondum commissum remittere.

RESP. Cum in his enucleandis nihil utilitatis eveniat. Breviter dicendum, peccatum, dum actu committitur, deleri posse, contradictionem involvere: Etenim actualiter peccans a Deo tanquam ab ultimo fine avertitur; cum verò crimen relaxatur, aversio tollitur; adeoque homo ille pro eodem instanti esset aversus, & non aversus a Deo tanquam ab ultimo fine. Manifesta quoque est contradictio, quod peccatum, antequam sit, dimittatur: Nam destructio rei existentiam supponit; seria autem peccati remissio illius destructio meritò censetur. Nequit itaque nunc esse peccatum, simulque esse destructum. Nec quidquam urget illa juris cessio; quia exercita cessio juris non datur, nisi debitum supponatur; quo pacto non datur medicina actu sanativa, nisi morbus præsupponatur; Potest tamen dari medicina a morbo præservans, & hoc modo peccatum præcavere potest in futurum, impediendo ne fiat. Verùm quidem est anticipatam, vel simultaneam cessionem juris deservire posse pro condonatione alicujus effectus extrinseci ad peccatum, non verò pro ipso peccato; v. g. prævidens Deus peccatum crastinum nunc dicere potest, de peccato, quod cras perpetrabitur, nolo pœnam, & vindictam exigere; cæterum nequit ita juri suo cedere, ut nunc peccatum, quod cras erit, deleat.

Peccatum, dum committitur, remitti nequit.

CONTROVERSIA IX.

§. I.

AN DIMISSA CULPA, PŒNÆ ÆTERNÆ REATUS AUFERATUR.

113 IN Constitutione, quæ incipit *In Eminenti*, propositionem 70. Michaelis Baii proscripsit Urbanus VIII., videlicet -- Homo existens in peccato mortali, sive in reatu „ æternæ damnationis, potest habere ve- „ ram charitatem, & charitas etiam perfe- „ cta potest consistere cum reatu æternæ „ damnationis -- Quidam ex Recentioribus propugnantes attritionem nequaquam sufficere pro Pœnitentiæ Sacramento, remissionem culpæ contritioni convenire contendunt, remissionem verò reatus æternæ pœnæ

Sacramento, quo pacto probare contendunt sacramentalem reconciliationem esse Sacramentum mortuorum.

114 Attamen catholicè sentiendo dicimus remissâ culpâ æternæ pœnæ reatum auferri.

PROB I. Ex Apostolo ad Rom. 8. *Nihil damnationis est iis, qui sunt in Christo Jesu*; atqui si dimissâ culpâ remaneret æternæ pœnæ reatus, multum esset damnationis iis, qui sunt in Christo Jesu, ut in aperto est: ergo dimissâ culpâ omnis reatus tollitur æternæ pœnæ: Illum porrò, qui remissionem peccatorum obtinuit, esse in Christo idem Apostolus ad Rom. 6. declarat dicens: *Nunc liberati a peccato, servi facti Deo*.

Dimissâ culpâ nihil damnationis remanet.

115 PROB. II. Debitum carendi vitâ æternâ, & debitum illam habendi, cum inter se contradictoriè opponantur, nequeunt simul esse; atqui reatus pœnæ æternæ est debitum carendi vitâ æternâ, & remissâ culpâ, homo jus habet ad illam: ergo fieri nequaquam potest, ut, ablatâ per contritionem culpâ, æternæ pœnæ reatus remaneat. Quod autem remissâ culpâ jus detur ad æternam felicitatem, perpetuò tradunt Scripturæ. Matth. 3. *Agite pœnitentiam; appropinquat enim Regnum Cœlorum*: Apostolus ad Rom. 6. loquens de peccatoribus ad Deum per pœnitentiam conversis ait: *Nunc verò liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam*. Quid clariùs ad explicandum jus, quod liberati a peccato per contritionem habent ad Regnum Cœlorum?

Remissâ culpâ jus ad æternam requiem habetur.

EXPLICATUR. Æternæ pœnæ reatus est condignitas ad privationem hereditatis Christi; atqui per pœnitentiam peccatorum remissivam efficitur homo heres cum Christo: ergo simul cum culpa æternæ pœnæ reatus relaxatur. Minor patet: Nam per peccatorum remissionem homo constituitur filius Dei: Joan. 1. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri*; Filius autem jus habet ad hereditatem: ad Gal. 4. *Si Filius, et heres per Deum*, & ad Rom. 8. *Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei: si Filii et heredes*: Porrò Spiritus Dei est Dei dilectio, quæ in vera pœnitentia includitur.

Jus ad gloriã non stat cum reatu æternæ pœnæ.

116 PROB. III. Sicut Deus summa veritas est, ita summa bonitas, & sicut a summa veritate alienum prorsus est verum reprobare, seu non approbare, ita summæ disconvenit bonitati bonum, abjectumque amore dignum non approbare; atqui remissâ culpâ, quæ fit per gratiæ infusionem, homo congruum est dilectionis objectum; siquidem ad Coloss. 1. scriptum legimus: *Eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in Regnum filii dilectionis suæ*. De hac autem dilectione loquens S. Augustinus *lib. 15. de Trinit. cap. 18.* ait — Nullum est isto „ dono excellentiùs: Solum est, quod di- „ vidit inter filios Regni æterni, & filios „ damnationis —

Justus a Deo diligitur.

117 PROB. IV. Idem simul esse templum Dei, & Diaboli implicatorium est; atqui justificatus mediâ pœnitentiâ peccatorum remissivâ est templum Dei. 1. ad Corinth. 3. *Nescitis, quia templum Dei estis, & Spiritus Dei habitat in vobis?* & cap. 6. *Membra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est*: ergo nequit esse templum Diaboli; revera tamen esset, si æternæ pœnæ reatus, dimissâ culpâ, remaneret; quia Diabolus jus haberet ipsum apud inferna æternaliter detinendi, ac de ipso veraciter dici posset, Tu ex Patre Diabolo es, & eum eodem æternæ damnationis heres; cumque Apostolus 2. ad Corinth. 6. scribat, *Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? aut quæ societas lucis ad tenebras?* Dicendum venit, dimissâ culpâ, nullatenus æternæ pœnæ reatum remanere.

Nemo simul esse potest templum Dei, & Diaboli.

118 PROB. V. Implicat Dei offensam dimitti, absque eo quod id tollatur, quod ei intrinsecè, & inseparabiliter adnectitur; atqui æternæ pœnæ reatus intrinsecè, & inseparabiliter adnectitur offensæ Dei: Etenim æterna pœna est separatio a Deo tanquam ab ultimo fine, vel saltem ei inseparabiliter conjungitur, ipsaque ratio offensæ infallibiliter ad aversionem a Deo tanquam a fine ultimo consequitur; eaque propter hæc duo separari nequeunt; Quare sicut essentiale est divinæ gratiæ, quæ naturæ Dei participatio est, jus ad gloriam fundare, ita cum per eandem gratiam aversio a Deo, quæ in peccato est, auferatur, reatus æternæ pœnæ, qui ad prædictam aversionem consequitur, tolli necessariò debet.

Offensæ Dei connectitur cum reatu æternæ pœnæ.

119 PROB. VI. ex Patribus. Chrysostomus *Hom. 7.* in posteriorem ad Timotheum — Sicut ignis ubi sylvam occupave- „ rit, omnia purgare consuevit, ita & „ charitatis fervor quocunque inciderit, „ omnia perimit, atque perrumpit: Ubi „ charitas est omnia sublata sunt mala. — Et *lib. 2. de Compunctione cordis* — Sola est „ cordis compunctio, quæ sicut ignis omne „ vitium perurit, & quantacumque in ea „ repererit mala, abstergit universa, & „ penitus delet — Reatus pœnæ æternæ malum est; si ergo contritio omnia mala aufert, & penitus delet, jam planè fit æternæ pœnæ reatum nequaquam remanere. S. Augustinus *tract. 5. in Joan.* — Dilectio „ sola discernit inter filios Dei, & filios „ Diaboli — Non igitur per contritionem justificatus ad æternam pœnam deputari potest, adeoque nullus remanet reatus ad ipsam. Idem passim advenire est apud alios Patres, quos brevitatis causa omittimus.

Contritio omnia mala aufert.

§. II.

ADVERSARIA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

120 OBJIC. I. Sicut venialis culpa temporalis pœnæ reatum fundat, ita lethalis reatum pœnæ æternæ; atqui deletâ veniali culpâ nequaquam temporalis pœnæ reatus deletur: ergo deletâ lethali non æternæ reatus minimè deletur.

RESP. Si venialis culpa per actum ferventissimæ charitatis deleatur, jure meritò tollitur etiam temporalis pœnæ reatus, quia hic incompossibilis est cum illa, & in hoc

hoc habetur paritas: Cum enim mortalis culpa deleatur per gratiam sanctificantem, quæ fundat jus amicitiæ ad Deum, & ad æternam felicitatem, debet quoque auferri id, quod cum hoc jure incompossibile est, eique contradictoriè opponitur, reatus videlicet æternæ pœnæ. Quoniam verò non semper prædicto modo venialis culpa aufertur, ideo dico, non eodem modo reatum venialem culpam consequi, sicut lethalem. Reatus æternæ pœnæ in aversione a Deo essentialiter imbibitur, secus in veniali; Veniali ob violatam legem, atque ob inordinatam adhæsionem ad objectum dissonum debetur pœna; ea propter reatus pœnæ temporalis est magis extrinsecus, nec per hoc quod ipso dimisso remaneat, ea sequuntur contradictoria, quæ in probationibus adnotata fuerunt verificari, si semel dimissâ culpâ æternæ pœnæ reatus permaneret.

Pœna temporalis non opponitur gratiæ.

121 OBJIC. II. Peccatorum remissio analogatur *ex cap. 16. Matth.* remissioni, quæ fit in humanis; atqui in humanis remissâ culpâ pœnæ reatus perseverat; adeoque sæpè, qui remittit, vult reum pœnam a lege taxatam subire, hancque Judex justè infligit: ergo.

RESP. Analogia inter utramque remissionem penes sinceram cordis conditionem versatur; cæterum in humanis reatus pœnæ non contrariatur humanæ amicitiæ; ea propter non liberat reconciliatum ab obligatione solvendi debita vel pecuniæ, vel obsequii amico, aut bono communi, pro quo reparando propter detrimentum ex legum violatione subortum, & propter Civium scandalum statutæ sunt pœnæ: In Divinis autem æternæ pœnæ reatus Dei amicitiæ contrariatur; hæc namque redamationem in gratia radicatam postulat: Porrò gratia fundat jus ad gloriam, cui directè æternæ pœnæ reatus opponitur.

Æternæ pœnæ reatus gratiæ opponitur.

122 OBJIC. III. Omni Theologorum calculo culpa lethalis fundat in Deo jus odii, nec non jus vindictæ; atqui hæc jura omnino diversa, atque inseparabilia esse nemo unus non videt: ergo culpa quoad unum jus dimitti queit, secus quoad aliud.

RESP. Jus vindictæ duplex est, pœnæ videlicet temporariæ, atque æternæ; Jus primum a jure odii separari potest; Unde, dimissâ culpâ, quoad jus odii contingere potest, quod jus temporaneæ vindictæ remaneat; secus loquendum est de jure vindictæ æternæ, sive tale jus a jure odii diversum sit, sive non, utrumque sive eodem Dei beneficio, sive diverso aufertur propter essentialem connexionem unum inter, & aliud, & sanè nulla major odii testificatio concipi potest, quam æternalis separatio peccatoris a Deo: Quare nullatenus intelligi potest Deum jus odii dimittere, perseverante reatu æternæ pœnæ.

Duplex jus vindictæ.

123 OBJIC. IV. Sicut ad culpam æternæ pœnæ reatus, ita ad offensam passivam jus compensationis consequitur; atqui dimissâ offensâ passivâ superest jus compensationis: ergo remissâ culpâ potest reatus æternæ pœnæ superesse.

RESP. Non eodem modo se habet jus compensationis, ac æternæ pœnæ reatus; Jus namque compensationis secundarium est, aliudque jus nempe odii prius a peccato exortum præsupponit; ideoque jus satisfactionis optimè cum amicitia Dei componi potest; aliter de reatu æternæ pœnæ sentiendum est; hic siquidem intrinsecus est aversioni a Deo, qua sublata auferri necesse est; justificatio enim fundat spem vivam æternæ vitæ, dicente Apostolo ad Titum 3. *Ut justificati gratiâ ipsius heredes simus secundùm spem vitæ æternæ*. Cum hac porrò spe nequaquam stat æternæ pœnæ reatus.

Jus compensationis cum Dei amicitia componi potest.

124 OBJIC. V. Deordinatio per peccatum inducta reordinatur per pœnam: ergo necesse est dimissâ culpâ remanere æternæ pœnæ reatum, qui deordinationem auferat.

RESP. Argumentum non tantùm probat prædictum superesse reatum, sed debere peccatorem actu pœnam æternam sustinere, ut per eam inordinatio culpæ reordinetur: Duplex igitur inpræsentiarum considerari in peccato inordinatio potest, una ipsi homini intrinseca per ordinem ad rectam rationem, & ad Deum, & huic æterna competit pœna, quæ tamen a Divina Misericordia per Christi merita exhauritur; oblatus namque est *ad multorum exhaurienda peccata*, ut loquitur Apostolus ad Hebr. 9. v. 28. Inordinatio altera bonum legis respicit, & hæc per temporalem pœnam (legi namque oportet nostris satisfacere operibus) reordinatur.

Deordinatio duplex in peccato.

125 OBJIC. VI. Spiritualis peccatoris salus a Patribus in Lazaro a Christo ad vitam restituto præfigurata meritò censetur; atqui Lazarus ad vitam restitutus exiit e sepulchro *ligatus pedes, & manus institis*. Joan. 11. vers. 44. similiter ergo peccator a culpa solutus sub æternæ pœnæ reatu perseverat.

RESP. Ut alibi dicitur in excitatione Lazari ad vitam nequaquam peccatoris salus per gratiam sanctificantem, atque dantem esse supernaturale designatur, sed inchoata vivificatio per gratiam ad contritionis motum excitantem; unde in institis præfigurabatur reatus culpæ Sacerdotum ministerio solvendus, non autem æternæ pœnæ reatus.

Solvuntur peccatorum vincula per gratiam.

126 OBJIC. VII. Deus in pœnam peccati venialis efficacia denegat auxilia ad resistendum gravi tentationi: ergo etiam dimissâ culpâ æternæ pœnæ reatum potest non remittere. Rursus. Dimissâ culpâ in pœnam præteritorum criminum potest uberiora denegare auxilia, sine quibus homo in gravissima labatur delicta, quæ constituunt damnatorum pœnam: ergo dimissâ culpâ æquè potest æternæ pœnæ reatum non condonare.

RESP. Propter dimissum veniale peccatum efficacia auxilia ad resistendum gravi tentationi non denegat Deus, utvis id quidam approbent Doctores de veniali non remisso; ea propter nulla subsistit proportio ad inferendum, quod dimissa lethali noxa reatus pœnæ æternæ remanere possit. Deus pari ratione propter dimissa lethalia crimina nequaquam uberiora denegat auxilia, quibus homo destitutus in gravia laberetur:

Peccatori converso Deus auxilia non denegat.

Non enim injustus est, vel dolosus, ut peccatum remittat, & ad amicitiam acceptet peccatorem, eique hereditatis jura conferat, dein in pœnam aasilia fabtrahat, & sub reatu æternæ privationis ad hereditatem ipsum derelinquat.

127 OBJIC. VIII. Justo, qui nunquam peccavit, æternam gloriam denegare Deus potest: ergo dimittendo homini peccatum potest illum æternaliter damnare.

Jus ad gloriā inseparabile a gratia sanctificante.

RESP. Denegatio actualis gloriæ, & carentia juris ad gloriam valdè inter se discriminantur. Fieri haud queit, ut Justus non habeat jus ad gloriam; hoc siquidem a gratia sanctificante inseparabile est; utvis Deus per absolutam potentiam actualem gloriæ possessionem non conferat. Simili quidem ratione repugnat Deum, tollendo aversionem, culpam dimittere, servato æternæ pœnæ reatu, qui ad æternam separationem a Deo condignitatem dicit; quamvis possibile sit absolutè æternam pœnam infligere.

128 OBJIC. IX. Utvis æternæ pœnæ reatus, damni videlicet, nequeat cum jure ad Dei visionem permanere; gratia namque tale jus fundat; attamen pœna, quæ sensus nuncupatur, perseverare potest; cum aversioni intrinseca non sit: ergo.

Pœna sensus quomodo aversioni intrinseca.

RESP. In justificatione totus aufertur reatus, quia totus est incompossibilis cum jure beatificæ hereditatis; Nec verùm est pœnam sensus non esse aversioni intrinsecam; in ipsa namque imbibitur, quatenus ad commutabile bonum conversiva est.

DISPUTATIO SEXTA.

DE AURICULARI CONFESSIONE.

SYNOPSIS HISTORICA.

1 AUricularis Confessio pars ea est Sacramenti Pœnitentiæ, in quam omnem moverunt lapidem Hæretici, ut illam de medio tollerent. Juenin *Dissertatione 6. de Pœnitentia quæst. 2. cap. 1.*, sicut & *quæst. 5. cap. 1.* contendit probare nullam ex antiquis Hæreticis sive Sacramentum Pœnitentiæ, sive auricularem confessionem abnegasse, quod an verum sit, diximus in superioribus Controversiis, & præcipuè Disp. I. Controv. I., & II., ubi etiam Novatorum sensa, seu potius deliramenta adnotavimus. Placet tamen hìc animadvertere laudatum Juenin *cit. quæst. 5. cap. 1. art. 1.* velle Audianos stare pro Sacramentali Confessione, utvis Lapsis nullam imponerent satisfactionem: Movetur ex Theodoreti auctoritate *lib. 4 Hæreticarum Fabul. cap. 10.* -- Hi peccatorum remissionem dare „ se jactant. Duas enim in partes libros „ sacros cum adulterinis dividentes (hos „ enim eximiè arcanos, & mysticos existi„ mant) & ordine hinc inde collocantes, „ inter hos jubent transire unamquemque, „ & peccata sua confiteri: Deinde confes„ sis dant veniam, non tempus ad pœni„ tentiam definientes, sicut Ecclesiæ leges „ præcipiunt, sed potestate condonantes -- Hæc ille, quæ quidem probare videntur Intentum; cæterum, quæ ab eodem Theodoreto subduntur, malè apud Audianos audire sacramentalem confessionem propalam ostendunt -- Scientes autem, qui traoscunt, „ id quod agitur ludum esse, vera quidem „ peccata celant, quædam autem parva, „ & ridicula dicunt, quæ etiam dicere ve„ reretur aliquis, nisi eâdem qua ipsi amentiâ „ laboraret -- Si igitur peccatorum confessio pro ludo reputatur, si vera peccata occultare ipsis liberum est, solùmq; ridicula proferre, quonam pacto Sacramentalem Exomologesim approbare dicendi sunt? Meritò igitur inter Confessionis hostes Audiani adnumerari debent. His accedunt Waldenses, quos universaliter ab hac hæresi immunes idem Auctor dicit: Etenim Ven. P. Moneta *lib. IV. cap. 4. §. 4* Pauperes Lombardos, quos inter Waldenses recenset, Confessionem sustulisse apertè declarat.

Audiani probantur negasse confessionem contra Juenimum.

2 Ut autem propius ad rem nostram accedamus præter veteres, novosque Hæreticos, qui auricolarem Confessionem amandarunt, fuerunt & Copti, qui, ut meminit Renaudotius *Tom. 5. Perp. Fidei lib. 3. cap. 8.*, Seculo XII. illam ablegavere. Verùm Joseph Abudacni ejusdem gentis auctor in Hist. Jacobitarum, qui & Copti dicuntur, Oxonii impressa an. 1675. scribit Laicos rarò confiteri, Ecclesiasticos ferè nunquam. Novissimè hanc hæresim nervis omnibus Joannes Dallæus Calvinianæ sectæ acerrimus propugnator defendere conatus est, hunc pari, sed æquè irrito, cassoque labore secuti fuere Heideggerus, & Piccininus. Natalis Alexander Secul. XIII., & XIV. *Dissert.* 14. egregiè Dallæum refellendum suscepit, eumque feliciter opus compleverit, plura ab ipso desumere operæ pretium erit, ut Catholica veritas clariùs innotescat.

CON-

CONTROVERSIA I.

§. I.

AN EX SCRIPTURIS PROBETUR AURICULAREM CONFESSIONEM DE PECCATIS LETHALIBUS JURIS ESSE DIVINI.

3 Dicendum ex Scripturis evinci auricularem Confessionem de lethalibus peccatis juris esse divini.

PROB. I. Ex Scripturis constat Christum in Terris reliquisse Sacerdotes sui Vicarios tanquam Judices cum potestate remittendi, & retinendi peccata; atqui si hujusmodi potestas prædictis fuit Sacerdotibus collata, jam planè infertur ex jure divino auricularis Confessionis necessitas: ergo. Ad majoris probationem juvat hic pauca retexere ex his, quæ fusè notavimus Disp. I. Controv. I. §. II. Matth. 16. v. 18. Petro, Filii Divinitatem dum profitetur, ait Dominus. *Tibi dabo Claves Regni Cælorum. Et quodcunque ligaveris super Terram, erit ligatum & in Cælis, & quodcunque solveris super Terram, erit solutum & in Cælis.* Hic apertè Christus Petro, atque Ecclesiæ potestatem contulit vincula solvendi, quæ æternæ beatitudinis consecutionem impediunt; hæc porrò lethalia sunt crimina; Nota quoque mysterium, cur non dixerit Christus *Tibi dabo clavem, sed claves*; Futuri enim erant, qui dicerent collatam potestatem esse vel annunciandi Evangelium, vel relaxandi crimina in exteriori foro: Verùm dum ait, *Dabo Claves*, satis ostendit non solummodo de ministerio Evangelizandi, aut de externo foro, sed etiam de interiori, & de judiciaria auctoritate ipsum fuisse locutum.

Sacerdotibus collata potestas dimittendi peccata.

Matth. 18. Ecclesiæ Prælatis, dum contumax frater describitur, qui privatim, & coram testibus correptus emendationem negleＸit, ait Dominus v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis super terram, erunt ligata & in Cælo, & quæcunque solveritis super Terram, erunt soluta & in Cælo.* Clara utique, & absoluta sunt hujusmodi verba, immo & universalia, ut evincant nec tantùm ad Ecclesiasticas pœnas, nec ad externam Ecclesiæ disciplinam ordinatam esse potestatem, sed potiùs ad interiora conscientiæ vincula, ut luce clariùs indicant verba illa *Erunt ligata & in Cælo, erunt soluta & in Cælo.* Non enim Ecclesiastica censura, aut disciplina pœnitentem hominem ab æterna requie retardant, aut impediunt; & quæ coram Deo ligantur, & solvuntur, non exterius, sed interius solvuntur, & ligantur.

Potestas Sacerdotibus circa externa, & interna vincula.

Joan. 20. Christus Apostolos alloquens ait: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cum dixisset insuflavit, & dixit eis. Accipite Spiritum Sanctum; quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Missio Christi a Patre fuit auctoritativa tam videlicet pro interiori, quam exteriori foro, tam pro annuncianda veritate, quam pro solvendo, dimittendoque culpa reatu; ea propter Apostolorum missio debuit esse ministerialiter pro utroque foro auctoritativa, nec pro sola Evangelii declaratione, sed pro spiritualium vinculorum solutione, ideo dixit, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, non ait: *Quorum annunciaveritis remissa esse peccata, remittentur*: Constituti sunt ergo Sacerdotes verè Judices circa peccatorum solutionem, vel retentionem.

Christi auctoritas relaxandi peccata Sacerdotibus communicata.

Judiciariam potestatem hujusmodi Sacerdotibus a Christo collatam ex laudatis Scripturis solidissimè probant Patres. Sanctus Pacianus *Epist. 1. ad Sympronianum* -- „ Solus hoc, inquies, Deus poterit. Verum est; sed & quod per Sacerdotes suos „ facit, ipsius potestas est. Nam quid est „ illud, quod Apostolus dixit: Quæ ligaveritis in Terris, ligata erunt & in Cœlo, & quæcumque &c. Cur hoc, si ligare hominibus, ac solvere non licebat? „ An tantùm hoc solis Apostolis licet? Ergo & baptizare solis licet, & Spiritum „ Sanctum dare solis licet, & solis Gentium peccata purgare: quia totum hoc „ non aliis, quam Apostolis imperatum „ est . . . . Si ergo & lavacri, & Chrismatis potestas, majorum longè Charismatum ad Episcopos inde descendit; & „ ligandi quoque jus adfuit, atque solvendi -- Hic clarè evincitur non solum Apostolis, sed successoribus præstitam potestatem judicandi de criminibus. Firmilianus *Epist. 75.*, quæ inter S Cypriani Epistolas recensetur -- Soli Petro Christus dixit; „ Quæcumque ligaveris super Terram, erunt „ ligata & in Cœlis; & quæcumque solveris super Terram, erunt soluta & in Cœlis: Et iterum in Evangelio, quando in „ solos Apostolos insufflavit Christus dicens, „ Accipite Spiritum Sanctum: Si cujus remiseritis peccata, remittantur illi, & „ si cujus tenueritis, tenebuntur. Potestas „ ergo peccatorum remittendorum Apostolis data est, & Ecclesiis, quas illi a „ Christo missi constituerunt, & Episcopis, „ qui eis ordinatione vicaria successerunt - Accedit Chrysostomus, qui *lib. 3. de Sacerdotio cap. 5.* locupletissimè in rem nostram loquitur -- Qui terram incolunt, iis com„ missum est, ut ea, quæ in cœlis sunt, „ dispensent: iis datum est, ut potestatem „ habeant, quam Deus optimus maximus „ neque Angelis, neque Archangelis datam esse voluit; neque enim ad illos dictum est: Quæcunque alligaveritis in „ Terra, erunt alligata & in Cœlo; & „ quæcunque solveritis in Terra, erunt „ soluta & in Cœlo -- Angeli Evangelium, criminumque veniam fidelibus annunciare possunt: Si ergo D. O. M. eam Sacerdotibus contulit potestatem, quæ Spiritibus administratoriis nequaquam concessa fuit, dicendum ligandi, & solvendi facultatem versari circa peccata judiciario jure dimittenda: Procedit inde Sanctus Doctor, Sacerdotesque comparat cum eum Rege potestatem habente ligandi, solvendique corporum vin-

Judiciaria potestas Sacerdotibus collata ex PP. evincitur.

vincula, tum cum Regis subdito, cui Princeps potestatem conferret, quoscumque vellet sive in carcerem detrudere, sive a vinculis liberare; atqui certò certiùs Regis, illiusque subditi potestas in vinctos non in eo sita esset, ut declararentur, vel annuncientur soluta vincula: ergo Sacerdotalis potestas in animarum laqueos non est per modum Præconis annunciantis, vel declarantis ipsos contritos, sed reverà solvit, vel ligat. Plura, quæ ad rem præsentem deservire possunt, videre est Disp. I. Controv. I. §. II., ea propter cæteris ommissis Patribus, ad minoris propositionis probationem accedimus.

Ad judiciariam potestatem sequitur Confessionis necessitas.

Minor itaque evidenter ostenditur I. Si Sacerdotes a Deo constituti sunt Judices, hoc quidem erit, ut prudenti, rectoque judicio, atque juxta causarum merita suâ utantur potestate; atqui hoc contingere nequit, nisi peccata cognoscant; cumque per seipsos illa discernere haud valeant, jam planè fit ipsosmet Pœnitentes debere sua crimina revelare; unde a Domino auricularem Confessionem institutam fuisse nonnisi imprudenter negari potest. II. Pro comperto est judicium inquisitionem, cognitionemque causæ supponere, ne cæco & imprudenti modo feratur sententia; hoc namque justitiæ, & rationi contrarium esse nemo unus est, qui non videat; cùm igitur Sacerdotes Fidelium peccata ignorent, debent ipsi eadem revelare. III. Prædicta potestas a Christo collata, ùt ex ejusdem verbis apertè habetur, eo tendit, ut vel solvantur, vel retineantur Pœnitentium crimina, necesse proinde est dignoscere, quando, & quale solvendum est peccatum, vel retinendum, quod sanè absque spontanea peccatorum enarratione evenire nequaquam potest.

Peccatorum confessio distincta, & singularis.

Nec hujusmodi peccatorum enarratio confusa esse debet, & generalis, sed dilucida, & specialis: Judicialis siquidem potestas pro eo collata est foro, in quo unum peccatum absque alio non remittitur; propterea, ut omnia relaxentur, singillatim dignoscenda sunt, & declaranda. Quod clariùs evincitur, si spectemus Sacerdotale judicium reconciliativum esse hominis cum Deo. Porrò in reconciliatione æquitas exposcit, ut pars lædens proportionem servet in satisfaciendo cum irrogata injuria; fieri autem nequaquam potest, ut proportionalis statuatur satisfactio, nisi numerus, criminumque gravitas, quibus Deus offensus est, distinctè declarentur; Cumque hujusmodi judicium ad divinam recuperandam firmiter amicitiam, atque ad præcavendos lapsus ordinetur, maximè necessaria est adæquata peccatorum cognitio, ut salutaribus monitis lapis offensionis auferatur, quæ utique nonnisi ex spontanea peccatorum Confessione comparari potest: Debent itaque Delinquentes ex ipsa pœnitentialis judicii institutione Sacerdotibus singillatim sua peccata revelare.

4 DICIT I. Dallæus Sacerdotes esse Ministros, & Dispensatores mysteriorum Dei, immò juxta Apostolum 2. *ad Cor.* 4. servus fidelium: non igitur sunt Judices, cum nec Servo, nec Ministro, aut Dispensatori competat judicare: Porrò si non sunt Judices neutiquam debent Fideles ipsis peccata revelare. Hoc prius dixerat Kemnitius 2. *P. Examinis Trident. cap. V. de Pœnitentia* — Ministri tantùm legatione funguntur, „ & sunt Dispensatores alieni beneficii, „ quibus non mandatum est, ut corda „ scrutentur, sed ut iis, qui significant „ se pœnitentiam agere, & Evangelio credere, annuncient remissionem peccato- „ rum —

Equidem si in Sacerdotibus primaria, & a Deo independens a Catholicis fingeretur potestas, aliquam præseferret difficultatem Hæretici instantia, sed cum subordinata, & tantummodo ministerialis in ipsis dignoscatur, nihil sanè evincit. Civitatis Prætor in politicis a Rege constitutus Minister est, Regisque Œconomus, immò et Reipublicæ servus, cum ad illius bonum deservire debeat, & tamen veram prætoriam potestatem judicandi exercet. Christus quoque non venit ministrari, sed ministrare, nihilotamen minus neque Sectarii potestatem dimittendi peccata ipsi denegant. Paulus servus Fidelium erat, sed incestuosum Corinthium judicavit. Stat igitur Sacerdotes esse Ministros, Servos, atque Dispensatores mysteriorum Dei, simulque ministerialem judicandi potestatem ipsis fuisse collatam, adeoque in Pœnitentibus obligationem adesse exponendi peccata sub tali judicio. Hinc perperam asseritur illorum munus esse annunciare veniam a Deo concessam; remittere enim, & retinere crimina Judicis munus esse, quilibet intelligere potest; & aliter interpretari Scripturas est illis apertam vim inferre.

In Sacerdotibus potestas subordinata.

5 DICIT II. Remittere, vel retinere peccata non est Judicis, sed potius Supremi Principis munus: Judex namque non habet vel crimina remittere, vel damnare, sed unicè juxta leges a Rege promulgatas declarare, quis reus, quisque innocens sit; atqui Sacerdotibus non est regia collata potestas: ergo neque remittere, vel retinere crimina possunt.

Verùm est Sacerdotes non esse Supremos Judices, aut Reges, sed tantummodo Judices subordinatos; Hi tamen veram judicandi habent potestatem, ut vis secundùm præscriptas a Christo leges ferre debeant sententiam. Prætor Civitatis verè Judex est, attamen secundum leges ferre debet judicium: Sic in nostro casu; Et quamvis Deus independenter a tali judicio contritis remittere possit peccata, sicut Rex solvere potest reum nulla habita ratione Prætoris; ex divina tamen institutione alia non superest via, nisi illa a Christo assignata.

Verum judicium etsi potestas subordinata.

6 DICIT III. Ex laudato Joannis capite S. Cyrillus *lib.* 12. *in Joan.*, aliique Recentiores colligunt tam potestatem baptizandi, tam absolvendi a peccatis; atqui in Baptismo non requiritur peccatorum confessio: ergo neque in Pœnitentia.

Vult equidem S. Cyrillus peccata sive per Baptismum, sive per Pœnitentiam remitti, servata tamen natura, atque utriusque Sacramenti exigentia. Baptismus non habet

pec-

peccata remittere per actum judicialem, cum ante illius susceptionem nullus Ecclesiæ subdatur; ea propter peccatorum Confessio non prærequiritur, maximè cum respectivè ad Infantes sit impossibilis: Pœnitentia verò importat rationem judicii, adeoque peccatorum confessio & jure, & meritò exposcitur. Cæterum non omnino consonè ad scripturalem textum præclara videtur expositio; quo enim pacto de sacro regenerationis lavacro intelligi potest, si semel loquatur de potestate remittendi, & retinendi peccata, quæ quidem per Baptismum remittuntur, sed explicari nequaquam potest, quomodo retineantur.

Peccata per actum judicialem remittuntur.

7 DICIT IV. Potestas a Christo collata utiliter exercetur in venialia, judiciumque de illis ratum est; sed ex citato Joan. testu non evincitur obligatio confitendi venialia: ergo neque mortalia.

Christus eo loci illam contulit potestatem, quam tradiderat *Matth.* 16., *&* 18., remittendi videlicet peccata, quæ homines a cœlestis beatitudinis consecutione penitus excludunt; ea propter ea divina institutione per se ordinatur ad lethalia relaxanda crimina, cum venialia, tametsi illius adeptionem retardent, nullatenus tamen æternùm a cœlesti gloria excludant. Quod si ad Sacerdotale Tribunal ipsa deferantur, utiliter adversus illa sacramentale judicium exercetur; & quidem congruenter; qui enim majora, multò magis minora remittere poterit.

Mortalia per se remittuntur in Pœnitentia.

8 DICIT V. Heideggerus. Ex potestate *Joan.* 20. Sacerdotibus commissa non sequitur necessitas auricularis Confessionis, ut propugnat Gabriel Biel dicens 4. *Sentent. dist.* 17. *q.* 1. — Dari Apostolis potestatem „ judicandi, sed non imponi peccatoribus „ necessitatem confitendi — Ergo libera est criminum accusatio.

Utut Biel negaverit probari invictè Confessionis necessitatem ex allato Joan. textu, nullimodè Calvinistis adstipulatur liberam admittendo Confessionem, cum ibidem Corollario 1. apertè legatur — Confessio „ Sacramentalis est peccanti mortaliter de „ necessitate salutis — An verò textus Joannis sensum fuerit assecutus, judicent alii.

Biel nō favet Calvinistis.

§. I I.

SCRIPTURALIBUS OBJECTIONIBUS FIT SATIS.

9 OBJIC. I. Si auricularis Confessio divini juris esset, Apostoli baptizatorum Confessiones excepissent, Delinquentes de tali necessitate admonuissent; atqui apud ipsos altum hac de re silentium: ergo a ratione prorsus alienum est asserere auricularem Confessionem juris esse divini. Et revera pondus additur, cum Apostolus, cui pluries Evangelicum Ministrum instruere in animo fuit, ut videre est in Epist. ad Timotheum, & ad Titum, nihil prorsus de auriculari Confessione habet; immo dum 1. *ad Corinth.* 11. numeris omnibus absolutam tradit regulam, ne Eucharistia indignè sumatur, ne verbum quidem de Confessione legitur: Docet quidem conscientiæ probationem præmittendam esse, quam faciendam esse adstruit non jam per peccatorum exomologesim, sed per internam animi contritionem; *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Hic nullus de judiciaria potestate sermo, nullusque ab ipsomet peccatore distinctus Judex designatur.

RESP. Calviniani hominis ratiocinium nihil evincit: argumentum siquidem negativum positivas rationes evertere nequaquam potest. Ex Scripturis probavimus Confessionis necessitatem, usus igitur supponi debet, tametsi de eo non sit in Apostolorum Actis, & Epistolis expressa mentio. Neque Dallæus huic argumento refragari debet; ipse namque Pseudomagistrum Calvinum *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. §. 12. secutus utilem affirmat privatam conscientiæ suæ manifestationem Pastori, dum interioribus stimulis maximè agitatur — Hinc sequitur ejusmodi „ Confessionem liberam esse oportere, ut „ non ab omnibus exigatur, sed iis tantùm „ commendetur, qui ea se opus habere in„ telligent — Et tamen Apostolus, qui *Act.* 20. fatetur utilia omnia tradidisse, de privata hac conscientiæ manifestatione nil prorsus meminit. Infirmum itaque negativum argumentum jure censetur. Paulus itaque non omnes Fidei articulos ad Timotheum, & Titum describit, sed eos, qui tunc maximè oportebant; ea propter cum inter illos auricularis Confessio non reputaretur, nil mirum si de illa nullam fecit mentionem. Agit verò de Eucharistia, dum Corinthios jam in fide instructos alloquitur, eamque docet præmittendam sui ipsius probationem, quæ est secundum leges a Christo traditas, medio, videlicet, Pœnitentiæ Sacramento. Accuratè quidem dixit, *Probet autem seipsum homo*: Etenim ad unumquemque spectat suam scrutari conscientiam; verùm non inde meritò excluditur auricularis Confessionis necessitas, immo oppositum Sancta Tridentina Synodus, divino afflante spiritu, ex laudata Pauli sententia affirmat — „ Quare communicare volenti revocandum „ est in memoriam ejus præceptum: Pro„ bet seipsum homo. Ecclesiastica autem „ consuetudo declarat, eam probationem „ necessariam esse, ut nullus sibi conscius „ mortalis peccati, quantumvis contritus „ sibi videatur, absque sacramentali Con„ fessione ad Sacram Eucharistiam accedere „ debeat —

Argumentum negativum infirmum.

10 Prædictam adoptavimus responsionem, ut Eruditorum illorum morem geramus, qui neque ex Actis, aut ex Apostolorum Epistolis invictè probari affirmant auricularem Confessionem, cæterum si cum aliis magni nominis Theologis loqui velimus, apertè negari debet Apostolos nec illius necessitatem tradidisse, nec hujusmodi ministerium exercuisse. Act. 19. v. 18., & seq. habetur: *Multi credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos: Multi autem ex iis, qui fuerant curiosa sectati contulerunt libros, & combusserunt coram omnibus.* Credentes

Auricularis Confessio ex aliis Scripturis colligitur.

dentes itaque, adeoque sacro regenerationis lavacro abluti accedebant, confitentes actus suos, non jam generali quadam accusatione, ùt Novatores exponunt, sed potius speciali; Qui enim peccatorem se nuncupat, non dicitur actus suos confiteri; Annunciabant igitur peccata sua Apostolo, & quidem singillatim, cujus rei argumentum est Paulum, ùt ex illorum confessione animadvertit ex quorundam librorum lectione nonnullos peccasse, eorundem combustionem præcepisse. Aliud confessionis momentum desumitur ex Epistola S. Jacobi cap. 5. *Confitemini ergo alterutrum peccata vestra*. Nec vox illa *Alterutrum* ad omnes Fideles extendi debet, sed ad anteriora, ubi de Presbyteris sermo est. Ut explicat Origenes *hom. 2. in cap. 1. & 2. Levit.* -- Est adhuc & septima licèt dura, „ & laboriosa per pœnitentiam remissio „ peccatorum, eam lavat peccator in la„ crymis stratum suum, & fiunt ei lacrymæ „ suæ panes die, ac nocte, & cum non „ erubescit Sacerdoti Domini indicare pec„ catum suum, & quærere medicinam . . . „ In quo & impletur illud, quod Apostolus „ dicit: Si quis autem infirmatur, vocet „ Presbyteros Ecclesiæ, & imponent ei „ manus ungentes eum oleo in nomine Do„ mini &c. -- Audiatur quoque Augustinus *Hom. 12. ex Hom.* 50. -- In omnibus Scrip„ turis Divinis, Fratres dilectissimi, utili„ ter, ac salubriter admonemur, ut pecca„ ta nostra debeamus jugiter, & humiliter „ non solùm Deo, sed etiam Sanctis, & „ Deum timentibus confiteri: Sic enim „ per Jacobum Apostolum nos admonet Spi„ ritus Sanctus dicens: Confitemini alteru„ trum peccata vestra -- Ex his itaque planè evincitur auricularis confessionis necessitas etiam ex Apostolorum gestis, atque Epistolis, quod Hæreticorum argumentum negabat.

11 OBJIC. II. Scripturæ perpetuò inclamant Deum contritis peccatorum veniam indulgere; Ezech. 18. *Si impius egerit pœnitentiam . . . . omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor*. Psalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*, & alibi sæpè; atqui in supralaudatis textibus nulla de auriculari Confessione fit mentio: ergo si in lege veteri, quæ erat lex servitutis, per Confessionem soli Deo factam justificabatur impius, cur in lege gratiæ, & amoris onus importabile fingimus?

RESP. Deus utique peccatorum veniam contritis donat; verùm sicut in veteri lege Peccatoribus præcepta erant sacrificia, & purificationes, sic in nova non sufficit cordis conversio, sed ulteriùs servari debet mandatum de externa peccatorum confessione. Neque hinc fit feliciores esse antiquæ legis observatores; Etenim si cum communiori sententia dicatur ad justificationem attritionem sufficere cum Sacramento Pœnitentiæ, in aperto est nunc faciliorem esse viam ad veniam, quam apud antiqui fœderis observatores, si verò oppositum adstruatur, occurrit Augustinus *lib. 9. contra Faustum cap.* 13. admonens -- Alia nobis data sunt „ Sacramenta virtute majora, effectu melio„ ra, actu faciliora, numero pauciora --

Facilior in lege gratiæ ad Deum conversio.

12 OBJIC. III. In Dominica Oratione Deum exoramus, ut nobis dimittat debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris; atqui ad remissionem, quam nos debitoribus nostris facimus, ipsorum confessio non prærequiritur: Cur ergo hanc nos exigimus, ut Deus nobis peccata condonet?

RESP. In Dominica Oratione significatur equidem nobis, quod remittit Deus peccata, sicut nos proximo dimittimus, sed non eodem modo: Etenim nos debemus proximo dimittere offensas, etsi nos oderit; quis autem dicet Deum debere peccatori remittere crimina, si in peccatis velit perseverare? Non igitur in utroque stat æqualitas, sed aliqualis solummodo proportio. Immo licèt homines (ut tacita eludatur objectio) independenter a Judicis sententia offensas remittant, hoc non contingit in nostro casu; offensus siquidem est Deus, ex propter vel ipse, vel alii ex ipsius destinatione debent injuriam relaxare; relaxatur autem, dum peccata detestantur delinquentes, seque Sacerdotis judicio subjiciunt.

Diversimodè Deus, ac homo debita remittunt.

13 OBJIC. IV. Ex Parabolis Filii prodigi, & Publicani, sicut ex condonatione Zacheo, Magdalenæ, & Petro factæ evincitur fictitium esse præceptum auricularis confessionis; in illis siquidem describitur remissio per solam cordis contritionem obtentam, & in his revera condonata fuerunt crimina extra confessionale judicium.

RESP. In dictis parabolis contritionis efficacia nobis describitur, quin inferatur fictitium esse Pœnitentiæ Sacramentum, cum clarè ejusdem institutionem probatam viderimus ex Christi verbis: *Quorum remiseritis peccata &c.* Nil mirum igitur si ibidem nulla de auriculari confessione homini facienda mentio habeatur, cum ad aliud significandum parabolæ illæ a Christo fuerint usurpatæ. Justificati quoque fuerunt laudati Pœnitentes absque Sacramentali absolutione, quia Christi potestas, quæ erat, ùt ajunt, excellentiæ, non erat alligata Sacramento; hæc porrò hominibus non fuit communicata, adeoque nisi prævia eorum confessione absolutio impertiri nequaquam potest.

Quidam a Christo justificati.

14 OB. V. Jubet Christus peccatorem in abscondito jejunare, hoc est pœnitentiam agere. Matth. 6 v. 17., & seq. *Tu autem cum jejunas, unge caput tuum, & faciem tuam lava, ne videaris hominibus jejunans, sed Patri tuo, qui est in abscondito, & Pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi*; atqui Pœnitentia est merces peccati apud Deum, qui illud remittit: ergo absque confessione homini facta habetur vera pœnitentia, & vera peccatorum remissio.

RESP. Ex citato textu optimè colligitur prohiberi benè agere ob finem placendi hominibus, vel populorum laudem captandi, quo motivo auricularis Confessio peragenda non est; Cæterum jejunium ex se consideratum non est essentialiter pœnitentia peccatorum remissiva, sed integralis pars satisfactoria Sacramenti Pœnitentiæ, quæ Sacerdotis judicium præsupponit. Unde allata objectio auctorem ferit.

Satisfactio consequitur ad Confessionem.

§. III.

§. III.

CATHOLICUM DOGMA DE AURICULARI CONFESSIONE TRADITIONE COMPROBATUR.

15 Jodocus Coccius in suo Thesauro Controversiarum *tom. 2. lib. 7. art. 3.* longam Patrum seriem subnectit; Quoniam verò omnia hac de re afferre testimonia prolixum nimis, & fortè supervacaneum esset, ea seligimus, quæ clariùs Catholicum dogma propugnant; Novatores siquidem, ut sacramentalem Confessionem divini juris esse negent, illam adinventam in Lateranensi Concilio IV. anno 1215. sub Innocentio III. celebrato prædicant. Unde Calvinus in *Antidoto Concilii Trident.* scribere non dubitavit -- Nullum fuisse per annos „ mille in Ecclesia Confessionis usum, do„ nec Innocentius III. laqueum hunc populo „ Christiano induit, quem Tridentini Pa„ tres adstringunt -- Intellige de usu ex divino præcepto; siquidem *lib. 3. Instit. cap. 4 §. 7.* usum vetustissimum vult, nisi liberum -- Miror qua fronte ausint contendere, Confessionem, de qua loquimur, „ juris esse divini, cujus equidem vetustis„ simum usum esse fatemur, sed quam faci„ lè evincere possumus olim fuisse liberum -- Ex propter a laudato Pontifice præceptam affirmat.

16 Primus igitur inter Patres occurrit S. Clemens Petri Apostoli discipulus: Is igitur *Epist. 1.* scribit -- Si fortè alicujus „ cor, vel livor, vel infidelitas, vel „ aliquod malum latenter irrepserit, non „ erubescat, qui animæ suæ curam gerit, „ confiteri hæc huic, qui præest, ut ab „ ipso per verbum Dei, & consilium salubre „ curetur, quo possit integra fide, & ope„ ribus bonis pœnas æterni ignis effugere -- Et *Epist. 2. ad Corinth.* -- Quamdiu sumus in „ hoc mundo, de malis, quæ in carne „ gessimus, ex toto corde resipiscamus, ut „ a Domino salvemur, dum habemus tempus „ pœnitentiæ. Postquam enim e mundo „ exivimus, non amplius possumus illi con„ fiteri, aut pœnitentiam adhuc agere -- Hic Sanctus Martyr distinguit Pœnitentiam, quæ inter virtutes recensetur, & Confessionem, hancque necessariam dicit peccatoribus, ne in æternum pereant.

17 Ejusdem Seculi auctor S. Dionysius Areopagita *Epist. ad Demophilum* habet -- „ Tu autem, ùt litteræ tuæ declarant, „ eum etiam qui se ad Sacerdotem submi„ sisset, & abjecisset ab ejus genua, im„ pium, ùt ais, & peccatorem, haud scio, „ quomodo præsens ipsum calce detrusisti. „ Deinde ille quidem rogabat, seque me„ dicinæ peccatorum causâ venisse fateba„ tur. Tu autem non modo exhorruisti, „ verùm etiam bonum Sacerdotem prove„ ctus audaciâ maledictis vexasti -- Quid clariùs ad Sacramentalem explicandam Confessionem. Scio equidem non Sectarios modo, ùt Dallæum, Rivetum, aliosque ejusdem furfuris homines, sed Catholicos quoque viros ùt Morinum, Launonium, Epistolas tum Clementis, tum Dionysii ùt spurias rejicere. Verùm de Clementis Operibus satis in Appendice ad secundum Tomum, ubi ex professo genuina esse invictis momentis ostendimus, de illis verò Sancti Dionysii plura, eaque eruditè affert P. Natalis Alexander *Secul. I. Dissert. 22.*, quibus invictè germana esse nodecim Seculorum possessione comprobat.

Clementis, & Dionysii opera germana.

18 Secundo Seculo invictum habemus momentum ex S. Irenæo *lib. 1. de Hæresibus cap. 9.*, qui quarundam mulierum a Marco Hæretico, & Mago corruptarum confessionem describit -- Hæ sæpissimè conversæ ad „ Ecclesiam Dei, confessæ sunt, & secun„ dum corpus exterminatas se ab eo velut „ Cupidine, & inflammatas valdè illum se „ dilexisse, ut & Diaconus quidam eorum, „ qui sunt in Asia, suscipiens eum in do„ mum suam, inciderit in hujusmodi cala„ mitatem. Nam cum esset uxor ejus spe„ ciosa, & sententia, & corpore corrupta „ esset a Mago isto, & secuta eum esset „ multo tempore, post deinde cum magno „ labore fratres eam convertissent, omne „ tempus in Exomologesi consummavit plan„ gens, & lamentans ob hanc quam passa „ est ab hoc Mago corruptelam -- Et *lib. 3. c. 4.* -- Cerdon sæpè in Ecclesiam veniens, & „ Exomologesim faciens sic consummavit, „ modo quidem latenter docens, modo verò „ Exomologesim faciens -- In prima auctoritate habemus confessionem non solùm peccati externo opere consummati, verùm etiam interni, nempe amoris impudici. Parùm autem urget Dallæi momentum, ibi videlicet agi de publica confessione: Nihil enim interest, an confessio publica sit, vel privata: Hoc siquidem rei summam non tangit, cum accidentale prorsus sit, quo pacto accidentale censetur baptismali ablutioni, quod publicè, vel privatè compleatur. Magis enervatur Hæretici instantia, si cum Juenino *de Pœnit. quæst. 7. cap. 4 art. 1.* dicas, quædam peccata occulta secretè Sacerdoti confessa per quatuor prima rei Christianæ Secula de ejusdem mandato publicè fuisse promulgata. Nec per Exomologesim intelligitur Confessio publicorum criminum, ùt contendit Kemnitius; Etenim, ùt mox vidimus, mulieres confessæ sunt internum pravæ cupiditatis affectum, quo Marcum, a quo seductæ fuerant, prosequebantur.

Accidentale est Confessioni, quod publica, vel privata sit.

19 Exeunte secundo Seculo, & tertio inchoante floruit Tertullianus, qui *lib. de Pœnitentia cap. 9.* egregiè Catholicum dogma declarat -- Exomologesis est, qua delictum „ Domino nostrum confitemur, non qui„ dem ùt ignaro, sed quatenus satisfactio „ confessione disponitur, Confessione pœni„ tentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitiga„ tur --

20 Nec valet Dallæi instantia, Tertullianum videlicet loqui de confessione Deo facta, non Sacerdoti. Non, inquam, valet: Nam ibidem aliquos reprehendit, qui præ verecundia confiteri peccata nolebant, quod de Confessione soli Deo facta verificari nequit; cum ex ipsa nullus pudor oriatur -- Grande pla-

„ planè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur. Videlicet, si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus? Adeo ne existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est damnatum latere, quam palam absolvi? -- Et clariùs antecedenter indicat sermonem instituisse non de interna, sed de externa confessione -- „ Hujus igitur Pœnitentiæ secundæ, & unius quantò in arcto negotium est, tantò operosior probatio est, ut non solâ conscientiâ præferatur, sed aliquo etiam actu administretur -- Non igitur solâ conscientiâ teste sacramentale negotium peragitur, sed externo Sacerdotum ministerio. Nec Tertullianum loqui solummodo de publica pœnitentia, (forsan enim ibidem aliquis sermo instituitur) sed de privata ex eo evincitur, dum dicit *cap.* 4. -- Omnibus ergo delictis seu carne, seu spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam per pœnitentiam spopondit -- Infra namque probatum erit, publicam pœnitentiam nunquam nisi pro publicis criminibus injungi, & aliàs peccata, *spiritu, seu voluntate commissis* publica non sunt.

Interiores actus in Confessione manifestati.

21 Tertio Seculo confessionis usum probat Sanctus Cyprianus *Tract. de Lapsis*, ubi ait, quod licèt aliqui Idolis non sacrificaverint -- Quoniam tamen de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud Sacerdotes „ Dei dolenter, & simpliciter confitentes „ Exomologesim conscientiæ faciant, animi „ sui pondus exponant, salutarem medelam „ parvis licèt, & modicis vulneribus exquirunt -- Hìc sanè loquitur Sanctus Martyr de peccatis Idololatriæ, sed non inde inferas cum Dallæo hæc sola crimina clavibus esse subjicienda; argumentum siquidem cum circa Idololatras, & Libellaticos versarentur, fuisset extra rem alia miscere delicta. Nec spontaneam vult Sanctus Cyprianus, sed necessariam confessionem; nisi enim in laudata auctoritate de præcepto nulla sit mentio, hoc tamen explicat *Epist.* 12. -- „ Confiteantur singuli, quæso vos fratres „ dilectissimi, delictum suum -- Hìc præceptum explicatur, nec officit deprecatoria expressio; Solemne quippe est apud viros pietate eximios obsecratoriè expolcere, quæ lex ipsa præcipit. Gen. 19. v. 7. Loth, ut Sodomitas ab intentato crimine revocet, illos exorat. *Nolite, quæso fratres mei, nolite malum hoc facere.*

Interna peccata clavibus subjicienda.

22 Mitto Origenem, de cujus mente satis sap. n. 10. in resp. ad 1. Objectionem; & quamvis ad infirmandam ejus auctoritatem multa congerat Dallæus, verùm casso labore sudat. Sufficit advertere Origenem, antequam septem describat modus, quibus peccata vel mortalia, vel venialia, vel originale deleri possunt, Montanistarum objectionem afferre, qua contendebat probare post Baptisma nullum superesse medium ad reconciliationem cum Deo, quam eludit plures indicans vias resurgendi a peccatis, quarum ultima est sacramentalis Confessio.

23 Apertum est hac de re Lactantii testimonium *lib.* 4. *Divinarum Institutionum cap. ult.* Hic pro visibili nota Catholicæ Ecclesiæ sacramentalem agnoscit confessionem adversus Novatianos negantes non quidem Confessionem soli Deo factam, cum hanc potius adoptarent, ut ab ipso peccatorum veniam obtinerent, sed confessionem Christi Ministro faciendam, cui potestatem remittendi peccata denegabant -- Sciendum „ est illam esse veram (Ecclesiam), in „ qua est Religio, Confessio, & Pœnitentia, quæ peccata, & vulnera, quibus „ subjecta est imbecillitas carnis salubriter „ curat -- Et antecedenter videlicet *cap.* 17. docet Circumcisionem fuisse sacramentalis Pœnitentiæ figuram, qua omnia secreta conscientiæ revelemus -- Pars illa corporis, „ quæ circumciditur, habet quandam similitudinem cordis, & est pudenda. Ob „ hanc causam Deus nudari eam jussit, ut „ hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, idest, ne quod „ pudendum facinus intra conscientiæ secretum velemus. Hæc est cordis circumcisio, de qua Prophetæ loquuntur, quam „ Deus a carne mortalium ad animam transtulit, quæ sola mansura est. Volens „ enim vitæ, ac saluti nostræ pro æterna „ sua pietate consulere, pœnitentiam nobis „ in illa circumcisione proposuit, ut si cor „ nudaverimus, idest, si peccata nostra „ confessi satis Deo fecerimus, veniam consequamur, quæ contumacibus, & admissa sua celantibus denegatur ab eo, qui „ non faciem, sicut homo, sed intima, „ & arcana pectoris intuetur --

Circumcisio figura Confessionis.

24 Accedit Sanctus Athanasius Serm. in illa Christi verba. *Invenietis pullum alligatum* -- Nos ipsos examinemus, num soluta sint nostra vincula, ut in melius proficiamus. Quod si nondum soluta sint „ vincula, tradas teipsum Discipulis Jesu: „ Adsunt enim, qui te solvant pro potestate ea, quam a Salvatore acceperunt --

25 Consonat Sanctus Hilarius Pictaviensis quarti Seculi Scriptor egregius *in cap* 18. *Matth.* -- Ad terrorem autem metus „ maximi, quo in præsens omnes continerentur, immobile severitatis Apostolicæ „ judicium præmisit: ut quos in terris ligaverint, idest, peccatorum nodis innexos reliquerint, & quos solverint, „ Confessione videlicet veniæ receperint in „ salutem. Hi Apostolicæ conditione sententiæ in Cœlis quoque absoluti sunt, vel „ ligati -- Dallæus legit *Concessione*, non *Confessione*, sed perperam, & absque ulla prorsus auctoritate.

DICES. Sanctus Hilarius Enarratione in *Psalm.* 51. ait Davidem dicere -- Nulli „ alii esse confitendum, quam qui fecit „ olivam fructiferam spei misericordiâ in „ seculum seculi -- Si ergo nulli confitendum nisi Deo, jam planè fit S. Doctorem sacramentalem Confessionem amandare.

Mirum est Dallæum ex laudata auctoritate velle sacramentalem confessionem a Catholica Ecclesia expungere. Num debebat Propheta Regius affirmare homini confitenda esse peccata, cum tunc temporis nondum esset institutum sacramentale judicium? Solâ igitur contritione tunc delenda erant crimina,

na . ea propter jure dicebat -- Nulli alii ,, esse confitendum --

26 Ejusdem labii est Sanctus Basilius, qui in Regulis Brevioribus in responsione ad Interrog. 229. habet -- Omnino in pec- ,, catorum confessione eadem ratio est, quæ ,, etiam in apertione vitiorum corporis. ,, Ut igitur vitia corporis nequaquam qui- ,, busvis homines temerè aperiunt, sed iis ,, tantummodo, qui rationem, qua ea cu- ,, randa sint, teneant: eodem modo etiam ,, peccatorum confessio fieri debet, apud ,, eos videlicet, qui ea possint curare -- Hos autem esse Sacerdotes clarè asserit regulâ 288. -- Necessariò iis peccata aperiri ,, debent, quibus credita est dispensatio ,, mysteriorum Dei -- Loquitur S. Doctor de Confessione singulorum peccatorum, ut videre est tum ea paritate Medici, & vulnerum in humanis, quæ nisi sigillatim Medico ostendantur, curari non possunt, tum ea quo affirmet eos esse Medicos inquirendos, qui curandi artem noverint: Hujusmodi porrò scientia inutilis foret, si singula detegenda non essent; Loquitur etiam de curatione per se primò peccatorum quoad culpam, ut ex eodem exemplo innotescit, non verò de habitu vitioso, ùt malè intelligit Dallæus, qui èt arbitrariam dicit Confessionem contra textum apertè asserentem *Necessariò* peccata esse manifestanda.

Peccata necessario manifestanda.

DICES. S. Basilius in *Psal.* 37. ait -- ,, Non enim multis verbis opus erat ad ,, Confessionem, vel ad Exomologesim. ,, Sufficiebant enim cordis mei gemitus ad ,, Confessionem -- Apertiùs ne oralis Confessio excludi potest?

RESP. Davidis conversionem ibi coarctat Sanctus Basilius; porrò illius Sacramentalem Confessionem referre haud poterat, quæ nondum fuerat ordinata, adeoque eadem redit responsio, quam mox ad Hilarii auctoritatem dedimus.

27 Addeamus Sanctum Ambrosium, qui *lib. 2. de Pænit. cap.* 6. inquit -- Si vis ,, justificari, fatere delictum tuum: solvit ,, enim criminum nexus verecunda confessio ,, peccatorum -- Et Paulinus de eodem S. Doctore scribit -- Quotiescumque illi aliquis ,, ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos ,, confessus esset, ita flebat, ut & flere il- ,, lum compelleret. Videbatur enim sibi ,, cum jacente jacere. Causas autem crimi- ,, num, quas illi confitebantur, nulli nisi ,, Domino soli, apud quem intercedebat, ,, loquebatur -- Quod nam luculentius testimonium expetere possunt Novatores pro secreta auriculari Confessione?

Secretum ex Confessione.

DICES. S. Ambrosius *in c.* 10. *Luc.* de conversione Petri loquens ait -- Petrus do- ,, luit, & flevit . . . . Non invenio quid ,, dixerit, invenio, quod fleverit -- Hic nulla de confessione est mentio.

RESP. Petrus peccavit nondum pœnitentiali judicio a Christo instituto, ideoque sola cordis contritione deletum fuit illius peccatum.

28 Inter Seculi V. Scriptores pro auriculari Confessione habemus S. Hieronymum *in cap.* 16. *Matth.* -- Legimus in Levitico ,, de Leprosis, ubi jubentur, ut ostendant se ,, Sacerdotibus, & si Lepram habuerint, ,, tunc a Sacerdote immundi fiant: non ,, quo Sacerdotes leprosos faciant, & im- ,, mundos, sed quo habeant notitiam le- ,, prosi, & possint discernere, qui mun- ,, dus, qui immundus sit. Quomodo ergo ,, ibi Leprosum Sacerdos mundum, vel im- ,, mundum facit, sic & hic alligat, vel sol- ,, vit Episcopus, & Presbyter; non eos, ,, qui insontes sunt, vel noxii, sed pro offi- ,, cio suo cum peccatorum audierit varieta- ,, tem, scit qui ligandus sit, quive sol- ,, vendus -- Ea propter sicut Leprosi tenebantur Sacerdotes adire, eisque infirmitatem suam palam facere, sic & peccatores omnia sua crimina Evangelicis Ministris debent revelare. Hinc nota Sanctum Doctorem asserere Sacerdotem audita Pœnitentis confessione scire non jam qui sit ligatus, vel solutus, sed *qui ligandus sit, quive solvendus*, ad eludendum Novatorum effugium asserentium Sacerdotes non solvere crimina, sed annunciare soluta.

Nostri Sacerdotes cum antiquis comparati.

29 Sanctus Augustinus rem Catholicam propugnat; unam, aliamve sententiam afferam, cum sparsim plures legantur. *Hom.* 12. *ex* 50. -- Deus noster, quia pius est, ,, & misericors, vult, ut ea confiteamur ,, in hoc seculo, ne pro illis confundamur ,, postmodum in futuro -- Et *hom.* 49. *ibid.* -- Qui post uxorea vestras vos illicito ,, concubitu maculastis, si præter uxores ,, vestras cum aliqua concubuistis; agite ,, pœnitentiam, qualis agitur in Eccle- ,, sia, ut oret pro vobis Ecclesia. Nemo ,, sibi dicat, occultè ago, apud Deum ,, ago: novit Deus, qui mihi ignoscit, ,, quia in corde ago: Ergo sine causa di- ,, ctum est, Quæ solveritis in Terra, so- ,, luta erunt èt in Cœlo? Ergo sine causa ,, sunt claves datæ Ecclesiæ Dei? Frustra- ,, mus Evangelium Dei, frustramus verba ,, Christi? -- Utvis Sanctus Doctor hic de Adulteris loquatur, argumentum tamen ad omnia se extendit crimina; ait namque subjicienda esse peccata clavibus, quæ sive Adultero, sive Fori Cœlum aperire possunt.

Non sufficit pœnitentia apud Deum.

DICES ex Picenino. Sanctus Augustinus *lib.* 10. *Confessionum cap.* 3. -- Quid mihi ,, est cum hominibus, ut audiant confessio- ,, nes meas, quasi ipsi sanaturi sint omnes ,, langoores meos? Curiosum genus ad co- ,, gnoscendam alienam vitam, desidiosum ,, ad corrigendam suam -- Ergo auricularis Confessio ab Augustino reprobatur.

RESP. Eo loci loquitur S. Doctor de criminibus ante Baptismum perpetratis: Etenim libri Confessionum narrationem vitæ ante Baptismum peractæ continent. Hinc optimo jure dicit talia peccata non esse confitenda, & quia non sunt objectum Sacramenti Pœnitentiæ, & quia inutilis, immo curiosa illorum investigatio.

Libri Confessionum S. Augustini, quæ peccata narrant.

30 DICES. Eodem Seculo V. aliter sentiunt de auriculari Confessione, eamque haud necessariam affirmant tum Cassianus, tum Julianus Pomerius: Etenim primus *Collat.* 20. *cap.* 8. de Pœnitentiæ fructibus disserens ad expianda crimina plura assignat media, Charitatem videlicet, Eleemosynas, lacrymas, Confessionem, corporis afflictio-

nem, cordis compunctionem, & hujusmodi; Atqui si Confessio auricularis juris esset divini, adeoque necessaria, hæc unicum esset medium ad reconciliandum Peccatorem: ergo. Clariùs loquitur alter *lib. 2. de Vita Contemplativa cap. 7.* — Porrò illi „ quorum peccata humanam notitiam latent, nec ab ipsis confessa, nec ab aliis „ publicata, si ea confiteri, aut emendare „ noluerint, Deum quem habent testem, „ ipsum habituri sunt & ultorem — Ergo, subdit Dallæus, dupliciter evitare possumus iram Dei, vel per Confessionem, vel per vitæ emendationem: Non igitur illa est omnimodè necessaria.

RESP. Perperam adduci Cassianum ab Heretico, nam eo loci totus est sermo de satisfactionis modo, quo peccator plenam a Deo remissionem, & indulgentiam consequi possit, ut ex serie Collationis liquet; enumerat autem inter diversos modos illum quoque Confessionis, non quidem sacramentalis, quæ utique præsupponi debet, si inquisitio circa satisfactionem, quæ ad illam consequitur, versatur, sed illius, cujus frequens usus vigebat apud Monachos, videlicet manifestandi in Conventu Monachorum crimina ad verecundiam, quæ sanè ad satisfaciendum Deo apprimè deservire potest. Pomerius autem nullimodè intendit sufficere ad culparum remissionem, aut confessionem, aut vitæ emendationem, sed unicè divinam mereri indignationem, qui licet confiteatur, attamen vitæ emendationem non vult. Utrumque igitur necesse est ad veniam promerendam, alterutrius tamen omissio peccatorem reum facit damnationis æternæ.

31 Ex Seculo VI. luculenter loquitur Magnus Gregorius *hom. 26. in Evangelia* — „ Videndum est, quæ culpa, aut quæ sit „ Pœnitentia secuta post culpam; ut quos „ Omnipotens Deus per compunctionis gra„ tiam visitat, illos Pastoris sententia ab„ solvat. Tunc enim vera est absolutio „ Præsidentis, cum æterni arbitrium sequitur „ Judicis — Et *hom. 40.* itidem *in Evang.* — „ Quid est ergo peccatorum Confessio, nisi „ quædam vulnerum ruptio? Quia peccati „ virus salubriter aperitur in Confessione, „ quod pestiferè latebat in mente. Vulne„ ra itidem cutis in superficiem trahunt „ humorem putredinis, & confitendo pec„ cata, quid aliud agimus, nisi malum, „ quod in nobis latebat, aperimus —

Vulnera curantur per Confessionem.

32 Ven. Beda eminet Seculo VII. Is namque in *cap. 5. Epist. S. Jacobi* explicans illius sententiam, *Confitemini alterutrum peccata vestra*, ait — In hac sententia illa debet „ esse discretio, ut quotidiana, leviaque „ peccata alterutrum coæqualibus confitea„ mur, eorumque credamus oratione salva„ ri. Porrò gravioris lepræ immunditiam, „ juxta legem Sacerdoti pandamus, atque „ ad ejus arbitrium qualiter, & quanto „ tempore jusserit, purificari curemus —

Purificatio debet fieri juxta Sacerdotis monitū.

DICES I. Ex laudata Bedæ auctoritate nequaquam evincitur necessitas omnia confitendi peccata; Explicat namque *lib. 5. in Luc. cap. 69.*, quæ nam crimina lepræ nomine indicata Sacerdoti sint deferenda — „ Invenitur misisse ad Sacerdotes, nisi Le„ prosos; quia videlicet Sacerdotium Ju„ dæorum figura erat Sacerdotii futuri re„ galis, quod est Ecclesia, quo consecran„ tur omnes pertinentes ad Corpus Christi „ summi, & veri Principis Sacerdotum; „ Et quisquis hæretica pravitate, vel su„ perstitione Gentili, vel Judaica perfidia, „ vel etiam schismate fraterno, quasi vario „ colore per Christi gratiam caruerit, ne„ cesse est ad Ecclesiam veniat. Cætera „ verò vitia, tanquam valetudines, & quasi „ membrorum atque sensuum, per semetip„ sum interius in conscientia, & intellectu „ Dominus sanat, & corrigit — Non omnia igitur crimina sacramentali judicio subdenda sunt.

RESP. Ven. Beda vult quatuor illa crimina nequaquam remitti, nisi ad Ecclesiam redeat vel suscepto Baptismate, qui erat in Gentilitate, aut Judaismo, vel ejurata hæresi, qui ab Ecclesia defecerat, vel fidei, atque unitati Ecclesiæ adhærendo, si per schisma abscissus fuit. Cæterum alia peccata Deus per semetipsum remittit, idest per suos Sacerdotes tanquam Ministros, absque eo quod palam crimina innotescant. Hujus sententiæ esse Bedam in aperto est ex *Commentario in cap. 5. Jacobi*, ubi absolutè asserit — Neque enim sine Confessione „ emendationis peccata queunt dimitti —

DICES II. Laurentius Novariensis Episcopus ejusdem ævi auctor *Hom. 1.* affirmat post Baptismum Sacerdotis dexteram haud esse necessariam ad peccatorum remissionem — Ex illa die, illaque hora, qua „ egressus es de lavacro, ipse tibi fons ju„ gis, & diuturna remissio. Non opus ha„ bes Doctore, non dexterâ Sacerdotis . . . „ Et quia non poteras mancus in membris „ corporisque compage, liber existere a „ peccato, immunisque esse a noxa, post „ Baptisma remedium tuum in te ipso sta„ tuit, remissionem in arbitrio tuo posuit, „ ut non quæras Sacerdotem, cum necessi„ tas flagitaverit; sed ipse jam ac si scitus, „ perspicuusque magister; errorem tuam in„ tra te emendes, & peccatum tuum pœ„ nitudine abluas —

RESP. Duo dicit laudatus Episcopus; Primò baptizatum non amplius Deo reconciliari posse per novum Baptisma, ideoque non indigere dexterâ Sacerdotis; Etenim respondet peccanti interroganti — Ubi quæro fon„ tem, aut ubi invanio baptisma? . . . . „ Non opus habes Doctore, non dexterâ „ Sacerdotis — Ex quo planè fit excludere iteratum Baptismum, nec instruere ipsum debebat de alio remedio, cum ipsi innotescere deberet dicendo — Non opus habes, „ Doctore —

DICIT secundò quædam esse peccata, nempè levia, seu venialia, pro cujus remissione non opus esse quærere Sacerdotem, cum quilibet errorem suum intra se emendare, & peccatum suum pœnitudine abluere possit. Loqui autem Laurentium de his levioribus peccatis certò certiùs est, cum de illis unais sermonem habeat, sine quibus nemo liber existere nequit, quæ utique aliæ non sunt nisi veniales. Moultum velim, præ-

præcitata afferri in laudata Homilia ad Pœnitentiæ virtutem commendandam, eoque planè sensu, quo communiter dicitur contritionem peccata delere, quin sacramentalis Confessionis necessitas excludatur.

33 Habemus Seculo VIII. Rabanum — „ Qui transgreditur mensuram in concu- „ piscentiis carnis, & aggravatur ejus de- „ lictis, necesse est, ut per Confessionem „ peccatorum, fœditatem evomat — Luculentius loquitur Chrodegangus Episcopus Metensis, qui *cap.* 28. regulam tradens pro publica pœnitentia, *cap.* 30. agens de Sacramentali Confessione habet — Hæc est ra- „ tio Pœnitentiæ, & Confessionis nostræ, „ quæ coram Deo, & Sacerdotibus ejus a „ nobis pariter agendæ sunt, idest in uno- „ quoque anno tribus vicibus, idest, in „ tribus Quadragesimis populus fidelis suam „ Confessionem suo Sacerdoti faciat, & „ qui plus fecerit, melius facit. Monachi „ in unoquoque Sabbato Confessionem fa- „ ciant, cum bona voluntate Episcopo, aut „ Priore suo — Subdit dein modum quo Sacerdos Pœnitentem scrutari debet — Re- „ quire diligenter, si sunt secum opera „ mala, quæ separant hominem, ut ait „ Apostolus, a Regno Dei, & hæc sunt „ mala cogitatio, malus sermo, & actus, „ odium, invidia, detractio, maledictio, „ convitium, turpiloquium, scurrilitas, „ dissimulatio, adulatio, murmuratio . . . „ Et postquam confessus est sua peccata, si „ vult dimittere ea, da ei pœnitentiam — Quid clariùs ad retundenda omnia Novatorum tela; Hìc enumerantur peccata interna; hìc confessio præscribitur non solum de enormibus peccatis, verùm etiam de mortalibus quibuscunque v. g. de murmuratione, scurrilitate &c.; Hìc Sacerdotis judicium, & absolutio describuntur; Hìc demum de injungenda satisfactione sermo instituitur.

Privatæ Confessionis præclarum monumentum.

DICES. Seculo VIII. Marcus Eremita illos coarguit, qui peccata omnia, omnesque pravas cogitationes volunt confiteri — „ Si velis Deo confessionem offerre irrepre- „ hensibilem, ne speciatim errorum recor- „ deris (nam valdè inquinares animum) „ verùm horum illecebras generosè perfer- „ to — Sic legitur *cap.* 140. *De iis, qui putant se operibus justificari.*

RESP. Breviter huic Instantiæ fieret satis, si cum Bellarmino de Scriptoribus Ecclesiasticis ad ann. Domini 906. diceretur — „ Ea opera (Marci scilicet Eremitæ) ita „ scatent erroribus contra fidem, ut suspi- „ cari cogar, vel ab Hæreticis nostri tem- „ poris conficta, aut valdè depravata fuisse — Cæterum sanam doctrinam continere præcitata satis probari potest. Nam unicè intendit reprobare eos, qui pravas præteritæ vitæ cogitationes refricant, ea quo facilè in delectationem iterum pertrahuntur; de quo videri potest Alphonsus Tostatus Episcopus Abulensis *in cap.* 9. *Deut. quæst.* 3. Nusquam autem negat Marcus singula peccata sive cordis, sive oris particulariter aperienda esse in Confessione, cum primo perpetrata fuere.

34 Seculo IX. plures Conciliorum Canones auricularis Confessionis necessitatem comprobant. Concilium Cabilonense II. *Can.* 32. — Sed & hoc emendatione in- „ digere perspeximus, quod quidam, dum „ confitentur peccata sua Sacerdotibus, non „ plenè id faciunt — Ex hoc Canone satis reprobatur mutila confessio, ejusque integritas firmatur. Accedit, missis aliis, Wormatiense *Can* 25. — Pœnitentibus secundùm „ differentiam peccatorum Sacerdotis arbi- „ trio pœnitentiæ decernuntur. Debet ita- „ que Sacerdos in pœnitentia danda singu- „ lorum causas singulatim considerare, ori- „ ginem quoque, modumque culparum, & „ affectus, gemitusque delinquentium dili- „ genter examinare, manifestèque cogno- „ scere — Viden singulorum peccatorum necessariam revelationem.

Mulctæ a Sacerdotibus impositæ.

35 Ex X. Seculo legimus Radulphum Flaviacensem, qui in Commentario Levitici *cap.* 7. ad verba: *Qui non potest offerre oves, offerat similam*, sic habet — Quid est „ simila? Nisi secretum cogitationum, & „ criminum, in quibus peccatur sibi soli „ notus est, & per confessionem expositio „ intelligitur —

36 Seculo XI. habemus Sanctum Petrum Damiani *Ser.* 58. *de S. Andrea* — Quar- „ tus itaque gradus est confessio oris: Hæc „ purè facienda est, quia non est pars pec- „ catorum dicenda, & altera reticenda —

38 Demum Seculo XII. auricularis Confessionis testis est S. Bernardus, qui *Serm. ad Milites Templi cap.* 12. habet — „ Quid de Bethphage dicam, ubi & Con- „ fessionis Sacramentum, & Sacerdotalis „ ministerii mysterium continetur . . . . Et „ quidem verbum in corde peccatoris ope- „ ratur salutiferam contritionem; verbum „ verò in ore, noxiam tollit confusionem, „ ne impediat necessariam confessionem — Perperam igitur ausus est Dallæus affirmare auricularem Confessionem Seculo XIII. ab Innocentio III. fuisse adinventam, cum per anteriora Secula usus luculenter ex Patribus comprobetur; eo propter & jure, & meritò mendax dicendus est in stateris suis. Usquequo igitur, Novatores, gravi corde diligitis vanitatem, & quæritis mendacium?

§. IV.

DALLÆI, ALIORUMQUE DILUUNTUR OBJECTA.

38 OBJECTIO I. ex facto Nectarii emendicatum: Is namque, ut tumultum populi, ea occasione cujusdam Mulieris, quæ crimen cum Diacono perpetratum fuerat confessa, excitatum sedaret, auricularem Confessionem, & simul Pœnitentiarium a Decessoribus Episcopis in Constantinopolitana Ecclesia ad excipiendas confessiones constitutum abrogavit. Rem narrat Socrates *lib.* 5. *cap.* 19. — Mulier quædam nobilis ad „ Pœnitentiarium Presbyterum accedens, „ delicta post Baptismum a se perpetrata „ singil-

„ singillatim confessa erat. Presbyter verò præcepit mulieri, ut jejuniis, & orationibus continuis vacaret, quo scilicet una cum delictorum confessione opus etiam pœnitentiæ conveniens ostenderet. Progressu temporis mulier aliud facinus confessa est, Ecclesiæ videlicet Diaconum cum ipsa stupri consuetudinem habuisse. Id cum dixisset, Diaconus quidem Ecclesiâ ejectus est: Populus verò graviter commoveri cœpit. Neque enim solùm ob scelus, quod patratum fuerat, indignabantur, verùm etiam eo quod labes haud mediocris, atque infamia hoc facto aspersa videbatur Ecclesia. Cum igitur ob eam causam Ecclesiastici homines dicteriis appeterentur, Eudæmon quidam Ecclesiæ Presbyter Alexandriæ oriundus, Episcopo Nectario suasit, ut Pœnitentiarium quidem Presbyterum exauctoraret, unumquemque verò pro arbitrio, & pro animi sui conscientia ad Sacramentorum communionem sineret accedere. Neque enim aliter fieri posse, ut Ecclesia ab omni probro libera esset —

Calvini animadversiones.

Ex hac historica narratione Calvinus *lib. 3. Institut. cap. 4. §. 7.* infert I. auricularis Confessionis institutionem rem esse ad politicam Ecclesiæ disciplinam spectantem. II. Nec juris esse divini, cum Episcopi Pœnitentiarium instituerint. III. Potestatem absolvendi non omnibus Sacerdotibus a Christo fuisse collatam; cum unus fuerit prælectus. IV. Auricularis Confessionis usum non jam universalem, sed CP., & Romanæ Ecclesiæ singularem. V. Demum Nectarium abrogasse auricularem Confessionem, quod non fuisset ausus, si divinæ fuerit institutionis.

Animadversiones Dallæi.

Dallæus verò ex narrata facti serie pluribus momentis colligere intendit nec ævo Nectarii, nec per antiquiora tempora auricularis Confessionis usum viguisse. I. Quia Historici Pœnitentiarii institutionem referentes nullam secretæ, & privatæ Confessionis mentionem faciunt ante Decii persecutionem: Porrò silentium in crimine esset, si revera antecedenter fuisset in usu. II. Silent quoque de usu privatæ Confessionis, dum Pœnitentiarii munus abolitum tradunt. III. Eudæmon Pœnitentiarii cassationem consulendo debuisset sanè admonere adhuc privatam superesse Confessionem ad retrahendum a criminibus. Nil autem hujusmodi legitur. IV. Nectarius abolito Pœnitentiarii officio permisit unumquemque pro suo arbitrio, animique conscientia ad Sacramenta accedere; Quomodo hunc liberum accessum permisisset, si privatæ Confessionis disciplina adhuc viguisset? V. Socrates Eudæmonis consilium malè audiens ait — Consilium tuum, o Presbyter, utrum „ Ecclesiæ profuerit, an non, Deus viderit. Cæterum ansam ex eo singulis datam „ esse video, ut delicta sua invicem amplius non coarguant, nec observent præceptum illud Apostoli, quod ita se habet: Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, sed potius redarguite — Et Sozomenus *lib. 7. cap. 16.* fatetur — Antea minora fuisse peccata, tum „ ob verecundiam eorum, quia sua ipsi delicta enunciabant, tum ob severitatem „ Judicum, qui ad id erant constituti — Porrò si abrogato Pœnitentiario adhuc superfuisset sacramentalis Confessio, perperam conquererentur prælaudati Historici, eum illud perseveraret remedium, nempe privata Confessio, per quod arguerentur delinquentes, & a criminibus retraherentur Fideles.

Pœnitentiarii deputationis occasio.

Ad clariorem rei præsentis dilucidationem præmittendum est I. Occasionem specialem deputandi Pœnitentiarium severitatem fuisse persecutionis Decii Imp.; cum enim multi a fide deficerent, huic malo occurrere volentes Episcopi singularem constituerunt Pœnitentiarium peculiaribus instructum regulis, ac legibus, quibus a lapsu coercerentur Fideles; aliud quoque adfuit momentum, quo Episcopi permoti laudatum Pœnitentiarium instituerunt. Novatiani namque a Catholicis recesserant dogmatizantes cum Lapsis communicare nequaquam posse; cumque propugnarent nullam dari in Ecclesia potestatem ad eos reconciliandos, ea propter Episcopi, ut Catholica veritas magis pro comperto haberetur, præter ordinarios secretæ reconciliationis Ministros, extraordinarium quoque constituerunt.

Pœnitentiarii duo munera.

Præmittendum II. non unum fuisse Pœnitentiarii munus. Unum certè erat secretam de peccatis omnibus excipere Confessionem, ut Socrates ubi supra innuit — „ Episcopi Pœnitentiarium Presbyterum „ albo Ecclesiastico adjecerunt, ut qui post „ Baptismum lapsi essent, coram Presbytero ad eam rem constituto delicta confiterentur — Et infra hujus muneris exercitium describit — Mulier quædam nobilis „ ad Pœnitentiarium Presbyterum accedens, delicta post Baptismum a se perpetrata singillatim confessa est — Idem affirmat Sozomenus *citato loco* — Itaque ex „ Presbyteris aliquem, qui vitæ integritate „ spectatissimus esset, & taciturnitate, ac „ prudentia polleret, huic officio præfecerunt, ad quem accedentes ii, qui deliquerant, actus suos confitebantur. Ille „ verò pro cujusque delicto quid aut facere singulos, aut luere oporteret, pœnæ „ loco indicens, absolvebat confitentes a „ selpsis pœnas criminum exacturus — Convenit et Nicephorus *lib. 22. cap. 28.* — Quapropter ex Presbyteris unum delegere, „ qui probatâ vitâ esset, & simul taciturnus, „ & prudens, apud quem per pœnitentiam „ resipiscentes commissa sua proferrent — Et meritò hujusmodi prærequirebantur dotes, quia ad hunc Presbyterum spectabat perpensa criminum gravitate vel privatas, vel publicas imponere pœnitentias, ut modo vidimus ex Sozomeno. Aliud Pœnitentiarii munus illud erat, Delatores, scilicet, excipiendi: Constituti namque erant quidam ex Christianis, ut colligitur ex Origene *lib. 3. contra Celsum*, qui graviora crimina Pœnitentiario referrent, quibus auditis reum ad se advocabat, arguebat, atque ad publicam compellebat pœnitentiam; quod si reus sacris deputatus erat ministeriis, rem

rotam

totam ad Episcopum referrebat, ipsumque de crimine convictum exauctorari curabat; si verò inter Laicos versabatur, subdebatur contumax excommunicationi — Apud quos „ (Christianos supple) quidam sunt con„ stituti ad inquirendum in vitam, ac mo„ res eorum, qui ad sacra ipsorum acce„ dunt: ut eos qui turpia perpetrant faci„ nora, a publicis ipsorum Conventibus „ arceant —

Occasio abrogandi Pœnitentiarium.

Præmittendum III. Causa abrogandi Pœnitentiarium, ùt narrator ex Socrate, ea fuit; Cum mulieri cuidam nobilitate præstanti injunxerit Pœnitentiarius, dum apud ipsum peccata sua confessa erat, ut jejuniis, assiduisq. precibus vacaret, progressu temporis aliud facinus confessa est: Etenim diuturnæ orationi vacandi necessitas occasio fuit stuprum cum quodam Diacono perpetrandi; quod ut rescivit Pœnitentiarius, factaque criminis delatione ad Episcopum, hic Diaconum ab Ecclesia ejecit — Populus verò „ graviter commoveri cœpit: Neque enim „ solùm ob scelus, quod patratum fuerat, „ indignabatur: Verùm etiam eo quod „ labes haud mediocris, atque infamia „ hoc facto aspersa videbatur Ecclesiæ. „ Cum igitur ob eam causam Ecclesiastici „ homines dicteriis appeterentur, Eudæmon „ quidam Ecclesiæ Presbyter Alexandriæ „ oriundus, Episcopo Nectario suasit, ut „ Pœnitentiarium quidem Presbyterum ex„ pungeret —

Apud Orientales Seculo V. usus publica pœnitentiæ apud Nat. Alex. dissert. 14. Secul. 13. & 14. fol. 644 col. 1, in fine.

His præmissis ad argumentum responsio in promptu est. Nectarius solummodo singularem illum modum administrandi Pœnitentiam per specialem illum Ministrum statutis regulis deputatum abrogavit. Et ratio in aperto est; post Nectarium siquidem vigoit apud Græcos publicæ pœnitentiæ ritus, ùt suis aptè locis ostenditur; multòque magis viguit auricularis secreta Confessio, sicut innumera Patrum testimonia comprobant, & apertiùs mox videbimus ex Sancto Joanne Chrysostomo Nectarii successore; Placet tamen hìc afferre Canonem Synodi VI., qui est 102. — Oportet autem „ eos, qui solvendi, & ligandi potestatem „ a Deo accepère, peccati qualitatem con„ siderare, & ejus, qui peccavit ad con„ versionem promptum studium, & sic „ morbo convenientem adferre medici„ nam — Nectarius itaque Pœnitentiariorum abrogando pristinam Exomologesis modum non immutavit, sed illud unum abstulit, quod additum fuerat ab Episcopis: Nec hujusmodi expositio arbitraria censari debet, cum satis apertè colligatur ex Socrate, qui Pœnitentiarium, modò addictum, modò supplementum nuncupat — Ex illo tem„ pore Episcopi Pœnitentiarium albo Ec„ clesiastico adjecerunt . . . . Nam Nova„ tiani ne initio quidem supplementum hoc „ admiserunt — Sublatus est igitur propter exortum scandalum Pœnitentiarius secundum speciale munus impositum; ea planè ratione qua propter inconvenientia sublati fuere Chorepiscopi, qui Episcopi vices gerebant.

Calvinus refutatur.

Hinc, quæ Calvinus somniavit, corruunt. Auricularem Confessionem non illius generis esse, quod ad politicam Ecclesiæ disciplinam spectat, ex continua Patrum traditione satis evincitur, quæ perpetuò pro peccatorum consequenda venia, non quidem ab homine, sed a Deo institutam ducet Exomologesim. Immo vel ipsi Historici, qui Nectarii gesta narraverunt, hanc edocent veritatem. Audiatur, omissis Nicephoro, & Cassiodoro, Sozomenus *citato loco* — „ Etenim cum prorsus non peccare, natu„ ræ sit humanâ divinioris: Pœnitentibus „ autem, quamvis frequenter deliquissent, „ veniam dare Deus jusserit, & ad impe„ trandam denique veniam confiteri pecca„ ta necessarium sit &c. — Deus igitur jussit dare veniam pœnitentibus, ad quam obtinendam necessaria est criminum Confessio. Per quod primum, & secundum Calvini momentum evertitur.. Tertium quoque inane est; nam cum Catholici asserunt singulis Sacerdotibus datam a Christo absolvendi, vel ligandi potestatem, id referunt ad potestatem Ordinis, non verò ad potestatem jurisdictionis, quæ ab Episcopo impertitur. Nec auricularem Confessionem sive ad Constantinopolitanam, sive Romanam Ecclesiam unicè spectare quartum probat Heretici momentum: Etenim Sanctus Cyprianus Carthaginensis Ecclesiæ Episcopus n. 21. laudatus, & Sanctus Athanasius Alexandriæ Præsul n. 24., sicut & S. Hilarius, Ambrosius, aliique supracitati de mendacio Calvinum redarguunt, dum apertè auricularem Exomologesim necessariam scribunt. Ultimum denique nihil evincit, cum ex dictis satis pro comperto sit non sacramentalem Confessionem, sed specialem pœnitentiæ modum abrogasse Nectarium.

39 Aliter factum Nectarii contra Catholicos urget Kemnitius 2. *p. Examinis Concilii Trid.* dicens ab Episcopis Decio Imperatore publicam abrogatam fuisse pœnitentiam, privatamque subrogatam, hanc verò a Nectario sublatam, utque aliquam veritatis speciem præseferat, dicit mulierem illam confessam esse ex parte ex Socratis versione, & aliàs unum Presbyterum pro audiendis amplissimæ Urbis confessionibus nullimodè sufficere.

Attamen a veritate quam longè aberrat Kemnitius: Etenim a Deciana persecutione, si non incœpit publicæ Confessionis disciplina, certò certiùs est hanc incrementum, novumque modum obtinuisse. Episcopi siquidem, ut lapsos deterrerent, Pœnitentiarium constituerunt, qui rigidè animadverteret in Pœnitentes, quique supplementum dictus est, quia priori disciplinæ de publica Pœnitentia additus; Omnia opportunè leguntur apud Socratem — „ Postquam Novatiani se ab Ecclesia sejun„ xissent, eo quod cum illis, qui persecu„ tione Deciana lapsi fuerant, communi„ care noluisset, ex illo tempore Episcopi „ Pœnitentiarium Presbyterum albo Eccle„ siastico adjecerunt, ut qui post Baptis„ mum lapsi essent, coram Presbytero ad „ eam rem constituto delicta confiteren„ tur — Quonam igitur pacto dicere potuit Kemnitius publicam abrogatam fuisse Pœnitentiam

Temporibus Decii publica pœnitentia erat in usu.

tentiam tempora Decianæ persecutionis? Deinde pugnantia affert Hæreticus: Vult usque ante Decium publicam decretam pœnitentiam; Verba siquidem Sozomeni asserentis institutum fuisse ab initio, ut peccata tanquam in theatro panderentur, ad tempus antedecianæ persecutionis refert; nec incongruè fortassis, cum Nicephorus Callistus *lib.* 12. *cap.* 28. dicat Presbyterum a Nectario abrogatum -- Qui a multo tempore „ in Ecclesiis pœnitentibus præerat -- Hinc intandir talem disciplinam sublatam fuisse ab Episcopis sub Decio, atque hujuscemodi disciplinam esse appendicem illam a Socrate descriptam; atqui teste Sozomeno, aliisque appendia a Nectario abrogata fuit clarius dicente Socrate -- Sub idem tempus „ Presbyteros Ecclesiarum, qui pœnitentiæ „ præerant placuit abuleri -- Non ergo sub Decio publica ablata fuit confessio.

Porrò mulierem illam ea parte tantùm esse confessam contradicit peritissimis Græcæ linguæ Auctoribus, qui Socratem legunt, *singillatim*, vel *particulatim confessa*. Quod unus Pœnitentiarius pro amplissima Urbe non sufficeret, verum est; attamen non is solus erat, qui confessiones exciperet, sed aliis additus -- Presbyterum albo Ec„ clesiastico adjecerunt -- Sufficiebat tamen pro imposito munere; quia etsi cujuslibet Pœnitentis excipere posset confessiones, ejus tamen tribunal specialiter erat reservatorum criminum sive media Confessione, sive media delatione; ita quod de gravioribus delictis ipsius erat judicare: Erat itaque velut Zelator super crimina rigidiori disciplinâ coercenda.

Κατὰ μέρος verti debet non ex parte, ut vult Kemnitius, sed singillatim.

40 DICES. Hæc discrepant ab historica veritate: Nam Socrates refert constitutum fuisse Pœnitentiarium, ut eorum exciperet Confessiones, qui post Baptismum lapsi erant: Sozomenus verò affirmat, quod cum grave videretur circumstante totius Ecclesiæ multitudine crimina promulgare -- „ Ex Presbyteris aliquem, qui vitæ inte„ gritate spectatissimus esset, & taciturni„ tate, ac prudentia polleret, huic officio „ præfecerunt -- Ex his igitur in aperto est institutum esse Pœnitentiarium in ordine ad privatas excipiendas Confessiones, ac proinde Nectarium privatam abrogasse pœnitentiam.

RESP. Utique omnium secretò audire poterat peccata, atque absolvere, sicut Sacerdotes cæteri, quibus erat superadditus; verùm præter hoc alia specialia munia habebat. Auditis secretò peccatis, ea sub sigillo retinere debebat; ut tamen distinguere posset inter crimina, quibus publica demandanda erat pœnitentia, non mediocri præstare debebat prudentiâ, alio maximè spectans munere excipiendi Delatores, atque Clericos, contumacesque ad Episcopum referendi. Grave autem, & molestum visum fuit Episcopis crimina velut in theatro pandere, salutaribus nequaquam præmissis dispositionibus, atque sine peccatorum, Pœnitentiumque discretione: Etenim ante Pœnitentiarii deputationem vel etiam de occultis criminibus publica injungebatur confessio, quod fatius est negare,

Pœnitentiarius privatas quoque Confessiones excipiebat.

& infra probabitur, vel de gravioribus quibuscunque aliqualiter notis criminibus evulgatio præcipiebatur: Ex propter publica Confessio non nisi de Pœnitentiarii mandato contingebat; Quoniam verò vel circa hujusmodi munus ipse defecit, vel circa aliud excipiendi Delatores, Clericosque ad Episcopum deferendi, illum expunxit Nectarius.

Ad declarandum autem quomodo stuprum Mulieris cum Diacono populo innotuerit, ex quo Plebis tumultus, & dicteria in Sacerdotes, placet advertere, quæ Cassiodorus *lib. IX. Hist. Tripartitæ cap.* 25. refert ex Sozomeno, videlicet -- Quædam „ Mulier nobilissima cum peccata sua fuis„ set confessa, & ei a Presbytero fuisset „ præceptum ut jejunaret, & Deo operi„ bus supplicaret: Cum hoc observaret, „ crebrius in Ecclesia cum Diacono concu„ buisse confessa est. Hoc cum populus „ cognovisset &c. -- Si igitur crebriùs peccavit cum Diacono, jure censeri potest aliquem ex populo hoc deprehendisse, atque detulisse ad Pœnitentiarium, qui ex injuncto sibi munere criminis delationem ad Episcopum fecit; Hic Diaconum exauctoravit, sed inde scandalum, atque in Ecclesiasticos tanta exorta fuit commotio, ut Pœnitentiarii abrogatio opportuna ad compescendum populum fuerit judicata.

Deveniendo nunc ad ea, quæ objicit Dallæus. Primum nihil evincit, immo de falsitate redarguendus est Hæreticus: Annon præter Sozomenum in responsione ad Calvinum relatum dicit Nicephorus *lib.* 12. *cap.* 28. -- Quandoquidem nihil peccati ad„ mittere, non humanæ, sed divinæ, & „ immortalis naturæ proprium est: Nos „ autem per transgressionem semel peccan„ di hereditatem adivimus, delictorum „ Deus veniam eis concedere jussit, qui le„ gitima, & convenienti pœnitentia usi, „ deinceps simul peccatum & aversantur, „ & confitentur -- Hic sanè nemo unus non videt loqui Nicephorum de arcana peccatorum confessione. Quomodo igitur affirmare audet Dallæus Historicos referentes Pœnitentiarii institutionem, nullimodè de secreta Exomologesi meminisse, & quidem ante Decianam persecutionem; cum illam asserunt ex invariabili divino jure ordinatam? Esto tamen nullus esset de hujusmodi re pœnitentiaria apud ipsos sermo, adhuc causâ cadunt Hæretici; Etenim pro munere Historici haud erat de hoc sermonem instituere, & aliàs Patres coævi perpetui sunt in adstruenda secretæ confessionis necessitate, de quibus satis supradictum est.

Nicephorus de arcana Confessione locutus.

Nec urget secundum: Etenim cum supplementum abrogaverit Nectarius, jam in aperto est de pristino Pœnitentiæ ritu nil immutasse; eaque propter arcanæ confessionis mentio superfluebat; quo etiam momento tertia Dallæi instantia evanescit.

Ad quartum. Natalis Alexander vult Nectarium ex quadam importuna dispensatione permisisse fideles absque prævia arcana Confessione accedere ad Sacram Synaxim -- Quamvis ad id officii (Confessionis) „ non compulerit Fideles ea indulgentia

„ quadam, & dispensatione, quæ homi-
„ nis ignavi fuit, & Novatianorum, qui-
„ bus familiariter utebatur, consiliis ni-
„ mium credentis — Cæterum cum Necta-
rius Pœnitentiarium præcisè aboleverit se-
cundùm superadditum munus vel publicam
imponendi satisfactionem, vel delinquentium
crimina, ùt supra monitum fuit, deferen-
di ad Episcopum, jam planè fit permisisse
fidelibus,ut ad sacram Eucharistiam accede-
rent, præmissa quidem sacramentali Confes-
sione, sed *pro arbitrio suo, & animi conscien-
tia* in ordine ad publicam illam pœniten-
tiam, quam subire debuissent, si adhuc Pœ-
nitentiarii munus viguisset, atque ad ipsum
pro criminum relaxatione accessissent. Et
sanè si indulgentia illa, sive dispensatio in-
definitè esset intelligenda, non Pœnitentia-
rium quoad superadditum munus abrogas-
set, sed absolutè Confessarios omnes exau-
ctorasset.

Nectarius secreta Confessionis Ministros non exauctoravit.

Ultimum, quod a Dallæo affertur, minoris adhuc momenti meritò censendum
est. Ablato siquidem Pœnitentiario deficie-
bat verecundia publicæ pœnitentiæ; Hæc
namque quandoque ab ipso imponebatur;
& nisi ea superesset, quæ ex secreta con-
fessione oritur, cum ea hac minor habea-
tur erubescentia, minus quoque a peccato
retrahebantur Fideles; jure igitur dicere
potuit Sozomenus — Antea minora fuisse
„ peccata, tum ob verecundiam eorum,
„ qui sua ipsi delicta annunciabant, tum
„ ob severitatem Judicum, qui ad id
„ erant constituti —

Verecundia retrahit a culpa.

41 Instat Picceninus. Si propter unum solummodo scandalum abrogata fuit confes-
sio, optimè poterant Novatores propter in-
numera illam de medio tollere.

RESP. Nectarius publicam, non privatam abrogavit Confessionum de crimini-
bus aliqualiter notis, ùt supra dictum est;
& hoc quidem, quia juris erat Ecclesia-
stici, atque ea humana invaluerat institu-
tione; cum verò arcana confessio sit juris
divini, haud est in humana potestate de ea
pro libito disponere. Cæterum sicut Socra-
tes, Sozomenus, aliique Nectarium repro-
barunt, ita, multoque magis diris vovendi
sunt Novatores, qui ausu temerario secre-
tam confessionem ex divino jure præceptam
obliteraverunt.

Quæ sunt juri divino sub humana potestate non cadunt.

42 REPLICABIS. Chrysostomus Nectarii Successor secretæ confessionis usum
reprobat: ergo signum est Nectarium illam
revera abrogasse: Non enim Chrysostomus
a Decessoris vestigiis absque gravissima cau-
sa recessisset. Pluribus probatur assumptum.
Sanctus Doctor *hom. 2. in Psal. 50.* de pec-
catis loquens ait — Peccata tua dicito, ut
„ deleas illa. Ac pudet dicere te peccasse?
„ Dic ea quotidie in oratione. Num enim
„ dico, ut ea conservo dicas, qui tibi ex-
„ probet? Dic Deo, qui ea medetur.
„ Neque enim ea, si non dixeris, nescit
„ Deus — Similia repetit *hom. 21. ad Pop. Antiochenum* — Neque enim hoc tantùm est
„ admirabile, quod nobis peccata dimit-
„ tit; verum & quod ipsa non revelat, nec
„ manifesta facit, aut conspicua, nec cogit
„ in medium procedentes, quæ peccavimus
„ enunciare, sed sibi soli rationem reddere
„ jubet, & sibi confiteri — ergo.

RESP. Abs re affertur a Dallæo Chrysostomus; nam eo loci loquitur de quoti-
diana pœnitentia, & conscientiæ examine
a fidelibus diebus singulis instituendo, sub-
dit enim — Cum autem in lectum, hoc est,
„ ad tranquillum portum te conjecisti, nec
„ ullus est, qui tibi molestiam exhibeat,
„ dic cordi tuo, atque animæ tuæ: Exe-
„ gimus hodiernum diem, o anima. Quid
„ boni fecimus, aut quid mali amisimus —
Ad hunc sensum loquitur *Hom. 10. in Genesim* — Attamen, qui hoc fecit, si voluerit,
„ ut decet, uti conscientiæ adjumento, &
„ ad Confessionem facinorum festinare, &
„ Medico ostendere ulcus, qui curat, &
„ non exprobat, atque ab illo remedia ac-
„ cipere, & soli ei loqui nullo alio con-
„ scio, & omnia dicere cum diligentia,
„ facilè peccata sua emendabit — Et etiam
Homil. 68. de Pœnitentia, & mœstitia Regis Achab — Peccator es, ne despondeas animum,
„ sed ingredere, ac pœnitentiam obtende.
„ Peccasti? Dic Deo, Peccavi. Quis hic
„ labor est? Qui circuitus? Quæ fatiga-
„ tio? — Igitur Sanctus Doctor quotidia-
nam peccatorum contritionem laudat tan-
quam præpotens remedium ad retrahendum
a criminibus, neque tamen inde excludit,
ut alio tempore peccata Sacerdoti confitean-
tur, sed præsentaneum exhibet remedium
sive pro venialibus, sive etiam pro lethali-
bus. Alio loco publicam excludit confessio-
nem, ex qua infamia, atque exprobratio
delinquentis habeatur, quod ex contextu
satis elucet; subdit namque — Etenim ex
„ secularibus Judicibus si quis alicui capto-
„ rum Latronum, vel eorum qui sepulchra
„ effodiunt, diceret, ut peccata confiteretur,
„ & a pœna dimitteretur, omni rectè prom-
„ ptitudine hoc susciperent, salutis cupidi-
„ tate pudorem contemnentes — Hanc non
exigit Deus confessionem: ergo probrosam
excludit, non sacramentalem Confessionem
Chrysostomus. Idem habet *Hom. 30., quæ est 5. de incomprehensibili Dei natura* — Quam-
„ obrem vos hortor, & oro, crebrius, &
„ assiduè Deo confiteamini. Neque enim te
„ in theatrum duco conservorum tuorum;
„ non hominibus detegere peccata cogo
„ &c. — *Hom. 8. de Pœnit.* — Non revela-
„ vit ulcus, non in commune theatrum
„ accusationem produxit, non delictorum
„ testes statuit. Intus in conscientia, ad-
„ stante nemine præter eum, qui cuncta
„ videt Deum, instituit judicium — Alibi
quoque eodem modo loquitur; Cæterum
quid senserit Sanctus Doctor de secreta
Confessione in aperto est *lib. 2. de Sacerdotio cap. 3.* — Quamobrem multa quidem arte
„ opus est, ut qui laborant Christiani ultrò
„ sibi ipsis persuadeant, Sacerdotum cura-
„ tioni sese submittere oportere, neque id
„ solùm, sed etiam ut curationis, & me-
„ dicinæ nomine gratiam illis habeant —
Homil. 30 in Genesim — Quia in magnam
„ hanc hebdomadam pervenimus Dei gra-
„ tiâ, nunc maximè & jejunii cursus in-
„ tendendus, & magis continuandæ sunt
„ preces, faciendaque diligens, ac pura

Quotidianū conscientiæ examen laudatur a Chrysostomo.

Chrysostomus publicam non secretam Confessionem excludit.

„ peccatorum Confessio — Quid clariùs pro secreta edenda confessione, non quidem a publicè pœnitentibus; Hi namque sub Quadragesimæ initio confitebantur, sed a cæteris Fidelibus. Demum *hom. 4. de Lazaro* — „ Non cogo te in medium prodire theatrum, ac multos adhibere testes. Mihi „ soli dic peccatum privatim, ut sanem „ ulcus, teque dolore liberem —

43 OB. II. Si quis publicâ functus pœnitentiâ iterum in ea relabebatur crimina in Canonibus descripta, nullimodè ad publicam, seu privatam pœnitentiam admittebatur; atqui huic spes veniæ non erat denegata, ùt legere est apud Augustinum *Epist. 54. ad Macedonium* — Quamvis ergo „ cautè salubriterque provisum sit, ut locus „ illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ec„ clesia concedatur, ne medicina vilis mi„ nus utilis esset ægrotis, quæ tantò magis „ salubris est, quantò minus contemptibilis „ fuerit; Quis tamen audeat dicere Deo; „ Quare huic homini, qui post primam „ pœnitentiam rursum se laqueis iniquitatis „ obstringit, adhuc iterum parcis? — Ergo ad peccatorum remissionem non est necessaria sacramentalis Confessio.

Salus cum voto Sacramenti, & contritione haberi potest.

RESP. Quemadmodum plures Catechumeni absque actuali Baptismatis susceptione salvantur, ita denegata sacramentali absolutione per contritionem cum voto Sacramenti Pœnitentiæ salvari potest peccator; adeoq & jure, & meritò Sanctus Augustinus nemini spem salutis aufert; Cæterum relapsis saltem in mortis articulo Sacerdotalis absolutio neutiquam denegabatur, de quo suis aptè locis agetur, ubi mens Sancti Augustini dilucidabitur.

44 OB. III. Ex disciplina Seculi IX. optimè colligitur nequaquam auricularem Confessionem fuisse necessariam: Nam per id tempus quidam Christianorum soli Deo peccata confitenda esse affirmabant, alii verò etiam Sacerdotibus, ùt legitur ex *Can.* 33. Concilii II. Cabilonensis — Quidam soli Deo „ solummodo confiteri debere peccata di„ cunt, quidam verò Sacerdotibus confi„ tenda esse percensent, quod utrumque non „ sine magno fructu intra sanctam fit Ec„ clesiam — Canone verò 32. notat laudata Synodus nonnullos extitisse, qui confitebantur quidem, sed non integrè peccata sua: Ibidem *Can.* 33. laudato Sacerdotes solùm de octo vitiis interrogare debebant pœnitentes, videlicet de superbia, inani gloria, invidia, ira, avaritia, tristitia, ventris ingluvie, atque luxuria; immo ibidem adnotatur confessionem peccatorum fieri, non quidem ut peccatorum remissionem reciperent, sed ut edocerentur qualiter expurganda essent peccata. Et sanè eo Seculo nequaquam firmata erat forma absolutionis per verba indicativa, videlicet. *Absolvo te a peccatis tuis*, sed quædam fundebantur preces, & Deus ipse remittebat peccata: Ea propter tunc temporis laudabant Patres Confessionem soli Deo factam, sicut docet Theodulphus in Capitulari *cap.* 30. Secus autem nunc faciunt Romanæ communionis Doctores — „ Omni die Deo in oratione nostra . . . „ confiteri debemus peccata nostra —

RESP. Ex Seculo IX. nedum ex privatis Auctoribus, verùm etiam ex Conciliis plurima proferuntur monumenta pro usu, & auricularis Confessionis necessitate; & satis efficaciter id evincit *Canon* 32. laudati Cabilonensis Concilii, qui eos redarguit, qui non integrè confitebantur — Sed & hoc „ emendatione egere perspeximus, quod qui„ dam dum confitentur peccata sua Sacer„ dotibus, non plenè id faciunt. Quia „ ergo constat, hominem ex duabus esse „ substantiis, anima videlicet, & corpore, „ & interdum animi motu, interdum car„ nis fragilitate peccatur: Solerti indaga„ tione debent inquiri ipsa peccata, & „ ex utrisque plena fit Confessio, scilicet ut „ ea confiteantur, quæ per corpus gesta „ sunt; & ea, quibus in sola cogitatione „ delinquitur — Ex dictis liquet tum usus sacramentalis judicii, tum reprobatio doctrinæ asserentium non integrè confitenda esse delicta: Dixerat quidem *Can.* 33. laudabiliter, seu utiliter fieri confessionem Deo, & Sacerdotibus, sed hoc non debet intelligi disjunctivè, sed copulativè, ita ut damnandi sint, qui volunt solam confessionem Deo factam sufficere ad peccatorum remissionem; neque hanc laudat Concilium, sed interiorem, simul cum exteriori Exomologesi. Unde Concilii mens ea est aliquando exteriorem confessionem cum interno dolore faciendam esse, interiorem verò semper; estque clara Alcuini illius ævi Scriptoris doctrina *Epist. 71. ad Gothos*, ubi probata necessitate sacramentalis Confessionis subdit — Sed semel Sacerdoti in præ„ sentia divinæ pietatis confessio facienda „ sufficit. Semper autem Domino cum la„ crymis, & cordis contritione faciendam „ esse arbitramur — Quod autem hic sit Concilii sensus patet ex dictis *Can.* 32. mox laudato. Si enim concederet absolutè soli Deo factam confessionem sufficere, nequaquam diceret emendatione indigere eos, qui non plenè confitentur. Vult quidem interrogationes fieri de octo descriptis criminibus, quia ea sunt veluti fontes, a quibus cætera derivantur; unde reliqua non excludit.

Confessio integrè facienda.

Dolendum semper de peccatis.

Neque per hoc, quod *Can.* 33. dicatur — Confessio itaque quæ Deo fit, purgat „ peccata: ea verò, quæ Sacerdoti fit, do„ cet, qualiter ipsa purgentur peccata. — Jure colligere potest Dallæus sacerdotalem absolutionem haud remittere noxas; Etenim ibidem docet tum contritionis efficaciam, tum necessitatem medicinalis instructionis, quæ per ipsum Sacerdotem habetur. Utvis tamen illa ætate absolutionis forma alia fuisset, ac nunc, erat tamen per æquivalentia. Et sicut nunc quoque a nobis confessio facta Deo commendatur, ita a Patribus commendabatur. Nemo tamen interiorem laudando, exteriorem negabat.

45 OB. IV. A Seculo X. usque ad XIII. erat sententia Patrum testimoniis firmata Confessionem soli Deo factam sufficere; atqui sententiam hujusmodi sustinebat Ecclesia: ergo necessariam juris divini confessionem nequaquam propugnabat. Assumptum dilucidè habetur ex testimonio Magi-

stri

ftri fententiarum *lib. 4. dift. 17.* ubi inquirens utrum fufficiat confeffio foli Deo facta, fubdit — Quibufdam vifum eft fufficere, fi „ foli Deo fiat confeffio, fine judicio fa„ cramentali, & confeffione Ecclefiæ — Et Gratianus *diftinct. 1. de Pœnitentia* hanc fententiam dicit auctoritate, & ratione affe fundatam.

RESP. Oralem Confeffionem dogma fuiffe in Ecclefia ineluctabilem fidem faciunt illorum temporum coævi Scriptores ut Sanctus Anfelmus Cantuarienfis Enarratione *in cap. 17. Luca*, & in Elucidario ubi neceffitatem Confeffionis comparat cum Baptifmo; Ejufdem labii funt Ivo Carnotenfis *Ser. 13. in capite Jejunii*, aliique plures, ac propter Sanctus Thomas tantum Magiftri exponens eam opinionem hæreticam dicit —

Qui Hæretici confondi funt.

„ Quod ponitur hic pro opinione, hærefis „ eft — Hinc Gratianus *cit. diftinctione*, quæ ipfi afficta ab aliquibus creditur, erravit eam fententiam probabilem aditruendo, non tamen hæreticus cenferi debuit, nondum enim res in Plenario Concilio fuerat eliquata — In talibus antequam determinetur per „ Ecclefiam, quod ex eis fequatur aliquid „ contrarium fidei, non judicatur hærefis „ affe. Et fic Magifter, & Gratianus hoc „ pro opinione ponunt, fed nunc poft de„ terminationem Ecclefiæ fub Innocentio „ III. factam, hærefis reputanda aft — Sic Angelicus *loco mox laudato*. Cæterum jure maritò dicere poffumus neminem tunc temporis Catholicam veritatem negaffe, nifi fortaffa quempiam obfcuri nominis auctorem.

46 OB. V. Nullus apud vetuftiffimas Chriftiani Orbis Ecclefias, quales funt Æthyopum, feu Abiffinorum, Armenorum, atque Græcorum, ufus extitit auricularis Confeffionis: ergo divinæ nequit dicit inftitutionis.

RESP. Ultrò concedimus quafdam Ecclefias auricularis Confeffionis ufum amandaffe; mirum tamen eft Dallæum ipfas tanquam fuæ caufæ patrocinatores afferre, cum vel Neftorianæ, vel Eutychianæ hærefis labe fint infectæ, aut Schifmate a Catholica

Ufus Confeffionis apud veteres.

Ecclefia fejunctæ. Cæterum fi loquamur de iifdem populis fub initio Æræ Chriftianæ, quifnam Dallæum docuit auricularem confeffionem abnegaffe? Habemus namque Græcos Patres, quos fupra dedimus, a quibus Catholica fides longè latèque apud Orientales diffufa eft, qui de facramentali judicio apertum proferunt teftimonium: Immo Græci recentiores cum Ecclefia Latina de Confeffionis dogmate fentiunt. Teftis eft Jeremias Patriarcha CP., qui in refponfione 1. ad Lotheranos de auriculari Confeffione habet — Oportet eum, qui „ confitetur, fua omnia fingulatim, in„ quantum recordari poteft, deponere pec„ cata, ac corde contrito, & humiliato „ aperiendo — Quid clariùs ad retundendum Dallæi mendacium?

47 OB. VI. In primitiva Ecclefia Fideles, qui fingulis diebus ad Sacram Synaxim accedebant, neutiquam confitebantur: Non enim prudenter cenferi poteft, quod, cum tunc temporis pauci Sacerdotes inaugurati effent, omnium Confeffionem excipere potuerint. Momentum hoc augetur, ex quo Novatianus Antipapa inter Euchariftiam diftribuendam his verbis Sectatores fuos obftringebat, ut legitur apud Eufebium *lib 6. Hift. cap. 43.* — Jura mihi per Corpus, & „ Sanguinem Domini noftri Jefu Chrifti, te „ nunquam me deferturum — Atqui fi fecretæ Confeffionis ufus tunc invaluiffet, in ipfa Confeffione, non verò palam hujufmodi petiiffet jusjurandum: ergo. Demum errorem fuum comprobare credit Dallæus teftimonio Clementis Alexandrini *lib. 1. Strom.* dicentis — Qui Euchariftiam poftquam de„ more in particulas diviferant, unicuique „ ex populo præmittarent ipfum fibi partem „ fumere. Optima enim erit fua cujufque „ confcientia, ad hoc ut res objectas accu„ ratè vel eligat, vel fugiat — Ex his infert Hæreticus nullo obftrictus fuiffe præcepto Fideles ad Confeffionem ante Euchariftieam fumptionem præmittendam; cum quilibet propriâ confcientiâ judice ad illam accedere poffet.

RESP. Illis felicioris lucis temporibus, quibus Chriftiani fingulis diebus communicabant, perfectior quædam vivendi ratio ab iifdem habebatur; ea propter abfque prævia

Fervor primitivæ Ecclefiæ.

Confeffione Dominicum Corpus fumere poterant; cum verò Fidelium auctus eft numerus, quotidianæ communionis mos defecit; Unde conquerebatur Chryfoftomus *Homil. 3. in Epift. ad Ephefios* — Fruftra eft „ quotidianum Sacrificium, fruftra adfta„ mus Altari, nemo eft, qui participat — Porrò fi quandoque quis in mortale labebatur apud Sacerdotem confcientiam fuam expiabat; nec in hoc abfurdum aliquod objicitur, nec oppofitum ab Hæretico evincitur. Nec urget Novatiani folertia: Tempore namque Schifmatis illius plures, iique Sanctiffimi Viri, Confeffores videlicet, qui pro Chrifti nomine multa paffi erant, ut ex Sancti Cypriani Epiftolis legitur, Novatia-

Antipapæ Novatiani folertia.

num legitimum Pontificem, Cornelium verò Antipapam cenfebant; cumque fe Schifmaticos nequaquam reputarent, ad Sacram Exomologefim non accedebant; Ut igitur hos, aliofque hujufcemodi pro fua parte Novatianus firmaret, jusjurandum in ipfa Communionis fumptione exigebat. Nec fuppetias affert Dallæo Clemens. Etenim latis conftabat Fidelibus lethaliter peccantibus Apoftoli præceptum de fe ipfo probando, & quidem per Confeffionem. Unde Sanctus Cyprianus *lib. de Lapfis* vehementer eos objurgat, qui fpreto Apoftoli mandato ad Euchariftiam accedebant *ante expiata delicta, ante Exomologefim factam criminis*. Hinc cuilibet dabatur facultas Euchariftiam fumendi; (nullus fiquidem præfumendus eft malus); fed qui propria confcientia judice lethalis criminis reus non erat.

48 OB. VII. Si antiquitus auricularis Confeffionis ufus invaluiffet, extarent planè præcepta de modo illam adminiftrandi, ficut nunc dantur plurima; atqui nullibi talia leguntur præcepta; unde vel in Apoftolicis Conftitutionibus, quas editas Seculo IV. vult Dallæus, ubi omnia Epifcopi munia diligentiffimè adnotantur, de Confefforis

officio altum silentium est; Nec quid simile legere est apud Sanctos illos Episcopos, qui in primitiva Ecclesia toti erant in animarum salutem; cum aliàs Confessio esset apprimè necessaria, sicut nunc depredicatur. Immo qui gesta præclarissimorum virorum tradidere, nec verbum quidem de secreta Exomologesi habent, ùt facilè constabit legenti, quæ scripsit S. Hieronymus de Marcella, Paola, Hilarione, aliisque, quorum multus est sermo apud Patres.

Negativum argumentum nihil concludit.

RESP. Si positiva occurrant momenta, negativa argumenta nihil evincunt: Non enim communia quæque scriptis commendantur, sed quæ singulari notâ digna sunt, ea propter irrito, cassoque labore insudavit Dallæus plurima congerendo hujusmodi argumenta, quæ omittuntur, cum eàdem evertamur solutione. Cæterum ad ea deveniendo, quæ modo objicit, mirandum sanè est, nobis objicere auctoritatem Apostolicarum Constitutionum, quas apocriphas dicit. Si tamen velit se credere earundem auctori, sive sit Sanctus Clemens Pontifex, sive Auctor Seculi IV., legat, quæ idem Scriptor habet in Epistola Sancti Jacobi — „ Si in alicujus cor, vel livor, vel infidelitas, vel aliquod malum latenter irrepserit, non erubescat, qui animæ suæ curam gerit, hæc confiteri ei, qui præest, ut ab ipso per verbum Dei, & consilium salubre, curetur, quo possit integra fide, & operibus bonis pœnas æterni ignis effugere — Verùm ad rem nostram deveniendo, quid refert nec Hieronymum, nec alios Patres Anachoretarum, aliorumve vitam describendo de Confessione non meminisse, cum aliàs ipsi Pœnitentiæ Sacramentum, atque Sacramentalia judicium juris esse divini pluribus affirmaverint, ùt supra vidimus? Immo S. Ambrosium legimus tale Sacramentum administrasse, & flevisse cum flentibus, teste Paolino in ejus vita. Ut tamen suo Dallæus gladio juguletur, videamus, an inter sacrorum Ministrorum munera nusquam sacramentalis confessio primis Ecclesiæ Seculis describatur. Habemus Augustinum *Epist. 180. ad Honoratum*, qui deflens damna, quæ ex Ministrorum fuga persecutionis tempora eveniunt, habet — Aliis „ Baptismum flagitantibus, aliis reconciliationem, aliis etiam pœnitentiæ ipsius actionem, omnibus consolationem, & „ Sacramentorum confessionem, & erogationem; ubi si Ministri desint, quantum „ exitium sequitur eos, qui de isto Seculo, „ vel non regenerati, exeunt, vel ligati —

Antiqui Præsules Confessiones excipiebant.

Nec juvat ad publicos pœnitentes mentem Augustini detorquere, cum indefinitè, & universaliter loquatur. Idem pari ratione colligitur ex lamentationibus Fidelium, qui in persecutione Wandalica videntes sacros Antistites in exilium abduci — Cereos ma„ nibus gestantes, suosque infantulos vesti„ giis Martyrum projicientes. Quibus nos „ miseros (*dicebant*) relinquitis, dum per„ gitis ad coronas? Qui hos baptizaturi „ sunt parvulos fluctibus aquæ perennis? „ Qui nobis Pœnitentiæ munus collaturi „ sunt, & reconciliationis indulgentiâ ob„ strictos peccatorum vinculis soluturi? „ quia vobis dictum est. Quæcunque sol„ veritis super Terram, erunt soluta èt „ in Cœlis — Ex hac lugubri narratione a Victore Vitensi *lib. 2. de Persecutione Wandalica* nobis tradita in aperto est falsò asseri a Dallæo de sacramentali Exomologesi altum silentium apud antiquos Ecclesiæ Ministros.

Verùm eadem negativa argumenta, quæ fuso calamo affert Calvinista corruunt, illudque primò quod adducit ex Nazianzeno in carmine de Vita sua, ubi legitur.

Impletur unda puppis: Omnes clamitant,
Omnes ad unum fletibus genas rigant:
Junctique Christum voce gemebunda vocant
Etiam Tonantem, qui prius non noverant.
Metus magister est enim longè optimus.
Et infra.
Hinc clamitabam squalidus, tendens manu
Maris strepentes fluctibus sublimibus
Raptus jacebam vestibus pronus solo.
Quod vix credas, est tamen plenum fide,
Nautorum omissis quisque propriis cladibus
Gemebunda votis vota jungebat meis
Pietate ductus in malis communibus.

Tum èt aliud quod secundò profert ex *Dialogo 36. lib. 3.* S. Gregorii Magni, qui tempestatem narrans Maximiniani, aliorumque Monachorum Constantinopoli Romam redeuntium ait — Tunc in eadem navi „ residentes non jam ex morte vicina, sed „ ex ipsius ejus præsentia, ac visione turbati „ omnes sibimet pacem dederunt, Corpus, & „ sanguinem Redemptoris acceperunt; Deo „ se singuli commendantes, ut eorum ani„ mas benignè susciperet, quorum corpora „ in tam pavida morte tradiderat — Corruunt, inquam, ex allato jam fundamento, sed maximè cum Nazianzenus tempestatem illam ante Baptismum passus sit, pluresque in navi adessent Gentiles, nil mirum si de sacramentali Confessione non meminerit. Nec inferre fas est sacramentalis Confessionis usum non extitisse, sicut ex quo non dicatur Catechumenos sacrum excepisse lavacrum, non juvat asserere Baptisma omnibus præceptum non fuisse. Aliud verò minoris adhuc momenti censendum est: Etenim viros illos excellentis fuisse sanctimoniæ, adeoque non indiguisse sacramentali Confessione propalam facit celebre miraculum, quo Deus illos a naufragio servavit incolumes; Siquidem cum navis fluctibus collisa, & patentibus rimulis aquis impleta esset, adhuc stetit per dies octo, donec in Portu exonerata, illico submersa est.

49 OB. VIII. Apud Pontificios Dominicæ Nativitatis dies, Paschalis, aliorumque hujusmodi festorum Confessionibus solemnes habentur; atqui de hac disciplina nihil apud Veteres legimus: ergo tunc temporis talis Confessionis usus non erat. Quod urgentiùs comprobatur, ex quo prisci Antistites profitebantur se plurima subditarum ovium peccata nescivisse, ùt asserit

S. Jean.

S. Joan. Chrysostomus *lib. 2. de Sacerd. c. 5.* Porrò apprimè illa novissent, si Confessionis usus invaluisset.

RESP. Pluribus deficit Dallæus I. Quia supponere videtur adesse præceptum illis diebus peragendæ Confessionis, quod falsum est; ea propter quia non legatur descripta temporibus peracta Confessio, malè inferri potest usum non adesse. Tunc enim Fideles Sacerdotem adeunt, cum capiare conscientiam volunt. II. Cum lege divina nemini fas sit sacram frequentare Synaxim absque expurgata conscientia a lethalibus, dicendo primitivæ Ecclesiæ Fideles sæpè sæpiùs ad sacram Mensam accessisse, implicitè de sacramentali Confessione admonemur. III. Falsum est solemnioribus diebus in usu non fuisse sacramentalem Confessionem, cum pleraque hac de re extent monumenta; unde afferre possemus Paulini testimonium in vita S. Ambrosii, quem in excipiendis Confessionibus assiduum fuisse narrat, hocque solemnioribus potissimùm diebus præstitisse argumentum est Ambrosianæ Ecclesiæ disciplina, in qua ex sacri Antistitis Ordinatione Dominicis diebus horæ Canonicæ breviores sunt, eo motivo, quod illis temporibus Sacerdotes circa ministeria ad Populorum utilitatem ordinata sunt occupati. Testis demum, pluribus prætermissis, est Chrodegangus Metensis Episcopus, qui Seculo VII. floruit, *cap.* 30. *Regulæ*, ubi ad rem nostram ait -- Hæc est ratio Pœnitentiæ, & Confessionis nostræ, quæ coram Deo, & Sacerdotibus ejus a nobis pariter agendæ sunt, idest, in unoquoque anno tribus vicibus, idest, in tribus Quadragesimis Populus Fidelis suam Confessionem faciat, & qui plus fecerit, melius facit -- Quod autem ab Hæretico secundò additur prorsus evanidum est. Nos quoque hisce temporibus, quibus sacræ Exomologesis usum frequentem esse nemo est, qui non videat, nos, inquam, apertè asserimus nescire Pœnitentium confessa crimina, & sanè ut eaterins, & publicè redarguamus propter arctissimum Secreti sigillum; & hoc sensu loquebantur Sacri Præsules.

Conscientia expurganda ante Eucharistiæ sumptionem.

Peccata nesciunt Confessarii ad revelandum.

50 OB. IX. S. Athanasius in vita S. Antonii Abbatis refert ipsum suos docuisse Monachos quotidiè minutatim, & diligentissimè omnes adnotare culpas, quasi aliis revelandas, ut faciliùs peccata vitarent; atqui si auricularis Confessionis usus viguisset, inutilis, aut saltem non necessaria fuisset nova hujusmodi observantia ad præcavenda peccata: ergo tunc temporis Confessio non erat in usu, sed huic Antonii documentum prælusit.

RESP. Nequaquam auriculari Confessioni Sancti Abbatis consilium, atque institutio refragatur: Nostris siquidem temporibus plerique Sanctimonialium, & Religiosorum Ordines idem servant. Puriores namque Animæ levissimos defectus, otiosas cogitationes scrutantur, scriptisque mandant, ut de illis coram aliis Fratribus se accusent, ut corrigantur, atque ea humilitate perfectionis incrementum acquirant. Monachalis itaque institutio haud pugnat cum Christi mandato de Sacramentali Confessione.

Puriores animæ levia quæque adnotant ad humiliationem.

51 OB. X. A condito per Innocentium III. Decreto de auriculari Confessione apud Scriptores Pontificios innumeri editi sunt libri, in quibus in immensam molem de casibus, ùt ajunt, conscientiæ excitantur quæstiones; atqui apud antiquos nihil horum est invenire; vel ergo dicendum est illis acumen defuisse illas dignoscendi, populosque edocendi, aut nullum fuisse arcanæ Confessionis usum.

RESP. Argumentum facilè in Dallæum regeritur. Apud Veteres nequaquam tot libri, tot ventilatæ quæstiones circa Incarnationis Mysterium, circa Baptismum, circa Ecclesiam, & tamen apud illos vera Fides florebat, ita pro re nata dicendum est. Vera doctrina circa essentialia Confessionis semper eadem perseveravit, verùm multiplicatis criminibus, atque diversimodè circumstantiis implicatis multiplicatæ sunt quæstiones, ut faciliori metodo conscientiæ laquei dissolvantur. Cæterum ante laudati Pontificis Decretum evulgabantur libelli quidam circa Confessionem, quos tamen eliminandos voluit Synodus II. Cabilonensis *Can.* 38. utpotequi ab Ecclesiasticis Sanctionibus discrepabant; ea planè ratione qua nunc quoque laxas quasdam Casuistarum sententias a laudabili Pontificum zelo expunctas quandoque novimus.

Doctrina de Fidei Mysteriis semper eadem.

52 OB. XI. Venialia peccata absque auriculari Confessione condonantur: ergo, cum omnium peccatorum eadem habenda sit ratio, etiam mortalia sine Confessione condonari dicendum est. II. Lethalia, quorum peccator non recordatur, citra Confessionem dimittuntur: ergo èt reliqua. III. Impossibile est omnia enumerare, quæ vel cogitatione, vel verbo, vel opere patrata sunt; atqui impossibilium nulla lex: ergo. IV. Confessionis vinculum millenis animi afflictionibus Fideles perturbat: Ignorant enim, an ea omnia adimpleverint, quæ ad tale Sacramentum necessaria præscribuntur. Ex Confessionibus demum plurimi sequuntur abusus. Fovetur enim Sacerdotum libido, ùt satis apertè loquuntur Pius V., & Gregorius XV. in Bullis contra Sollicitantes in Confessione, Conjurationes contra Principes, & Regna moliuntur, ùt vidit Gallia contra Henricum III., & IV., & refert Thuanus *Tom.* 4. suæ Historiæ.

RESP. Venialia quidem absque Confessione remittuntur (si tamen dolor de illis præsupponatur) cum gratiam, & charitatem non auferant, nec cœlum claudant, ea propter ut deleantur, haud necesse est, ut clavibus subjiciantur. Mortalia verò per clavium potestatem auferri debent; Illæ namque solæ ex divina institutione Cœlum reserrare possunt. Hujusmodi solutionem habemus ex Tridentino *Sess.* 14. *cap. V.*

Veniale cur sine Confessione remittatur.

Ad secundum. Peccata oblita absque Confessione remittuntur contritis, quia ad impossibile nemo obligari potest. Porrò nequaquam sub hominum potestate est, ea clavibus subjicere, quæ penitus a memoria exciderunt, nec facta diligenti conscientiæ discussione in mente revocari possunt.

Peccata oblita non sunt sub hominum potestate.

Ad

Ad Tertium. Non est impossibilis singulorum peccatorum enumeratio; si eâ peccator utatur diligentiâ, qua prudentes in re maximi momenti adhibere solent. Quodsi post accuratam sui disquisitionem singula memoriæ non occurrant, misericors Deus ea remittit, sicut de oblitis modo dictum est.

Singulorum peccatorum enumeratio quando requiritur.

Ad Quartum. Falsum est anxietates ex Confessione oriri, immo pacem, animique tranquillitatem. Postquam enim Pœnitens præstitit quidquid cum Dei gratia potest, debet in divina bonitate, & misericordia conquiescere; Deus namque cor contritum, & humiliatum non despicit, nec in morte peccatorum lætatur.

Ad ultimum. Prædicti, aliique ejuscemodi abusus non Confessionis, sed hominum vitia sunt; Neque per hoc damnanda Confessio est, sicut nec ab Hæreticis Eucharistica Cœna reprobatur, utvis plures illam indignè sumant, & Novatianus Antipapa illius administratione malè uteretur ab iis jusjurandum exigendo, quos sibi addictos in Schismate exoptabat, ùt n. 47. adnotavimus. Conjurationes in Gallia contra præcitatos Reges non minus a Concionatoribus, quam a Confessariis incensas fuisse idem Thuanus refert. Cur igitur contra sacramentalem Confessionem, & contra Evangelii prædicationem non declamat Dallæus? Eadem responsione Picenino fit satis easdem afferens proditorias machinationes sive adversus Galliæ, sive adversos Angliæ Reges. Nihil enim tam sanctum est, quod hominum malitiâ vitiari non possit.

Abusus Confessariorum ipsam Confessionem non vitiat.

53 Ex his omnibus usque ad nauseam discussis pro comperto quisque habere potest ante Concilium Lateranense Sacramentalem Confessionem tanquam ex divina institutione præceptam viguisse, & utvis ante laudatam Synodum non sit assignabile Decretum Confessionem præcipiens, ex hoc evidentius comprobatur juris esse divini: Etenim secundùm regulam S. August. *lib. 4. contra Donatistas c. 24.* -- Quod universa tenet Ecclesia, „ nec Concilii institutum, sed semper retentum, non nisi Apostolica auctoritate „ traditum rectissimè creditur -- Quare Innocentius III. in Lateranensi laudata Synodo non jam auricularem Confessionem decrevit, sed tempus divinum adimplendi præceptum statuit, eamque necessariam semel saltem in anno declaravit, cum tamen a nascentis Ecclesiæ primordiis semper divini juris credita fuerit. .

Lateranense Concil. tempus Confessionis decrevit.

Quæ omnia breviter complectitur Tridentinum *Sess. 14. cap. 5.* — Unde cum a „ Sanctissimis, & antiquissimis Patribus „ magno, unanimique consensu secreta „ Confessio sacramentalis, quæ ab initio „ Ecclesia Sancta usa est, & modo etiam „ utitur, fuerit semper commendata; ma„ nifestè refellitur inanis eorum calumnia, „ qui a divino mandato alienam, & in„ ventum humanum esse, atque a Patribus „ in Concilio Lateranensi congregatis ini„ tium habuisse docere non verentur. Ne„ que enim per Lateranense Concilium Ec„ clesia statuit, ut Christifideles confite„ rentur, quod jure divino necessarium, & „ institutum esse intellexerat; sed ut præ„ ceptum Confessionis saltem semel in anno, „ A ab omnibus, & singulis, cùm ad annos „ discretionis pervenissent, impleretur —

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN SINGULORUM PECCATORUM CONFESSIO JURE DIVINO INTEGRE' FACIENDA SIT.

B 54 PRæsens Controversia nequaquam venialia comprehendit; hæc siquidem ad necessariam Confessionis materiam non spectant. Porrò integritas duplex est, materialis nempe, qua reus clavibus quæcunque peccata subjicit, formalis alia, qua Fidelis præmissa diligenti conscientiæ discussione peccata omnia, quorum meminit, Sacerdoti exponit, quædam etiam quandoque de industria reticando, cum videlicet ex alicujus peccati manifestatione grave damnum sibi imminere prævidet. Materialem integritatem a Domino non esse C institutam, aut præceptam pro certo habent Catholici omnes, & Tridentinum *Sess. 14. cap. 5.* propalam docet — Nihil aliud in „ Ecclesia a Pœnitentibus exigi, quam ut „ postquam quisque diligentiùs se excusse„ rit, & conscientiæ suæ sinus omnes, & „ latebras exploraverit, ea peccata confi„ teatur, quibus se Dominum, & Deum „ suum mortaliter offendisse meminerit: „ reliqua autem peccata, quæ diligenter „ cogitanti non occurrunt, in universum „ eâdem Confessione inclusa esse intelligun„ tur -- Et sanè Deus impossibilia non præcipit: Porrò fieri nequaquam potest, D ut peccata, quorum memoria nullatenus habetur, confiteantur. Ad formalem integritatem duo concurrunt, numerus videlicet peccatorum, eorumque species, sive quæ ab objecto desumitur, sive quæ a circumstantiis rerum essentiam mutantibus. Aliæ sunt circumstantiæ intra eandem speciem aggravantes, de quibus sciscitari solet, an formalem Confessionis integritatem componant. Hac de re duplex extat error, primus est Petri Oxomensis negantis jure divino confitenda esse peccata in specie, ùt in Bulla Sixti IV., quæ incipit. *Licet ea* — „ Confessionem peccatorum in specie ex E „ universalis Ecclesiæ statuto, non divino „ jure compertam fore — Hunc secutus est Lutherus apud Estium *4. sent. dist. 17. §. 9.* affirmans occultiora crimina non esse confitenda. Error alter ejusdem Lutheri est *lib. de Captivit. Babyl. cap. de Pœnit.*, ubi nullimodè circumstantias in Confessione aperiendas esse propugnat -- Ego quidquid est „ circumstantiarum, consuluerim penitus „ contemnere — Propositio hujusmodi tempore universalis circumstantias omnes sive aggravantes, sive speciem mutantes excludit. Alii quidem, quos damnavit Tridentina Synodus *Sess. 14. cap. 5.*, affirmant -- unam „ tan-

Integritas materialis Confessionis a Deo non est præcepta.

Integritas formalis in quo consistat.

„ tantùm circumstantiam confitendam esse, „ nempe peccasse in fratrem -- Pro veritatis elucidatione.

55 Dicendum ad formalem auricularis Confessionis integritatem jure divino necessariam esse omnium peccatorum enarrationem quoad numerum, speciem, & circumstantias speciem variantes, secus per se loquendo de circumstantiis tantummodo aggravantibus.

Prima pars, quæ Fidei dogma est, PROB I. Omne lethale peccatum, ut remittatur, clavibus subjiciendum est, dicente Christo Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata*, quæ propositio indefinita est, atque universalis; atqui numerus, species, atque circumstantiæ eandem mutantes constituunt quiditativè peccatum, ùt in aperto est: Nam species quiditatem constituit, & circumstantiæ trahentes illud ad aliam speciem novam tribuunt quiditatem; numerus verò eam multiplicat: ergo. II. Confessio necessaria est, ut peccata post Baptismum perpetrata remittantur; atqui unum peccatum absque alio remitti nequit, ùt Disp. V. Controv. VIII. probatum est: ergo peccatum sive internum, sive externum, sive unius, sive alterius speciei, sive unum, sive multiplex in Confessione aperiendum est, ut remissio consequatur. III. Tribunal Confessionis est absolutissimi judicii Tribunal, in quo sententia ferenda est circa essentialia peccatorum; atqui ad absolutissimum judicium essentialis censetur perfecta delicti accusatio; Non est autem accusatio perfecta, si peccatorum numerus non explicetur; nulla siquidem haberetur certitudo circa peccatorum manifestationem; imperfecta quoque est accusatio, si species palam non fieret; cum determinata peccati natura ignoretur; neque demum perfecta erit, si circumstantiæ essentiam immutantes occultentur; cum unum peccatum pro alio supponatur; aliud quippe est crimen, quod duplicem essentialem malitiam specificè diversam habet, ac illud quod unam tantummodo sortitur. IV. Omne lethale crimen sive hoc, sive illud, sive hujus, sive alterius speciei, sive externum, sive internum est vulnus spiritualem inferens animæ mortem; Sacerdos autem in ministerio reconciliationis Medici munere fungitur; Porrò sicut Medicus occulta vulnera curare nequit, ùt etiam testatur Sanctus Hieronymus in *c.* 10. *Eccli.* -- Si enim erubescat ægrotus vulnus „ Medico confiteri, quod ignorat medicina, non curat -- Ita Sacerdos beneficio absolutionis Peccatorem sanare nequit, si conscientiæ vulnera illi non manifestentur. Ejusdem labii est Sanctus Basilius, qui eadem paritate Medici in rem nostram loquitur in Regulis Brevioribus in responsione ad Interrog. 229. -- Omnino in peccatorum „ confessione eadem ratio est, quæ etiam „ in aperitione vitiorum corporis. Ut igi„ tur vitia corporis nequaquam quibusvis „ hominibus temerè aperiunt, sed iis tan„ tummodo, qui rationem, qua ea curanda „ sint, teneant; eodem modo etiam pec„ catorum confessio fieri debet, apud eos „ videlicet, qui ea possunt curare -- Demùm Sanctus Thomas *in Supplemento qu.* 9. *art.* 2. -- Dicendum, quod in medicina „ corporali oportet, quod Medicus non „ solùm unum morbum, contra quem me„ dicinam dare debet, cognoscat, sed etiam „ universaliter totam habitudinem ipsius „ infirmi; eo quod unus morbus ex adjun„ ctione alterius aggravatur; & medicina, „ quæ uni morbo competeret, alteri nocu„ mentum præstaret. Et similiter est in „ peccatis, quia unum aggravatur ex ad„ junctione alterius, & illud quod uni pec„ cato esset conveniens medicina, alteri „ incentivum præstaret; cum quandoque „ aliquis contrariis peccatis infectus sit, ùt „ *Gregorius in Pastoral.* docet. Et ideo de „ necessitate Confessionis est, quod homo „ omnia peccata confiteatur, quæ in me„ moria habet. Quod si non faciat, non „ est Confessio, sed confessionis simulatio.

Lethale peccatum in se est in se clavibus subjiciendum.

Unum peccatum absque alio nequit remitti.

Sacerdos animæ Medicus.

Peccata diversimodè curari debent.

56 Hinc & jure, & meritò Cabilonense Concilium II. *Can.* 32. eos redarguit, qui integrè non confitebantur -- Sed & „ hoc emendatione egere perspeximus, quod „ quidam dum confitentur peccata sua Sa„ cerdotibus, non plenè id faciunt -- Et Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 7. dicit anathema contra oppositum sentientes -- Si quis „ dixerit, in Sacramento Pœnitentiæ ad „ remissionem peccatorum necessarium non „ esse jure divino confitari omnia, & sin„ gula peccata mortalia, quorum memoria „ cum debita, & diligenti præmeditatione „ habeatur, etiam occulta, & quæ sunt „ contra duo ultima Decalogi præcepta, & „ circumstantias, quæ peccati speciem mu„ tant . . . . anathema sit.

§. I I.

ARGUMENTA ADVERSUS CATHOLICAM ASSERTIONEM DISSOLVUNTUR.

57 OBJIC. I. Ecclesia, ùt fert commune proloquium, non judicat de occultis; atqui peccata cordis occultissima sunt: ergo de illis Ecclesia non judicat; sed si non judicat, non sunt clavibus subjicienda: ergo singulorum peccatorum Confessio integrè ex jure divino facienda non est.

RESP. Hoc ducebatur argumento Petrus Oxomensis ad adstruendam tertiam ex damnatis suis propositionibus, videlicet -- „ Pravæ cogitationes confiteri non debent, „ sed solà displicentià delentur sine ordine „ ad claves -- Cæterum Sacra Traditio oppositum docet; ac propter S. Cyprianus *de Lapsis* loquens de illis, qui nivis thus Idolis non adoleverint -- Quoniam tamen „ de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter „ confitentes Exomologesim conscientiæ fa„ ciunt, animi sui pondus exponunt, sa„ lutarem medelam parvis licet, & modi„ cis vulneribus exquirunt -- Vide superius n. 21., ubi Dallæi instantia retunditur. Idem affirmat Tertullianus *lib. de Pœnit. cap.* 9.

Occulta quo pacto ab Ecclesia judicētur.

cap. 9. — Omnibus ergo delictis ſeu carne, „ ſeu ſpiritu, ſeu facto, ſeu voluntate „ commiſſis, qui pœnam per judicium deſtinavit, idem & veniam per pœnitentiam ſpopondit — Non judicat itaque Eccleſia de occultis quandiu occulta ſunt, ſecus ubi manifeſta ſiunt per Confeſſionem, ad quam jure divino tenetur Pœnitens, ut juſtificari poſſit; cum unum lethale nequaquam deleri poſſit ſine alio.

58 DICES. Ubi Chriſtus alluſit ad poteſtatem ligandi, ſolvendique, *Matthæi* nempe 18. eam ad ſolum exterius peccatum coarctavit, ad illud videlicet, quod cadere poteſt ſub correctione coram uno, aliove facienda: non igitur interius peccatum vult comprehendere.

Poteſtas Sacerdotis ad omne vinculū extenditur.

RESP. Poteſtas eo loci indicata illimitata eſt, comprehenditque, quidquid ligat in Cœlis, hoc eſt coram Deo; Peccatum autem interius ligat in Cœlis, adeoque eadem poteſtas ad illud extenditur. Exemplum verò quo Chriſtus utitur, ſpectat ad illam poteſtatem ùt exercendam in exteriori foro; Agit namque de Contumaci per teſtes convicto; ea propter non limitavit ſacramentalis Confeſſionis materiam ad exteriora ſolummodo peccata.

59. INSTABIS. Sacramentale judicium cum externo analogatur; atqui in externo judicio ſolummodo nota crimina ad Judicem deferuntur, atque prætermiſſo occulto publicum punitur delictum: ergo conſimiliter in ſacramentali judicio agendum erit.

Analogia inter judicium internum, & externum.

RESP. Analogatur utique ſacramentale judicium cum externo, ſed eſſentiali analogía, quæ in eo ſita eſt, ut utrobique adſit reus, accuſator, Judex, ſententia, & pœna, diverſimodè tamen quoad accidentalia: Etenim in exteriori judicio Judex homo eſt, reus, teſtis, & accuſator diſtinctæ ſunt perſonæ; propterea fas eſt delictum pluribus innoteſcere, ſecus in ſacramentali judicio evenit: Hìc Judex loco Dei ſedet, qui omnia novit; reus ipſe eſt teſtis, & accuſator, dictante conſcientia omnium criminum conſcià; ideoque ſibi ſoli cognita proferre tenetur, ſi veniam ſincerè conſequi exoptat. In exteriori foro delictorum remiſſio neutiquam fit per infuſionem alicujus interioris doni, quod cum delicto ſit incompoſſibile; Aliter in foro conſcientiæ contingit, in hoc per Charitatem, quæ per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus noſtris, remittuntur peccata; cumque illa omnibus opponatur criminibus jam planè fit unum nequaquam remitti poſſe abſque alio, ſicut quandoque in exteriori judicio evenire pro comperto eſt.

60 OBJIC. II. Una excommunicatio abſque alia aufertur: ergo unum remitti poteſt peccatum alio non condonato.

Excommunicatio diverſimodè aufertur, ac peccatum.

RESP. Negatur paritas. Vinculum ſiquidem excommunicationis non jam per gratiæ infuſionem, ſed per ablationem impedimenti, quo Fidelis a participatione bonorum Eccleſiæ arcebatur, peccata verò gratiæ infuſioni omnibus, & ſingulis incompoſſibilis auferuntur.

61 OBJIC. III. Illud divini juris nequaquam cenſeri poteſt, in quo Eccleſia diſpenſare poteſt; atqui circa Confeſſionis integritatem diſpenſat Eccleſia, ùt in infirmo, & in oblitis: ergo.

Eccleſia non diſpenſat in integritate Confeſſionis.

RESP. Nullimodè diſpenſat Eccleſia in ſingulorum peccatorum manifeſtatione, ſed cum Deus impoſſibilia non præcipiat, ideo exiſtens in vitæ diſcrimine ab integritate excuſatur, immo Deo ſit ſatis per externa ſigna paratum ad Confeſſionem animum indicantia; idem dicas de oblitis, a quibus Pœnitens abſolvitur, quia ùt ait Trident. jam laudatum *cap.* 5. — in univerſum „ eâdem Confeſſione incluſa eſſe intelliguntur — Cæterum cum ſui compos effectus fuerit infirmus, vel quicunque alius, omiſſa, vel oblita clavibus ſubjicere tenetur ex proſcripta propoſitione XI. Alexandri VII.

62 OBJIC. IV. Integra peccatorum Confeſſio barbara conſcientiarum carnificina eſt; in iis ſiquidem, qui rarò ad ſacrum Pœnitentialis judicii tribunal accedunt, fieri nequaquam poteſt, ut peccatorum numerum in mentem revocent; ſpecies verò, quas vix docti viri diſtinguunt, rudibus inſcrutabiles ſunt.

Confitenda peccata, quæ memoriæ occurrunt.

RESP. Crambe recocta faſtidium parit. Jugum Chriſti ſuave eſt, & onus leve; ea propter lex Evangelica, quæ humanam vincunt diligentiam, non expoſtulat: eâ ſiquidem ſeriò præmiſsâ, ſincerè quæ habet in conſcientia, confiteatur, & peccatorum numerum ea qua poteſt fidelitate, vel ſaltem in ſpiritu, & veritate frequentiam peccandi exponat, ex qua prudens Confeſſarius de numero, & ſpecie prudens judicium efformet, atque ùt ſapiens Judex, & Medicus ſatisfactionem poſſit injungere. His peractis in Dei bonitate confidat peccator, atque irrequietum pellat timorem.

63 OBJIC. V. Per quæ quis peccat; per hæc & torquetur, ùt teſtatur Scriptura *Sap.* 9.: ergo qui ſolo cordis crimine commaculatus eſt, ſola cordis contritione corrigendus. Hinc dictum Auguſtini — Ubi „ peccatum oritur, ibi moriatur — Si ergo in ſolo corde oritur, ſolâ cordis compunctione delendum eſt: Non ergo occultorum criminum neceſſaria eſt Confeſſio.

Totus homo; qui peccat, totus puniendus eſt.

RESP. Principium, per quod homo peccat, voluntas eſt; unde hæc per contritionem torquetur; Quoniam verò voluntas toti homini præeſt, ipſeque totus per peccatum Deo ſubtrahitur, ideo totus homo pœnam ſubire debet, & ſic per oralem Confeſſionem punitionem aliquam pati debet; & ſicut ab exterioribus peccati ſemina oriuntur, ita per exteriora peccati expiatio conſummari debet. Dictum Auguſtini duplicem, ſibique cohærentem habet intellectum, videlicet peccatum, quod in corde oritur, ibi moriatur, ad exteriora non progrediendo; itidem peccatum, quod in ſecreto naſcitur, ſecreta Confeſſione, & pœnitentia moriatur; peccatum verò, quod in manifeſto eſt, publica Confeſſione, & pœnitentia expietur.

64 OBJIC. Ex S. Gregorio *hom.* 40. *in Evang.* — Quid eſt peccatorum confeſſio, niſi „ quædam vulnerum ruptio? Quia peccati „ virus ſalubriter aperitur in confeſſione,

„ quod

„ quod pestiferè latebat in mente : ergo quando notorium est peccatum, non est confessione aapiandum : Hinc glossa in illud Gen. 4. *Vox sanguinis Fratris tui clamat ad me de terra*, dicit evidentiam patrati sceleris accusatore non indigere ; Confessio autem accusatio est ; non ergo jure divino integrè confessio peragenda est ab ipso peccatore.

Peccatum est animæ vulnus.

RESP. Gregorii sensa optima sunt, quorum intelligentia est peccatum esse velut quoddam animæ vulnus ; ea propter etsi exterius commitatur, intrinsecum virus semper retinet in anima, ubi verò spe veniæ per confessionem manifestatur, curatur ; sicut corporalis morbus, si Medico detegatur, sanatur. Glossæ effatum alludit ad forum exterius, pro quo accusator requiritur, quando crimen occultum est ; sed si innotescat, nec excusatione aliqua tegi potest, tunc accusatio superflua censetur.

65 OBJIC. VII. Confessio necessaria reputanda est, ut instruatur Confessor de statu Pœnitentis ; atqui si crimen notorium est, jam peccatoris status Confessori innotescit : ergo non est necessaria illius confessio.

Confessarius scire debet peccatum ut Judex.

RESP. Peccatum innotescere debet Sacerdoti non utcumque, sed ùt Judici ; per hoc autem quod sit de perpetrato crimine conscius, non illud scit ùt Judex. Nec aliàs exterior peccati cognitio sufficiens est, sed opus est interiorem noscere malitiam, & solus ille, qui peccavit, latentem cordis maculam edissere potest. Tenetur igitur ipse Pœnitens crimen fateri secundùm totum id, quod requiritur, ut status animæ palam fiat Sacerdoti, videlicet peccatum secundùm numerum, speciem, atque circumstantias eandem immutantes.

§. III.

CIRCUMSTANTIÆ PRÆCISE' AGGRAVANTES PER SE NON CADUNT SUB PRÆCEPTO SACRAMENTALIS CONFESSIONIS.

66 Circa necessitatem manifestandi in Confessione circumstantias intra eandem speciem aggravantes triplex adinvenitur sententia : Prima sine distinctione procedit, atque apertè propugnat illas esse necessariò in sacramentali judicio aperiendas : Secunda circumstantias notabiliter aggravantes ùt furtum mille relatè ad furtum decem aureorum discriminatur ab aliis notabiliter non aggravantibus, illasque docet ad integritatem spectare, secus istas: Tertia demum sententiæ placet doctrina affirmans nullam circumstantiam præcisè aggravantem cadere sub præcepto essentialis integritatis per se loquendo ; Per accidens namque fieri potest, ut quis in Confessione illam explicare debeat, ùt si ratione circumstantiæ aggravantis peccatum aliquod esset reservatum, aut sub excommunicatione vetitum, vel quid simile.

Per accidens circumstantia notabiliter aggravàs debet confiteri.

67 Tertiam hanc sententiam sartam tectamque esse credimus, & clarâ Tridentini doctrinâ evincitur. Habet igitur laudata Synodus *Sess.* 14. *cap.* 5. — Colligitur
A „ præterea etiam eas circumstantias in confessione explicandas esse, quæ speciem „ peccati mutant, quod sine illis peccata „ ipsa nec a Pœnitentibus integrè exponantur, nec Judicibus innotescant, & fieri „ nequeat, ut de gravitate criminum rectè „ censere possint, & pœnam, quam oportet, „ pro illis pœnitentibus imponere — Hic explicat Concilium, quæ ad Sacramentalis Confessionis integritatem necessaria jure censentur, atque tria solummodo enumerat speciem, videlicet, numerum, & circumstantias speciem immutantes ; quod si quid aliud requireretur, diminutè processisset Concilium in re tanti momenti, quod dicere nefas est ; potissimùm cum doctrinam, quam eo loci tradidit, *Can.* 7. firmat anathemate — „ Si quis dixerit in Sacramento Pœnitentiæ „ ad remissionem peccatorum necessarium „ non esse jure divino confiteri omnia, & „ singula peccata mortalia . . . . & circumstantias, quæ peccati speciem mutant . . . „ anathema sit — Et sanè cum utrobique Tridentini Patres numeris omnibus absolutam exposuerint doctrinam circa spectantia ad Confessionem, scilicet circa venialia, oblita, numerum, species, conscientiæ discussionem, interna, & externa crimina, & hujusmodi, cur dicendum est defecisse non explicando necessitatem aperiendi in sacramentali judicio circumstantias notabiliter intra eandem speciem aggravantes ?

Tridentini accurata doctrina.

68 Addas velim Tridentinum non solùm circumstantias aggravantes non censere necessarias ad Confessionis integritatem, sed resolvere insuper momenta, ex quibus videri poterant necessariò explicandæ : dicit namque non explicatis mutantibus speciem, peccata integrè non confiteri ; ergo illis explicatis peccata integrè confessa sunt ; Quod si adductis circumstantiis speciem immutantibus adhuc peccata integrè non essent exposita, atque quid aliud opus esset, pro comperto utique esset Concilium imperfectè processisse, cum aptam nequaquam tradidisset doctrinam pro adimplenda sacramentalis confessionis integritate. Affirmat insuper occultatis circumstantiis speciem immutantibus sacros Judices congruum non posse efformare judicium, justamque taxare pœnam pro delictis : ergo illis solummodo explicatis, & rectum efformatur judicium, & debita injungi potest satisfactio ; aliàs, ut hæc haberentur, addere debuisset Concilium aliud superesse necessarium, manifestationem videlicet circumstantiarum purè aggravantium. Quare cum mihi evidens sit in necessariis Concil. non defecisse, jam planè fit prædictas circumstantias laudabiliter quidem, utiliterque explicari in confessione, non autem necessariò.

Judicium quod efformari debet a Confessario.

69 Explicantur prædicta. Tridentinum docet laudato capite ad Confessionis integritatem haud opus esse venialia exponere — „ Venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequenter labimur, „ quamquam rectè, & utiliter, citraque „ omnem præsumptionem dicantur . . . . „ taceri tamen citra culpam, multisque

Circumstantiæ aggravantes, quam malitiam addunt supra peccati speciem.

„ aliis remediis expiari possunt — Atqui circumstantiæ simpliciter aggravantes non adducunt supra speciem nisi venialem malitiam; Non enim multiplicant numero peccata, aliàs non essent circumstantiæ, neque diversam specificè malitiam, cum solummodo aggravantes sint: ergo.

70 Præcitatam Tridentini doctrinam a D. Thoma præviè commendatam præstat audire: Habet igitur S. Doctor 4. *Sent. dist.* 16. *quæst.* 3. *art.* 2. *quæstiunc.* 5. — Dicendum „ quod omnes circumstantias confiteri est „ impossibile: quasdam autem confiteri est „ de necessitate salutis. Sed in hoc est dif„ferentia opinionis; Quidam enim dicunt, „ quod omnes circumstantiæ, quæ aliquam „ notabilem quantitatem peccato addunt, „ confiteri, necessitatis est, si memoriæ „ occurrant. Alii verò dicunt, quod non

Doctrina D. Thomæ consona Tridentina.

„ sint de necessitate confitendæ, nisi circum„stantiæ, quæ ad aliud genus peccati tra„hunt; & hoc probabilius est. Sed ad„dendum est, quæ ad aliam speciem mor„talis trahunt. Cujus ratio est, quod ve„nialia non sunt de necessitate Confessio„nis, sed solum mortalia, quæ quantita„tem infinitam quodammodo habent. Et „ quia circumstantiæ aggravantes, quæ „ aliam speciem peccato non tribuunt, vel „ quæ tribuunt quidem, sed non mortalis „ peccati, non sunt de necessitate confes„sionis. Ita tamen eadem confiteri perfe„ctionis est, sicut & de venialibus dictum „ est — Et *Opusculo* 12. ad Lectorem Bisontinum hac de re consultus *art.* 6. postquam docuit circumstantias speciem immutantes clavibus necessariò esse subjiciendas subdit — Circumstantias verò aggravantes, „ quæ in aliud genus peccati non trahunt, „ non tenetur homo confiteri, sicut nec „ venialia; licet laudabile sit, quod ea „ homo confiteatur; eadem enim ratio vi„detur esse de hujusmodi circumstantiis, „ & de venialibus peccatis — Consonat huic doctrinæ opinio S. Bonaventuræ 4. *dist.* 17. *q.* 3., ubi opinionum diversitate præmissa eam referens, quæ asserit aggravantes non esse de necessitate in Confessione aperiendas, ait — Hanc positionem credo pro„babiliorem; unde dicendum, quod con„fessio circumstantiarum in aliud genus „ trahentium spectat ad confessionem quan„tum ad necessitatem; Confessio verò ag„gravantium quantum ad congruitatem — Et juxta sententiam hanc argumenta dissolvit.

Peccatum simpliciter per quid constituitur.

71 PROB. II. Tridentinum, nec non universalis Ecclesia onus confitendi peccata habuit ex divina institutione Joan. 20.; Porrò ex Christi institutione solummodo colligitur adesse obligationem confitendi peccata quoad numerum, & species; dixit siquidem Christus: *Quorum remiseritis peccata*; peccatum verò simpliciter per specificam differentiam constituitur, ad quam circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem minimè spectant; constituitur quoque per differentiam numericam, cum species non subsistant, nisi in individuis, quorum determinata explicatio ad certitudinem, & essentialem veritatem necessaria est: Porrò circumstantiæ aggravantes nec ad numericam differentiam, nec ad ejusdem spectant multiplicationem: Idem namque est numero homo, sive parvus, sive magnus sit, & æqua ratione idem numero est odium proximi, sive majoris, sive minoris fuerit durationis.

72 In re nostra est egregia Sancti Thomæ doctrina *in Suppl. quæst.* 6. *art.* 1. *ad* 1. videlicet peccatorum Confessionem non esse necessariam ad salutem quoad reatum pœnæ temporalis, qui dimissâ culpâ superest; quia etsi hoc seculo non remitteretur, adhuc quis salvari posset — Ad gratiæ infusionem „ consequendam ordinata sunt gratiæ Sa„cramenta, ante quorum susceptionem vel „ actu, vel proposito aliquis gratiam non „ consequitur, sicut in Baptismo patet. „ Et similiter est de Confessione: & ulte„rius per confessionis erubescentiam, &

Confessio non est ad tollendum reatum pœnæ temporalis.

„ vim clavium, quibus se confitens subji„cit, & satisfactionem injunctam, quam „ Sacerdos moderatur, secundum qualita„tem criminum sibi per Confessionem in„notescentium, pœna temporalis expiatur. „ Sed tamen ex hoc, quod operatur Con„fessio ad pœnæ remissionem, non habet, „ quod sit de necessitate salutis, quia pœna „ ista est temporalis, ad quam post culpæ „ remissionem aliquis remaneret ligatus. „ Unde sine hoc, quod in præsenti via ex„piaretur, esset via salutis: Sed habet, „ quod sit de necessitate salutis, ex hoc „ quod ad remissionem culpæ modo prædi„cto operatur — Cum igitur circumstantiæ aggravantes addant non jam æternæ, sed solius temporalis pœnæ reatum, jam fit eandem confessionem ex divino præcepto haud necessariam esse; secus autem dicendum venit de mutantibus speciem; Hæ namque fundant per se æternæ pœnæ reatum, qui in remissione culpæ in temporalem commutatur; eaque propter per se datur obligatio illas aperiendi in sacramentali judicio.

73 Prædicta confirmantur I. Solemne est apud D. Thomam modum rei præceptæ non cadere sub præcepto, etiamsi præceptum actum secundùm omnem rationem exigere videatur; dummodo tamen modus ipse ad rationem virtutis, quæ præcipitur, hoc est, ad rationem objectivam, & specificam non pertineat; ideoque præceptum dilectio-

Modus rei non cadit sub præcepto.

nis Dei, nisi modum omnem petat, attamen nequaquam obligat ad Deum intensissimo modo diligendum; quia modus iste ad rationem objectivam virtutis non pertinet; Pertinet quidem ad perfectionem dilectionis fervor, intensio, atque ejusdem actus duratio: Circumstantiæ præcisè aggravantes ad rationem vitii, actusque peccaminosi non ingrediuntur, idest ad rationem objectivam, vitiisque constitutivam, quamvis aliunde vitiosæ sint; sed solummodo ipsum actum modificant, sine qua modificatione tota vitiosi actus substantia salvatur; eaque propter in præcepto explicandi integrè peccatum hujusmodi circumstantiæ sub præcepto non cadunt, aliàs substantialis integra ratio peccati absque circumstantiis præcisè aggravantibus nequaquam subsisteret.

CONF.

CONF. II. Juxta Doctorum placitum sicut inter circumstantias aggravantes quædam dantur, quæ aggravant in infinitum, idest, mutando speciem, aliamque lethalis peccati superinducunt rationem, & quædam quæ in infinitum non aggravant; ita inter circumstantias diminuentes dantur, quæ in infinitum diminuunt, idest a linea lethalium ad venialium lineam trahunt, & quæ in infinitum non minuunt: Quotquot sunt Doctores circumstantiæ in infinitum diminuentes non debent explicari in confessione: ergo pari ratione etiam circumstantiæ non infinitùm, sed notabiliter tantummodo aggravantes non sunt necessariò aperiendæ in Confessione; Utrubique enim variatur judicium Confessarii, & major, vel minor debetur pœna; Quod momentum præcipuum est, quod quosdam movet Doctores, ut obligationem inducant manifestandi circumstantias saltem notabiliter aggravantes.

Circumstantiæ diminuentes peccatum explicari non debent.

§. IV.

ADVERSA MOMENTA DISSOLVUNTUR.

74 OBJIC. I. Momenta, propter quæ circumstantiæ speciem immutantes necessariò ad Confessionis integritatem spectant, potissimùm sunt, ut a Judice rectum judicium efformari, justaque pœna imponi possit; atqui hæc eadem in circumstantiis saltem notabiliter aggravantibus urgent; Valdè quippe diversum efformatur judicium furti mille, ac tantummodo aureorum decem, & gravioriq; pœnâ mulctari debet primum, quam secundum: Et quidem hujusmodi sententia in Tridentino fundatur; Etenim *Sess. 14. cap. 5.* habet -- Ne„ cessum est omnium etiam veniam, com„ aperta, & verecunda Confessione, a Deo „ quærere -- Dici autem nequaquam potest aperta, & verecunda gravioris criminis confessio, quando major ejusdem quantitas reticetur, solùmque substantia aperitur.

RESP. Momenta hujusmodi satis prævideruut, atque scrutati sunt Concilii Patres, & tamen expressè pronunciaverunt circumstantias speciem variantes aperiendas esse in confessione, nullâ factâ de aliis circumstantiis mentione. Agnoverunt itaque ea motiva ea vi divinæ institutionis necessariò non extendi ad circumstantias intra eandem speciem mvis aggravantes; Viderunt eadem motiva, quæ ad munus Medici spectant, sed illos non movit ad novum onus imponendum; Viderunt, quæ habentur in Lateranensi Concilio *cap.* 21. relato cap. *Omnis utriusque sexus*, de Pœnit., & remiss. videlicet -- Sacerdos autem sit discretus, & „ cautus . . . diligenter inquirens ea pec„ catoris circumstantias, & peccati, qui„ bus prudenter intelligat, quale debeat „ ei præbere consilium, & cujusmodi re„ medium adhibere -- Cumque in his habeatur generale verbum *circumstantias* aptum sanè ad injiciendam dubitationem, laudati Tridentini Patres, ne suboriretur æquivocatio, illas ad mutantes speciem determinaverunt; licet Lateranense ibi agat de munere interrogandi, quod ad Confessarium potissimùm spectat. In aperto quippe est ad aliqua teneri Ministrum, ad quod nulla saltem facta suppositione interrogationis non tenetur Pœnitens.

Concil. Trid. Patrum sedula consideratio.

Nec rationes, quæ Adversantes movent, ignoravit Sanctus Thomas, immò illas sibi objecit, nihilotamen minus apertè statuit non esse necessariò aperiendas in Confessione circumstantias simpliciter aggravantes: Hinc *articulo cit. in 4. Sent. ad* 1. concedit necessariam esse peccatorum confessionem, ut exemnus de Sodomis, hoc est, de vinculis, sed -- Tamen de illis, quæ „ citra sunt, idest de venialibus, & de „ circumstantiis, quæ venialibus æquiva„ lent, potest bonum sine Confessione exire -- Et *ad* 2. quod respicit gravitatem pœnæ gravitati culpæ proportionandam ait -- Deter„ minata quantitas peccati non potest Sa„ cerdoti innotescere, quia nec ipse pecca„ tor scit; unde sufficit, quod cognoscat „ quantitatem, quæ ex specie peccati consur„ git -- videlicet essentialem: Hinc aliam radicalem acutè insinuat rationem. Quantitas intensionis, & durationis gravior est secundùm se, & gravius efficit peccatum, quam extensiva materiæ gravitas: Ea propter actus malus intensus ùt centum in linea furti gravior est, quam furtum ad tria idem extensum; quia intensio afficit intrinsecè actum, voluntatisque affectum, secus materiæ extensio: Porrò intensio, sicut & duratio perquam frequenter in vitiosis actibus ut notabiliter aggravantes adinveniuntur, & tamen earundem manifestatio non cadit sub obligatione, utpote quæ incognita ut plurimum sunt: pari ergo ratione neque extensio quoad materiam notabiliter aggravantem sub præcepto cadere debet, quæ rariùs contingit. Præcepta siquidem magis ea comprehendunt, quæ frequenter, quam quæ rarò contingunt. Doctrinam hanc constanter propugnat Angelicus *ad* 3., & in solutione ad illa momenta, quibus probari videtur nullas circumstantias esse in Confessione declarandas.

Adversantes opponuntur D. Thomæ.

Intensio actū afficit.

75 Solent alii respondere, quod Sanctus Thomas aliter sensisset, si quæ tradidit in libris Sententiarum absoluto calamo in Summa Theologica pertractasset; & ne voluntaria videatur responsio, dicunt Sanctum Doctorem 1. 2. *q.* 73. *art.* 9., *&* 2. 2. *q.* 6. *art.* 2. *ad* 3. propugnare gravius esse peccatum in Regem, quam in privatum hominem, in Virum sanctum, quam non sanctum, adeoque graviori mulctandum pœna; hoc autem nullimodè evenire posset, nisi in confessione id manifestetur. Videtur itaque in eam inclinare sententiam, quæ gravitatem illam exprimendam esse affirmat.

Verùm cum Angelicus laudato Sententiarum loco rem totam accuratè pertractaverit, absque injuria asserere non possumus mutatorum sententiam, si iterum eandem versasset materiam; immo si Tridentinum vidisset, quid ultra in assertionis suæ confirmationem afferre potuisset? Nec momenti

Accurata S. Th. doctrina.

„ sed a summis duntaxat Sacerdotibus ab- „ solverentur — Nihilominus minus doctrinam exceptivam solius circumstantiæ mutantis speciem retinuit; unde nequaquam judicat Ecclesia circumstantiam etiam multùm aggravantem esse per se necessariam Confessionis materiam; declarat solummodo in casu reservationis crimen illud atrocius ab omnibus absolvi non posse, sed a præordinatis Ministris.

Peccatum, quo pacto reservatur ratione circumstantiæ.

Ecclesia reservat furti peccatum quodcumque illud sit, sicut videre est in Regularium Constitutionibus, & in *Bulla Cœnæ* furtum circa Naufragantium bona; reservat quoque furtum ratione aggravantis circumstantiæ, & tunc hujusmodi peccatum aperiendum est in Confessione, propter Ecclesiæ præceptum, quod de licito non licitum, de libero non liberum facere potest; Et quamvis venialia absolutè ab Ecclesia non reserventur, reservatur tamen peccatum propter aggravantem malitiam; quia licet ipsa præcisivè sumpta non aggravet in infinitum, lethalem tamen deformitatem in essentia supponit.

Quæ revelare debet pœnitens.

Quantum ad aliud de interrogatione, nulla est difficultas; plura siquidem non tenetur Pœnitens spontè confiteri, quæ interrogatus revelare debet. Confessarius interrogare potest Pœnitentem confitentem aliqua furta, si hoc sit ex consuetudine, & tamen per se loquendo, ut cum pluribus Doctoribus docet N. Franciscus *cap.* 8. *punct.* 4. n. 67., non debet Pœnitens spontè illam confiteri: Non enim ad eadem peccata sæpius confiteri tenetur. Cæterum ex natura judicii id evenit. Judex jus habet adæquatè causam dignoscendi ad bonum publicum in civilibus, & ad bonum pœnitentis in sacramentali judicio: Medicus investigare debet totam infirmi habitudinem ad utiliorem ejusdem curationem: Magister, & Consiliarius omnia scire debent, ut prudentius agant. Non igitur Confessarius interrogare quærit de circumstantia purè aggravanti, sed ad dignoscendam consuetudinem peccandi, ut opportuniora afferat remedia, quibus a vinculis dissolvatur.

79 OBJIC. IV. Ubicumque nova intercedit malitia, confessionis adest necessitas, ob quod circumstantia speciem varians aperienda est; atqui dum circumstantia notabiliter aggravat, nova adinvenitur malitia; proindeque in confessione exponenda est, sicut, ut deleatur, necessaria est de illa contritio.

Essentialis malitia in Confessione exponenda.

RESP. Non quæcunque malitia necessariò est in confessione detegenda, aliàs odii intensio ut unam, vel ut duo deberet subjici clavibus, cum gradus quilibet novam addat malitiam, quæ se sola diversum, novumque constitueret peccatum. Sola igitur malitia de se speciem, & essentiam constans, sola malitia virtute sua lethalis necessariò aperienda est in confessione; malitia verò circumstantiæ quantumcumque aggravantis intra eandem speciem de se nec speciem constituit, nec sua virtute lethalem importat deformitatem; ea propter variatur conditio ab essentiali ad accidentalem lineam; ac proinde non subsistit identitas rationis.

80 DICES. Notabilis illa aggravatio
A de se lethalem dicit deformitatem: Si enim in se poneretur, gravissimum constitueret peccatum; & revera juxta moralem æstimationem pluribus iisque gravibus æquivalet delictis.

RESP. Falsum omnino est notabilem illam gravitatem de se lethalem importare deformitatem, ut docuit Sanctus Thomas in responsione ad secundam objectionem relatus, sed solùm *ex suppositione primi* ut ipse ait; Etenim multùm recipere de alieno est magis ab æqualitate recedere; Intensiùs odio habere proximum est magis odium in subjecto radicari; Ad multum tempora vindi-
B ctam meditari est magis perseverare in affectu vindictæ.

Circumstantia separata ab actu novā indueret naturam.

Cum verò dicitur: Si separata circumstantia illa subsisteret, grave constitueret peccatum, verum est, sed tunc circumstantiæ naturam amitteret, atque novum esse indueret, aliud constituendo individuum. Thomistarum sententia est, quod si albedo per se separata a subjecto subsisteret, non amplius accidentis haberet naturam, sed substantiam evaderet; ita proportione servata in nostro casu loquendum est. Innuebam superiùs: Detur odium ut quatuor intensum per quatuor perseverans momenta; ponantur singuli gradus intensionis
C sejuncti, quatuor divisa momenta quatuor erunt distincta peccata, sigillatim aperienda in Confessione, & tamen si simul considerentur, non nisi unum efficiunt peccatum, nullimodè secundùm illam intensionem explicandum in sacramentali judicio, & hoc etiam in sententia Adversariorum: Argumentum itaque ex separatione non urget.

Peccatorum æquivalens malitia non est explicanda.

Quoad æquivalentiam dicendum, vel hæc specificam aufert unitatem, speciem multiplicando, vel numericam unitatem destruit, multiplicando individualiter peccata. Si primùm dicatur, jam non amplius est circumstantia purè aggravans; si secun-
D dùm non est circumstantia, sed sunt plures actus peccaminosi; eaque propter non est ad rem instantia: Etenim nemo unus ex Catholicis est, qui neget numerum peccatorum necessariò explicandum esse: Et sanè ex quo Deus ratione suæ infinitæ perfectionis pluribus distinctis creatis perfectionibus æquivaleat, non est distincta multiplex perfectio: atque crassiori utamur exemplo; Homo si daretur longitudinis palmorum viginti, quatuor hominibus quinque palmorum æquipollens, talis homo non esset quatuor numero homines; sic igitur furtum ut decem furtis decem ut unum æquivalens non
E est decem furta, seu numerus furtorum decem: Porrò Ecclesia numerum declarat aperiendum esse, non verò æquivalentiam.

Quomodo dolendum de circumstantiis.

Ad id, quod de contritione dicitur in opposita objectione respondet S. Thomas *loco cit. in 4. Sent. dist.* 16. ad 3. — Dicen- „ dum, quod neque in contritione oportet, „ quod de singulis circumstantiis doleat pœ- „ nitens, quantum est de necessitate salu- „ tis; sed oportet, quod de singulis pec- „ catis ad minus in prima contritione do- „ leat, & de circumstantiis, quæ peccati „ speciem mutant — Ut autem faciat satis an-

auctoritati D. Augustini innuentis dolendum esse de circumstantiis, subdit hoc esse non necessitatis, sed perfectionis, quod ultrò a nobis conceditur.

81 OBJIC. V. Explicari debet, an Incestus fuerit in primo, vel secundo gradu; atqui ex D. Thoma 2. 2. *q.* 154 *art.*9. omnes incestus sunt ejusdem speciei; & consequenter incestus in primo gradu non addit nisi circumstantiam notabiliter quidem aggravantem intra eandem speciem: ergo hæc subjici debet clavibus.

Incestus specie distinguitur.

RESP. Duplex est species alia, ùt ajunt, infima, subalterna alia: Vitium v. g. contra naturam est species luxuriæ, sed subalterna, continens sub alias infimas species, puta bestialitatis, sodomiæ, mollitiei, pari ratione loquendum est de incestu; hocque clarè evincitur ex eodem S. Doctore *Opusc.* 12. *art.* 6., ubi ait — Si speciem peccati „ exprimere non possit, nisi exprimendo „ personam, cum qua peccavit, puta si „ cum sorore concubuit, necesse est, ex- „ primendo peccati speciem exprimat per- „ sonam — Supponit itaque, concludunt PP. Salmat. *tract.* 14 *de Pœnit. disp.* 8. *dub.* 5., incestum commissum cum sorore propria distingui ab incestu cum suæ conjugis sorore, & tamen sunt in eodem cognationis gradu cum sola distinctione penes consanguinitatem, & affinitatem. Verùm de hoc iterum erit sermo §. sequenti.

82 OB. VI. Conciliorum doctrina privatæ Doctorum sententiæ præferenda est; atqui Concilia requirunt ùt necessariam Confessionem circumstantiarum notabiliter aggravantium. Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 21. celebratum cap. *Omnis utriusque sexus* Sacerdoti præcipit, ut sit cautus — Dili- „ genter inquirens & peccatoris circum- „ stantias, & peccati, quibus prudenter „ intelligat, quale debeat ei præbere con- „ silium, & cujusmodi remedium adhibe- „ re — Idem Pontifex cap. *Deus, qui De* Pœnit., & remissione Episcopo Livoniensi scribens ait — Consideratis circumstantiis „ omnibus, & præsertim novitatis Livo- „ niensis Ecclesiæ competentem pœniten- „ tiam delinquentibus imponatis, prout sa- „ luti eorum videritis expedire — Similia habentur in pluribus Synodis Diœcesanis ùt in Synodo Sublacensi sub Carolo Cardinali Barberino, Ariminensi sub Dominico Cardinali Cortio, & S. Carolus Borromæus *in Instruct.* ait — Confessarium scire debere „ circumstantias aut speciem mutantes pec- „ cati, aut illud notabiliter aggravantes, „ quia illæ circumstantiæ necessariò in „ Confessione declarari debent — Idem affirmat Catechismus Romanus *p.* 2 *de Confessione* §. 48., & D. Augustinus *lib. de vera, & falsa Pœnitentia cap.* 14, & *de Visit. Infirmorum lib.* 2. *cap.* 5.

RESP. Assertionem nostram non jam ùt privatam, sed ùt universalem Tridentini doctrinam explicantis divinum præceptum de integritate Confessionis propugnamus. Neque enim absque gravi injuria judicare debemus deficientem tradidisse instructionem circa hujusce modi materiam. Hinc supra in resp. ad Objectionem I. adnotavimus Lateranense Concilium cum usum sit generali verbo *circumstantias*, quæ æquivocationem gignere poterat, laudatum Œcumenicum Tridentinum Concilium limitationem addidit, quæ legitimum Lateranensis Synodi, & Innocentii sensum aptè declaravit. Ex quo planè fit exclusas remanere circumstantias purè aggravantes; Si enim has vel implicitè includere voluisset, aut generaliter èt ipsum locutum fuisset, aut subindicasset. Si ergo ad circumstantias speciem mutantes doctrinam suam restrinxit, pro competentia quisque habere debet has, non illas necessariò explicandas esse.

Tridentinum explicat mentem Innocentii.

In particularibus autem Synodicis statutis advertimus sermonem dirigi ad Confessarios, eosque monere de scientia pro tali munere necessaria, simulque ipsos commonefacere de circumstantiis quandoque debere interrogare. Notum quippe est Confessarios plura scire, pluraque interrogare debere, quam de necessitate per se aperire Pœnitentem; Non enim quomodocumque tenentur bono Pœnitentis consulere, sed singulari diligentia, solicitudine, vel remotas investigando radices peccandi, actualem, vel habitualem detegendo dispositionem, aliaque plura præsertim erga rudes, qui dubio-procul plurima non tenentur scire, atq; per se declarare. Insuper dupliciter aliquid necessarium esse potest, videlicet per se, vel per accidens: Utvis circumstantiæ præcisè aggravantes sub integritatis præcepto per se non cadunt, cadere tamen possunt per accidens; hocque sat est, ut dici possit in Confessione aperiendas esse. Et sanè quia vivorum Sacramenta per accidens, ùt quibusdam arridet, primam gratiam producunt, ideo dicuntur aliquando primam gratiam producere; Ea propter S. Caroli instructio, quæ aliundè plura ad perfectionem, & consilium spectantia continet, aliæque Synodicæ Constitutiones cum distributione loquuntur, atque intelligendæ sunt, videlicet circumstantiæ mutantes speciem per se, illæ verò, quæ sunt notabiliter aggravantes, per accidens, seu ex aliqua accidentali suppositione exponendæ sunt.

Plura scire debet Confessarius, quam Pœnitens.

Necessitas duplex.

Ad Augustinum, sive ad alium, quicunque sit, librorum illorum auctorem respondet S. Thomas *cit. loco ex* 4. *Sent.*, ùt mox innuimus — Hoc autem quod Augusti- „ nus dicit, ad perfectionem contritionis „ spectat — Nec aliter dici potest; Auctor siquidem doctrinam suam in iis declarat, quæ nemo vult aperienda esse in Confessione, puta, in circumstantia commissi peccati in domo Domini sui, in die jejunii, & hujusmodi.

Ex quibus iterum habemus non agnovisse Sanctum Thomam, sicut èt Tridentinum æqualem esse rationem inter circumstantias speciem mutantes, & simpliciter aggravantes, nec eodem modo judicium, eandemve proportionem in pœnis variari. Et planè res ita se habet; Etenim aggravantes etiam notabiliter sunt extra peccati quidditatem, & absque illarum explicatione adæquata, rectaque peccati cognitio, judicium, justaque proportio pœnæ subsistunt; secus dicendum de circumstantiis speciem mu-

Quidditas peccati ex prædicatis specificis habetur.

mutantibus ; nam absque istarum manifestatione adæquata peccati quidditas non habetur ; cum quidditas a specie desumatur, seu a specificis prædicatis, proindeque circumstantiæ speciem immutantes ad essentialem criminis lineam, aggravantes ad accidentalem pertinent.

§. V.

ALIA MOMENTA AB INCONVENIENTIBUS DICTA EXPENDUNTUR.

83 EX resolutione, quam sive Tridentini Concilii, sive D. Thomæ esse in aperto est, adversæ partis Propugnatores pleraque inconvenientia deduci judicant, plures videlicet casus non esse in confessione aperiendos, quos tamen ad Confessionis integritatem spectare Doctis persuasum est, & praxis evincit. Verumenimvero ab hac resolutione nequaquam dependere jure censendum est ; ideo namque in prædictis casibus insudant Doctores, quia non satis compertum est, an pertineant ad diversas species, necne ; Cæterum ubi constat circumstantiæ qualitatem eandem intra speciem contineri, omnia evanescunt : Possent itaque de facili prætermitti ; quoniam verò eorum notitia aliunde perutilis est, immo & necessaria, ea propter rudi minerva aliqua subjicimus.

84 OB. I. Si circumstantiæ præcisè aggravantes non essent necessariæ in confessione detegendæ, sequeretur I. Actum exteriorem peccati non esse in confessione manifestandum ; hic namque nullam propriam addit malitiam supra interiorem. II. Incestus cum Matre, cum Sorore, cum Filia ; quia incestus ejusdem rationis sunt. III. Habentem votum solemne castitatis, atque illud violantem non debere manifestare, cum votum solemne a simplici non distinguatur. IV. Occidentem uno ictu plures homines, hoc posse reticere, cum hæc circumstantia speciem non immutet, sicut & violare puellam alteri commendatæ : Porrò doctrinam hujusmodi propugnare est laxare habenas ; adeoque dicendum est circumstantias notabiliter aggravantes cadere sub præcepto.

Cæterum omnes circumstantias non esse necessariò in confessione aperiendas satis indicat Rituale Romanum in Rubrica de Pœnitentiæ Sacramento — Quod si Pœnitens „ numerum, speciem, & circumstantias „ explicatu necessarias non expresserit, Sa„ cerdos eum interroget — *Explicatu necessarias* inquit ; quia quædam dantur nequaquam de necessitate exponendæ ; Quæ aliæ utique esse nequeunt, quam præcisè aggravantes, cujus oppositum nullatenus probant ad Adversantibus objecta.

Actus externus internam complet malitiam.

RESP. igitur ad I. Actus externus inter circumstantias non enumeratur, sed est intrinseca consummatio, atque interioris actus complementum.

A Ad II. Superius n. 81. dictum est incestus sub eadem pietatis virtute specie differre, ut incestus cum consanguinea ab incestu cum affine, sicut pariformiter cum consanguinea in linea recta ab incestu cum consanguinea lineæ transversalis ; incestus pariter in primo gradu lineæ lateralis, & rectæ, & affinis a reliquis earundem linearum ; in his siquidem casibus vel diversus conjunctionis modus, vel altior intercedit differentia, ideoque necessariò explicandi sunt in Confessione. In reliquis autem gradibus specifica differentia non reperitur, eaque propter non sunt explicandi in foro Sacramentali.

Incestus specie differunt.

B Ad III. Ideo explicandum est votum solemne castitatis, quia essentialiter differt a simplici. Fateor equidem non deesse auctores, qui doceant eam circumstantiam non esse exponendam, sed isti propugnant simplex castitatis votum a solemni non differre : In omnium tamen sententia prætermittendum est, an peccans fuerit Diaconus, vel Sacerdos ; hi namque gradus malitiam specie distinctam nequaquam superaddunt. Hinc habes circumstantiam Novitii, vel Novitiæ, Acolyti, vel Exorcistæ, cæterorumque minorum Ordinum etiam habentium Beneficium non esse explicandam ; hæ

Votum solemne specie differt.

C siquidem Personæ, nullo voto vinculo alligatæ sunt : Habes quoque conditionem Sponsi, & Sponsæ de futuro non mutare speciem, neque clavibus subdendam ; cum revera matrimonialis contractus, qui adulterii malitiam superaddit, non sit de præsenti. Scimus viros alioquin Sapientissimos copulam Sponsum inter, & Sponsam specie distinguere a simplici fornicatione, sed quo fundamento non satis apparet.

Circumstãtia Spnsi, & Sponsæ per se non est explicanda.

Ad IV. In eo casu explicanda sunt distincta homicidia ; quia numero multiplicantur peccata propter objecta adæquatè numero distincta, ad quæ actus terminatur,

Plures occisiones uno ictu operaliter exponendæ.

D & a quibus numero multiplicatur ; hinc exprimendum est, quod fuerint occisi homines. Sunt, qui propugnant ab objecto numericam distinctionem non desumi, sed a subjecto ; isti porrò affirmant occisorum numerum non esse manifestandum, sed sufficere, si dicatur plures uno ictu occidi : Non tamen fat est dicere : homicidium perpetravi ; Hæc enim locutio in communi sentiendi modo unius tantummodo hominis occisionem significat, ac proinde falsa esset.

Ad ultimum. Ideo contingere potest explicandam esse circumstantiam puellæ sub

E aliena custodia commendatæ, quia plures malitiæ, eæque specie differentes intercedere possunt propter oppositionem ad diversas virtutes charitatis, & justitiæ, sicut & ratione infamiæ, & mœroris, quam Parentes, vel Custodes, vel Puellæ familia patiuntur : Unde jure optimo istæ circumstantiæ exponendæ sunt. Quidam volunt circumstantiam virginitatis variare speciem, propterea explicandam in primo voluntario lapsu fornicationis ; sed de hoc judicent alii.

Circumstãtia fornicationis quæ declaranda.

85 OB. II. Ex assertione nostra sequeretur I. conditionem Pœnitentis non esse

expli-

explicandam, utpote circumstantia præcisè aggravans. II. Conditionem conjugatæ alienæ, Sacerdotis, vel Religiosi, quando peccans est conjugatus, vel Sacerdos, aut Religiosus. III. Qui alteri detraxit, falsum dicendo, vel diversos objiciendo defectus, cum in ordine ad famam hæc ejusdem ordinis censeantur. IV. Qui jejunii die plures comedit, vel carnes edit; Non enim speciem mutant. V. Qui ex consuetudine peccat, quæ ad aliam speciem actum non trahit; & tamen hisce illationibus sana Theologorum doctrina refragatur.

RESP. Falsò dicitur omnibus prædictis illationibus sanam Theologiam refragari; Plures enim inter Theologos negant omnes esse in Confessione aperiendas. Hinc ad I. volunt circumstantiam Personæ præcisè non esse detegendam, peccasse videlicet cum filia confessionis, solummodo enim hoc aggravat intra eandem speciem; Qui verò propugnant circumstantiam hujuscemodi explicandam in Confessione, ex eo ducuntur, quod judicant peccatum cum filia confessionis trahi ad malitiam incestus, aut sacrilegii, quod tamen non facilè probatur; cum Pœnitentia conditio nec cognationem secum trahat, aut spiritualem aliquod vinculum, cujus violatio sit sacrilega. Quoniam verò major intelligitur gravitas, ea propter alicubi tale peccatum reservatur: diximus peccatum præcisè cum filia confessionis; nam si aliunde Sacramenti Pœnitentiæ abusus admisceatur, vel Parentum gravamen, fraudesve interveniant, tunc specificæ malitiæ accedunt, aperiendæ utique in confessione.

Peccatum cũ filia Confessionis quando cum hac circumstantia explicandum

Colligunt inde laudati Theologi nequaquam necessariò aperiendam esse dignitatem Personæ peccantis, v. g. quod sit Episcopus, vel Generalis, nisi vel crimen supra Personam reflectat, vel supra injunctum munus, & secluso scandalo. Dignitas namque ex se considerata non trahit ad aliam speciem, utvis intra eandem aggravet. Quare Superior, si fregit obedientiæ præceptum, conditionem sui aperire non debet, secus si subditum ad non obediendum sollicitavit; quia ex officio subditorum delicta impedire tenetur, eosque ad bonum promovere. Gubernator similiter si in Civitate furetur, sive vineæ custos, sive etiam Fiscalis si sua delicta non denunciant, nullam specificam malitiam contrahunt distinctam ab ipso peccato: istæ siquidem Personæ licèt ad aliorum mala impedienda deputentur, attamen ex vi injuncti muneris non præordinantur ad propria crimina evitanda; ea propter officium supra peccata non reflectit.

Dignitas Personæ non mutat peccati speciem.

Ad II. dicimus conjugatam explicare debere circumstantiam alienæ conjugis violatæ, sicut si Sacerdos cum Sacerdote, Religiosus cum Religioso peccet; Verùmenim verò obligatio hujuscemodi non jam habetur ex circumstantia intra eandem speciem aggravante, aut illam immutante, sed quia malitiæ multiplicantur numero, cum in primo casu duplex committatur injustitia, seu duplici personæ adæquatè fiat injuria, in secundo verò votum duplex dupliciter violatur. Utcùm enim physica individuatio

A rei a subjecto desumatur, moralis tamen malitia ab objecto multiplicatur; & quia in casu duplicis personæ jus violatur, ideo duplex numero malitia intra eandem speciem adinvenitur: Quarè egregiè dicebat Concilium peccatorum numerum explicandum esse, non actus physicè consideratos: optimè namque contingere potest, quod unum tantummodo sit peccatum, actus verò sint physicè plures, ùt v. g. qui successivè duobus ictibus aliquem percutit; ex opposito stat actum physicè unum multiplex constituere peccatum vel specie diversum, ùt qui Patrem unico ictu in Ecclesia occidit, vel tantùm numero, ùt in casu de Conjugato &c.

Physica individuatio a subjecto, moralis malitia ab objecto desumitur.

B Hinc qui uno furto plures personas in materia gravi læsit; qui unica detractione plurium violavit honorem; qui unica explosione plures occidit, pluralitatem personarum exprimere tenetur, cum hæc peccatorum numerum multiplicet; siquidem unaquæque persona inspicitur, & læditur penes jus particulare, quod habet quælibet: Si verò plura præcepta sub eodem motivo idem prohibeant, aut præcipiant, qui unico actu illa violat, præceptorum numerum haud explicare necesse est; secus si motiva diversa essent; qua ratione votum simul, & juramentum exponere debet, qui votum non adimplevit juramento firmatum: Variatur

C namque specifica malitia intra sphæram Religionis: Votum siquidem obligat, ut fides Deo debita servetur, juramentum verò ne divina veritas, & auctoritas in contestationem falsitatis afferatur.

In III. gravis tangitur difficultas quoad materiam læsionis famæ, & honoris. Qui proximo detraxit falsum imponendo crimen, aut occultum revelando delictum, tenetur hanc circumstantiam declarare; includit siquidem malitiam perniciosi mendacii. Loquendo autem de illo, qui detraxit plures

D impingendo defectus, distinguendum est; Etenim vel pluralitas se tenet ex parte detractionis, quatenus successivè pluries eundem defectum objecit, v. g. pluries furem, vel ebrium appellando proximum, idem dic de verberante, & hujusmodi, & tunc circumstantia pluralitatis non est necessariò explicanda, quia in esse morali illi actus physicè plures unum numero peccatum constituunt, quod colligunt Doctores ex cap. *Cum pro Causa: De sententia Excommunicationis*, ubi percussor Clerici continuata verberatione non nisi solummodo subditur excommunicationi; vel pluralitas se tenet ex parte defe-

Detractiones esse diversæ speciei asserunt aliqui.

E ctus, quatenus diversi generis objiciuntur vitia, puta furti, homicidii, falsarii &c. (idem dicas de temerariis judiciis circa diversa crimina), & tunc determinata defectuum pluralitas juxta gravissimorum Doctorum placitum exponenda est; quia omnes illæ infamiæ non solùm physicè, sed etiam moraliter specie distinguuntur; lædunt enim tot genera virtutum, quæ diversimodè hominem constituunt honorabilem, atque boni nominis: Siquidem quandoque in aliquo genere virtutis circa alia optimi est nominis, firque plurimi apud Rempublicam, atque laudabilis censetur famæ.

Hinc

Hinc Theologorum doctrina eſt in non genera infamatum in alio infamari non poſſe: Quare fama diviſibilis, atque in varias ſpecies partibilis videtur.

Detractiones eſſe ejuſdem ſpeciei affirmant alii.

Alii non inferioris notæ Doctores oppoſitum propugnant, atque contendunt non niſi unum concipi honorem, æſtimationem, & famam, quæ vel in toto, vel parte læditur juxta qualitatem detractionis. Aſſerunt itaque detractiones omnes, contumelias, atque judicia temerè facta ejuſdem eſſe ſpeciei, ſicut furta; quia a læſione honoris, & famæ accipiunt ſpeciem, ſicut furta a læſione in bonis fortunæ: Unde ſicut conditio bonorum fortunæ ſecundùm ſe eſt ratio ſpecificativa furti, ſic ratio honoris eſt ratio ſpecificativa detractionis, judicii temerarii &c. Et propter ſicut furtum pecuniæ non variat ſpeciem a furto frumenti, ita judicium temerarium, vel detractio, crimen furti, ſimoniæ &c. objiciens ſpeciem non immutat; proindeque non oritur obligatio explicandi in Confeſſione. Quænam autem ex hujuſce opinionibus vera ſit, alterius judicio ſatius eſt committere; ſecunda pro Confeſſariis, & Pœnitentibus expeditior eſt, prima difficilioris executionis.

Ad IV. de jejunio, qui docent in Confeſſione aperiendam eſſe iteratam commeſtionem non ducuntur motivo circumſtantiæ aggravantis, ſed quia numero multiplicantur peccata; cum frangatur negativum præceptum pluralitatem comeſtionum vetans; quæ

Præceptum jejunii partim negativum, partim poſitivum.

doctrina pluribus non arridet, volentes per multiplicatas comeſtiones violari tantummodo poſitivum præceptum de unica comeſtione facienda; Quare inferunt, fracto ſemel jejunio, in aliis comeſtionibus novum nequaquam committi peccatum; Aliter tamen dicendum eſt de præcepto non comedendi carnes; hoc planè negativum eſt, totieſque frangitur, quoties comeduntur carnes.

Ad V. Doctores nonnulli docent conſuetudinem peccandi per ſe non cadere ſub obligatione, cadere tamen ſub præcepto, quando id neceſſe eſt, ut Confeſſarius ſtatum Pœnitentis agnoſcat; conſuetudo ſiquidem ſolet conſtituere morale periculum labendi; ùt cum ante acquiſitam conſuetudinem advertit ſe per repetita v. g. perjuria comparare habitum vitioſum, tunc præcavere tenetur illud periculum, quod ſi non faciat, peccat; pariformiter cum acquiſita conſuetudine non conatur illam evellere, quâ non evulsâ exponitur Pœnitens periculo noviter pejerandi: Solet quoque conſuetudo doloris, atque propoſiti efficaciam impedire, quod ut dignoſcat prudens Medicus, ipſi detegi debet, multò magis cum interrogat. Pro comperto igitur eſt in caſibus objectis obligationem manifeſtandi crimina non oriri ex motivo circumſtantiæ purè aggravantis, ſed ex aliis ſupra inſinuatis.

Conſuetudo peccandi cur detegenda.

86 OB. III. Peccatum commiſſum ex ignorantia vincibili explicandum eſt; & tamen non differt ſpecie a perpetrato crimine per ignorantiam affectatam. II. In peccato jactantiæ exprimenda eſt materia circa quam illa verſatur, & tamen de materiali cenſetur; malitia ſiquidem jactantiæ in eo ſita eſt, quod gloria captetur de malefactis.

A III. Perſona Benefactoris, Sacerdotis, Fratris, Conſanguinei non includit conditionem inferentem ſpeciei mutationem, & tamen exprimendam eſſe jure reputatur. IV. Blaſphemiæ ſpecie non differunt; nemo tamen negat declarandum eſſe, an blaſphemia contra Sanctos fuerit, an contra Deum. V. Ratio conſtitutiva fidei una eſt atque indiviſibilis, nihilominus minus citra dubium explicandum eſt, an Apoſtata ad Infideles, vel ad Judæos, vel ad Hæreticos declinaverit. In aperto igitur eſt aggravantem circumſtantiam ſub præcepto cadere ſacramentalis integritatis.

B RESP. Hæc ſicut, & præcedentia pari ratione evaneſcunt: Circumſtantia ſiquidem ignorantiæ ſive vincibilis, ſive affectatæ per ſe ad eſſentialem integritatem non pertinet; quia ſolummodo in modo voluntarii diſcriminatur; per accidens tamen cadere poteſt ſub præcepto; ut cum illa excuſat ab incurrenda cenſura lata contra peccatum ſcienter perpetratum; vel cum taliter voluntarietatem minuit, ut ex mortali evadat veniale, Delinquentem excuſans ab humanæ legis violatione; vel cum exponit periculo peccandi in altera ſpecie, verberandi v. g. Patrem; vel demum ſi affectata eſſet ignorantia ad liberiùs peccandum conſtituendo in periculo in alia ſpecie delinquendi.

Quãdo ignorantia explicanda.

C Ad II. Formalis jactantia præter vanam gloriam includit peccati malitiam, de quo quis gloriatur; Eſt enim approbatio criminis, quod jactantiæ materia eſt, audienteſque ſcandalum patiuntur, cum peccatum approbare jactantem credunt. Ut plurimùm intervenit quoque delectatio, quæ dubio-procul in materia vindictæ, & luxuriæ contingit; Hæc dicta ſunt de formali jactantia: Si enim de commiſſo peccato ideo delectetur, ut ingenium, dexteritas, & hujuſmodi appareant, ſecluſo ſcandalo, pravoque affectu, tunc malitia ſpecie diverſa non admiſcetur. Idem dictum volumus de conſilio; hoc ſiquidem ad peccati ſpeciem, de quo conſilium fertur, reducitur, eſtque illius approbatio ſimul, & cauſa per ſe influens; ex propter Conſulitor non jam ſolummodo contra charitatem peccat, verùm etiam contra virtutem illam, cui peccatum, de quo latum eſt conſilium, opponitur.

Formalis jactantia, quã malitiã importat.

D Ad III. diſtinguendum eſt: Dantur namque peccata quædam, quæ ſupra conditionem Perſonæ reflectunt, alia verò non; Primi generis explicanda neceſſariò ſunt; Induunt ſiquidem malitiam ſpecie diverſam; ſecus illa ſecundi generis. Peccatum odii acriò acriùs ſupra conjunctam perſonam reflectit; cum ſpeciale detur præceptum, atque debitum diligendi ſanguine conjunctos. Hinc explicari debet circumſtantia Patris, Parentum, Avi, Filii, Nepotis, Conjugis, Superioris etiam Eccleſiaſtici; quoties odium grave eſt, graviſve mali continens deſiderium; idque naturæ lumen ſuadet; Experimur namque vel rudiores de hoc ſpecialiter ſe accuſare; Ad hoc etiam gravis læſio reducitur inſignis alicujus Benefactoris, qui operam omnem, atque ſumptus impendit, ut alteri benefaceret.

Peccata quædam ſupra Perſonam reflexa cur dicuntur.

E

P Hic

Hic namque plusquam carnalis frater diligendus est juxta mox dicenda in hac eadem solutione.

In injoriis, quibus filius Patri nocet sive circa honorem, sive circa famam, sive circa corpus, circumstantia Patris explicanda est: Malitiæ siquidem contra justitiam superadditur impietatis species propter specialem obligationem impendendi Parentibus reverentiam, obsequium, atque honorem, ita ut, quod aliàs levis infamatio, seu percussio reputabantur, tanquam grave crimen jure censeatur, si ad Patrem referantur: ea propter optimè inferunt Doctores lethaliter peccare Filium, si seriò, seu deliberatè manum attollat ad percutiendum Patrem, utvis actu non percutiat. Et quamvis etiam Pater in ordine ad Filium specialem contrahere possit malitiam, faciliùs tamen a gravi, immo ab omni crimine excusantur Parentes propter auctoritatem, atque coercitivam potestatem: Hinc verba aspera, increpationes, contumeliæ, atque ordinariæ verberationes in Parentibus ad filios juxta communem hominum æstimationem leviora creduntur peccata, & non rarò justæ censentur increpationes, correctionesque. Ex adverso in filiis relatè ad Parentes ob strictius jus obsequendi aliter sentiendum est; Unde torvi oculi, asperæ locutiones, atque hujuscemodi exteriores actiones per se odium indicantes, utvis interius Parentes diligantur, a gravi tamen crimine non excusantur.

Circumstantia Patris laesi explicanda.

Propter speciale vinculum in prænumeratis injuriis explicanda est Conjugis circumstantia: Habet enim novam superinducere malitiam: Unde in jure Paricidii pœna ad Conjugis occisionem extenditur. *L. 1. ff. ad legem Pompejam. De Paricidiis.* Vinculum verò fraternam tale haud esse videtur, ut specificam addat malitiam in ordinariis injuriis, quæ etiam ad mortale pertingant: Adderetur tamen in casu gravissimæ contumeliæ, detractionis, expoliationis, mutilationis, gravisque vulneris, multòque magis occisionis. Hæ siquidem injuriæ speciali quodam jure fraterno amori opponuntur. Hoc similiter dicendum est de insigni Benefactore, qui sæpè magis diligendus est, quam frater, aut soror. Explicanda quoque est Principis circumstantia, quoties injuria ad crimen læsæ Majestatis pertingit. Injuriæ demum circa Personam Deo sacram specificæ malitiæ rationem sortiuntur, quia hæc supra dignitatem reflectuntur.

Quando Consanguineorū circumstātia explicanda.

Secus accidit in aliis peccatis, in quibus Personæ dignitas de materiali reputatur; ùt sunt peccata in bona fortunæ, in quibus personarum qualitas malitiam non refundit; Sunt enim ejusdem speciei filiorum furta, ac subditorum; nisi quandoque enormia evaderent, ùt si filius Patrem, Frater Fratrem, Famulus Dominum, Subditus Principem ad notabilem reduceret paupertatem; tunc enim specifica distincta malitia superadderetur; quod pariter contingeret, si quis Ecclesiasticam læderet Personam in immobilibus beneficii bonis; tunc dignitas reflectit supra crimen. Quamvis

Dignitas Personę quādoque nullā addit specificam malitiā.

A

verò affinitas secundum se speciem mutet, ordinariæ tamen injuriæ in bonis famæ erga Cognatos, non creduntur novam habere malitiam; cum illa conjunctio satis remota videatur.

Quartum, quod in objectione affertur, falsum supponit, blasphemias videlicet specie non differre; speciali siquidem titulo opponuntur Sanctis, Deiparæ, ac Deo; Sicut enim specie differt Dei, Deiparæ, ac Sanctorum cultus, qui communiter dividitur in Duliam, Hyperduliam, & Latriam; adeoque hujusmodi diversitas sub præcepto integritatis cadit; Est quidem de materiali hic, vel ille Sanctus; unde simplices blasphemiæ in Sanctos ejusdem speciei sunt; illæ verò, quæ speciem aliam imbibunt, exponendæ sunt, ut quæ ex formali odio procedunt; hæc namque charitati opponuntur; illæ similiter, quæ hæresim continent, quamvis solummodo exteriorem; cum ex præcepto Confessionis Fidei nihil illi contrarium exterius dicere teneamur; explicandæ quoque, quæ convitia rei turpis admiscent, cum distinctam dicant irreverentiam.

Blasphemiæ specie differunt.

B

Exprimendæ quoque essent Personæ, coram quibus quis blasphemavit cum scandalo propter mox dicta: Multiplicantur enim numericè malitiæ per ordinem ad plures Personas, & in illis criminibus, in quibus scandalum supra Personarum qualitates reflectit, non solùm numerus, sed qualitas quoque explicanda est, quia & numerus multiplicatur, & species: Hinc qui turpia locutus est Virginibus, Religiosis, Conjugatis adstantibus, harum Personarum conditiones manifestare tenetur.

Personarum scandalum explicare debet.

C

Ad V. Simplex oppositio virtuti fidei speciem non immutat: Est enim ejusdem formalis rationis non assentiri, seu discredere Trinitatis mysterio, ac mysterio Incarnationis; unico siquidem motivo revelationis omnes Fidei Articuli creduntur; quia tamen status, ad quos Apostata declinare potest, ritus imbibunt importantes diversas specie malitias, ùt patet de Hæresi, Judaismo &c. ideo declarandus est infidelitatis status, quem amplexus est.

D

87 OB. IV. Peccata furti, homicidii, mollitiei in Religiosorum Claustris, sicut & in Ecclesiis commissa non differunt specie; Loca etenim enumerata sicut gaudent immunitate; ita & sacra sunt; Nihilotamen minus Doctorum opinio est peccata ùt in Ecclesiis commissa esse explicanda; ea propter circumstantiæ simpliciter aggravantes ad integritatem spectant.

E

RESP. Qui asserunt Ecclesiæ, non verò Monasterii circumstantiam aperiendam esse in confessione, eo ducuntur motivo, quia variatur specificè malitia. Claustra siquidem Religiosorum etsi lustrali aqua sæpè conspersa immunitate quidem gaudent, non tamen propriè sunt loca sacra, sicut Ecclesiæ: Unde nec seminis, aut sanguinis effusione ita violantur, ut iterum consecrari, ac benedici debeant, in Ecclesiis contingit. Peccata itaque exteriori opere consummata (quidquid sit de illis, qui sola mente concipiuntur) intra Ecclesiam sacrilegii specie notantur, sive notoria sint, sive occulta, quia

Claustra Religiosorum gaudent immunitate, sed non sunt sacra.

quia ſpecialis Sanctitas loci ſaper illa reflectit, & ſpecialem repugnantiam dicunt ad locum ſacrum. Idem dicas de furto, & homicidio.

88 OB. V. Inductio ad peccandum non eſt niſi circumſtantia aggravans; Etenim illius malitia in eo conſiſtit, ut quis cum alio peccat; eninæ ſiquidem alterius cooperatur: Atqui Doctores uptimi nominis volunt circumſtantiam hujuſmodi declarandam eſſe: Similiter aliquem occidere pauctoribus, pluribuſque ictibus pura intra eandem lineam aggravatio videtur; Et tamen contandunt non pauci inter Theologos id exprimandum eſſe: Circumſtantiæ itaque ſimpliciter aggravantes ſub integritatis præcepto comprehanduntur.

Scandalum activum explicandum.

RESP. Doctoras, qui docent ſolicitationem, ſeu inductionem ad peccandum explicandam eſſe in confeſſiona, ii ſunt, qui in tali actu contineri dicunt malitiam ſpecie diverſam a peccato, ad quod datur ſolicitatio, & jura quidem; nam datur ſcandalum activum ſufficienter volitum, hoc eſt indirectè, onda eorum ſententia non verſatur circa circumſtantias purè aggravantes: Qui verò propugnant inductionem ad peccandum circumſtantiam eſſe præciſè aggravantem, negant aperiendam eſſe in Confeſſione. Si autem cum poſitiva ſolicitatione interveniat quoque violentia, ùt cum res altaria coram Domino vi auferetur, vel mulier invita corrumpitur, aut rapitur, hoc planè detegendum eſt, utporè novam ſpecificam importans malitiam. Ad aliud diſtinguendum eſt; Nam ſi ictus ſint ſimpliciter moltiplicati; quia Sicarius vult certò inferre mortem, tunc ictuum multiplicatio da materiali eſt, ſi ſint ſucceſſivi; ſi verò in iteratione ictuum modus feritatis includatur, vel ut duriùs a vulnerato patiatur, vel jecur eruendo, parteſve corporis diſcerpendo, tunc alterius ſpeciei malitia ſuperadditur, nempe ſevitiæ, quæ ſpeciala peccatum importat, docente D. Thuma 2. 2. *quæſt.* 159. *art.* 2. ſevitiem, ſeu feritatem contineri ſub beſtialitate.

Ex hoc uſque oppoſitis pro comperto quique habeat circumſtantias præciſè aggravantes non eſſa in confeſſione explicandas, adeoque ſingulorum peccatorum confeſſio, ad quam jura divino obligatur peccator, non comprehendere earundem explicationem.

CONTROVERSIA III.

§. I.

AN ANNUÆ CONFESSIONIS ECCLESIASTICUM PRÆCEPTUM OBLIGET.

89 EX fusè dictis in Controverſia de inſtitutione auricularis Confeſſionis in aperto eſt Confeſſionem ex divino jura neceſſariam eſſe neceſſitate medii, ùt ex Scripturis, & Patribus vidimus, ex quibus placet iterum afferre Sanctum Baſilium *in Regulis brevioribus reg.* 229. — Omnino „ in peccatorum confeſſiona eadem ratio „ eſt, quæ etiam in aperitiona vitiorum „ corporis. Ut igitur vitia corporis ne„ quaquam quibuſvis homines temerè ape„ riunt, ſed iis tantummodo, qui ratio„ nem, qua ea curanda ſint, teneant: eo„ dem modo etiam peccatorum confeſſio „ fieri debet, apud eos videlicet, qui ea „ poſſint curara — Et Regula 288. — Ne„ ceſſariò iis peccata aperiri debent, qui„ bus credita eſt diſpenſatio myſteriorum „ Dei — Quoniam verò præceptum hoc affirmativum eſt, non ſtatim obligat, habità etiam copià Confeſſarii, ùt antiqua Eccleſiæ diſciplina evincit, quæ Pœnitentes ad Exomologeſim ad aliquod tempus non admittebat, ſicut nec Catechumenos ad Baptiſmum. Obligat itaque neceſſitatis tempora, inſtante nempè vitæ periculo, ùt cum quis pugnæ, aut mari ſe committere debet, ſicut èt in aliis caſibus, quos videre eſt apud morales Theologos; ut vis igitur ſtatim non urgeat, urget tamen per ſe, ne diù differatur reconciliatio cum Deo; Longa enim dilatio divinæ amicitiæ contemptu non caret: Ea propter ſi filius, qui Patrem læſit, naturali jure peccati reus cenſetur, ſi diù reconciliari negligat, multò magis hoc dicendum eſt de peccatore in ordine ad Deum. Hinc eſt, quod Œcumenicum Lateranenſe Concilium præſidente Innocentio III. Decretum, quod refertur cap. *Omnis utriuſque ſexus. De Pænit.*, *& remiſſione*, edidit — „ Omnis utriuſque ſexus Fidelium, poſt„ quam ad annos diſcretionis pervenerit, „ omnia ſua ſolus peccata ſemel ſaltem in „ anno confiteatur proprio Sacerdoti, & „ injunctam ſibi pœnitentiam propriis viri„ bus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens ad mi„ nus reverenter in Paſchate Euchariſtiæ „ Sacramentum; niſi forte de proprii Sa„ cerdotis conſilio ob aliquam rationabilem „ cauſam ad tempus ab hujuſmodi percep„ tione duxerit abſtinendum. Alioquin vi„ vens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & „ moriens Chriſtianà careat ſepulturà —

Ad longum tempus non est differenda peccatorum confeſſio.

90 Contra præceptum hujuſmodi inſurgunt Novatores, illudque carpunt, dicente Calvino — Hinc ſequitur ejuſmodi „ confeſſionem liberam eſſe oportere, ut

„ non ab omnibus caigatnr, fed lis tantùm „ commendetur, qni ea fe opns babere in„ talligant. Deinde nac ii ipfi, qei illa„ utuntur pro fua neceffitate ad enumeran„ da omnia peccata, vel præcepio aliqno „ cogantur, vel arte inducantur — Durandus *in 4. diſt. 17. quæſt. 4.* videtur dubitare, num in prælandato Concilii Decreto præceptum contineatur circa aonnam confeſſionem, intendens unicè ad Paſchalem communionem ſpectare; Alii verò credunt per accidens obligare, occaſione videlicet ſacræ Synaxis ſumendæ.

91 Dicendum tamen annuæ Confeſſionis Eccleſiaſticum præceptum per ſe obligare.

Eccleſia præcipere poteſt media conducentia ad ſalutem.

PROB. I. oſtendendo Eccleſiam facultatem habera aondendi annuæ Confeſſionis præceptum. Eccleſia poteſtatem habens in ædificationem, fidelibus media utilia ad æternam conſequendam ſalutem præcipere poteſt; atqui divina ſuppoſita inſtitutione ſacramentalis Confeſſionis judicare potnit Eccleſia annuam ſecretam Exomologeſim ad æternam conſequendam ſalutem eſſe perutilem: ergo eam & jure, & meritò præcipere poteſt. Inſuper. Ad Eccleſiam apprimè ſpectat divinorum Præceptorum exigere obſervantiam: ea propter, ut de illorum adimpletione certior fiat, ubi divinum præceptum indeterminatè obligat, ùt in caſu, temporis determinationem ſtatuere queit.

Eccleſia tempus ſtatuit Confeſſionis.

92 PROB. II. oſtendendo dari de facto hujuſmodi præceptum, illudque per ſe obligare. In laudato Lateranenſi Concilio annuæ Confeſſionis præceptum clarè imponitur — Omnia ſua ſolus peccata ſemel ſaltem in anno confiteator proprio Sacerdoti — Atqui tale præceptum legitimum eſſe evincitur ea Tridentino *Seſſ. 14. c. 5.* — „ Neque enim per Lateranenſe Concilium „ Eccleſia ſtatuit, ut Chriſtifideles confita„ rentur, quod jure divino neceſſarium, & „ inſtitutum eſſe intellexerat; ſed ut præ„ ceptum Confeſſionis ſaltem ſemel in an„ no, ab omnibus, & ſingulis, cum ad „ annos diſcretionis perveniſſent, implere„ tur. Unde jam in univerſa Eccleſia cum „ ingenti animarum fidelium fructu obſer„ vatur mos ille ſalutaris confitendi &c. — Ergo datur annua Confeſſionis præceptum. Obligare autem per ſe, clarè comprobatur, tum ea verbis præceptivis, quæ in eodem apponuntur, tum ea graviſſima pœna tranſgreſſoribus impoſita.

Lateranenſe Concil. duo præcepit.

91 Quod clarius fit advertendo in cit. cap. *Omnis utriuſque ſexus* præcipi quidem communionem in Paſchate, verùm etiam annuam Confeſſionem; unde duo ibi babentur præcepta graviter, & per ſe obligantia. Hinc catecheſes omnes tum præceptum Confeſſionis, tum Communionis ibidem agnoſcunt; & Tridentinum *Seſſ. 14. Can. 8.* refert quidem Lateranenſis Concilii Decretum de annua ſacramentali Confeſſione, nulla facta de Euchariſtia mentione — Si „ quis dixerit, Confeſſionem omnium pec„ catorum, qualem Eccleſia ſervat, eſſe „ impoſſibilem, & traditionem humanam „ a piis abolendam, & ad eam non teneri „ omnes, & ſingulos utriuſque ſexus Chri„ ſtifideles, juxta magni Concilii Latera„ nenſis Conſtitutionem, ſemel in anno, „ & ob id ſuadendum eſſe Chriſtifidelibus, „ ut non confiteantur tempore Quadrageſi„ mæ, anathema ſit — Adde præceptum de annua Confeſſione pueros poſt uſum rationis comprehendere, qui aliàs ad Euchariſtiam non accedunt, ſicut & illos, qui propter vomitum de Menſa Domini participare nequeunt: non igitur Confeſſionis præceptum obligat per accidens, videlicet propter Euchariſtiam ſumendam, ſed per ſe, ut Deo reconcilietur Peccator; aliàs nec pueros, nec præcitata laborantes infirmitate afficeret.

§. II.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

94 OBJIC. I. Eccleſia non judicat de occultis: ergo omnium peccatorum Confeſſionem præcipiendo abutitur ſibi collata poteſtate.

RESP. Eccleſia non fert directè ſententiam de occultis, ùt occultis, ſed præcipit actum externum manifeſtativum; & hoc ea poteſtate Dei, qui ſupra hominum corda auctoritatem habet.

95 OB. II. Concilium non habet juxta plurimorum Doctorum placitum auctoritatem ſupra Pontificem: ergo exceſſit præcipiens, ut omnis Fidelis confiteator; Cum hos inter etiam Pontifex comprehendatur.

Pontifex vi directiva ſubditur legibus.

RESP. Utvis Concilium auctoritatem non habeat ſupra Pontificem, ſed in ſuis Sanctionibus ab ipſius confirmatione robur obtineat; vi tamen directiva tenetur & ipſe communes leges ſervare; quibus adde Pontificem, qua ratione Peccator eſt, ſubdi debere Sacerdoti ùt Chriſti vices gerenti.

96 OB. III. Lex illa irrationabilis jure cenſeri debet, quæ illos comprehendit, qui certò illam non obſervabunt; Atqui lex de annua Confeſſione ad omnes baptizatos extenſa comprehendit Hæreticos, qui certò certiùs illam non obſervabunt: ergo eſt irrationabilis; cum ſit in laqueum, & occaſio peccandi.

Lex utilis eſſe debet Communitati.

RESP. Comprehendit utique præceptum illud omnes baptizatos, quos inter enumerantur Hæretici, quos Eccleſia ad ovile Domini revocare ſolicita eſt: Nec irrationabilis cenſenda, quia ipſi legitimè præcipienti obtemperare renuant; aliàs & lex divina irrationabilis dicenda eſſet; cum illam pariter non obſervent. Ad juſtitiam igitur legis univerſalis ſat eſt, ipſam Communitati utilem eſſe; quamvis huic, vel illi ex voluntaria malitia nocere poſſit.

97 OB. IV. Lex de annua Confeſſione Sacramentum exponit irriſioni, & profanationi, cum pueros ligare intendat, qui divina myſteria non capiunt, nec ea qua par eſt veneratione Sacramenta ſuſcipere queant.

RESP. Laudabiliter Eccleſia pueros Confeſſionis præcepto ligat, cum & peccandi capaces ſint, & mortis periculo non

minus

minus expositi, quam adulti, nec ludificationi Sacramentum subest, cum prius a Parentibus, & Pastoribus instrui debeant; & aliàs, cum non æqualiter in omnibus usus rationis adveniat, prudentum est judicare, quando pueri ad annos discretionis pervenerint. Hi quidem ante pubertatem non adstringuntur præcepto annuæ Communionis; sed hoc communi Pastorum calculo statutum, quia non tantæ est necessitatis, sicut Pœnitentiæ Sacramentum.

Pueri quando capaces præcepti.

98 OBJIC. V. Inter Fideles alii sunt muti, ignotæ linguæ alii, verecundi plurimi, quibus Sacramentalis Confessio vel impossibilis, vel admodum gravis, cum aut scripturâ, aut interprete uti cogantur cum propriæ famæ discrimine: non est ergo rationabile tale præceptum.

RESP. Regulariter loquendo sub gravi tenetur homo voce confiteri; non tamen vox formalis necessaria est ad substantiam Confessionis, sed in casu necessitatis sufficit vox æquivalenter talis, ut nutus, & scriptura. Ea propter Mutus signis indicare potest sua peccata ad minus in genere, & aliquando in specie; ignotæ linguæ viris non admodo difficilè est interpretem adhibere, communiter enim homines non multùm erubescunt amico fideli sua crimina detegere, cùm aliàs interpres arctissimo secreto audita custodire debeat; nimium verecundi facili negotio ruborem vincere possunt, accedente prudentis Confessarii solertia: Addas velim, Confessionem per scripturam de præsenti exhibitam voce, vel nutu ab adstante Pœnitente confirmatam magnam non parit verecundiam, aliundè custodiri optimè potest, ne ad aliorum manus deveniendo Pœnitenti infamia oboriatur. Quare Novatores fingunt laborem in præcepto, ut tanquam irrationabilem sugillent Ecclesiasticam legem. Non desunt tamen Catholici Doctores propugnantes ad satisfaciendum Ecclesiæ mandato, haud requiri pœnitentes uti debere scriptura, aut interprete, ex docti opinione, quod Ecclesia non obligat ad servanda præcepta cum onere tam gravi: Illud cum Tridentino *Sess. 14. cap. 5.* subdi opportunum est, onus Confessionis plurimis inde advenientibus bonis compensari — Ipsa „ verò hujusmodi Confessionis difficultas, „ ac peccata detegendi verecundia gravis „ quidem videri posset, nisi tot, tantisque „ commodis, & consolationibus levaretur, „ quæ omnibus dignè ad hoc Sacramentum „ accedentibus, per absolutionem certissi„ mè conferuntur —

Confessio per nutus, & scripturam.

99 OB. VI. Canon *Omnis utriusque sexus* præcipit, quod solus confiteatur peccata; Hoc pugnat cum antiqua Ecclesiæ disciplina ex Christi doctrina publicas pœnitentias, publicasque Confessiones decernente: ergo non est lex justa.

RESP. In laudato Canone secreta, non publica præcipitur Confessio; non tamen publica pœnitentia, aut confessio liberè eligibilis a Pœnitente rejicitur: Porrò Christi dogma est posse quemlibet, si velit, publicè in criminum suorum vindictam confiteri. Cæterum superest infra examinandum, num Ecclesia publicas præceperit Confessiones; illud unum certò asserimus ad Confessionem perinde est publica, an secreta sit, dummodo Sacerdoti crimina exponantur; aliis appositis partibus.

Secreta Confessio præcepta.

100 OB. VII. Canon laudatus nullam anni partem designat, pœnamque imponit ferendæ sententiæ; Atqui hæc satis indicant liberam obligationem: ergo.

RESP. Argumentum non concludit; plura etenim sunt præcepta Ecclesiastica, immo divina, quæ tempus non determinant, ut præceptum dilectionis Dei; & pœna etsi sit ferendæ sententiæ, est tamen gravissima, ea propter est argumentum strictæ obligationis. A Tridentino tempus Quadragesimæ, & Paschatis ut opportunum valdè pro sacramentali Confessione commendatur — Unde jam in universa Ecclesia „ cum ingenti animarum Fidelium fructu „ observatur mos ille salutaris confitendi sa„ cro illo, & maximè acceptabili tempore „ Quadragesimæ: Quam morem hæc San„ cta Synodus maximè probat, & amplectitur tanquam pium, & meritò retinen„ dum — Vide infra in resp. ad Objectionem IX.

Plura præcepta tempus non determinant.

101 OB. VIII. Ecclesiæ finis in præcepto hujusmodi eo tendit, ut suas oves dignoscat; Hoc porrò obtineri nequit; non enim sciri potest, qui confiteantur, qui verò non; Cum nec tempus, nec locus determinentur: superflua igitur lex ista est.

RESP. Non unicè ex hoc præcepto intendit Ecclesia suas oves dignoscere, sed etiam ex præcepto sacræ Communionis in Paschate: Hinc laudabilia Synodalia Decreta adsunt, per quæ obedientes, & refractarii facilè intelliguntur. Quod si quis contumax lateat, sanctitati, justitiæ, legisque utilitati non derogat. Quis enim vel inter Principes singulas humanæ malitiæ fraudes detegere potest?

Ecclesia facilè obedientes dignoscit.

102 OB. IX. Lex ista pluribus subjecta dubiis, pluribus quoque scrupulis conscientias exponit: Etenim incertum est, qualiter annus sit computandus? Num relabens post Confessionem iterum confiteri teneatur? An si aliquod omissum fuerit peccatum, recurrat obligatio? Num statim sequenti anno urgeat? An qui sola venialia confessus est, & postea cadit in lethale, per primam Confessionem satisfecerit? Aliaque innumera suboriri possunt dubia. Præceptum igitur hujusmodi nullimodè obligare potest.

RESP. Si res seriò perpendatur, nullimodè dici potest legem istam scrupulos, animique anxietates gignere; immo si certa, sanaque habeatur doctrina, in aperto erit nullum suboriri dubium. Nemo unus ignorat Ecclesiam a Januario ad Januarium mensem annum supputare; unde intra tale tempus Ecclesiasticum annuæ Confessionis præceptum urget. Hinc si quis legitimè intra annum confessus est animo satisfaciendi præcepto, etsi iterum relabatur, jam legi factum fuit satis. Hoc tamen dictum volumus, dummodo speciale non adsit præceptum, ut in pluribus Galliæ Provinciis habetur, quo annuæ Confessionis tempus determinatur a die Dominica Palmarum usque ad

Annus Ecclesiasticus a Januario ad Januarium.

Concilia Provincialia tempus Confessionis decernunt.

ad Dominicam in Albis. Sic legitur in Concilio Provinciali Bituricensi ann. 1584. celebrato — Omnes Christiani cujuscumque ,, sexus peccata sua semel saltem in anno ,, ad diem Paschæ proprio Sacerdoti confi- ,, teantur. Qui semel atque iterum moniti ,, neglexerint, communione Ecclesiæ pri- ,, ventur — Idem in Concilio Narbonensi ann. 1609. *cap.* 17. — In Paschate testifica- ,, tionem chartulâ, aut notâ aliquâ confi- ,, tentibus dara teneantur Confessarii dele- ,, gati, quam illi ad Parochum deferant, ,, qui eorum nomina in libro descripta di- ,, ligenter custodiet — Et in Burgidalensi Synodo ann. 1624. *cap.* 5. *titul.* 212. *De Eucharistia* — Sæpissimè Fideles ad Sacratis- ,, simæ Eucharistiæ sumptionem cum omni ,, devotione, & compunctis cordibus ac- ,, cedere peroptamus. Sed ne omittant tem- ,, pore Paschatis id in propria Parochiali ,, præstare, sacris Canonibus insistentes, ,, statuimus, eo tempora omnes Christi Fi- ,, deles tum ad Confessionem peccatorum ,, proprio Parocho, aut alii de ejus licentia ,, faciendam, tam ad sacram Eucharistiam ,, in eadem Ecclesia percipiendam teneri, ,, & obligari, nullosque aliàs præcepto Ec- ,, clesiæ satisfecisse, ac proinde in eos nisi ,, resipiscant, ab Ordinario Censuris agen- ,, dum esse declaramus — Excluso itaque speciali præcepto, qui annuam Confessionem fecit, ad aliam non tenetur, nisi alterius criminis reus evadat; sicut etiam præceptum adimplevit, qui invincibiliter alicujus peccati oblitus, aut rationabili causa existente peccatum aliquod omisit: Etenim in hisce casibus vera, integra, & formalis Confessio est, ac proinde verè dicuntur confessi. Contingere utique potest novum peccatum sive oblitum, sive omissum subjici debere clavibus, si v. g. Eucharistia sumenda sit, aut mortis periculum instet, vel hujusmodi. Qui autem uno anno Confessionem prætermisit, tenetur quamprimum sequenti anno præceptum adimplere. Temporis namque determinatio non apponitur ad finiendam obligationem, sed ne diù differatur adimpletio; ut in pecuniariis debitis evenire solet, pro quibus designatio temporis solicitat, non finit onus solvendi; Cumque Confessio ordinata sit ad exhibendam Deo offenso, & Ecclesiæ satisfactionem, nec unica Confessione eo casu fiat satis tum præteriti, tum currentis anni præcepto: sicut una solutione scutorum centum nequaquam satisfit debito præcedentis, & subsequentis anni; si semel singulis annis centum solvenda sint. Si quis verò habens peccata sive præteriti, sive præsentis anni omnia simul confiteatur, quidam volunt unica Confessione utrumque præceptum adimplevisse. Circa venialium Confessionem mox dicetur.

CONTROVERSIA IV.

AN ECCLESIASTICUM ANNUÆ CONFESSIONIS PRÆCEPTUM HABENTES SOLUMMODO VENIALIA COMPREHENDAT.

103 Lutherus Articulo VIII. ex proscriptis a Leone X. venialium Confessionem reprobat dicens — Nullo modo præsu- ,, mas confiteri venialia — De quo plura Disp. II. Controv. II. Nonnulli autem ex Catholicis negant Ecclesiam venialium peccatorum Confessionem præcipere posse, alii verò affirmativam sententiam propugnant, atque contendunt per Canonem *Omnis utriusque sexus* adstringi Fideles ad annuam venialium peccatorum Confessionem: Hos inter annumerantur Richardus 4. *dist.* 17. *art.* 2. *q.* 4., & S. Bonaventura *dist.* 17. *p.* 2. *q.* 1. *art* 2.

Ad hujus rei intelligentiam notandum est juxta fidei dogmata certum esse peccata venialia sufficientem esse materiam Confessionis, ut notat Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 5. — Venialia, quibus a Dei gratia ,, non excludimur, & in quæ frequentius ,, labimur, quamquam rectè, & utiliter, ,, citraque omnem præsumptionem in Con- ,, fessione dicantur, quod piorum homi- ,, num usus demonstrat, taceri tamen citra ,, culpam, multisque aliis remediis expiari ,, possunt — Ex quo jure inferas venialium Confessionem divino præcepto neutiquam subesse, neque Ecclesiam ad essentialem integritatem constituendam præcipere venialium Confessionem posse ei, qui lethalibus irretitus est criminibus. His positis

Venialia sunt materia Confessionis.

§. I.

104 Dicendum est Ecclesiam venialium Confessionem præcipere posse, atque de facto præcepisse. Prima assertionis pars PROB. I. Datur in Ecclesia legitima potestas præcipiendi; Atqui legitima causa præcipiendi venialium Confessionem dari potest, v. g. ad Deum in gravi necessitate placandum: ergo.

In Ecclesia datur potestas præcipiendi.

105 PROB. II. Venialium Confessio ad minus æquè utilis censenda est, ac jejunium, oratio, & hujusmodi; Sed Ecclesia decernere potest sive jejunium, sive orationem: ergo.

Venialium Confessio utilis.

106 PROB. III. Sicut sacræ Communionis perceptio libera est quoad tempus, ita libera est venialium Confessio: Sed Ecclesia præcipit sacræ Communionis perceptionem loco, & tempore determinatis: ergo.

Quæ libera sunt, ab Ecclesia determinari possunt.

107 PROB. IV. Major est, vel saltem æqualis potestas Ecclesiæ in ordine ad commune bonum, quam particularis Personæ relatè ad bonum particulare; Atqui particularis Persona per specialem legem, nempe per votum, potest se ad venialium Confessio-

Ecclesiæ potestas ad bonum commune.

nem

nem in determinata saltem specie obligare: ergo etiam Ecclesia obligare potest per legem Fideles ad venialium Confessionem.

108 PROB. V. Potest Ecclesia venialium Confessionem præcipere iis, qui Jubilæum lucrari peroptant: ergo potest etiam absolutè: Rationabile siquidem dari potest motivum ad absolutè præcipiendam venialium Confessionem.

Venialium Confessio Jubilæi tēpore præcepta.

109 PROB. VI. Concilium Tridentinum *Sess.* 21. *cap.* 2. definit dari in Ecclesia potestatem statuendi in Sacramentorum administratione, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret; Sed judicare potest venialium confessionem expedire: ergo.

Potestas Ecclesiæ circa Sacramenta.

110 PROB. VII. Ecclesia in Clementina. *Ne in agro Dominico*. De statu Monachorum præcepit Benedictinis singulis mensibus Confessionem -- Singulis mensibus „ tam in Monasteriis, quam extra (sublata „ occasione quacunque) ad Confessionem „ saltem semel accedant omnes, & singuli Monachi -- Alienum porrò ab æquitate est dicere hoc præceptum Monachos afficere, quia lethali crimine irretitos: Si igitur ad venialia peccata sese extendebat, & aliàs, ùt notat Glosa -- Arctantur Mo„ nachi singulis mensibus, ad quod Fide„ les arctantur singulis annis -- jam planè fit posse Ecclesiam venialium Confessionem meritò præcipere.

Ecclesiæ præceptum de venialium Confessione.

§. II.

OPPOSITA SENTENTIA.

111 OB. I. Ecclesia eâ non pollet potestate, ut Sacramentorum materiam mutare possit; Atqui illam mutaret, si venialia necessariam Confessionis materiam decerneret: ergo Ecclesia venialium Confessionem præcipere nequit.

RESP. Ecclesia venialium Confessionem præcipiendo Confessionis materiam nequaquam mutat, sed illam a Christo determinatam supponit: Porrò venialia sunt jure divino sufficiens Confessionis materia; hanc suo præcepto obligatoriam facit: Ea sanè ratione, qua Christus azymum panem sufficientem Eucharistiæ materiam constituit, hinc Ecclesia suo præcepto illam sub obligatione deputavit. Itaque posito Ecclesiæ præcepto venialium confessio diceretur necessaria necessitate præcepti, non verò Sacramenti.

Venialia materia Confessionis.

112 OB. II. Aliis in Sacramentis, ùt in Eucharistia, materiæ determinatio fieri solet vel propter significationem, ùt de Azymo apparet, vel propter solemnitatem, & reverentiam divini cultus; Neutrum ex his est adinvenire in venialium Confessione: ergo.

RESP. Ecclesia vel propter reverentiam Eucharistiæ debitam, vel propter majorem animæ profectum, quem maximè exoptat, venialium Confessionem nequit præcipere; Non enim opus est motivum rationem esse Pœnitentiæ Sacramento intrinsecam.

Eucharistiæ debetur reverentia.

113 OB. III. Materia, quæ sub Evangelico cadit consilio, nequit jure humano fieri materia necessitatis; ùt videre est de Evangelica paupertate, & castitate; Sed venialium Confessio est materia Consilii: ergo.

RESP. Ecclesia plura legitimè præcipit, quæ jure divino libera sunt, & Consilii, ùt de jejunio patet. Quod verò omnibus Evangelicam paupertatem, aut Castitatem non præcipiat, oriri equidem potest ex majori difficultate, quæ in eorundem adimpletione eveniret; Confessio autem venialium non magnam ingerit difficultatem, & aliàs ad animarum salutem facilè expedire potest.

Ecclesia plura præcipit, quæ libera sunt.

114 OB. IV. Materia levis haud fieri valet gravis præcepti materia; Atqui venialis nota est materia absolutè levis: ergo.

RESP. Veniale peccatum dicitur leve non quidem absolutè, sed comparativè ad mortale; & aliàs res levis ratione finis, & causæ evadit gravis; ea propter jure meritò potest Ecclesia illius Confessionem graviter imperare.

Veniale peccatum leve comparativè.

115 OB. V. Medicina supra morbi qualitatem, & indigentiam aspera nimis a prudenti Medico nequaquam præscribitur; Atqui venialium Confessio aspera nimis est, animæque languorem supereccedit: ergo.

RESP. Falsò dicitur venialium Confessionem rigorosam esse medicinam; Etenim opus Religiosum est, quod frequenter, faciliterque in Ecclesia a Fidelibus peragitur: Quare quod semel per annum præcipiatur, nullam sapit duritiem.

Confessio venialium salutaris.

116 OB. VI. Nequit Ecclesia peccata aliàs ritè confessa tanquam necessariam materiam clavibus subjiciendam decernere: ergo neque peccata venialia. Æqua autem ratio utrobique est.

RESP. Antecedens non adeo certis propugnatur momentis, ut oppositum affirmari nequeat; Cæterum dispar inter utrumque ratio satis apparet: Homo enim præter peccata semel confessa aliam habet sufficientem materiam; equidem nemo unus est, qui non peccet.

117 OB. VII. Confessio ad peccatorum remissionem ordinatur; atqui Ecclesia instituere nequit venialium Confessionem ad illorum remissionem necessariam; cum media alia, per quæ auferri possunt, ipsa tollere nequeat: ergo.

RESP. Etsi primarius Confessionis finis sit peccati remissio, nihilotamenominus alii dantur fines, ob quos venialium Confessio utiliter præcipi potest, ad majorem videlicet animæ puritatem, ad cultum Dei, eumque placandum, ad aliquod commune bonum consequendum, malumve avertendum, & hujusmodi.

Finis præcepti.

§. III.

ALTERA ASSERTIONIS PARS PROBATUR.

118 PROB. I. Ecclesiam de facto venialium Confessionem præcepisse. *Verba universalia universaliter intelligenda.* Universalia legis verba absque evidenti ratione limitanda non sunt; Atqui Ecclesiasticæ legis verba omnium Fidelium confessionem præcipientia universalia sunt; ùt refertur in cap. *Omnis utriusque sexus, de Pœnit., & remiss.* — Omnis utriusque sexus „ Fidelium, postquam ad annos discretionis „ pervenerit, omnia sua solus peccata semel „ saltem in anno confiteatur proprio Sacer„ doti, & injunctam sibi pœnitentiam pro„ priis viribus studeat adimplere, suscipiens „ ad minus reverenter in Paschate Eucha„ ristiæ Sacramentum: nisi fortè de pro„ prii Sacerdotis consilio ob aliquam ra„ tionabilem causam ad tempus ab hujus„ modi perceptione duxerit abstinendum — Si ergo universalia verba omnes Fideles comprehendunt, cur dicendum est non comprehendere omnia peccata sive mortalia sint, sive venialia, cum eadem prorsus universalitate de Fidelibus loquatur, ac de peccatis?

119 PROB. II. Lex annuæ Confessionis pueros afficit, qui ad annos discretionis pervenere; Sed pueri pro tali statu regulariter non nisi in venialia labuntur: ergo.

120 PROB. III. Laudatus Canon om- *Venialε verè peccatum est.* nia peccata confiteri præcipit; Atqui delicta, quæ dicuntur venialia, non jam æquivocè, sed verè, & propria peccata sunt: ergo.

121 PROB. IV. Ecclesia præcepto Confessionis illud de Paschali Communione conjungit — Suscipiens ad minus reverenter *Eucharistiæ sumptio magnam exposcit reverentiam.* „ in Paschate Eucharistiæ Sacramentum — Ad hunc porrò finem quam maximè venialium confessio deservit; quod clariùs indicat, dum ait *reverenter*, quod sanè specialem cordis puritatem exprimit; Munditiem enim a mortalibus non dicit absolutè cordis puritatem, sed potius non indignam susceptionem.

122 PROB. V. Sub eodem universali termino præcitatus Canon eodem anno Confessionis, & Communionis præceptum statuit; Sed sub Communionis præcepto & qui lethaliter eo anno, & qui venialiter peccaverunt, comprehenduntur: ergo eodem Confessionis præcepto utrique afficiuntur.

123 PROB. VI. Secundùm regulam juris exceptio firmat regulam in contrarium; Atqui lex Ecclesiastica per bonorum omnium consuetudinem manifestata in præcepto Communionis habet particulam exceptivam, qua Impuberes a Sacra Mensa *A generali regula, qui excipiuntur.* non admittit; cum aliàs pro tanti mysterii reverenti susceptione apti sint; quia tamen non eis necessaria videtur, ideo excipiuntur; Porrò habentes solummodo venialia habent jure divino sufficientem, licet non necessariam materiam; dum ergo expressa non fit exceptio, satis colligi videtur sub tali lege comprehendi.

124 Doctrinam hanc propugnat Sanctus Thomas *in Suppl. q. 6. art. 3. ad 3.* — „ Dicendum, quod ex vi Sacramenti non „ tenetur aliquis venialia confiteri, sed ex „ institutione Ecclesiæ, quando non habet „ alia, quæ confiteatur — Aliam quidem subdit sententiam, sed ex aliorum doctrina — „ Vel potest dici secundùm quosdam, quod „ ex Decretali prædicta non obligantur nisi „ illi, qui habent peccata mortalia, quod „ patet ex hoc quod dicit, quod debet „ omnia peccata confiteri, quod de venia„ libus intelligi non potest, quia nullus „ omnia confiteri potest, & secundùm hoc „ ille, qui non habet mortalia, non tene„ tur ad confessionem venialium, sed suf„ ficit ad præceptum implendum, ut se „ Sacerdoti repræsentet — Utrùs igitur alii oppositum sentiant, Angelicus tamen nostram tradit doctrinam.

§. IV.

SENTENTIA CONTRARIA.

125 OB. I. Præceptum annuæ Confessionis a Tridentino promulgatum est divini præcepti determinatio; Atqui divinum præceptum nequaquam obligat Fideles venialia solummodo habentes: ergo neque Ecclesiasticum.

RESP. Tridentini præceptum de annua Confessione non unicè est determinatio divini mandati, sed quid novi superaddit; *Ecclesia quid addit divino præcepto.* In aperto namque est præceptum illud absolutè vocari Ecclesiasticum, atque inter Ecclesiæ præcepta adnumerari, quæ sanè non sunt simpliciter determinativa eorum, quæ juris divini meritò censentur.

126 OB. II. Tridentinum *Sess. 14. c. 5.* decernit venialia taceri posse sine culpa — „ Venialia quibus a Dei gratia non exclu„ dimur, & in quæ frequentiùs labimur, „ quamquam rectè, & utiliter, citraque om„ nem præsumptionem in Confessione di„ cantur, quod piorum hominum usus de„ monstrat, taceri tamen citra culpam, „ multisque aliis remediis expiari possunt — Atqui Decretum illud posterius est ad præceptum annuæ Confessionis ab Ecclesia promulgatum: ergo Ecclesia non comprehendit habentes solummodo venialia.

RESP. Sub laudati capitis initio clarissimè Tridentinum explicat naturam divini præcepti, in fine tamen ejusdem agit de Ecclesiæ præcepto, nostramque satis con- *Tridentinum explicatur.* firmat doctrinam, dum dicit — Præceptum „ annuæ Confessionis semel saltem in anno „ ab omnibus, & singulis, cum ad an„ nos discretionis pervenissent, implere„ tur — Non omnes autem, & singuli mandatum hujusmodi adimplere tenerentur, si habentes solummodo venialia hæc clavibus subjicere non deberent.

127 OB.

127 OB. III. Momenta, quibus Concilium a divioo præcepto venialia excludit, æquè pro Ecclesiastico urgere pro comperto quisque habere potest: Sive enim in uno, sive in alio casu venialia non excludunt a gratia Dei, in aa freqnenter labimur, multisque aliis modis præter Confessionem expiari possunt: ergo.

RESP. Ex argumento satis colligitur Ecclesiam venialium Confessionem potuisse non præcipere, non autem evincit ipsam de facto non præcepisse. Etenim præter momenta mox præcitata non ne potuit Ecclesia veoialium Confessionem præcipere ad illorum coercendam frequentiam?

Venialium Confessio utilis.

128 OB. IV. Lex Ecclesiastica juxta benigniorem partem interpretanda est; sed obligatio confitendi venialia non est juxta faciliorem intelligentiam: ergo.

RESP. Lex Ecclesiastica in utiliorem partem est interpretanda; Porrò pars utilior ea est, quæ veoialium Confessionem præceptam declarat: Hocque pondus haber, ex qno ioreepretarin proprietatem verborum salvare debet; qood sanè non contingeret, si ab annuali Coofessione venialiter delinquentes excepti dicerentur.

Interpretatio juxta verborum proprietatem.

129 OB. V. Si laudatus Ecclesiæ Canon juxta nostram doctrinam esset intelligendus, omnia venialia essent clavibus subjicienda; nullum etenim excipit; Atqui hoc planè impossibile est: ergo.

RESP. Sufficit aliqua confiteri, quæ memoriæ occurrunt; Hoc autem onerosum adeo non est, ùt quidam autumant. Cum aliàs ultrò hoc onus libenter subeant homines, ut plenarias lucrentur Indulgentias. Et qoidem flendum quam maximè est prudentiores esse filios hujus Seculi, qui, ut temporale lucrum reportent, duriores discussiones, atque labores subeunt, quam ut spiritualem animæ profectum acquirant.

Quæ venialia confitenda.

130 OB. VI. Ad venialium Confessionem requiritur dolor de commissis cum proposito non peccandi; Sed hoc ordioariis gratiæ viribus fieri nequaquam potest, dicente Tridentino *Sess. 6. Can.* 23. -- Si quis „ hominem semel justificatum dixerit amplius peccare non posse, neque gratiam „ amittere . . . . aut e contra posse in tota „ vita peccata omnia etiam veoialia vitare, „ nisi ex speciali Dei privilegio . . . . ana„ thema sit --

RESP. Argumentum vel ab Adversantibus dissolvi debet; etenim venialia sunt sufficiens Confessionis materia. Dicendum itaque veoialia divisivè accepta evitari posse, sicut èt omnia quæ talia sunt ex genere, ùt ajunt, & ex plena deliberatione. Hoc porrò fat est, ut de illis doloe, firmumque propositum dari possit.

Venialia omnia divisivè vitari possunt.

131 OB. VII. Si habens venialia ea confiteri nolit, Confessio nulla esset; Hoc autem dici nequit: Non enim Ecclesia eâ pollet potestate nullam reddendi Confessionem per venialium omissionem; aliàs Sacramentorum materiam mutare posset.

RESP. Qui non vult veoialia confiteri, vel præter ista, quæ omittit, alia habet delicta, & Confessio valida erit, vel solummodo habet venialia, hæcque non confitetur, & tunc non fit Confessio; peccabit tamen Ecclesiasticum non adimplendo præceptum. Nec dicetur Ecclesiam Sacramentorum mutasse materiam, sed occasionaliter per præceptum facit, quod hic, & nunc Sacramenti Pœnitentiæ materia non ponatur.

Confitendo venialia satisfacit præcepto.

132 Hinc habes semel in anno Confessum venialia animo satisfaciendi præcepto non teneri iterum vi præcepti ejusdem confiteri, si in grave crimen labatur. Hoc tamen verificatur in nostra, secus in aliena sententia.

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN PER CONFESSIONEM NULLAM ANNUÆ CONFESSIONIS PRÆCEPTO FIAT SATIS.

133 CUm doctrina morum ab Ecclesia nobis tradita ad dogma pertineat, nostrum est eam ab Adversantium fallaciis propugnare. Proscripsit porrò Ecclesia propositionem 14. in Decreto Alexandri VII. relatam, videlicet -- Qui facit Confessionem „ voluntariè nullam, satisfacit præcepto „ Ecclesiæ -- Aliamque similem contentam in 55. ab Innocentio XI. proscriptam -- Præcepto Communionis annuæ sa„ tisfit per sacrilegam Domini manduca„ tionem -- De hujusmodi propositionibus olim gravissima suborta fuit contentio: Quoniam verò principia, quibus fulciebantur, sæpè repetuntur, ea propter summæ necessitatis, magnæque utilitatis est ea ad examen revocare.

134 Dicendum itaque annuo Confessionis præcepto per confessionem voluntariè nullam nequaquam fieri satis.

PROB. I. Ecclesia illud semel saltem in anno præcipit suscipere Sacramentum, quod Christus indeterminatè suscipiendum mandavit; Atqui divino præcepto nunquam fit satis per confessionem voluntariè nullam: ergo. Argumentum habes ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 5. -- Utrùm cum uni„ versa mortalia peccata etiam cogitationis „ homines iræ filios, & Dei inimicos red„ dant; necessum est omnium etiam veniam „ cum aperta, & verecunda Confessione, „ a Deo quærere -- Si igitur illa præcipitur Confessio, per quam venia a Deo exposcitur, jam planè fit Confessionem hujusmodi non debere esse voluntariè nullam.

Tridentinum determinat divinum præceptum.

CONFIRM. I. Caput *Omnis utriusque sexus*, ùt testatur Tridentinum *Sessione* laudata *Can.* 8. eam præcipit Confessionem, quam Ecclesia servat -- Si quis dixerit Con„ fessionem omnium peccatorum, quam „ Ecclesia servat, esse impossibilem, & „ traditionem humanam a piis abolen„ dam . . . . anathema sit -- Sed Ecclesia non jam Confessionem voluntariè nullam,

sed numeris omnibus absolutam adoptat: ergo.

Confessio debet esse fidelis.

CONFIR. II. Laudatum caput præcipit confiteri peccata *fideliter*; Sed, qui facit Confessionem voluntarie nullam sive ob insufficientis doloris defectum, sive ob occulti criminis voluntariam omissionem, nequaquam fideliter confitetur, sed fictè, & simulatè: ergo.

Internus dolor præceptus.

CONFIR. III. Eadem prorsus ratio est quantum ad Ecclesiæ jurisdictionem de peccatis internis, ac de interno dolore; Atqui Canon Lateranensis Integram omnium peccatorum lethalium, adeoque etiam internorum, Confessionem decernit: ergo integram quoque præcipit quantum ad internum animi dolorem.

Reverenter Sacramenta suscipienda.

CONFIR. IV. Præcitatus Canon sub eodem præcepto Confessionem, ac Communionem mandat; Sed Communionem præcipit *reverenter sumendam*; quæ sanè reverentia erga Deum primariò in corde sita est, nec exterior vera censenda est, si desit interior; vult enim Deus adoratores in spiritu, & veritate. *Jo.* 4. ergo & Confessionem.

Dupliciter actus interior præcipi potest.

135 PROB. II. Destruendo principium, cui oppositus error falsò innitebatur, Ecclesiam videlicet interiores actus præcipere non posse, quod dupliciter intelligi potest directè, & indirectè. Tunc indirectè actus interior præcipitur, quando exterior desideratur actus, qui dari nequit, nisi interior præsupponatur; ut cum præcipitur oratio, quæ absque interiori attentione dari nequit; quod aliter explicatur, & dicitur indirectè præcipi interior actus, cum hic exteriorem constituat, seu efformet: Directè verò præcipitur actus interior, cùm præceptum per se tendit ad actum interiorem, sive actus ille interior cum exteriori conjungatur, sive non: Porrò utroque modo internos actus præcipere potest Ecclesia, quod evincitur.

Ecclesiæ potestas circa actus internos.

I. Ecclesia potestatem habet ferendi præcepta ad regulam doctrinæ sibi ab Apostolis depositæ; Atqui Apostoli præscribunt interiorem obedientiam legitimè præcipienti esse præstandam: ergo hanc potest Ecclesia præcipere. Assumptum habetur 1. Petri 2. *Servi subditi estote in omni timore Dominis*. Ad Ephes. 6. *Servi obedite Dominis carnalibus cum timore, & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo; non ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes voluntatem Dei ex animo cum bona voluntate servientes, sicut Domino, & non hominibus*. Ad Rom. 13 *Necessitate subditi estote, non solùm propter iram, sed etiam propter conscientiam*. Porrò timor, tremor, cordis simplicitas, bona voluntas, conscientia, & hujusmodi ad interiores animi affectus spectant: ergo. Notandum insuper venit præcipi obedientiam, subjectionem hominibus præstandam, sicut Christo, qui hominum corda scrutatur, cùm aliàs homines non nisi exteriora videant.

Actus internus maximè ad finem supernaturalem deservit.

II. Ecclesia directè ea media præcipere potest, quæ per se primò ad proprium finem potestatis a Deo sibi collatæ deserviunt; Atqui potestas Ecclesiæ collata supernaturalem finem respicit, atque ad ipsum interiores actus apprimè conducunt, exteriores verò solùm ratione interiorum utiles censentur: ergo Ecclesia directè interiores actus decernere potest.

Ecclesia errare nequit.

III. Œcumenica Concilia circa ea, quæ ad mores, ad fidem, & ad Sacramenta spectant, errare nequaquam possunt; sed Tridentinum *Sess.* 21. *cap.* 2. declaravit semper in Ecclesia adfuisse potestatem, ut in Sacramentorum dispensatione, salvâ illorum substantiâ, ea statueret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi pro rerum, temporum, & locorum varietate magis expedire judicaret; Porrò actus interior meritò censetur maximè deservire utilitati suscipientium Sacramenta, eorumque venerationi; cum major utilitas a majori dispositione, eâque interiori oriatur, & major veneratio a cordis devotione: ergo.

Fides de Eucharistia ab Ecclesia præcepta.

IV. Tridentinum *Sess.* 13. in Decreto de Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento — „ Omnibus Fidelibus interdicit, ne posthac „ de Sanctissima Eucharistia aliter credere, „ docere, aut prædicare audeat, quam ut „ est hoc præsenti Decreto explicatum, „ atque definitum — Actus verò credendi interior omninodè est, & utvis jure divino sit præsuppositivè præceptus, nihilotamen minus etiam humano præcipitur jure, quod fieri nequaquam posset, si in actus interiores potestate careret: Hinc *cap.* 7. de Eucharistiæ sumptione ait — Eo diligentius „ cavere ille debet, ne absque magna re„ verentia, & sanctitate ad id percipien„ dum accedat — Magna reverentia, & sanctitas ad internam spectant dispositionem.

Actus interni ab Ecclesia proscripti.

V. Malè quis suspicaretur Apostolicam Sedem excedere in suis Decretis; Atqui Apostolica Sedes actus purè internos censurâ notavit. In *Clement.* 1. §. *Verum*. *De Hæreticis*. Inquisitores, qui ex odio, vel intentione turpis lucri omittunt contra justitiæ leges adversus reum in causa fidei procedere, excommunicantur. In *Clement.* 1. *de statu Monachorum*: Monachus sine licentia se conferens ad Curiam animo accusandi Prælatum excommunicationis censurâ innodatur, secus si talem non habeat intentionem. In cap. *Si quis* 8. *distin.* 30. excommunicatur, qui ex contemptu, vel interna superstitione non servat jejunium.

Alexander VII. propositionem, quæ est prima in ordine, damnavit asserentem hominem toto vitæ tempore non teneri ad eliciendos actus Fidei, Spei, & Charitatis, Innocentius XI. quintam, sextam, & septimam, quæ circa actus dilectionis Dei versantur, proscripsit, aliasque similes, sicut & Alexander VIII. plures reprobavit, quæ ad internum conscientiæ forum unicè spectant.

Ecclesiæ obediendum etiā quoad internos actus.

Quod clariùs evincitur ex propositione 65. Molinos a laudato Innocentio XI. diria devotâ videlicet — Præpositis obediendum „ est in exteriore, & latitudo voti obedien„ tiæ Religiosorum tantummodo ad exterius „ pertingit. In interiore verò aliter res se „ habet, quo solus Deus, & director in„ trant

„ trant -- Si ergo ea hac proscripta Thesi jure inferiue Prælarum posse Religinso internns præcipere actus, cur non idem dicandum erit de Ecclesia, a qua omnis potestas in Prælatos darivatur? Et fanè cue nnn poteeit per se ipsam immediatè, quod alii ipsius auctoriiate pussunt?

Ecclesia judicat de occultis.

VI. Quia lex civilis supra occultum crimen directam non babet potestatem, nequaquam ejus manifestaiionem valet præcipere; Atqui Ecclesia inteeioris actus manifestationem queit præcipera, ùt in aperto ast ex 67. propositinne Mulinos -- Dicere, qnod „ intaenum manifestandum est eateriori Tri„ bunali Præpositorum, & quod peccatum „ sit id non facere, est manifesta decapiio; „ quia Ecclesia non judicat de occultis; & „ peupriis animabus præjudicant his de„ cepiionibus, & simnlationibus -- Ergo Ecclesia directum habet dominium supra interiores actus: ergo illos præcipere valet. Eandam doctrinam inferes ea 66. damnata propositione ejusdem Anctoris -- Risn „ digoa est nova quædam doctrina in Ec„ clesia Dei, quod anima qnoad internum „ gubernari debeat ab Episcopo, qnnd si „ Episcopus non sit capax, anima ipsum „ cum suo Directure adeat. Nuvam dico „ doctrinam, qnia nec Sacra Scripiura, nec „ Concilia, nec Cannnes, nec Buliæ, nec „ Sancti, nec Aothores eam nnqnam tra„ diderunt, nec tradere possunt, quia Ec„ clesia non judicat de occultis -- Ubi notandum causalem, cui in utraqne propositinna fidebat Molinos, eam planè esse, quam adoptant Adversaril, Ecclesiam videlicet non judicare de occultis.

Voluntas subditur legi.

VII. Voluntas ea ast, quam primò, & per se lex subjicit; hæc namqna nonfertur nisi pro Creaturis ratinne utentibus; Ea propter voluntati præcepium imponitur: Si ergu Ecclesia internam potentiam sibi subdit, cur actus interiores præcipera non potarit?

Obedientia ab Ecclesia præcipi potest.

VIII. Subditus propter præcaptivam auctoritatem, quæ in Superiore residet, habet debitum obedientiæ; Porrò nbedientia in voluntatis subjectione potissimùm sita est, ea propter D. Th. 2. 2. *q.* 104. *art.* 3. probat nbedientiam morales inter virtutes maaimam esse, quia per eam propria contemnitur voluntas, quæ majus bonum est, quam corporis, fortunæque bona: Hinc Ciemens XI. suo Decreto in causâ Jansenii & declaravit, & præcepit obediendum esse, præstandumqne affectu, interiorique sensu juramentum præcedantium Pontificum Decretis. Renovatis itaque Prædecessorum Constitutionibus subdit -- Ac insupee, ut „ quævis in posterum arroris occasio peni„ tus præcidatne, atqne omnas Catholicæ „ Ecclesiæ filii Ecclesiam ipsam andire, „ non tacendo solùm (nam èt impii in te„ nebris conticescont) sed èt interius ob„ sequendo, quæ vera est Orthodoai bo„ minis obedientia, condiscant; bac no„ stra perpetuò valitura Constitutione, Obe„ dientiæ, quæ præinsertis Apostolicis „ Constitutionibus debetur, obseqnioso ilio „ silentio minimè satisfieri; sed damnatum „ in quinqne præfatis Propositionibus Jan„ seniani libri sensum, quem illatum verba præseferunt, ùt præfertur, ab omni„ bus Christifidelibus ùt hæreticum non „ ore solùm, sed èt corde rejici, ac dam„ nari debere, nec alia meute, animo, „ ac credulitata supradictæ formulæ sub„ scribi licitè posse, ita ut qui secus &c. -- Ea his pro comperto qoisque habare potest Ecclesiam internam obedientiam jure præcipere posse; adeoque actus purè internos; Unde cum Chrysostomo *bom.* 18. *in Matth.* concludendum venit -- Voluntas ea est, quæ „ aut remuneratur, aut punitur pro malis: „ Opera autem testimonium sunt volunta„ tis -- Adeoque voluntas est, quæ per legem ordinatur.

§. I I.

OPPOSITA ADVERSANTIUM MOMENTA DISSOLVUNTUR.

136 OB. I. In cap. *Quod quidem de Pœnit., & remiss.* Alcaandar III. eorum Confessionem recipiendam diait, qui a peccatis se abstinere non possa asserunt: ergo sanxit Pontifex ad adimpiendum præceptum sufficare Confessionem voluntariè nullam.

Invalida confessio, cur excipienda.

RESP. Perperam adducitur Pontificis auctoritas; ex responsione siquidem ajusdem in aperto ast excipiendam hujusmodi Confessionem non quidem ùt præcepti adimpletivam, sed ut illi, qui a peccatis se abstinare non posse dictitant, consiliis, aliisque remadiis adjuventur, ut a peccatorum cœno resurgant. En Pontificis responsum -- Eo„ rum Confessiones excipere debes, & eis „ de criminibus consilium adhibere, quia „ licet non sit vera hujusmodi pœnitentia, „ admittenda est tamen eorum Confessio, „ & crebris, ac salutaribus monitis pœni„ tentia indicenda -- Si igitur pœnitentia indicenda: ergo peracta non est: ergo præcepto non factum fuit satis.

137 OB. II. Apostolus 1. ad Cor. 4. ait: *Nolite ante tempus judicare, quoadusque veniat Dominus*: ergo Ecclesia nequit de internis, quæ soli Deo patent, judicare.

Mala judicia reprobanda.

RESP. Apostolus eo loci de judiciis, ùt ajunt, temerariis sermonem babet; privatusque erudit homines, qui aliorum gesta malè audiunt, quod ast a Fidelibus amandandum.

138 OB. III. In cap. *Tua nos de Simonia* habetur -- Nobis datum est de manife„ stis tantummodo judicare -- Et 32. *q.* 5. -- „ Non habeot latentia peccata vindictam -- Atqui Confessio nulla non manifestatur, & defectus latens est: ergo.

Diversum est judicare, & præcipere.

RESP. Primus textus dicit *judicare* non autem præcipere, aut prohibere: Nequit sanè Ecclesia pravam voluntatem immediatè punire, nisi propalam fiat; potest tamen prohibere, & huc intendit Chrysostomus supra laudatus -- Opera autem sunt te„ stimonia -- Quodque advertit Giola in cap. *Si quis pulsatus de Pœnit. distinct.* 1. --

„ Actus exigitur, ut voluntas puniatur, „ aliter qualiter probaretur de voluntate? —

Textus autem est de virorum adulterio Judicibus non denunciato. Porrò si ex hoc probaretur intentum, sequeretur Ecclesiam neque prohibere posse actum externum occultum, quod neque Adversarii admittunt. Ea propter ad utrumque textum dicendum est, ibi agi de vi punitiva exercenda independenter ab allegatis, & probatis.

139 OB. IV. Innocentius XII. in suo Brevi sub die 24. Novembris 1697. super formularium Jansenianum affirmat fieri satis, si exterius formularium illud juretur, etsi interius aliter sentiat jurans tenendo sensum obvium confictum, & non attendendo ad obvium formularii sensum adjiciens — Ecclesiam non judicat de occultis, „ quæ soli Deo cordium scrutatori innotescunt: ergo.

RESP. Mens Pontificis perperam fuit a Jansenianis intellecta, ùt declaravit Clemens XI. supralaudatus. Nec aliter sanè esse potest, cum Innocentius XI. damnaverit 66., & 67. propositiones Molinos, quibus contendebat non adesse in Ecclesia potestatem, quæ pœnitentes cogere posset ad rationem reddendam de interiori spiritus profectu Prælatis, quia ajebar — Ecclesia „ non judicat de occultis — quæ ùt eversivæ Ecclesiasticæ Hierarchiæ proscriptæ fuerunt, ùt in VI. Probatione superius notavimus.

Propositiones Molinos.

140 OB. V. Non datur potestas a Deo inutilis; Atqui præceptum de actu interno inutile esset; Etenim ejus transgressio nec cognosci, nec puniri potest: ergo.

RESP. Utiliter satis præceptum de internis actibus datur, sicut de iisdem habetur consilium. Et quamvis pravi homines solo temporalis pœnæ timore excitentur, probi tamen seu æternæ pœnæ, seu divinæ offensæ timore, immo honestate obedientiæ, atque virtutis merito moventur: non ergo inutilis censenda est lex de internis actibus, sicut non est de exterioribus, quamvis Legislatoribus innumeræ lateant transgressiones. Utque rem altiùs perpendamus; principium, cui maximè fidunt Adversantes, videlicet ad legem necessariam esse coactionem, cum possibilitate cognitionis violationis ejusdem legis, falsum est: Apertè siquidem Ecclesia internos actus per accidens cum exterioribus connexos prohibet, quorum violationem nullimodè cognoscere potest, & tamen excommunicationis censurâ illos punit; ùt videre est in hæresi occulta: Si quis enim internè sentiens Personas in Trinitate inæquales, atque ad hoc significandum tria inæqualia, puta tria simulacra, media nocte, nullumque proferens verbum supra mensam disponat, incidit in Excommunicationem latam in Bulla Cœnæ contra Hæreticos, & tamen hic nihil exterius apparet, quod hæresim sapiat, quodve cum hæresi per se conjungatur: ergo ad punitionem criminis haud necessaria est cognitio violationis legis.

Præceptum de internis utile.

Actus internus per accidens cum externo connexus punitur.

Pro quo notandum venit duplicem dari potestatem legislativam, directivam nempe, & coactivam. Directiva ea est, quæ præcipit constituendo actibus medium rationis, & æquitatis, obstringendo conscientiam, ejusque violatio ipsiusmet conscientiæ judicio relinquitur. Hac lege purè directiva suis legibus obligatur Princeps, eademque lege Prælatus Regularis internos præcipit actus; Coactiva verò illa est, quæ præcipit, prohibetve actus comminando pœnam; estque duplex, interna videlicet, & externa. Interna præscribit pœnam ante Judicis sententiam incurrendam, externa, quæ delinquentem mulctat post judicialem causæ cognitionem. Ad solam igitur legem coactivam externam requiritur cognitio, judicandique potestas, non autem ad legem coactivam internam. Ecclesia legislativam potestatem in actus internos habet, & simpliciter directivam, & coactivam internam. Nec inutilis censenda est, cum obliget in conscientia, & coram Deo, estque efficax, cum per censuras ipso facto incurrendas delinquentes puniat. Vide in Resp. ad VII. Objectionem.

Legislativa potestas duplex, directiva, & coactiva.

141 OB. VI. Magis ab Ecclesiæ jurisdictione distant actus interni, quam qui per accidens, & per modum finis, & dispositionis sunt cum exterioribus connexi; Atqui hos nequit Ecclesia præcipere; quia finis præcepti non cadit sub præcepto, nec modus præcepti, cum Ecclesia solummodo substantiam actus præcipiat: ergo multò minus actus purè internos præcipere poterit.

RESP. Objectio hujusmodi celebris apud Adversarios est contra manifestam Ecclesiæ doctrinam. Per se connectuntur, quorum unum absque alio esse nequit, per accidens verò, quorum unum absque alio subsistit; Sed Ecclesia dubio-procul prohibet, præcipitque actus mixtos, quorum actus exterior, salvâ illorum substantiâ, poni potest absque interiori: ergo internos actus per accidens connexos præcipit: Hinc in Constantiensi *Sess.* 45. præcipitur Inquisitoribus, ut suspectos de fide interrogent, an preces fundant pro Joanne Hus, pro Joanne Wicleph, & pro Hieronymo de Praga. Porrò preces, salvâ totâ exteriori substantiâ, fundi possunt absque intentione eas applicandi pro illis tribus Hæreticis, & Clemens XI. in sua Bulla adversus Jansenianos sub anathemate mandat, ut subscribentes Formularium Alexandri VII. subscribant credentes interius eam esse Jansenii doctrinam, atque in Jansenii libris contineri, & tamen tota exterior subscriptio poni potest absque interiori credulitate, sicut apud nonnullos antea in usu erat subscribendi, ùt ex eadem Bulla apparet; quod tamen in exteriori Ecclesiæ judicio perinde erat, ac si ea sincero animo subscripsissent.

Ex his duo clarè colliguntur. Primum Ecclesiam plenam, absolutamque super interiores actus habere potestatem, & non nisi ex vi jurisdictionis in exteriores; cum interiores præcipiat actus, qui connaturaliter ab exterioribus non exiguntur; quod sanè Ecclesiæ optimè congruit; hæc etenim, ùt Clemens loco supralaudato insinuat, intendit, ut actus ab ipsa præcepti sint veræ

Ecclesiæ maximè convenit internos actus præcipere.

& Chri-

& Christianæ virtutis: Porrò vera, & Christiana virtus absque interiori actu nequaquam haberi potest, eaque propter interiorem actum exteriori, qui secundum se non est vera virtus, applicat, non autem exteriorem interiori, qui veram virtutis rationem absque illo sortitur, proindeq. interior actus per se primò est inspectus.

Aliud, quod colligitur, est non esse adæquatam eam rationem, quam adversa opinio propugnat, scilicet Ecclesiam dirigere judicando tantùm, atque puniendo internos actus propter connexionem cum exterioribus: Planè etenim fit in allatis exemplis nullam intervenire connexionem, & aliàs connexio ineptum equidem medium est ad interiorem actum judicandum, puniendumve: Potest namque quilibet probare se legi fecisse satis, quin Ecclesiasticus Judex interioris actus omissionem probare possit. Si Fidelis cum externa humilitate, atque extrinseca devotione ad Eucharistiam accedat sciens, & volens in mortali perseverare crimine, quonam pacto hoc judicabit Ecclesia? Ex connexione itaque nequit Ecclesia in criminis devenire cognitionem, adeoque connexio non est conditio, ut Ecclesia ad interioris actus judicium deveniat, sed ipsa absolutam circa illos habet potestatem.

Finis, & modus præcepti quando sub præcepto cadunt.

Cum verò dicitur nec finem præcepti, nec modum cadere sub præcepto, notandum finem, modumque duplicem esse, remotum, seu extrinsecum, proximum, seu intrinsecum, primus non cadit sub præcepto, alter verò sub præcepto comprehenditur, idemque dicas de modo: Ubi Ecclesia jejunium præcipit ad avertenda flagella, utique ille finis cadit sub præcepto. Aliud autem axioma, videlicet humanam legem solummodo actus substantiam præscribere valet utique in præceptis præcisè ad politiam, externamque disciplinam pertinentibus, secus in legibus mores, virtutes, Christianamque perfectionem dirigentibus; & quamvis Ecclesia modum sub præcepto non ponat, illum tamen præscribit per generalem regulam, qua vult, ut actus directivi ab ipsa præcepti sint actus veræ, & Christianæ virtutis.

142 OB. VII. D. Th. 2. 2. *quæst.* 91. *art.* 4. clarè docet humanam legem vim non habere in actus, qui interiùs consummantur — De his potest homo legem ferre, „ de quibus potest judicare: Judicium au„ tem hominis esse non potest de inte„ rioribus motibus, qui latent, sed solùm de „ exterioribus actibus, qui apparent: Et ta„ men ad perfectionem virtutis requiritur, „ quod in utrisque actibus homo rectus „ existat: Et ideo lex humana non potuit „ cohibere, & ordinare sufficienter inte„ riores actus, sed necessarium fuit, quod „ ad hoc superveniret lex divina —

Lex humana ad omnia non se extendit.

RESP. D. Thomas eo loci loquitur de lege secundum vim coactivam, de qua supra in Resp. ad V. Object., non verò secundùm vim directivam, eaque propter dicit dictam legem *cohibere, & ordinare sufficienter*, quod ad vim coactivam pertinet, & in quarta ratione ait — Lex humana non „ potest omnia, quæ malè fiunt punire, „ vel prohibere — Divina lex est necessaria pro vi coactiva omnium criminum, necessaria quoque, ut homo per peccatum excæcatus interioris actus rectitudinem cognoscat, quibusque momentis sit exercendus, cognita autem rectitudine, Ecclesia illam potest in ordine ad æternam salutem præcipere.

143 DICES. S. Thomas nullam dari legem asserit sine vi coactiva 1. 2. *q.* 90. *art.* 3. *ad* 2. — Persona privata non potest „ inducere efficaciter ad virtutem; potest „ enim solùm movere; sed si sua motio non „ recipiatur, non habet vim coactivam, „ quam debet habere lex ad hoc, quod ef„ ficaciter conducat ad virtutem — Et *q.* 56. *art.* 5. — Lex de sua ratione duo ha„ bet, primò quidem, quod est regula „ humanorum actuum, secundò quod ha„ bet vim coactivam —

Datur lex purè directiva.

RESP. Angelicus Doctor non unit inseparabiliter cuicumque legi vim coactivam, sed illi tantummodo, quæ in utroque foro perfectiva est. Hinc *art.* 6 *q.* 96. docet Principem sua lege vi directiva, non verò coactiva esse ligatum. Et sanè constitutivum legis est humanorum actuum esse regulam; vis coactiva ad executionem spectat propter pertinaces, qui non jam amore, sed timore ducuntur, proinde absque vi coactiva in proprio ordine vera legis ratio adinvenitur, ut in lege naturali satis apparet. Datur itaque lex purè directiva, sicut & lex directiva insimul, & coactiva, quæ mixta nuncupatur; sicut datur lex purè pœnalis, & mixta, quæ ad pœnam, & ad culpam adstringit; datur quoque lex directè præceptiva internorum actuum, & præceptiva solummodo externorum, & mixta, & sic salvatur proportio inter materiam præcepti, modumque obligandi.

Dixi in proprio ordine, quia lex purè directiva connotat aliam legem infligentem pœnam in alio ordine, videlicet legem divinam; ex propter Princeps solvens suam legem a Deo punitur; hoc porrò sat est ad salvandam efficaciam executivam legis, & ad salvandam exigentiam vis coactivæ in eadem lege.

Potestas alia discretionis, alia discussionis.

Potestas judicativa Ecclesiæ ad similitudinem divinæ alia est discussionis, discretionis alia; discussiva ab Ecclesia exerceri nequit, nisi circa exteriores actus, qui per testes probari possunt; discretiva circa interiores actus exerceri potest, quatenus ad regulam divinæ potestatis ea præcipiuntur, quæ rectitudinem in actibus præstare valent. Ad veram legis rationem haud necesse est judicium discussionis, sed sufficit discretionis; Nam primum tunc est necesse, quando agitur de pœna infligenda per sententiam, & pro foro, in quo infligitur, ea de hoc agit D. Thomas.

Pœna dupliciter infligi potest.

Præterea pœna duplici modo infligi potest, per legem videlicet, & per sententiam. Per legem infligitur, quando lex statuit excommunicationem, v. g. qui hoc fecerit, sit ipso facto excommunicatus; per sententiam, quando in judicio, discussâ causâ, de crimine sententia fertur. Ad pœ-

nam

Effectus quando simul cum causa.

RESP. Quando effectus a causa dependet tam in genere dispositivo, quam effectivo, haudquaquam evenire potest unum sine alio existere; secus contingeret, ubi dependentia solummodo esset in genere causæ effectivæ: In Pœnitentiæ Sacramento effectus in utroque genere dependet; quia partes per modum materiæ componentes sunt proximæ dispositiones.

152 OB. III. Ad Sacramenti valorem sufficit dolor Confessioni formaliter integræ proportionatus; sed dolor ille haud sufficiens ad Sacramenti effectum censetur: Siquidem non est de omnibus peccatis dolor, sicut non est integra de omnibus peccatis Confessio: ergo.

Unde formalis integritas.

RESP. Formalis integritas in Confessione ea censetur, quæ post diligentem cordis discussionem crimina exponit, quæ memoriæ suppetunt, & dolor de illis etiam ad occulta se extendit; ex propter Tridentinum *Sess.* 14. *cap. V.* declarat — Reliqua „ peccata, quæ diligenter cogitanti non „ occurrunt, in universum eâdem Confes„ sione inclusa esse intelliguntur — ergo dolor in tali casu est universalis.

153 OB. IV. Substantia Sacramenti sita est in esse signi sanctificantis gratiæ; Sed dari potest Pœnitentiam, seu Confessionem constitui in esse signi absque eo, quod gratia producetur, sicut in aliis Sacramentis evenire pro comperto est: ergo.

In Confessione partes disponunt, & gratiam efficiunt.

RESP. Sacramentum novæ legis est signum essentialiter effectivum; unde partes constitutivæ debent totum integrare ut productivum effectus sibi correspondentis; Quoniam verò in Confessione partes productivæ insimul dispositiones sunt, ideo effectus suspendi nequit.

154 OB. V. Supernaturalis dolor invincibiliter universalis, & efficax reputatus ad gratiæ productionem nequaquam sufficiens est, nihilotamenminus ad valorem jure meritò aptus censeri debet; quia Pœnitens Sacerdoti, eo quo potest meliori modo, sese præsentat, clavibusque sua subjicit crimina; & aliàs in Sacramento dolor non quidem in recto, sed in obliquo se habet.

Materia in Sacramentis vera esse debet.

RESP. Dolor reputatus sive universalis, sive efficax non est sufficiens Sacramenti materia, ea pari ratione qua panis ex milio compactus etsi triticeus crederetur, pro sufficienti Eucharistiæ materia haud deservire potest; Materia namque Sacramenti ea planè est, quam Christus instituit, non quam nos fingimus, aut credimus.

155 OB. VI. E re divina est sacramentale judicium accommodatè ad humanam infirmitatem instituere; Sed quandoque contingere potest, ut quis inefficaciter de peccatis doleat, putans bona fide efficaciter dolere: ergo tunc validum erit Sacramentum, non quidem formatum, quia sufficiens deest dispositio.

Bona fides a peccato excusat.

RESP. Bona fides a novo subeundo crimine excusat, sed Sacramenti essentiam non facit, sicut bona fides a peccato eximit utentem in Baptismate aquâ rosaceâ, attamen nemo unus affirmabit validum esse Baptisma sic collatum: Eodem igitur ducti momento dicemus excusatum a peccato accedentem ad Sacramentale judicium cum inefficaci dolore, sed insuper affirmare meritò possumus nullum efficere Sacramentum.

156 OB. VII. Qui in conscientiæ discussione vincibiliter deficit, & de peccatis, quorum meminit, dolet, essentiam ponit Sacramenti Pœnitentiæ; sed in hoc casu Sacramentum non erit formatum, ut liquet: ergo.

Deficiens vincibiliter peccat.

RESP. Qui prædicto modo deficit sacrilegus est; cum in necessaria dispositione graviter peccet; similiter nulla est illius Confessio, qui Trinitatis fidem non haberet, etsi bona fide ad Sacramentum accederet: Non ergo datur Sacramentum Pœnitentiæ validum, & informe, adeoque cessat Controversiæ suppositio. Qui partem aliam propugnant, per talem confessionem annuo Confessionis præcepto satisfieri dicunt; Utvis enim adæquatus præcepti finis non habeatur, habetur tamen substantia, & in proprietate verborum non adhærent damnatæ propositioni, quæ clarè versatur circa Confessionem nullam. Immo quidam contendunt prædictam Confessionem amoto obice reviviscere; sed alii veriùs negant; cum nihil sit assignare, in quo remaneat, secus est de Baptismo, quo Character imprimitur, & in quo ipsa remanet.

CONTROVERSIA VII.

§. I.

AN PER CONFESSIONEM FACTAM REGULARI APPROBATO ANNUO PRÆCEPTO FIAT SATIS.

157 PArochorum Ordinem nonnulli jure divino institutum dicunt; Hanc sententiam acriter adeo propugnant Parisienses Theologi, ut anno 1408. F. Joannem de Gorellio coegerint suam retractare opinionem asserentem — Curatos non esse de institutione „ Christi, & Ecclesiæ primariâ, sed per „ Dionysium Papam fuisse ordinatos — atq. in sequentem modum mentem suam declarare — Dico nunc ex ordinatione ejusdem „ Facultatis Matris meæ, & ultronea vo„ luntate, veritates quæ sequuntur; Pri„ ma: Domini Curati sunt in Ecclesia mi„ nores Prælati, & Hierarchæ ex institu„ tione Christi — Iterum eandem sententiam anno 1664. ab eadem Facultate reprobatam legimus — Hæ sex Propositiones; „ quatenus asserunt, vel inferunt Potesta„ tem jurisdictionis Curatorum non esse „ immediatè a Christo quantùm ad insti„ tutionem primariam, falsæ sunt, & De„ cretis Sacræ Facultatis contrariæ: Salva „ semper immediatâ Episcoporum in Præ„ latos minores, seu Curatos, & plebem „ subditam auctoritate — Et sanè Gersonius *lib. de Statibus Ecclesiasticis*, ubi de Parochorum

Parochi num ex jure divino?

rum statu *Consideratione I.*, huic adhæret sententiæ -- Status Curatorum succedit statui septuaginta Discipulorum Christi: ac proinde status Curatorum est de institutione Christi, & Apostolorum a principio fundationis Ecclesiæ, quæ institutio per declarationes Summorum Pontificum, & Synodorum tam generalium, quam specialium magis, ac magis innotuit -- Immo Card. Baronius apud Barbosam *De Officio, & Potestate Parochi Part. 1. cap. 1. num. 18.* Parochiarum divisionem ab ipsismet Apostolis factam existimavit; ea propter hujus opinionis Patroni asserunt Dionysium Papam Ecclesias, Cœmeteria, Parochiasque olim divisas, sed in persecutione Valeriani, Pastoribus martyrio coronatis, viduatas, aliis Pastoribus consignasse.

Dionysio Parochias institutas quidam volunt.

Alii verò a laudato Dionysio Papa Curatos, seu Parochos institutos affirmant; legitur namque in lib. de Romanis Pontificibus -- Hic Presbyteris divisit Ecclesias, Cœmeteria, Parochiasque, & Diœceses constituit -- Unde eorundem originem a Seculo III. repetunt; sedit namque præcitatus Pontifex anno 258., aut 261.

Utut tamen res se habeat, illud pro comperto est Epiphanii ætate, qui anno 403. obiit, Alexandriæ plures extitisse Parochias; ait enim *hær. 68., & 69.* -- Etenim quotquot Alexandriæ Catholicæ communionis Ecclesiæ sunt, uni Archiepiscopo subjectæ, suus cuique Præpositus est Presbyter, qui Ecclesiastica munera iis administret -- Non solùm autem in Civitate, sed in majoribus Pagis Alexandrino Episcopo subjectis Curati particulares Ecclesias regebant, ùt testatur S. Athanasius *Apol. 2.* -- Mareotes ager est Alexandriæ, quo in loco Episcopus nunquam fuit, immo nec Chorepiscopus quidem; sed universæ ejus loci Ecclesiæ Episcopo Alexandrino subjacent, ita tamen ut singuli Pagi suos Presbyteros habeant. Sunt autem Pagi isti maximi decem numero, aut aliquanto plures. Pagus autem, in quo Ischyras habitat, minimus est, & paucissimorum hominum, adeout non ibi, sed in proximo Pago Ecclesia constituta sit -- Romæ tamen in sola Urbe, non in agris erectas fuisse Ecclesias Parochis commendatas habemus ex Innocentio I., qui anno 402. Pontifex inauguratus est: Scribens enim ad Decentium Eugubinum Episcopum ait -- De fermento, quod die Dominica per titulos mittimus, superfluè nos consulere voluisti, cum omnes Ecclesiæ nostræ intra Civitatem sint constitutæ, quorum Presbyteri, quia die ipsa, propter plebem sibi creditam, nobiscum convenire non possunt, idcirco fermentum a nobis confectum per Acolytos accipiunt, ut se a nostra communione, maximè illa die, non judicent separatos. Quod per Parochias fieri debere non puto, quia nec longè portanda sunt Sacramenta, nec nos per Cœmeteria diversa constitutis Presbyteris destinamus, & Presbyteri eorum conficiendorum jus habeant, atque licentiam -- In aliis itaque Diœcesibus, Romanâ exceptâ, extra Urbem constitutæ

Seculo III. Parochiarum divisio jam facta.

erant Parochiæ. Hæ porrò Seculo VI. ex Decreto Concilii Aurelianensi IV. institui non poterant, nisi proventus ad congruam sustentationem sive Parochi, sive etiam Clericorum inservientium essent deputati; sic statuitur *Can. 33.* -- Primùm terras ei deputet (illos alloquitur, qui Parochiam in agro suo erigendam exposcebat) sufficienter, & Clericos, qui ibidem sua officia impleant, ut sacratis locis reverentia condigna tribuatur -- Plurimæ tamen erant Parochiæ, quarum Rectores ex Fidelium eleemosynis sustentabantur, quod ut absque tumultu eveniret, certi assignati sunt limites, quos nemo ex deputatis Presbyteris transcendere jure poterat. Quoniam verò nonnulli lucri cupidi alienas ad se pertrahere oves studebant (Fideles namque decimas illi Sacerdoti, cui peccata confitebantur, offerre solebant) hi primùm coerciti sunt per Theodulphum Aurelianensem Episcopum Decreto anno 797. edito, quod legitur in suo Capitulari *cap. 15.* -- Nullus Presbyter Fidelibus S. Dei Ecclesiæ de alterius Presbyteri Parochiâ persuadeat, ut ad suam Ecclesiam concurrant relictâ propriâ Ecclesiâ, & suas decimas sibi dent; sed unusquisque suâ Ecclesiâ, & Populo contentus, quod sibi non vult fieri, alteri nequaquam faciat . . . Quisquis autem contra hæc constituta venerit, aut his monitis nostris reniti tentaverit, aut gradum se sciat amissurum, aut in carcere longo tempore retinendum -- Idem firmatum legimus in Capitularibus Regum Francorum *lib. 7. cap. 43., & 68.*, nec non Parte II. Decreti *Dist. 6. de Pœnit. causa 33. quæst. 3. cap. Placuit*, ubi legitur -- Ut deinceps nulli Sacerdotum liceat quemlibet commissum alteri Sacerdoti ad Pœnitentiam suscipere sine ejus consensu, cui prius se commisit, nisi pro ignorantia illius, cui Pœnitens prius confessus est. Qui verò contra hæc statuta facere tentaverit, gradus sui periculo subjacebit -- Hoc Decretum innovatum fuit a Lateranensi Concilio IV. *Can. 21.* -- Omnis utriusque sexus Fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata confiteatur fideliter, saltem semel in anno, proprio Sacerdoti . . . . Si quis autem alieno Sacerdoti voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille ipse non possit solvere, vel ligare --

Fideles proprio Sacerdoti confiteri debebant.

Circa hujus Canonis intelligentiam gravis inter Doctores suborta est Controversia, quæ ad nostra usque tempora viget. Contendunt aliqui cum Launojo in libro, cui titulus. *Explicata Ecclesiæ Traditiâ circa Canonem. OMNIS UTRIUSQUE SEXUS*, proprii Sacerdotis nomine non nisi Parochum esse intelligendum, huic subscribit Juenius *Parte II. de Sacramentis Quæst. V. cap. IV. art. III. §. I., & II.*, ea propter jure inserendum esset nullatenus facere satis annuo Confessionis præcepto, qui Regulari approbato peccata sua confiteatur; quidquid de Regularibus asseritur, dictum volumus de quibuscumque Sacerdotibus ad Confessiones depu-

deputetis, eliis e Parocha.

158 Dicendum tamen certò certiùs per Confessionem factam Regulari approbato fieri satis præcepto annuæ Confessionis, adeoq. laudatum Canonem *OMMNIS UTRIUSQUE SEXUS* non solùm Parochos, sed alios quoscomque approbatus Sacerdotes comprehendere.

PROB. I. Juxte præcitatum Canonem Lateranensis Synodi annuæ Confessionis præcepto satisfacit, qui vel proprio Sacerdoti, vel alteri de ipsius licentia peccata sua confitetur; sed qui approbato Regulari confitetur, Confessionem peragit habenti licentiam e proprio Sacerdote; nomine quippe proprii Sacerdotis venit Parochus, Episcopus, Romanus Pontifex; Equidem perperam quis diceret cum Launojo per Lateranense Decretum excludi Episcopum, atque Summum Antistitem; nec quis cordatè asseveret peritià, obtentàque venià ab Episcopo, aut Pontifice, & non a Parocho, immo ipso positivè refragante non satisfacere Fidelem alteri confitendo. Et ratio in aperto est, quod enim inferiori convenit, Superiori convenire prudenter non ambigitur, ùt egregiè adnotavit Innocentius I. in præallegata Epistola ad Decentium *cap.* 8., qui in simili dubitabat, num scilicet Episcopus Sacram Unctionem Infirmis ministrare posset, cum Jacobus cap. 5. dicat, *Inducat Presbyteros* —

Proprii Sacerdotis nomine quis intelligatur.

A

„ Cæterum (*sic loquitur Pontifex*) illud superfluum videmus adjectum, ut de Episcopo ambigatur, quod Presbyteris licere non dubium est. Nam ideircò de Presbyteris dictum est, quia Episcopi occupationibus aliis impediti, ad omnes languidos ire non possunt. Cæterum si Episcopus aut potest, aut dignum ducit aliquem a se visitandum & benedicere, & tangere Chrismate, sine cunctatione potest, cujus est ipsum Chrisma conficere — igitur sive Regulares, sive alius quilibet Sacerdos ab Episcopo, aut Pontifice approbatus Fidelium Confessionem licitè excipere possunt, ut per eam Lateranensi præcepto fiat satis.

Superiori convenit, quidquid inferiori competit.

B

II. In Canone Concilii nomen proprii Sacerdotis assumitur, prout alieno opponitur — Si quis autem alieno Sacerdoti „ voluerit justa de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet, & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ille „ ipse non possit solvere, vel ligare — Atqui Episcopus nequaquam alienus, sed proprius Sacerdos dici debet, eaque propter cuicumque Sacerdoti licentiam Confessiones excipiendi concedere potest; quod utique per generalem approbationem evenire meritò dicendum est. Et sanè sapienter ne credendum est Episcopos a se abdicare jus illud voluisse, quo antea fruebantur, inconsultis videlicet Parochis, audiendi subditorum Confessiones, aliisque Presbyteris facultatem impertiendi?

C

III. Is, a quo licentia postulanda, atque obtinenda est, debet posse facultatem concedere alieno Sacerdoti ligandi, atque solvendi, ùt ex relato Canone videre est; Porrò non jam Parochus, sed Episcopus is est, qui hujusmodi facultatem quit concedere; A jure enim nequit animarum Curator Confessarios approbare, nisi ex dependentia, suique Episcopi concessione; proinde evincitur proprii Sacerdotis nomine Episcopum potissimè intelligi.

Quinam Sacerdos alteri facultatem pro Confessionibus potest concedere.

D

IV. Lateranensis citata Synodus *Can.* 10. præscribit — Tam in Cathedralibus, quam „ in aliis Conventualibus Ecclesiis viros „ idoneos ordinari, quos Episcopi possint „ coadjutores, & cooperatores habere, non „ solùm in Prædicationis officio, verùm „ etiam in audiendis Confessionibus, & pœnitentiis injungendis, ac cæteris, quæ „ ad salutem pertinent animarum — Qui verò potest, & debet in Cathedralibus, & Conventualibus Ecclesiis Coadjutores ad Confessiones audiendas constituere superiorem jurisdictionem supra Parochos sortitur, atque propter Sacerdotes ab ipso approbati, ùt sunt Regulares, annualem Confessionem jure meritò excipere possunt.

Episcopus Superior ad Parochum.

E

V. Concilium proprii Sacerdotis nomen intelligit ampliativè, prout videlicet Ministrum quemlibet, qui verè ordinarius sit Pastor, comprehendit; Atqui hujusmodi est Episcopus, cap. *Cum Episcopus* de Officio Ordinarii, ubi legitur — Cum Episcopus „ in tota sua Diœcesi jurisdictionem ordinariam noscatur habere &c. — Hinc Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 1. *De Reform.* cum præceperit matrimoniales denunciationes faciendas esse *a proprio contrahentium Parocho* agens inde de clandestini Matrimonii nullitate ait — Qui aliter quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, „ seu Ordinarii licentia — Apertè declarans Parochi nomine non excludi, verùm eminenter includi Episcopum, velut eum, cui primò, specialiterque incumbit suæ Diœcesis oves pascere, atque dirigere, ùt legitur in Synodo Diœcesana Pictaviensi *cap.* 4. — „ Cum cura, & solicitudo totius Diœcesis „ nobis incumbere dignoscatur —

Episcopus Pastor ordinarius.

159 PROB. II. Romani Pontifices sive in Generalibus Conciliis, sive specialibus Diplomatibus perpetui sunt in adstruendo posse Regulares approbatos quovis tempore Fidelium Confessiones excipere, atque per eas fieri satis Lateranensi præcepto. Bonifacius VIII. FF. Prædicatoribus, Minoribusque deputatis per Prælatos ad audiendas Confessiones eandem facultatem concedit, quæ Parochis a jure competit — „ Per hujusmodi autem concessionem nequaquam intendimus personis, seu Fratribus ipsis ad id taliter deputatis potestatem „ in hoc impendere ampliorem, quam in „ eo Curatis, vel Parochialibus Sacerdotibus est a jure concessa, nisi forsan eis „ Ecclesiarum Prælati uberiorem in hac „ parte gratiam ducerent faciendam — Sic habetur in Decretali *super Cathedram*, quæ legitur *lib* 3. Extravagant. communium tit. *De Sepulturis*; Sed qui Parocho confitetur, satisfacit annuali præcepto: ergo si eandem habent Regulares potestatem, ac Parochi, satisfaciet pariter, qui iisdem confitetur.

Pontifices Regularibus favent.

Benedictus XI. Decessoris sui Constitutionem non modo confirmavit, sed extendit concedendo prælaudatis Religiosis a suis Superioribus ad audiendas Confessiones deputatis —

putatis -- Libere auctoritate Apostolica „ absque licentia Diœcesanorum, & aliorum Prælatorum inferiorum exemptorum, „ quibus subsunt, qui ad confitendum accedunt, audiant, eis peccata sua confiteri volentes, ipsisque pœnitentias salutares injungant --

Benedicto successit Clemens V., qui in Generali Viennensi Concilio atvis Constitutionem Prædecessoris quoad extensionem, excipiendi videlicet Confessiones sine Ordinariorum approbatione revocaverit, illam tamen juxta sensum Constitutionis Bonifacii, Sacro annuente Concilio, innovavit, ut in Clementina *Dudum* tit. *De Sepulturis* pro comperto est -- Statuimus etiam ... „ ut de eorum licentia, & beneplacito in „ Civitatibus, & Diœcesibus coram hujusmodi Personæ sic electæ Confessiones confiteri sibi volentium audiant, imponant „ pœnitentias salutares, & beneficium absolutionis impendant, prout superiùs est „ expressum --

160 Validissimo huic argumento duo reponit Jueninus, ubi supra. Primò præcitata Decreta pro se nata non deservire; loquuntur enim non jam de annuali Confessione, de qua est sermo, sed de cæteris; nullam siquidem mentionem faciunt capitis *Omnis utriusque sexus*, & aliàs per clausulas generales juri communi nequaquam derogatur; id namque exprimi debet; immo Martinus IV in sua Constitutione *Ad fructus uberes* fatetur datis a se privilegiis Mendicantibus nihil derogari Canoni Lateranensis Concilii -- Volumus autem, quod ii, „ qui fratribus confitebuntur, suis Presbyteris Parochialibus confiteri semel saltem „ in anno, prout Concilium generale statuit, teneantur -- Idem legitur in Constitutione Sixti IV., quæ incipit *Vices illius* -- „ De jure tenetur Parochianos saltem in „ Paschate proprio confiteri Sacerdoti --

Secundò ait recitatus Juenius -- Dato, „ & non concesso, quod nonnulli Pontifices in Mendicantium gratiam circa Canonem *Omnes utriusque sexus* fideles aliàs „ dispensarint, concludi tamen non posse, „ quod ab ejusdem Canonis executione Fideles jam temporis eximantur: Et sanè „ primò ea dispensatio (si quæ tamen quondam concessa fuerit) abrogata fuit penitus a Sixto Papa IV. Constitutione, quæ „ incipit: *Vices illius*: Sic enim habet: „ Mendicantes desistant prædicare, quod „ Parochiani non sint obligati saltem in „ Paschate proprio confiteri Sacerdoti, „ quia de jure tenentur Parochiani saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti -- Hinc prosequitur explicando pondus præcitatæ Constitutionis subdens -- Fratrem Joannem Angeli Minoritam Constitutioni *Vices illius* non obtemperantem „ sacra Facultas Parisiensis proscripsit anno „ 1482. Hanc laudatus Angeli propositionem Tornaci promulgaret: Parochianus „ confessus Fratribus Minoribus satisfecit „ Decretali *Omnis utriusque sexus fidelis*, nec „ tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam -- Refert deinde censuram Parisiensis Facultatis contra prædictam propositionem.

Cæterum nullius momenti sunt objecta: Etenim nec in Bonifacii, aut Clementis Constitutionibus, multoque minus in illa Benedicti est sermo de extraordinaria, ut sic loquamur, Confessione, sed præcipuè de annuali; Laudati siquidem Pontifices affirmant eadem pollere auctoritate in ordine ad Confessiones Regulares, ac Parochos -- Per hujusmodi autem con„ cessionem nequaquam intendimus perso„ nis, seu Fratribus ipsis ad id taliter de„ putatis potestatem in hoc impendere am„ pliorem, quam in eo Curatis, vel Pa„ rochialibus Sacerdotibus est a jure con„ cessa -- Hæc porrò facultas in Parochis „ est relatè ad annualem Confessionem: ergo similiter in Regularibus. Clariùs evincitur ex Clemente V. Etenim Constitutionem Benedicti XI. revocando, illamque Bonifacii confirmando intendit -- Ad ho„ norem Dei, & exaltationem Catholicæ „ Fidei quietum statum partium prædicta„ rum, ac salutis animarum Fidelium in„ crementum -- Exoptata hujusmodi pax, animarumque profectus in eo maximè haberetur, si in ordine ad excipiendas Confessiones Parochi, ac Regulares, hi quidem ex Privilegio, illi verò a jure pares essent. Perperam igitur explicantur Pontificum Constitutiones non de annuali, sed de reliquis Confessionibus.

Auctoritas eadem in Parocho, ac in Regularibus.

Nec urget Canonem *Omnis utriusque sexus* expressè per dictas Constitutiones non revocari; hoc namque haud necesse est. Ecquid enim Canonem revocare, si dictis Constitutionibus non contrariatur? Vidimus enim per laudatum Canonem non auferri potestatem ab Episcopo licentiam impertiendi aliis a Parocho annuales excipiendi Confessiones. Verùm si hanc expressam revocationem exoptat Juenius, hanc infra dabimus, cum afferemus Constitutionem Leonis X.

Et licet Martinus IV. in citata Constitutione asserat Fideles Regularibus confessos debere quoque saltem semel in anno suis Parochis confiteri, vel dicendum est cum Natali Alex. *Dissert. IV. Sect. XIII, & XIV.* a 30. clausulam illam Diplomati fuisse affictam, quod probat, ex quo in Concil. Bituricensi ann. 1286. celebrato non habeatur -- „ Observandum porrò est, clausulam illam „ de Confessione nihilominus Presbyteris „ Parochialibus semel in anno facienda non „ haberi in Martini IV. Constitutione, „ prout a Concilio Bituricensi refertur; „ quod argumento est vel Martinum IV. „ clausulam illam Diplomati suo non inse„ ruisse, vel Concilii Bituricensis Patres „ existimasse illa lege non teneri secundùm „ istius Pontificis mentem, qui Religiosis „ ex FF. Mendicantium Sodalitiis Sacer„ dotibus ab Episcopis approbatis, & Se„ dis Apostolicæ Privilegio munitis, con„ fessi essent -- Vel dicendum secundò loqui Pontificem quoad Decimas Parochis offerendas; vel demum Constitutionem illam per subsequentes Pontifices abrogatam. Electus siquidem fuit Pontifex anno 1281.,

Bo-

Bonifacius verò VIII. anno 1294., Benedictus XI. anno 1303. Constitutio demum Clementis V. in Viennensi Concilio anno 1311. emanata est. Ea propter meritò dici debet Martini IV. Diploma revocatum.

Superest, ut Constitutioni Sixti IV. fiat satis, quod facili negotio eveniet, si ad Constitutionis contextum attendatur. In laudata igitur Constitutione, postquam dixit Parochianos obligatos esse confiteri proprio Curato -- Quia de jure tenetur Parochianus saltem in Paschate proprio confiteri Sacerdoti -- subdit -- Per hoc tamen ipsi Fratres Mendicantes non censeantur exclusi, quominus secundùm juris communis, & Privilegiorum eisdem concessorum dispositionem, Confessiones audire, & pœnitentias injungere valeant -- Quid porrò jus commune, atque Mendicantium privilegia disponunt? Utique ut possint quovis tempore secularium Confessiones excipere, cum ab Episcopis absque temporis limitatione sunt approbati.

Quod clariùs apparet, ex quo Pontifex in laudata Constitutione non solùm vetat Mendicantibus prædicare Parochianos non esse adstrictos saltem in Paschate proprio Sacerdoti confiteri, sed etiam non teneri diebus Dominicis, atque festivis Missam audire in suis Parochiis -- Cum jure sit cautum illis diebus Parochianos teneri audire Missam in eorum Parochiali Ecclesia; nisi forsan ex honesta causa ab ipsa Ecclesia se absentarent -- Sed hoc non obstante, si Parochianus Missas audiat dictis diebus in aliena Ecclesia, præcepto satisfacit: ergo pariformiter satisfaciet præcepto, si apud approbatum Regularem confiteatur.

Facultas autem Pariensis meritò proscripsit Angeli propositionem; Nam excludendo licentiam a Parocho exposcendam, intendebat absque ulla prorsus facultate posse Regulares Confessiones excipere, cum ad hoc Episcopi approbatio prærequiratur.

Verùm si a Sacra Parisiensi Facultate proscripta fuit Angeli propositio, tanquam falsas, & erroneas damnavit Joannes XXII. propositiones Joannis de Poliaco Parisiensis Doctoris agentes de Pœnitentiæ Sacramento, ajebat enim -- I. Quod confessi Fratribus „ habentibus licentiam generalem audiendi confessiones, tenentur eadem peccata, quæ confessi fuerant, iterum confiteri proprio Sacerdoti. II. Quod stante *Omnis utriusque sexus* edicto in Concilio Generali, Romanus Pontifex non potest facere, quod Parochiani non teneantur omnia peccata sua semel in anno proprio Sacerdoti, quem dicebat esse Parochialem Curatum, confiteri, immò nec Deus posset hoc facere, quia implicat contradictionem. III. Quod Papa non potest dare potestatem generalem audiendi Confessionem, immo nec Deus, quia confessus habenti licentiam teneatur easdem confiteri proprio Sacerdoti -- Pontifex itaque re maturè, diligenterque discussa dictas propositiones reprobavit sua Constitutione, quæ incipit *Vas electionis*, & legitur *lib. 5. Extravag. Commun.* Tit. *De Hæreticis*, mandans, ut Auctor Parisiis illas publicè in Scholis tanquam veritati contrarias, atque a Catholicis omnibus respuendas revocaret, quod & fecit, atque Pontificio paruit mandato.

Joan. de Poliaco propositiones damnatæ.

Ebiberat quidem venenum Joan. de Poliaco a Guillelmo de Sancto Amore, qui sive in libro *De periculo novissimorum temporum*, sive in quæstione *De valido Mendicante* ausus est asserere -- Summum Pontificem non „ posse toti Ordini (Religiosorum) potestatem dare prædicandi, Confessiones audiendi, & absolvendi Pœnitentes per totum Orbem, & quod Pontificia Privilegiis muniti, sacra illa munia obire non possent absque licentia Parochialium Presbyterorum -- & infra -- Fratribus ab Episcopo, vel Papa canonicè destinatis confessus non satisfacit statuto *Omnis utriusque sexus* -- Attamen Guillelmi asserta reprobavit Alexander IV. Diplomate, quod incipit: *Multa cordis amaritudine*, sicut Joannes XXII. illa Joannis de Poliaco.

Guillelmus de Sancto Amore.

Quoniam verò Joannes Lallerius propugnare conatus est sequentem Thesim -- „ Summus Pontifex Joannes XXII. non potuit condemnare de Poliaco, nec facere Decretum: VAS ELECTIONIS -- sicut & aliam -- Confessi Religiosis Mendicantibus, præsentatis, & acceptatis secundùm formam Decretalis DUDUM, non sunt absoluti, & tenentur eadem peccata confiteri Curato -- Anno 1484. utramque damnavit Sacra Parisiensis Facultas, ex quo propalam fit reprobatam Angeli propositionem excludere dependentiam omnem a suis Superioribus, ùt supra dictum est, & clariùs evincitur ex ejusdem censura: dixerat „ enim Angeli -- Parochianus confessus Fratribus Minoribus satisfacit Decretali OMNIS UTRIUSQUE SEXUS, nec tenetur confiteri proprio suo Curato semel in anno, nec ab eo petere licentiam -- Parisienses Doctores duobus annis ante damnatas Lallerii propositiones, anno scilicet 1482. Angeli opinionem sequenti censurâ perstrinxerunt -- Hæc propositio, ùt jacet, „ est scandalosa, & juri communi contraria, & pro subditorum ad Prælatos debitæ obedientiæ, & reverentiæ observantiâ publicè revocanda — Porrò Prælatorum nomine non veniunt Parochi, sed Diœcesani Episcopi, a quibus certò certiùs, ut Confessiones debitè excipiantur, a Religiosis licentia, seu approbatio est reportanda.

261 PROB. III. Leo X. Constitutione, cujus initium: *Dum intra mentis arcana habet* -- Possunt Mendicantes per eosdem „ Episcopos, & Prælatos super sufficienti literatura, & aliqua saltem hujusmodi Sacramenti peritia dumtaxat examinari: talibusque præsentatis admissis, vel etiam indebitè recusatis confitentes, Constitutioni, quæ incipit: *Omnis utriusque sexus*, quoad confessionem dumtaxat satisfecisse censeantur -- Constitutio hujusmodi a Lateranensi Concilio V. Sess. XI, an. 1516., die 19. Decembris habita promulgata, & ex centum quatuordecim Episcopis, septem, aut octo unicè reclamantibus, approbata fuit.

Can. Omnis utriusq. sexus expressè revocatus.

162 Reponit Joeninus laudatam Constitutionem nullâ in Orbis Christiani Provinciâ locum habere, cum post ipsius promulgationem in diversis Diœcesanis, ac Provincialibus Conciliis oppositum fuerit Decretum.

Verùm hujusmodi inane effugium facilè intercluditur, cum in aperto sit particularia quæque Decreta, etiam in Conciliis particularibus emanata adversus Romanorum Pontificum Constitutiones potissimùm Conciliariter approbatas prævalere nequaquam posse. Attamen qui nam fuerit particularium Synodorum sensus, habebitur infra. Hic advertas velim, expressè per Leonis X. Constitutionem revocatum, seu melius explicatum Canonem *Omnis utriusque sexus*, quod exoptabat Joeninus.

Particularia Concil. Pontificum statuta nequeunt evertere.

163 Anno 1592. Clemens VIII. Constitutionem edidit contra quosdam Attrebatensis, & Duacensis Diœcesis in Belgia Parochos, ubi -- Præsenti nostro Decreto „ sancimus licere sæcularibus Christifideli„ bus universis . . . . tam dictis Fratribus „ Mendicantibus, & Presbyteris dictæ So„ cietatis Jesu, quam aliis Privilegiatis, „ idoneis tamen, & ab Ordinario appro„ batis peccata sua etiam Quadragesimali, „ & Paschali, & quovis alio tempore confi„ teri licitè posse: dummodo tamen iidem „ Sæculares Christi fideles Sacramentum „ Eucharistiæ die Festo Paschalis Resurre„ ctionis in propria Parochia ab eorum Pa„ rocho sumant -- Contendebant siquidem Parochi nequaquam Christi Fideles apud Regulares posse peccata sua confiteri Quadragesimali, & Paschali tempore, ut ibidem refert Pontifex -- Significatum fuit „ nobis nuper in Oppido Duacensi Attre„ batensis Diœcesis nonnullos Parochos „ Christi Fideles avertere, ne Quadragesi„ mali, & Paschali tempore Fratribus Or„ dinum Mendicantium, ac Presbyteris So„ cietatis Jesu peccata sua confiteri possent, „ ausos fuisse, affirmantes ipsis Fidelibus „ tam de jure, quam de consuetudine non „ licere Quadragesimali, & Paschali tem„ pore aliis præterquam in propriis Paro„ chiis peccata sua confiteri &c. -- Quibus auditis Pontifex Breve Archiepiscopo Cameracensi, & Episcopo Attrebatensi direxit, præcepitque illud executioni mandari.

Ad rem nostram mirè quoque deservit Breve Innocentii X. anno 1645. emanatum, quod incipit: *Exponi nobis fecit*: ubi legitur -- Non potest Archiepiscopus Burdiga„ lensis prohibere Regularibus habentibus „ privilegia Apostolica, ne e Dominica „ Palmarum usque ad Dominicam in Albis „ inclusivè administrare valeant personis sæ„ cularibus Sacramentum Confessionis --

164 His duobus momentis occurrit præcitatus Joeninus asserens ex his nihil evinci ad intentum: Etenim laudati Pontifices solùmmodo præscribunt Regulares posse eo tempore sæcularium Confessiones audire, easque validas censendas esse, de Canone autem *Omnis utriusque sexus*: altum silentium, nec per dictas Confessiones annuo præcepto fieri satis affirmatur: Et sanè ea super re narratio non instituitur. Innocentianum verò Decretum de Privilegiatis ab Apostolica Sede sermonem habet. Cæterum post Tridentinum nullum est afferre privilegium, ut planè intellexit Clerus Gallicanus in generalibus Comitiis anno 1655. congregatus -- Post Concilium Tridentinum „ nulla est occasio, in qua Summus Ponti„ fex Regulares non dimittat ad Episcopos, „ ut ab iis accipiant facultatem excipiendi „ Fidelium Confessiones: Eam verò facul„ tatem non habeat, nisi reipsa ab Episco„ po approbati fuerint --

Voluntariam responsionem nemo non videt. Totius Catholicæ gentis consuetudo ea planè est, ut Paschali tempore annuæ Confessionis præcepto fiat satis: Etenim tunc urget Eucharistiæ sumptionis præceptum, quod absque prævia sacramentali peccatorum detestatione adimplere nullus audet; ea propter Fideles Paschali Confessione Ecclesiæ præcepto satisfacere intendunt. Quare in idem redit affirmare Regulares non posse Fidelium Confessiones tempore Paschatis excipere, ac asserere eas Confessiones non valere ad præceptum Canonis implendum: Quod sanè intendebant Parochi, fidentes maximè Synodali Decreto edito anno 1624. ubi Concilium Burdigalense urget obligationem Paschalis Confessionis, & Communionis apud proprios Parochos faciendæ, neque aliter Canoni *Omnis utriusque sexus* satisfieri, præcepitque sub censuris Verbi Dei Concionatoribus, nec non quibuscumque Confessariis, ut ea de re Fideles instruant, doceantque teneri Parochis suis confiteri peccata; ad hoc faciliùs obtinendum contentionum Fautores evulgabant minimè licere Quadragesimali, vel Paschali tempore apud Regulares confiteri. Porrò Clementem in laudata Constitutione annualem Confessionem a Lateranensi Canone præscriptam pro comperto habere, dum dicit non solum Quadragesimali, & Paschali, sed etiam quovis alio tempore confiteri licitè posse Fideles Regularibus: Si enim quovis tempore Confessiones sæcularium habitas apud Regulares declarat valere, & licere: ergo valent, & licent eo tempore, quo annuum præceptum urget; aliàs aliquo tempore non essent licitæ, aut validæ, quod quidem contradictoriè opponitur *quovis tempore*, hoc est, omni tempore. Addit insuper Pontifex -- Sæculares universos confiteri licitè „ posse -- Adeoque illos quoque, qui semel in anno ad præceptum implendum propter Paschalem sumendam Synaxim confiteri solent, & aliis vicibus eo anno peccata sua deponere volunt, aliàs non omnium Christianorum licerent Confessiones, sed eorum solummodo, qui hinc volunt iterum apud proprios Parochos confiteri: quæ interpretatio certò certiùs violenta esset.

Confessio Paschalis adimpletiva præcepti.

Quovis tempore licita confessio apud Regulares.

Quod de Privilegiatis ab Apostolica Sede opponitur, nullius momenti est. Notum quippe est Regulares plura a Romanis Pontificibus consecutos fuisse Privilegia, & exemptiones, quibus nullimodè officit Tridentinum; Nec ejusdem Decretum se præsentandi Episcopis novum est. Romani siquidem Antistites in suis Constitutionibus eam implere voluerant conditionem, ut Ordinariis

Tridentinum non off[illegible] Regularibus.

dinariis locutum se sisterent Regulares, priusquam Secularium Confessiones exciperent: Proinde Ordinarii approbatio a Tridentino Decreto conditio est, sub qua Romanus Pontifex jurisdictionem Regularibus, qui immediatè Apostolicæ Sedi subditi sunt impertitur.

165 PROB. IV. Clemens X. Constitutione declarativa Privilegiorum ad Regulares spectantium sive quoad Verbi Dei prædicationem, sive quoad Sacramentalis Pœnitentiæ administrationem edita anno 1670. annuæ Confessionis præcepto fieri satis declaravit per Confessiones habitas apud Regulares — Eos qui dictis Religiosis simpliciter „ approbatis Paschali tempore confessi fue„ rint, Constitutioni, quæ incipit *Omnis* „ *utriusque sexus*, quoad Confessionem dum„ taxat satisfecisse censendos esse —

166 RESP. I. Juenius Clementis X. Bullam *Supremæ* non fuisse in Galliis receptam, qua de re aliqua profert momenta. I. Senatus-consultum ad Cleri postulationem, quo Bullæ exemplaria obliterari mandatum est. II. Post Bullæ promulgationem adhuc Parisiis anno scilicet 1672., & 1676., palam propugnatum est præceptum Confessionis, & Communionis adimpleri debere apud proprium Parochum. III. Habetur sententia Archiepiscopi Rhemensis lata anno 1687.; qua irritum pronunciavit Decretum Episcopi Ambianensis in favorem Regularium emanatum, occasione criminationis apud ipsum factæ adversus quemdam Concionatorem, qui prædicaverat per Confessiones apud Regulares habitas fieri satis Canoni *Omnis utriusque sexus*, declaravitque Christi Fideles teneri Parochis peccata sua aperire ad satisfaciendum annuo præcepto, & Confessarios tum Seculares, tum Regulares, ut ut debitè, atque indefinitè approbatos, non posse eos absolvere, qui ad annuam Confessionem a Lateranensi Concilio præscriptam, specialem licentiam a Parochis, aut Episcopis Diœcesanis non petierint, obtinuerintque. IV. Anno 1687. Concionator aliter publicè e suggestu evulgaverat in Urbe Compendio — Fideles faciunt satis Cano„ ni *Omnis utriusque sexus*; dum Sacerdo„ tibus ab Ordinario approbatis confitentur „ Paschali tempore, non obtentâ, immo „ non petitâ a Parochis licentiâ — Propositio hujusmodi a Vicariis Generalibus Suessionensis Diœcesis tanquam falsa, temeraria, Gallicanis usibus contraria, specialibusque Synodalibus statutis adversa proscripta fuit; Hinc prohibitio emanata, ne Paschali tempore Fideles Diœcesani extra Parochias absque Parochi licentia confiterentur, irritæque declaratæ fuerunt Confessiones aliter factæ.

Potissimùm hujus responsionis robur in eo situm est, Leges Principum, immo & Pontificum, quoad disciplinam caput, nequaquam obligare independenter a populorum acceptatione; Verùm si leges a Celsissimo Galliarum Rege promulgatæ vim totam acquirunt ex Principis mandato, cur idem non est servandum circa Pontificias leges? Et sanè si Gallicani Præsules in nationali Concilio anno 1700. congregato approbarunt, laudaveruntque Alexandri VII. Decretum anno 1665. publicatum, quo viginti octo propositiones damnatæ fuerunt, quarum postrema erat — Populus non peccat, „ etiamsi absque ulla causa non recipiat le„ gem a Principe promulgatam — quonam pacto Pontificum Constitutiones etiam ad disciplinam spectantes acceptare detrectent?

Leges Pontificiæ obligant sine prævia acceptatione.

Hoc etiam effugium vim nullum habere eo clariùs evincitur, quod, ut refert Parisiensis Archiepiscopus Franciscus Harleus apud Natalem Alexandrum *Sec. XIII. & XIV. Dissert. IV.*, Constitutio Leonis X., qua potissimùm vult Regularium privilegia sarta tecta existere, in Galliis recepta fuit; sicut receptæ fuere Clementis VIII., & Innocentii X. Constitutiones, quæ datæ fuerunt juxta laudati Præsulis testimonium, ut sensum Canonis *Omnis utriusque sexus* aperirent; Si igitur Pontificia hæc Diplomata circa idem versantia in Galliis fuere acceptata, cur Clementis X. Constitutionem respuunt?

Constitutiones Pontificiæ in Galliis receptæ.

Hinc non urget Senatus-consultum Parisiense, eo siquidem præcipitur Bullam Clementis supprimi; verùm hujusce mandati ratio non affertur; ea propter malè in subsidium oppositæ sententiæ adducitur. Et quidem si ad doctrinam spectasset Decretum, quomodo potuisset laudatus Archiepiscopus Harleus in frequentissimo Virorum sapientissimorum cœtu Regularium privilegia hac de re propugnare? Theses verò vel re non benè aliquata, vel malè intellecta ventilatæ fuerunt; Etenim propositæ fuere anno 1672., & 1676., Parisiensis autem Præsul pro Regularibus stetit anno 1683. An verò Archiepiscopus Rhemensis, sicut & Generales Vicarii Suessionensis Diœcesis tantâ polleant potestate, ut Apostolicarum Constitutionum vim possint infringere, prudens Lector judicet.

167 Reponunt alii apud Juenium nequaquam in animo fuisse Pontificis, consuetudines, quæ aliquibus in Provinciis invaluerunt, penitus abrogare: Harum quippe mentionem non facit, quod aliàs necesse esset, ut ipsas abrogaret, cum juri communi innitantur, & hoc quidem ex Regula tradita *cap. 1. de Constitutionibus in sexto*. Alii verò subreptitiam Clementis Constitutionem affirmare non dubitaverunt, eo ducti momento, quod a veritate alienum esse jure censeri potest voluisse Clementem, vel minimum detrahere de Potestate Episcopis concessa per Tridentinum circa Pœnitentiæ Sacramentum: Porrò quædam ibi referuntur, quæ Episcopalem minuunt auctoritatem, v. g. quod indefinitè approbatos Regulares nequeat Episcopus iterum ad examen revocare, vel a Confessionibus, nova nentiquam superveniente causa, suspendere, nec demum omnibus Religiosis facultatem denegare Secularium Confessiones excipiendi.

RESP. Nullibi legitima invaluit consuetudo adversus Regularium privilegia; Ipsi namque adversus Diœcesanorum statuta reclamatunt, Romani Pontifices innovaverunt Decreta, immo contra opposita sentientes insurrexerunt, ut supra ex Clemente VIII., & Innocentio X. videre est. Falsum

Nulla consuetudo contra Regularium Privilegia.

quo-

quoqua eſt prætenſam conſuetudinem juti communi inniti, cum nuſquam probetur Lateranenſem Canonem excludere approbatos per Epiſcopum, ùt ea Leone X. vidimus. Deinde juris communis interpretatio ad particulares Præſules minimè ſpectat, ſed ad Romanum Pontificem, a quo robur accipit; cum Romana Eccleſia Caput ſit, & Magiſtra Chriſtiani Orbis. Præterea ex regula citata in 6. non eſt neceſſaria in poſteriori lege mentio prioris, quando præſumitur hanc ſcire Pontificem: Clemens autem non ignorabat arbitraria quorundam Parochorum jura, nec non aliquorum Epiſcoporum ſtatuta, ea propter mente integra, ſibique præſens veritatem in laudata Conſtitutione evulgavit.

Interpretatio juris ad Pontificem ſpectat.

Quod de ſubreptione additur, voluntarium planè eſt, nec quidquam ibidem invenire eſt violatæ poteſtatis a Tridentino Epiſcopis conceſſæ. Tridentinum namque concedit Epiſcopis jus approbationis, quæ æquivalet electioni ad Parochiale beneficium, quoad confeſſiones excipiendas, & quidem jure delegato. Quæ autem tanquam gravamina afferuntur, potiùs ſecundùm æquitatis, immo juſtitiæ jura cenſenda ſunt.

Clem. Conſt. haud Tridentino contrariatur.

168 Opponunt demùm Conſtitutionem Clementis X. Romæ quidem, ſed non in aliis Provinciis fuiſſe promulgatam; Porrò Pontificiæ Conſtitutiones, quæ ad diſciplinam ſpectant, niſi promulgentur, vim non ſortiuntur, etſi in Urbe fuerint promulgatæ.

In Pontificiis legibus duplex adinvenitur promulgatio, eſſentialis una, accidentalis alia: Eſſentialis ea eſt, qua pondus tribuit legi, & ſine qua nullimodè ipſa ſubſiſtit; accidentalis verò ea cenſetur, quæ non jam vim tribuit legi, ſed eâ non ſuppoſitâ agens contra legem a crimine creditur immunis. Eſſentialis promulgatio fit in Curia Principis, hacque ſufficit, ut lex vim, & auctoritatem obligandi habeat, ùt plerique ex Theologis, & Canonum Doctoribus propugnant; accidentalis autem, quæ meliori vocabulo evulgatio dicenda eſſet, fit in ſingulis Provinciis, quæ ſi ad aliquorum non perveniat notitiam, eſt conditio excuſans a legis violatione: Cum igitur Clementis Conſtitutio certò Romæ fuerit promulgata, jam planè ſit vim obligandi obtinuiſſe; nec illius ignorantia prætendi poteſt; ſiquidem minima quæque, quæ Romæ contingunt, ſtatim ubique divulgantur. Verùm ad rem noſtram excogitatum effugium nihil deſervire in aperto eſt ex ipſo Senatus-Conſulto Pariſienſi, quo Conſtitutionis exemplaria vetita fuere. Addas velim laudatam Conſtitutionem nequaquam novam continere Privilegiorum conceſſionem, ſed potius juris antiqui declarationem.

Promulgatio duplex.

169 PROB. V. Annuo præcepto Confeſſionis ſatisfacit, quicunque legitimo confitetur Miniſtro; Atqui Regularis ab Epiſcopo approbatus legitimus meritò cenſetur Miniſter Pœnitentiæ, definiente Eugenio IV. in Inſtructione Armenorum -- Miniſter hujus Sacramenti (Pœnitentiæ videlicet) „ eſt Sacerdos habens auctoritatem abſolvendi vel ordinariam, vel ex commiſſione „ Superioris -- Et Tridentinum *Seſſ.* 14. *cap.* 4. referens adverſus Hæreticos Lateranenſe præceptum ſolummodo recenſet obligationem confitendi ſemel in anno, hancque ſtatuiſſe effatur, nullam prorſùs mentionem faciens de obligatione confitendi Parocho; & *Seſſ.* 23. *cap.* 15. ſermonem habens de approbatione in Regularibus requiſita ait -- Nullum etiam Regularem poſ„ ſe Confeſſiones Secularium etiam Sacer„ dotum audire, nec ad id idoneum repu„ tari, niſi aut Parochiale beneficium, aut „ ab Epiſcopis per examen, ſi illis vide„ bitur eſſe neceſſarium, aut aliàs idoneus „ judicetur, & approbationem, quæ gra„ tis detur, obtineat -- His clarè patet nullam ſubeſſe limitationem, ſed unicè apparet Fideles obligari ad annuam Confeſſionem faciendam vel Sacerdoti Parocho, vel Sacerdoti ab Epiſcopo approbato; & hoc quidem juxta Lateranenſis Concilii definitionem.

Tridentinum favet Regularibus.

170 PROB. VI. Primi nominis Doctores, qui proximiùs ad Lateranenſe Concilium floruerunt, quique Pariſienſes Cathedras ſumma cum laude moderati ſunt, perpetuò aſſerunt fieri ſatis annuo præcepto per Confeſſionem factam Regulari ab Epiſcopo approbato. Sic D. Thomas *ſuppl.* 3. *p. quæſt.* 8. *art.* 5. oſtendit Fideles Eccleſiæ præcepto obedire, ſi peccata ſua Sacerdoti non Parocho, ab Epiſcopo tamen approbato confiteatur, atque eruditè oppoſita argumenta diſſolvit. Idem fusè propugnat in Opuſculo contra Impugnantes Religionem *cap.* 4. S. Bonaventura ejuſdem labii eſt Tract, cui Titulus. *Quare Fratres Minores prædicent, & Confeſſiones audiant.* Præmiſſa ſiquidem propoſitione videlicet -- „ Proprius Sacerdos dicitur, cui quiſque „ ſpiritualiter gubernandus commiſſus eſt „ ab Eccleſia vice Dei -- Quatuor cujuslibet Fidelis proprios eſſe Sacerdotes affirmat; Pontificem ſcilicet, Epiſcopum Diœceſanum, Plebanum, ſeu Curatum, denique Sacerdotes, quibus per approbationem præcitati ſuas vices committunt. His addas, pluribus ommiſſis. Henricum Gandavenſem *Quodlib.* 7., Durandum *in* 4. *Sent. diſt.* 17. *quæſt.* 12., Ægidium Carlerium Pariſienſem Theologum 4. *Sent. diſt.* 17., Adrianum Lovanienſem Cancellarium, qui poſtmodum inauguratus Pontifex eodem nomine Sextus nuncupari voluit. Ex quibus planè fit ſententiam hanc in praxi tutam perperam ab Adverſariis impugnari.

Pariſienſes Doctores Regularibus favent.

§. II

§. II.

OPPOSITA SENTENTIA REFELLITUR.

171 OBJIC. I. Canon *Omnis utriusque sexus* cuicunque Fideli mandat, ut -- Postquam ad annos discre-„ tionis pervenerit omnia sua solus peccata „ confiteatur fideliter proprio Sacerdoti, & „ injunctam sibi pœnitentiam studeat pro „ viribus adimplere -- Hic duo præcipiuntur, & confiteri semel in anno, & hoc proprio Sacerdoti, qui dubio-procul Parochus censendus est; & quidem I. evincitur ex *Can.* 32. ejusdem Lateranensis Concilii; explicat namque Sacra Synodus quid nomine proprii Sacerdotis intelligat, quatenus agens de administratione bonorum Ecclesiæ ad proprium Sacerdotem, quem perpetuum Vicarium nuncupat, spectare affirmat -- Qui verò Parochialem habet Ec-„ clesiam, non per Vicarium, sed per se „ ipsum illi deserviat in Ordine, quem „ ipsius Ecclesiæ cura requirit; nisi fortè „ Præbenda, vel dignitati Parochialis Ec-„ clesia sit annexa: In quo casu concedi-„ mus, ut qui talem habet Præbendam, „ vel Dignitatem; cum oporteat eum in „ majori Ecclesia deservire, in ipsa Paro-„ chiali Ecclesia Idoneum, & perpetuum „ studeat habere Vicarium canonicè insti-„ tutum -- II. Concilium proprium Sacerdotem eum appellat, a quo fideles petere solent, atque Sacramenta recipere: Hæc porrò nec a Pontifice, nec ab Episcopo, sed a Parocho exposcunt. III. Ibidem proprius Sacerdos nuncupatur adversativè ad alienum, hoc est, ad illum, qui jurisdictione caret. Hujusmodi autem nemo alius est a Parocho. IV. Proprium Sacerdotem pro Confessione intelligit quem proprium appellat pro Communione; Hic certò certiùs Parochus censetur. V. Innumera Concilia talem præbent notionem proprii Sacerdotis.

Biterrense videlicet anno 1246. celebratum *Can.* 46. habet -- Statuit etiam præ-„ sens Concilium, quod nomina illorum om-„ nium, qui peccata sua confessi fuerint, „ scribantur a propriis Capellanis, qui „ Confessiones audierint eorundem, ut „ laudabile testimonium de Confessionibus „ eorum valeant perhibere . . . Qui verò „ proprio Sacerdoti semel in anno confessi „ non fuerint, vel alii de ejusdem Capel-„ lani licentia speciali, ad Sacramenta Ec-„ clesiastica minimè admittantur --

Concilium Arelatense anno 1260. proprium Sacerdotem pro Curato usurpat, dum vetat ne Christi Fideles Pœnitentiariis confiteantur; compertum quippe erat in his dolum subesse, dum falsò affirmabant apud Pœnitentiarios fuisse confessos. Canone itaque 16. præcipit, ut omnes apud Parochos confiteantur -- Ne ipsi Parochiani manda-„ tum de confitendo saltem semel in anno „ propriis Sacerdotibus simulatoriè, & do-„ losè se gaudeant evasisse --

Accedunt Synodus tum Augustana an. 1548. Mediolanensis I. Præside S. Carolo Borromæo an. 1565., Rhemensis an. 1583. a Gregorio XIII. confirmata, Burdigalensis an. 1624., & aliæ plures.

RESP. Argumentum, quod magni faciunt Adversarii, satis infirmum esse ex dictis facilè videre est. Tot enim modis proprius Sacerdos dicitur, tot gradus complectitur, quot sunt Personæ jurisdictionem habentes supra Fideles. Lateranense Concilium gradum unum specialem nominat, non jam ut importet suam, ut ajunt, athomam differentiam, sed ut totam lineæ gradationem includit; ea propter quicunque de illa linea comprehenditur, atque ea omnia quilibet habere meritò censendus est, quæ ad annualem excipiendam Confessionem prærequiruntur. Unde inductæ probationes id unum evincunt, videlicet Fideles confiteri debere apud illum, qui legitimam auctoritatem habet; & quidem non inquit Concilium Fideles confiteri debere *proprio Parocho, aut Pastori*, sed Sacerdoti, ut satis innotesceret valere annualem Confessionem apud quemcumque Sacerdotem approbatum.

Proprius Sacerdos non est solus Parochus.

Nec prima probatio urget, immo oppositum probat. In ea siquidem capite proprius Sacerdos est Persona distincta a perpetuo Vicario, qui ad curam bonorum Ecclesiæ subrogandus est, quando Præbendatus, cui onus illud incumbit, majori deservit Ecclesiæ; Aliunde quidem colligi potest Concilium ibidem pro Sacerdote proprio Curatum intelligere, quia aliquoties Parochiales Sacerdotes nominat; Verùm ex hoc nostra firmatur assertio: Cum enim Canon *Omnis utriusque sexus* non utatur vocabulo Parochi, aut Curati, sed proprii Sacerdotis, jam planè innuit *proprium* accipere ampliativè, non restrictivè.

Quilibet Sacerdos non dicitur Parochus.

Secunda probatio nostra est. Nam Fideles ex communi usu ab approbatis Ministris Pœnitentiæ Sacramentum expostulant. Sæpè sæpiùs contingit Episcopos per se nequaquam posse Fidelium excipere Confessiones; excipiunt tamen per Sacerdotes ab ipsis approbatos.

Usu confitēdi Fidelium.

Tertia probatio nobis arridet; Canon siquidem proprium Sacerdotem nominat contrariè ad alienum, videlicet contrariè ad illum, qui nullam solvendi, ligandique potestatem habet, sicut contextus innuit; proindeque proprii Sacerdotis nomine illum appellat, qui tali insignitus est potestate; ea propter delegatos comprehendit Sacerdotes.

Delegati ab Episcopo dicuntur proprii Sacerdotes.

Quarta probatio non urget; Indubium quippe est posse Episcopum, Parochis reluctantibus, alios deputare Sacerdotes pro Paschali Communione: De facto tamen nullibi consueverunt Episcopi hoc instituere: Unde Regularis etiam extra tempus Paschale Eucharistiam administrans in Ecclesia exempta, non illam distribuit, ut ab Episcopo deputatus; secus evenit in administratione Pœnitentiæ, quam exercere nequit nisi per Ordinarium fuerit approbatus, quocirca commissus ab Episcopo censetur,

atque

atque sub appellatione proprii Sacerdotis comprehensus. Hæc obiter dicta volumus. Cæterum discrimen Communionem inter, & Confessionem satis apparet. Ecclesia determinatum Paschatis tempus, usuque perpetuo, atque universali locum, nempe Parochiam statuit ad sacram sumendam Synaxim, secus ad Confessionem; & provido quidem consilio; Etenim Paschali tempore unus numerus Sacerdos millenis Fidelibus Eucharistiam administrare quit; ad eosdem autem sacramentaliter audiendos non unus, sed plures quoque impares sunt.

Eucharistia in Parochia sumenda.

Nec abs re erit adnotare glossulam ad caput *Omnis utriusque sexus* advertere ad Canonis verba: *Sacerdos autem sit discretus*, atque subdere: *Si proprius sit imperitus, quærat discretum*: Non determinat igitur Canon Sacerdotem Parochum, sed aptum, sive idoneum Ministrum.

Ad quintam probationem satis aptè responderi posset dicendo, quod, si aliqua Concilia declaraverunt nomine proprii Sacerdotis venire Parochum, alia innumera oppositum intellexerunt. Videlicet, Concilium Diœcesanum Claromontanum (anno 1263., Bituricense an. 1286. Can. 16., Cicestrense in Anglia an. 1289., Cantuariense ann. 1330. Can. 2., & alia, quæ apud Natalem Alexandrum *Sec. XIII., & XIV. Dissert. IV.* fusiori calamo referuntur. Cæterum vis omnis prædictorum Conciliorum enervatur a Pontificiis Constitutionibus, atque Pontificum declarationibus, illâ præcipuè Innocentii X. anno 1654. Subortâ siquidem an. 1645. Controversiâ inter Henricum Burdegalensem Episcopum, & Regulares de Confessionibus Paschali tempore excipiendis; laudatus Pontifex declaravit licere Regularibus etiam tempore Paschatis Fidelium Confessiones excipere, ùt videre est in sua Constitutione, quæ incipit *Exponi nobis*. Hanc executioni mandari jussit Rex Galliæ, ea quo enervatur responsio Juenini superiùs adducta, videlicet Pontificum Constitutiones ad disciplinam spectantes non obligare, nisi promulgentur. Videantur quoque objecta sub n. 163.

Concilia favent Regularibus.

Eodem anno, nempe 1645. Clerus Gallicanus, ùt referebat Harleus Archiepiscopus Parisiensis in publicis Collationibus 1683. habitis, Anonymi sententiam exponait asserentem -- Fideles a solis Curatis Sacramenta legitimè recipere posse: „ Quos inter & Parochianos mutua obligatio jure divino intercedit secundum „ quam fideles a solis Curatis Sacramenta, „ & verbum Dei postulare possint -- Addens falsò ab Auctore asseri solum Curatum esse proprium Sacerdotem, jusque omne administrandi Sacramentum Pœnitentiæ in officio Parochi contineri, falsò quoque affirmari securum non esse Regularibus confiteri: Proinde Gallicani Censores declaraverunt illos, qui animarum saluti incumbunt, Fidelibus prædicare debere -- Quod etsi „ Curatis suis peccata confiteri debeant, „ hoc tamen Christianæ Religionis officio „ apud omnes Sacerdotes, etiam Regulares fungi possint, modo sint ab Episcopo „ approbati. Annuæ Confessionis editum a „ Concilio Lateranensi præceptum implere, „ quia apud Regulares ab Episcopis approbatos, iisdem permittentibus, tempore „ Paschatis peccata deponunt. Parochos „ esse proprios Sacerdotes, apud quos Concilium Lateranense annuam Confessionem „ fieri jubet; sed proprii Sacerdotis officium in proprii Episcopi dignitate contineri, adeoque Fideles, qui Paschalia „ Communionis gratiâ confitentur, non „ solùm suis Episcopis, eorum Vicariis „ Generalibus, & Pœnitentiariis, verùm „ etiam quibuslibet Sacerdotibus secularibus, vel Regularibus, ab Episcopis ad „ hanc functionem approbatis, ejusdem „ Concilii Præceptum de annua Confessione „ implere -- His satis comprobata est nostræ assertionis veritas.

Gallicanus Clerus stat pro Regularibus.

172 OB. II. Decretalis *Omnis utriusque sexus* divinum jus declarando duo decernit, primum teneri quemlibet Adultum saltem semel in anno confiteri; secundum teneri Parocho proprio peccata sua exponere; quod sanè divini juris est, cum ad Pastorem spectat suarum ovium curam habere juxta illud Proverb. 27. *Diligenter cognosce vultum pecoris tui, tuosque greges considera*; & Ecclesiastici 7. *Pecora tibi sunt? Attende illis*. Ut igitur Sapientiæ monitum adimpleatur, declarat Ecclesia ad minus semel in anno teneri ovem coram Parocho comparere, utque ejus vultum agnoscat, conscientiam suam aperire debet. Et quidem Ecclesia nunquam in primo dispensat: ergo idem dicendum est de secundo.

RESP. Concedimus dari obligationem, negamus tamen adimplendam esse, personaliter comparendo coram Parocho: Sufficit ejusdem licentia, ùt laudatus Canon asserit: Hæc porrò licentia duplex est, vel formalis, quæ scilicet ab ipso Parocho immediatè habeatur, vel eminentialis, quæ ab Episcopo dimanat, qui utique est primarius Fidelium Pastor, & ad quem alludunt prælaudatæ Scripturæ; Porrò hujusmodi facultatem concedit Episcopus Sacerdotes approbando.

Licentia habita ab Episcopo.

173 OB. III. Tridentinum *Sess. 24. cap. 13.* habet -- In iis quoque Civitatibus, „ ac locis, ubi Parochiales Ecclesiæ certos „ non habent fines, nec earum Rectores „ proprium Populum, quem regant; sed „ promiscuè petentibus Sacramenta administrant, mandat Sancta Synodus Episcopis „ pro tutiori animarum eis commissarum „ salute, ut distincto Populo in certas, propriasque Parochias unicuique suum perpetuum, peculiaremque Parochum assignent, „ qui eas cognoscere valeat, & a quo solo „ licitè Sacramenta suscipiant -- Decretum hujusmodi Controversiam planè dirimit. Promiscuè igitur Fidelibus non sunt administranda Sacramenta, sed ab uno Parocho; & ob hoc certi fines constituti sunt, & quidem pro tutiori animarum salute.

RESP. Posset ex sequentibus Concilii verbis everti argumentum: Subditur enim -- „ Aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant -- Quibus satis apparet Episcoporum prudentiæ committi utiliorem dispositionem: Porrò utilissima

ea

ea cenſetur, qua alii Sacerdotes præter Parochum approbantur. Cæterum mens Concilii alia omnino eſt: Excludit ſiquidem unicè alienos Parochos, non alios Sacerdotes, qui Epiſcopi auctoritate ſacra exerceant munera circa Sacramentorum adminiſtrationem. Præcipit Parochiales terminos præſcribi, ut unuſquiſque Populus in partes diſcretus, ſuum ſciat Paſtorem. Quod autem notandum eſt, hac Tridantini auctoritate fulciebatur ſententia Anonymi, cujus doctrinam circa præſentem

Tridentinum explicatur.

A

Controverſiam damnavit Clerus Gallicanus in Reſp. ad I. Objectionem relatus circa finem; & tamen laudatus Clerus a ſententia non receſſit, ſed ſtatuit Secularibus, & Regularibus fieri poſſe annuales Confeſſiones a Fidelibus. Invictè igitur propugnari poteſt Regulares ab Epiſcopo approbatos idoneos eſſe Miniſtros, apud quos peccata ſua Fideles exponere quovis tempore poſſint, atque per hujuſmodi Confeſſionem anno Lateranenſis Concilii præcepto ſatisfacere.

DISPUTATIO SEPTIMA.

DE MINISTRO SACRAMENTI POENITENTIÆ.

CONTROVERSIA I.

B

§. I.

AN SOLUS SACERDOS SIT SACRAMENTI PŒNITENTIÆ MINISTER.

1 EX Conſtantienſi Concilio clarè patet Wiclephum docuiſſe Miniſtrum Sacramenti Pœnitentiæ vel hominem laicum eſſe poſſe; damnavit namque Concilium illius propoſitionem — Laicus, ſi vir frugis fuerit, „ clavium poteſtatem a Chriſto accepit — Et *Seſſ.* 8., *&* 15. præcipit interrogari Wiclephum — Utrum credat, quod Chri„ ſtianus ultra contritionem cordis ſoli Sa„ cerdoti de neceſſitate ſalutis confiteri te„ neatur — Conſopitam excitavit hæreſim Lutherus, ea propter libro de Miſſa privata fidenter, immo audacter ſcripſit — Ego „ non dicam, quod Papiſtæ dicunt, nul„ lum Angelorum, nec Mariam quidem „ ipſam conſecrare poſſe: Sed e contra „ dico, ſi Diabolus ipſe veniret, & ego „ poſtea reſcirem Diabolum ſic irrepſiſſe in „ officium Paſtoris Eccleſiæ, in ſpecie ho„ minis vocatum ad prædicandum, & pu„ blicè in Eccleſia docuiſſe, baptizaſſe, „ celebraſſe Miſſam, & abſolviſſe a pecca„ tis, & tali munere functum eſſe juxta „ inſtitutionem Chriſti, tunc cogeremur „ fateri Sacramenta ideo non eſſe inefficacia, ſed verum Baptiſmum, verum Evan„ gelium, veram abſolutionem, verum Sa„ cramentum Corporis, & Sanguinis Chri„ ſti nos accepiſſe — Et clariùs propoſit. 13. ex damnatis a Leone X. — In Sacra„ mento Pœnitentiæ, ac remiſſione culpæ, „ non plus facit Papa, aut Epiſcopus,

Hæreſis Lutheri.

C

D

E

„ quam infimus Sacerdos: Immo ubi non „ eſt Sacerdos, æquè tantùm quilibet Chri„ ſtianus, etiam ſi mulier, aut puer eſſet — Hinc in lib. ad Pragenſes de inſtituendis Miniſtris Eccleſiæ — Ceſſent (inquit) ho„ minum mendacia. Claves ſunt totius Ec„ cleſiæ, & cujuslibet membri ejus tam „ jure, quam uſu, & omnibus modis — Subdit tamen hoc jure utendum non eſſe, ſine ſpeciali multitudinis electione.

2 Dicendum tamen ſolummodo Sacerdotem eſſe Sacramenti Pœnitentiæ Miniſtrum. Catholica veritas apprimè conſtat ex Controverſia de inſtitutione Sacramentalis Confeſſionis, ubi auctoritates adductæ invictè probant poteſtatem ſolvendi, atque ligandi Sacerdotibus ſolummodo a Chriſto impertitam fuiſſe, proinde breviter hoc Fidei dogma oſtenditur.

3 PROB. I. Illi cenſendi ſunt hujus Sacramenti Miniſtri, quibus remittendi, atque retinendi peccata poteſtas collata eſt; Atqui ſolis Sacerdotibus hujuſcemodi poteſtas collata eſt. Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt.* Hæc dixit Chriſtus Apoſtolis jam Sacerdotio initiatis, cæteriſque ejuſdem Hierarchiæ hominibus. Unde D. Ambroſius loquens de poteſtate ligandi, atque ſolvendi *lib.* 1. *de Pœnit. cap.* 2. ait — Jus enim hoc ſolis „ permiſſum Sacerdotibus eſt — Et Chryſoſtomus *lib.* 3. *de Sacerdotio cap.* 5. — Ete„ nim qui terram incolunt, atque in ea „ verſantur, iis commiſſum eſt, ut ea, „ quæ in Cœlis ſunt, diſpenſent: iis da„ tum eſt, ut poteſtatem habeant, quam „ Deus optimus neque Angelis, neque Ar„ changelis datam eſſe voluit: neque enim „ ad illos dictum eſt: Quæcunque alliga„ veritis in terra, erunt alligata èt in Cœ„ lo, & quæcunque ſolveritis in terra, „ erunt ſoluta èt in Cœlo. Habent quidem „ & terreſtres Principes vinculi poteſta„ tem, verùm corporum ſolùm. Id autem

Poteſtas circa peccata collata Sacerdotibus.

„ quod dico, Sacerdotum vinculum, ipsam „ etiam animam contingit, atque ad Cœlos usque pervadit, usque adeo ut quæcunque infernè Sacerdotes confecerint, „ illa eadem Deum superoè rata habeat . . . „ Etenim quidnam hoc aliud esse dicas, nisi „ omnium rerum cœlestium potestatem illis „ a Deo concessam ? Quorumcumque enim, „ ait, peccata remiseritis, remittuntur eis, „ quorumcumque retinueritis, retenta sunt — Et Innocentius I. *in Epist. 1. ad Decentium* — „ Cæterum de pondere æstimando delictorum Sacerdotis est judicare, ut attendat „ ad Confessionem Pœnitentis —

Ministri deputati judicia exercent.

4 PROB. II. In bene ordinata Republica non omnes, sed præordinati a Principe Ministri judicia exercere possunt; sed Ecclesia est benè, immo optimè ordinata Respublica: ergo in ea non omnes, sed præordinati a Christo Ministri judicia fori exercere debent; atqui Apostoli, eorumque Successores ii sunt, qui a Christo Ministri deputati censentur, dicente Apostolo 1. ad Corinth. 4. v. 1. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*: ergo.

Potestas clavium cum scientia.

5 PROB. III. Ecclesiæ Ministri præter potestatem Clavium, pro recto ferendo judicio clavem scientiæ habere debent; Atqui solummodo Sacerdotes clavem scientiæ habent. Malach. 2. *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam*; atque ad ipsos dirigit Scriptura Fideles, *Et legem requirent ex ore ejus*: ergo.

Sacerdos Eucharistiæ Minister.

6 PROB. IV. Ad illos jure spectat relaxare crimina, ad quos pertinet salutis medicamen disponere; Sacramentum videlicet Eucharistiæ; Atqui ad solos Sacerdotes spectat salutis medicamen disponere; Per absolutionem siquidem probatur, quis sit idoneus ad Eucharistiam percipiendam; ait namque Leo Magnus *Epist. 97.*, *& de Pænit. dist. 1.* — Mediator Dei, & hominum homo Christus Jesus, hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut a „ confitentibus actionem pœnitentiæ darent, „ & eosdem salubri satisfactione purgatos, ad communionem Sacramentorum „ per januam reconciliationis admitterent — ergo.

Sacerdotes novæ legis antiquis subrogati.

7 PROB. V. Christus Leprosus misit ad Sacerdotes: *Luc. 17.*, *& Matth. 8.*; Atqui in Leprosis Peccatores designantur: ergo, ut absolvantur, Sacerdotali indigent ministerio; Hac ratione *Levit. 14.* solius Sacerdotis munus erat distinguere, Lepramque probare; ex quo Chrysostomus optimè infert solos Sacerdotes novæ legis expurgare posse Fideles a peccatis *lib. 3. de Sacerdotio cap. 5.* — Corporis Lepram purgare, seu „ ut veriùs dicam haud purgare quidem, „ sed purgatos probare Judæorum Sacerdotibus solis licebat . . . . At verò nostris „ Sacerdotibus, non corporis Lepram, „ verùm animæ sordes, non dico purgatos „ probare, sed purgare prorsus concessum „ est — Et Sanctus Hieronymus *in cap. 16. Matth.* — Quomodo ergo ibi Leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit; „ sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, „ & Presbyter — Vid. Disp. I. hujus Tract. Controv. I. in Resp. ad Object. XIV.

Potestas in corpus mysticum oritur a potestate in Corpus Christi reale.

8 PROB. VI. Potestas in mysticum Christi Corpus potestatem supponit in reale ejusdem Corpus; sicut enim mysticum corpus supponit reale, atque ab illo oritur, ita potestas in idem mysticum corpus a potestate in reale diffluit; soli autem Sacerdotes potestatem habent in reale Christi Corpus: ergo. Argumentum habemus ex D. Thoma *in Suppl. quæst. 8. art. 1.* — Dicendum, quod gratia, quæ in Sacramentis datur, a capite in membra descendit, & ideo solus ille Minister est „ Sacramentorum, in quibus gratia datur, qui habet ministerium super Corpus „ Christi verum, quod solius Sacerdotis „ est, qui consecrare Eucharistiam potest, „ & ideo cum in Sacramento Pœnitentiæ „ gratia conferatur, solus Sacerdos Minister est hujus Sacramenti — Et *in 4. quæst. 2. art. 2. ad 3.* explicat quo pacto collata sit Sacerdotibus absolvendi potestas — Dominus Discipulis dedit potestatem Sacerdotalem quantum ad principalem actum in Cœna, quando dixit: „ Accipite, & manducate; hoc facite „ in meam commemorationem? Sed post „ Resurrectionem dedit eis Sacerdotalem „ potestatem quantum ad actum secundarium, qui est ligare, & solvere, quando dixit, *Joan. 20.* Accipite Spiritum „ Sanctum, quorum remiseritis &c. — Si ergo absolvere a peccatis est actus secundarius Sacerdotii, præsupponi meritò debet Sacerdotium, ut talia actus validè exerceantur: Unde Tridentinum *Sess. 14. cap. 6.* oppositum errorem damnans ait — Circa „ Ministrum autem hujus Sacramenti declarat Sancta Synodus falsas esse, & a veritate Evangelii penitus alienas doctrinas, quæ ad alios quosvis homines præter Episcopos, & Sacerdotes Clavium „ ministerium perniciosè extendunt — Hinc Canone, qui est sextus ejusdem Sessionis, anathemate perculit asserentem — Modum „ confitendi soli Sacerdoti, quem Ecclesia „ Catholica ab initio semper observavit, „ & observat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inventum „ esse humanum — Hæresim hanc prius damnatam legimus in Constantiensi Concilio reprobante Wiclephi propositionem n. 1. relatam, & ab Eugenio IV. in Decreto pro instructione Armenorum, dum asserit Pontifex, quod — Minister hujus „ Sacramenti est Sacerdos habens auctoritatem absolvendi vel ordinariam, vel ex „ commissione Superioris —

§. I I.

OPPOSITA REFELLITUR HÆRESIS .

9 OBJIC. I. Non minus Pœnitantia est lapsis post Baptismum Sacramentam necessitatis, quam Baptismus nondum regeneratis; Atqui Baptismi Minister non est solus Sacerdos : ergo .

RESP. Baptismus haud ast Sacramentum mystico Christi Corpori collatom, sed Christianis, qui sacro regenerati lavacro, Christi membra efficiuntur, Sacramentum aotem reconciliationis membris Corporis Christi confertur, ea propter Ministrum asposcit, qui in reala Christi Corpus potestatem habeat. Addas Baptismi Sacramentam majoris esse necessitatis; cùm parvuli aliud non habeant mediam consequendæ salutis; adultis verò, ubi Sacerdotis copia deficit, superest contritio, qua justificari possant. Diserimen hoc adstraebat S. Thomas *in Suppl. quæst.* 8. *art.* 1. *ad* 2. -- Baptismus est magis Sacramentum necessitatis, quam Pœnitentia, quia quandoque Baptismus prætermitti non potest sine pericolo salutis æternæ, ùt patet in pueris, qui non habent usum rationis. Sed non est ita de absolutione, & Confessione, quæ tantùm ad adultos pertinet, in quibus contritio cam proposito confitendi, & desiderio absolutionis sufficit ad liberandum a morte æterna, & ideò non est simile de Baptismo, & absolutione --

Discrimen Baptismum inter, & Pœnitentiam .

10 OB. II. Jacobi 5. expresse legitur licere Confessionem apud quemcunque: Præcipit enim Apostolus ad invicem peccata confiteri, *Confitemini alterutrum peccata vestra* : ergo non solis Sacerdotibus .

RESP Alterutrum dixit Apostolus confitenda esse peccata, quia supposità hujus Sacramenti institutione jam apud Fideles notum arat Christum solos Sacerdotes reconciliationis Ministros deputasse. Audiatur S. Thomas *loco mox citato ad* 1. -- Jacobus loquitur ea suppositione divinæ institutionis, & quia divinitus institutio præcesserat de confessione Sacerdotibus facienda, per hoc quod eis potestatem remittendi peccata in Apostolis dedit, ùt patet *Joan.* 20. Ideò intelligendum est, quod Jacobus Sacerdotibus confessionem esse faciendam monuit -- Quo sensu intelligendus est S. Augustinus *lib.* 50. *Homil. Hom.* 12. ubi sic loquitur -- In omnibus Scripturis divinis salubriter, ac salubriter admonemur, ut peccata nostra debeamus jugiter, & humiliter non solùm Deo, sed etiam Sanctis, & Deum timentibus confiteri; sic enim per Jacobum Apostolum nos admonet Spiritus Sanctus : *Confitemini alterutrum peccata vestra* -- Confessio itaque facienda est timentibus Deum, sed qui Sacerdotio inaugurati sint; ad hos quippe descendit a Deo potestas effectiva in ordine ad conficienda Sacramenta; per quam Christo capiti in eodem genere effectivè sunt conjuncti, & non solùm ùt membra, sicut quilibet timens Deum Christo conjunctus asseritur .

Cõfessio apud Sacerdotes a Christo instituta .

11 DICES . S. Augustinus *lib. de vera, & falsa Pœnitentia cap.* 10. apertè docet, deficiente Sacerdote, confessionem Laico faciendam esse -- Tanta vis est confessionis, ut si desit Sacerdos, confiteatur Laico -- ergo .

RESP. Auctor operis illius non jam loquitur de Sacramentali Confessione, sed de illa, quæ ad humilitatem deservit, ex qua Deus movetur ad condonanda per contritionem peccata, si Sacerdotis copia desit. Sed de hoc iterum erit sermo.

Confessio corã Laico ad humilitatem .

12 OB. III. Martinus V. in interrogationibus faciendis suspecto de Hæresi ait -- Confitendum soli Sacerdoti, & non Laico, si sit copia Sacerdotis -- ergo sensit Laicum sufficientem esse Ministrum Sacramenti Pœnitentiæ, saltem in casu necessitatis .

Martinus V. explicatur .

RESP. Nullimodè Pontifex astruit, deficiente Sacerdote, Laico confitendam esse, cum illa propositio non faciat sensum ab Hæreticis intentum, Laico videlicet confitendam si desit Sacerdos, sed confitendum Sacerdoti, si ejusdem copia adsit, non autem Laico. Unde potius oppositum evincitur .

13 OBJIC. IV. S. Thomas *in Suppl. q.* 8. *art.* 2. inquirens -- An in aliquo casu liceat aliis, quam Sacerdotibus confiteri? -- *In corpore articuli reponit* -- In necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet, ut ei confessio fieri possit -- Hujusque opinionis immediatè rationem attulerat, videlicet -- Sicut Baptismus est Sacramentum necessitatis, ita èt Pœnitentia. Baptismus autem, quia est Sacramentum necessitatis, duplicem habet Ministrum; unum cui ex officio baptizare incumbit, scilicet Sacerdotem; Alium, cui ratione necessitatis dispensatio Baptismi committitur, & ita Minister Pœnitentiæ, cui confessio est facienda, est Sacerdos, sed in necessitate etiam Laicus vicem Sacerdotis supplet &c. -- Hocque saltem de venialibus fatendum est, cùm a Ven. Beda *in cap.* 5. Jacobi apertè statuatur -- In hac sententia, videlicet : *Confitemini alterutrum peccata vestra*, illa debet esse discretio, ut quotidiana, leviaque peccata coæqualibus alterutrum confiteantur; Porrò gravioris Lepræ immunditiam Sacerdoti pandamus, atque ad ejus arbitrium qualiter, & quanto tempore jusserit purificari curemus --

RESP. Aliquando ea viguit disciplina confitendi peccata Laico, verùm nunquam vim legis obtinuit, neque confessio reputabatur Sacramentalis, sed ad humiliationem, atque ad excitandum dolorem ordinata. Hinc Sanctus Thomas *loco laudato in resp. ad* 1. talem confessionem vocat Sacramentalem quodammodo -- Quando necessitas imminet, debet facere Pœnitens, quod ex parte sua est, scilicet conteri, & confiteri cui potest, quod quamvis Sacramentum perficere non possit, ut faciat id, quod ex parte Sacerdotis est, absolutionem scilicet, defectum tamen Sacerdotis „ sum-

Confessio ad humiliationẽ Laico fiebat .

„ summus Sacerdos supplet : Nihilominus „ Confessio laico ex desiderio Sacerdotis facta Sacramentalis est quodammodo, quamvis non sit Sacramentum perfectum, quia deest ei id, quod est ex parte Sacerdotis -- Et clariùs *in resp. ad 3.* -- Et ideo quamvis „ ille Laico confessus in articulo necessitatis consecutus sit veniam a Deo, ex quod „ propositum, quod concepit, confitendi secundùm mandatum Dei, sicut potuit, implevit : non tamen adhuc Ecclesiæ reconciliatus est, ut ad Sacramenta „ Ecclesiæ admitti debeat, nisi prius a Sacerdote absolvatur . . . & ideo oportet, „ quod iterum confiteatur Sacerdoti, cum copiam habere potuerit, & præcipuè, quia, „ ut dictum est, Sacramentum Pœnitentiæ „ perfectum non fuit : unde oportet quod „ perficiatur -- Hæc S. Thomas, ex quibus dilucidè patet prædictam confessionem Laico factam non esse sacramentalem, sed deservire ad dolorem excitandum, adeoque, dum in Resp. ad 2. asserit, quod *debet* Laico fieri confessio, deficiente Sacerdote, intelligi debet de debito decentiæ, non præcepti. Nec intentio Ven. Bedæ alia est, sed unicè suadet, ut ad humilitatem venialia confiteantur, cum graviora quandoque propter scandalum, quod fobriri potest, non sit convenieus, quod promulgentur.

Paritas autem Baptismum inter, & Pœnitentiam in eo sita est, quod sicut a Laico suscipi debet, sacro deficiente Ministro, regenerationis lavacrum, ita confessio Laico facienda esset, si non posset sufficientem elicere dolorem, nisi illi confiteretur.

Reprobant quidam confessionem Laico factam ad humilitatem.

Hujuscemodi Confessio vel ad humiliationem, vel ad excitandum dolorem reprobatur a Scoto ; quia absque rationabili causa esset ad infamiam Pœnitentis ; cùm Sacramentum revera nullum sit ; & aliàs scandala oriri possint, cum Laicus sigillum servare non teneatur ; & insuper videtur protestatio quædam hæresis docentis Confessionem non Sacerdoti fieri posse.

Cæterum talem Confessionem convenientem esse suadent momenta mox indicata, nec non Canones infra addacendi ; Nec Scoti instantiæ quidquam evincunt : Non prima, quia infamia parùm reputatur, si utilitas inde spectetur, levamen videlicet Pœnitentis, doloris excitatio, quo Deus placatur, & alia hujusmodi. Non secunda, quia etsi Laicus ad sacramentale sigillum non teneatur, naturali tamen ligatur ; ex propter scandalum de facili non imminet. Non tertia, quia Laicus, cui revelantur peccata, prudentiâ pollere debet ; Unde nulla de hæresi suspicio. Maximè cum Laicus absolutionem impertiri non debeat, quam si proferret, & graviter peccaret, & certò certiùs fieret irregularis, ex cap. *Si quis*. De Clerico non Ordinato.

14 OB. V. In Ecclesia olim mos invaluerat Diaconos reconciliare Pœnitentes, deficientibus Episcopis ; Atqui hujusmodi reconciliatio per Sacramentalem absolutionem habebatur : Nam habemus ex S Cypriano *Epist.* 12. -- Occurrendum puto fra„ tribus nostris, ut qui libellos a Marty„ ribus acceperunt, & prærogativa eorum „ apud Deum adjuvari possunt, si incom„ modo aliquo, & infirmitatis periculo oc„ cupati fuerint, non expectatâ præsentiâ „ nostrâ apud Presbyterum quemcumque „ præsentem, vel si Presbyter repertus non „ fuerit, & urgere exitus cœperit, apud „ Diaconum quoque exomologesim facere „ delicti sui possint -- Ex Alcuino *lib. de Divinis Officiis cap. de Jejunio* -- Si necessitas „ evenerit, & Presbytero non fuerit præ„ sens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, & „ det ei Communionem -- Clariùs ex Concilio Eboracensi anno 1194. -- Decernimus „ autem, ut non nisi summa, & gravi „ urgente necessitate Diaconus baptizet, aut „ Corpus Christi eroget, vel pœnitentiam „ confitenti imponat -- Concilium Londinense similia refert.

Diaconi reconciliabant Pœnitentes publicos.

RESP. Ecclesiastica disciplina, quæ ex antiquitate affertur, non erat de Sacramentali absolutione, sed de quadam exteriori cæremonia, qua reconciliabatur Pœnitens in faciem Ecclesiæ, & hæc Diaconis quandoque committebatur, sicut èt Eucharistiæ administratio. Hoc porrò S. Cyprianum intendere palàm fit ex contextu ; Subdit namque -- Ut manu eis in pœnitentia imposita, „ veniant ad Dominum cum pace, quam „ dari Martyres literis ad nos factis deside„ raverunt -- Reconciliabantur publicè Pœnitentes manuum impositione, & peractis pœnitentialibus gradibus ; Martyres verò Episcopos exorabant, ut mitius cum ipsis agerent, saltem in casu necessitatis. Exaudiebantur Martyrum vota, & Diaconis reconciliatio injungebatur, quamvis Sacramentalis absolutio nullimodè ipsis competeret. Utvis tamen S. Martyr loquatur de exomologesi in extrema vitæ periodo peragenda, quæ sacramentalis videtur, nihilominusminus haud sic intelligi debet, sed de publica, ut latiùs dicetur, cum de publicè Pœnitentibus erit sermo. Idem dicas ad auctoritatem Alcuini, & Concilii sive Eboracensis, sive Londinensis.

15 INSTABIS. Cap. *Si fures*, extra *de furtis* apertè declaratur Confessionem Sacramentalem valere necessitatis tempore apud Diaconum ; Legitur enim -- Si fures furan„ do comprehensi, & vulnerati Presbytero, „ vel Diacono confessi fuerint, communio„ nem eis non negamus -- Si igitur æquiparatur Confessio facta Diacono Confessioni factæ Presbytero, jam planè fit hanc esse Sacramentalem.

Canones explicandi.

RESP. Concilium Tiburiense, a quo caput illud desumptum fuit, nullam de Diacono mentionem facit : Habet enim -- Si „ fures comprehensi Deoque, & Sacerdoti „ confessi &c. -- Ex propter vim nullam habet instantia. Si autem velis non mendosum, sed genuinum esse Canonem illum, dicetur ibi loqui relatè ad Diaconum non de confessione in re sacramentali, sed in voto : Hoc est, si fur vel apud Presbyterum revera confiteatur, vel apud Diaconum pœnitentiæ signa dederit, ad Communionem admittatur.

CON-

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN SACERDOS QUILIBET COMPLETAM EX PARTE POTENTIÆ HABEAT JURISDICTIONEM ABSOLVENDI A PECCATIS.

Spiritualis potestas duplex.

16 DUplicem dari spiritualem potestatem Ordinis videlicet, & jurisdictionis præsupponit Controversiæ titulus: Ordinis potestas est ipsemet Sacerdotalis character, qui in Sacra Ordinatione confertur. Hic porrò habitudinem importat tum ad reale Christi Corpus ex pane producendum, tum ad mysticum, qua Sacerdos capax constituitur ad ea munera exercenda, quæ ad Ecclesiæ membra spectant; Potestas jurisdictionis ea censetur, quæ juridicam superioritatem dicit ad alium, & per quam unus alteri subditur; cum ex D. Paulo de iis, qui foris sunt, hoc est, non subditis Ecclesia non judicet.

Duplex jurisdictio.

17 Jurisdictio hæc utvis ex parte principii se teneat, attamen non est physica aliqua potentia Sacerdoti intrinseca, sed solummodo moralis in legitima deputatione ad juridica munia peragenda consistens, & circa duplex forum versatur, interius unum, exterius aliud: Exterius illud est, in quo politicæ expediuntur causæ; interius, in quo æternæ salutis momenta expenduntur. Jurisdictio dividitur quoque in ordinariam, quæ in iis residet, qui Pastoralia munera habent, & in delegatam, quæ iis competit, qui ab habente ordinariam potestatem deputantur, ut juridicos actus in Christi membra valeant exercere.

Absolutio Sacramentalis supponit jurisdictionem.

18 Controversiæ titulus supponit pariter in Sacerdote, ut sacramentalem absolutionem impertiri possit, jurisdictionem desiderari: pro comperto siquidem est ex divina institutione absolutionem esse in foro interiori juridicam sententiam. Ad munus autem Judicis jurisdictio apprimè necessaria est: Judex namque debet auctoritatem habere obligandi; Porrò nemo obligat nisi subditum; Hoc sanè definitum est in Conciliis mox adducendis.

19 Difficultas itaque versatur, an jurisdictio hujusmodi completivè considerata singulis sit collata Sacerdotibus in Ordinatione, an verò pro libito ab Ecclesia conferatur. Momentosa est præsens Controversia: Etenim si cuilibet Sacerdoti competat ex vi Ordinationis completa facultas jurisdictionis, jam Sacerdos quilibet validè quosque absolvere potest, etsi Ecclesia id vetet, quo pacto validè Sacerdos quilibet consecrare quit, renuente etiam sub anathemate Ecclesia. Diximus completivè; nam jurisdictio ad absolvendum a peccatis initialiter, seu fundamentaliter per Sacerdotalem characterem habetur; & quidem loquimur ex parte principii, sive subjecti; applicatio siquidem materiæ aliundè auferri, aut negari potest; sicut Sacerdos ex parte potentiæ potestatem habet ad validè consecrandum, verùm materiæ applicatio impediri potest.

20 Armacanus *lib. 11. de Quæst. Armenorum* pluribus conatur ostendere Sacerdotes singulos in sua Ordinatione sortiri ex parte principii completam in omnes Christi Fideles jurisdictionem, eaque propter juris esse divini. Idem docuit Navarrus cap. *Placuit. de Pænit. dist. 6.*, nihilominusminus subdit jurisdictionem hanc ab Ecclesia impediri posse.

21 Dicendum tamen cuilibet Sacerdoti ex vi Sacræ Ordinationis nequaquam convenire jurisdictionem ad absolvendum a peccatis.

Apostolis quando collata potestas jurisdictionis.

PROB I. Christus in ultima Cœna Apostolos ad Sacerdotium elevavit; Atqui tunc temporis jurisdictionem ad absolvendum a peccatis non contulit, sed post Resurrectionem, ut habetur *Joan.* 20. ergo in Sacra Ordinatione Sacerdotes ea non sunt insigniti potestate: ergo distincta est a potestate Ordinis; diverso siquidem tempore confertur.

Potestas in Fideles non est ex Ordinatione.

22 PROB. II. Jurisdictio dicit deputationem potestatis supra oves Christi; Sed istam non jam vi sacræ Ordinationis recipiunt Sacerdotes, verùm ubi instituuntur Pastores, vel Pastorum vices gerunt, Ad Titum 1. *Hujus rei gratia reliqui te Cretæ, ut ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per Civitates Presbyteros, sicut & ego disposui tibi*; ergo.

Quæ sunt Ordinis non dependent ab Ecclesia.

23 PROB. III. Si jurisdictio completivè in actu primo vi Sacræ Ordinationis haberetur, accedente Ecclesiæ prohibitione valida esset, utvis illicita Sacramentalis absolutio; ea planè ratione, qua stante excommunicatione valida est consecratio; Atqui hoc falsum esse propalam docent Concilia, quæ perpetuò asserunt absolutionem a simplici Sacerdote nullius esse momenti, ut aliis omissis declarat Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 7. — Quoniam natura, & ratio judi-
„ cii illud exposcit, ut sententia in subdi-
„ tos feratur, persuasum semper in Eccle-
„ sia Dei fuit, & verissimum esse Synodus
„ hæc confirmat, nullius momenti absolu-
„ tionem esse debere, quam Sacerdos in
„ eum profert, in quem ordinariam, aut sub-
„ delegatam non habet jurisdictionem —

Potestas Ordinis, & jurisdictionis distincta.

24 PROB. IV. Jurisdictionis potestas ab Ordinis potestate separatur, ut videre est in Episcopo electo, sed non consecrato, qui plenissimam sortitur jurisdictionem in omnes oves suæ Diœcesis, quam ipse in foro sacramentali nequaquam valet exercere: ergo Jurisdictionis potestas satis discriminatur ab Ordinis potestate: Etenim separatio realis distinctionis signum est, eaque propter in Sacra Ordinatione illam nequaquam recipi dicendum est.

Jurisdictio delegata, & ordinaria.

25 PROB. V. Sicut in humana Republica adinvenitur & ordinaria potestas jurisdictionis, & extraordinaria, ita in Ecclesiastica Hierarchia, ubi sunt, qui mittunt,

tuur, & mittuntur, quod egregiè dilucidat D. Bernardus ad exemplum cœlestis Hierarchiæ; Atqui si Sacerdos quilibet in Sacra Ordinatione jurisdictionem reciperet in foro Pœnitentiæ, jam non daretur jurisdictio ordinaria distincta a delegata: Omnes etenim illam æqualiter reciperent, sicut videre est in potestate in reale Christi Corpus: ergo.

Quædam afferri possent instantiæ contra adductas rationes, sed his fiet satis in solutione argumentorum.

§. II.

ADVERSARIORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

26 OBJIC. I. Episcopus Diaconum in Presbyterum consecrans non minus illi impertitur potestatem conficiendi Christi Corpus, ac absolvendi Fideles a peccatis: ait namque: *Accipite Spiritum Sanctum; Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c.*; sed per primam adæquatè confert Ordinis potestatem: ergo per secundam confert illam jurisdictionis.

Potestas Ordinis fundamentum jurisdictionis.

RESP. Per laudata verba nonnisi physica potestas absolvendi ab Episcopo confertur, quæ sanè alia non est, nisi Ordinis character, aut ejusdem extensio; non verò moralis illa potestas juridicam ferendi sententiam in subditos. Utraque potestas ad judicandum necessaria planè est, illa quidem ut fundamentum, hæc autem ad actuale exercitium; qualibet ex his deficiente nulla est sententia, ut in humanis videre est. Ea propter in Sacra Ordinatione apti fiunt Sacerdotes ad judicandum, sed nullam possunt proferre sententiam, usquedum Fideles illi per deputationem non subdantur. Hinc habemus Christum illa verba ad Apostolos direxisse, quando illos misit prædicare in Mundum universum, seu quando supra gregem suum ipsos Pastores constituit, ideo præmisit: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, ex quo clarè fit tunc jurisdictionem conferri, quando Sacerdotes vel ad Pastoris munus assumuntur, vel Pastorum coadjutores declarantur.

27 INSTABIS. Sacerdotes sunt immediati Apostolorum successores; Sed Apostoli potestatem jurisdictionis immediatè a Christo habuerunt, ergo etiam Sacerdotes; Atqui aliter a Christo immediatè habere nequeunt nisi in Sacra Ordinatione: ergo.

Sacerdotes Apostolis succedunt quoad Sacerdotium.

RESP. Simplices Sacerdotes successores sunt immediatè Apostolorum in Sacerdotali gradu, secus in spirituali Ecclesiæ regimine; Etenim quoad hoc munus succedunt Episcopi, a quibus Sacerdotes destinantur Judices, adeoque ab ipsis jurisdictionem accipiunt.

28 OB. II. Jurisdictionis potestas ad absolvendum a peccatis est Sacramentalis: Ordinatur namque ad Sacramentum conficiendum; Atqui nonnisi media sanctificatione hujusmodi potestas confertur; cumque nulla intercedat sanctificatio, nisi quando Diaconus Sacerdotio initiatur: ergo dicendum tunc hujusmodi potestatem conferri.

Character aptat Sacerdotes ad jurisdictionem.

RESP. Sufficienter per actionem sanctificativam conferri jurisdictionem in radice, hoc est, in productione characteris, quo Sacerdos aptus constituitur, ut in Pastorem, & Judicem assumi possit, cum habitudo supra mysticum Christi Corpus ex potestate in reale ejusdem Corpus descendat.

29 OB. III. Judicium in illius nomine exercetur, qui proximè jurisdictionem confert; Unde in Regis nomine Senatus absolvit, vel damnat reum; Atqui Sacerdos non jam absolvit in nomine Episcopi, sed Christi: ergo non ab Episcopo, sed a Christo datur jurisdictio, ideoque in Ordinatione.

Gratia a Deo principaliter.

RESP. Sacramentalis absolutionis judicium est culpæ remissivum per infusionem gratiæ: Remissio autem culpæ, gratiæque productio est a Deo tanquam a principali causa; Jurisdictio enim potentiam proximam instrumentalem unicè complet, ac proinde non in nomine Episcopi, sed potius Christi profertur sententia.

30 OB. IV. Prima Ecclesiæ ætate absque ulla speciali deputatione Sacerdos quilibet Fidelium Confessiones excipiebat: Illa enim deputatio a divisione Episcopatuum, & Parochiarum ortum habuit; Atqui ejusdem rationis, & auctoritatis sunt Sacerdotes: ergo si illi jure divino media Ordinatione, jurisdictionem obtinebant, ita & nostri.

Primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes deputabat ad Confessiones.

RESP. Instantia facilè corruit ex auctoritate Apostoli *ad Titum* 1. in Prob. II. allata, ubi clarè innotescit ab Apostolis deputatos Sacerdotes, qui Pastoris munia exercerent, quorum præcipuum sanè est Fidelium crimina relaxare, Deoque per sacram Confessionem reconciliare. Forsan equidem omnes tunc temporis deputabantur vel quia pauci numero, vel quia consecrabantur in Episcopos.

31 OB. V. Ejusdem rationis est Pœnitentiæ Sacramentum in mortis articulo, ac extra illum; Atqui in mortis articulo Sacerdos quilibet Sacramentum hujusmodi ministrare potest; aliàs non satis provisum esset æternæ Fidelium saluti; cum jurisdictio revocari posset: ergo extra mortis articulum omnibus per sacram Ordinationem jurisdictio confertur.

In mortis articulo Sacerdos quilibet jurisdictionem habet.

RESP. In mortis articulo quilibet Sacerdos moribundi Confessionem excipiens plenam habet circa ipsum jurisdictionem ab Ecclesia perbenignè concessam, ut clarè evincitur ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 7. -- „ Verumtamen piè admodum, ne hac ipsa „ occasione aliquis pereat, in eadem Ec- „ clesia Dei custoditum semper fuit, ut „ nulla sit reservatio in articulo mortis; „ atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet „ pœnitentes a quibusvis peccatis, & cen- „ suris absolvere possunt -- Nec hujus facultatis revocationem suspicari usquam rationabiliter quis potest: Etenim Spiritus Sanctus præsto est Ecclesiæ usque ad con-

som-

summationem secali. Privilegium hoc in veriori sententia ad probabile, & rationabile mortis periculum extenditur, ut esset prælium, periculosa navigatio; quod sanè dici etiam potest de Captivis apud Barbaros, dum nulla suppetit redemptionis spes, aut non nisi ad longum tempus. Non enim e pietate Ecclesiæ est nolle jurisdictionem supplere; cum solicita adeo sit de suarum ovium salute. Privilegium pro mortis articulo extenditur etiam ad absolutionem a reservatis, quod si adnexam habeant Censuram a simplici Sacerdote absolutus tenetur ad reincidentiam, si convaluerit, aut cum poterit, ad Superiorem accedere, ut se absolutum, paratumque ad obediendum legitimo Superiori se esse profiteatur. Cap. *Eos qui. De Sent. Excommunicationis in 6.* Cessat tamen privilegium si approbatus adsit Sacerdos sive proprius Pastor, sive delegatus; quia eo in casu nec deest Confessarii copia, nec urget necessitas; & Ecclesia nunquam intendit Hierarchicum Ordinem invertere; Quod si Sacerdos simplex Confessionem cœperit audire, & approbatus superveniat, prosequi potest, cum inceptum sit judicium, eaque propter in possessione jurisdictionis; Si autem casus eveniat, ut a simplici Sacerdote absolutus alicujus obliti recordetur, supervenienti approbato confiteri tenetur, quia est velut nova Confessio. Adstantibus approbatis, quorum unus facultatem habet absolvendi a reservatis, non alter, moribundus reservatis irretitus habenti potestatem in reservata confiteri debet. Nota approbatum Confessarium illum censeri, qui per Ordinarium moribondi ad sacrum munus deputatus est; si enim Sacerdos sit tantummodo in aliena Diœcesi approbatus, in hac ut simplex Sacerdos reputatur.

32 OB. VI. Ejusdem naturæ, ejusdemque institutionis est Sacramentum a Papa, ac a reliquis Fidelibus susceptum; Atqui Confessarius Papæ a Deo, & quidem media Sacerdotali Consecratione, auctoritatem, seu jurisdictionem habet. Etenim Confessarius Papæ ab inferiori Prælato jurisdictionem habere nequit, nec ab ipso Papa, qui jurisdictionem, quam non habet, alteri impertiri nequit. Non enim Pontifex seipsum potest absolvere, sicut nec potest seipsum excommunicare: ergo.

Pontifex ut peccator alteri subditur. RESP. Ab ipsomet Pontifice Confessarius jurisdictionem habet: Utvis enim seipsum formaliter absolvere nequeat Pontifex, habet tamen, quo possit supra se ipsum in foro interno jurisdictionem concedere Hocque explicat S. Thomas *in Suppl. q* 8. *art.* 4. *ad* 4. Nam Papa licèt omnibus præmineat, nulliqne subjiciatur, absolvitur tamen ùt peccator, secundum quod inferior est suo Pœnitentiario, sicut Medicus ab alio curatur, non ùt Medicus, sed ùt infirmus. Breviùs. Pontifex plenitudinem habet potestatis concedendi jurisdictionem supra omnes absolutione indigentes; hos inter ipsemet ùt peccator comprehenditur. Secus est de excommunicatione, quæ ad vim coactivam spectat.

33 OB. VII. Sacerdos quilibet ex vi sacræ Ordinationis potest Pœnitentes a venialibus absolvere: ergo etiam a mortalibus: In Sacramento siquidem Pœnitentiæ utraque dimittuntur per modum judicii; adeoque pro utrisque jurisdictio requiritur, sicut pro utrisque exigitur dolor: Si igitur Sacra Ordinatione jurisdictio pro venialibus collata intelligitur, multò magis pro mortalibus, ad quæ per se primò characteris potestas ordinatur.

Pro venialibus requiritur jurisdictio. RESP. Ante prohibitionem Innocentii XI. an. 1679. emanatam Sacerdotes simplices Confessionem quidem venialium excipiebant, non quidem ex vi characteris Ordinis, sed quia vel ex jure communi, vel ipsius Ecclesiæ concessione jurisdictio conferebatur. Unde argumentum nihil concludit: Nullus etenim hanc concessionem in ordine ad mortalia simplici Sacerdoti rationabiliter adjudicavit.

34 OB. VIII. Optimè stat in Sacerdotali Consecratione dari cuilibet jurisdictionem, & tamen actum nullum effici per Ecclesiæ prohibitionem subtrahentem materiam: Christus namque eam contulit potestatem cum subordinatione ad Prælatos Ecclesiæ: ergo ita sentiendum est; hoc siquidem modo clariùs Scripturæ, atque Sacerdotalis dignitas salvantur.

Potestas consecrandi, ac absolvendi diversa. RESP. Deus aliter disposuit, ac Adversarii interpretantur: Verba siquidem, quibus in Ordinatione dicitur singulis jurisdictionem concedi, absoluta sunt, nec Adversantium expositionem patiuntur; aliàs dicere possemus concessam pariter potestatem Consecrandi cum subordinatione ad Ecclesiæ Prælatos, atque irritari posse Eucharistiæ Consecrationem, quod tamen nemo unus dicere audebit. Itaque prohibitio in dicto casu non irritam, sed illicitam redderet absolutionem, sicut a pari evincitur de Eucharistiæ confectione, quæ, vetante Ecclesia, illicita, non jam irrita censetur. Est autem certò certiùs Ecclesiam spoliare Sacerdotes jurisdictione: ipsa ergo illam confert.

35 Nec juvat expendere momentum ab aliquibus excogitatum, atque desumptum a simili de jurisdictione collata Papæ immediatè a Deo, positâ solummodo designatione Personæ per Electores; unde inferri meritò videtur jurisdictionem Sacerdoti immediatè conferri a Deo, positâ ab Ecclesia designatione Subditorum. Etenim Papa cum in supremo sit gradu Ecclesiasticæ Hierarchiæ, a nemine infra Deum jurisdictionem recipere quit; ea propter necesse est illam immediatè a Deo habere; Et hujus clara suppetit ratio; Nam Christus immediatè omnibus Petri Successoribus, posita Personæ designatione, claves contulit, sicut immediatè anima quælibet comprehensa est in peccato Adæ actualiter inficientis, posita conceptione: Sacerdotes verò, aliique Ministri sunt Judices primo Hierarchiæ capiti subordinati; quare naturali dispositione unus alteri subordinari debet, ab eoque dependere. Addas Confessarium esse & Christi, & Ecclesiæ Ministrum, Deo & Ecclesiæ peccatorem reconciliantem: ergo videtur ex vi proportionis aliquid potestatis a Deo esse impertiendum, & hoc character est, & aliquid immediatè ab Ecclesia, & est jurisdictio. *Papa immediatè a Deo jurisdictionē recipit.*

CON-

CONTROVERSIA III.

§. I.

AN AD VALIDAM ABSOLUTIONEM PROBABILIS SUFFICIAT JURISDICTIO.

36 Polemicas inter Controversias præsentem, sicut & similes adnumeramus, quæ propugnant legitimam proscriptionem quarundam propositionum Pontificia auctoritate factam, ut vis alia plurima inferantur, quæ expancta non sunt; & examen de valida absolutione in casu Controversiæ versatur tum circa Ordinarium, tum circa Delegatum Ministrum.

Minister ordinarius quis.

37 Ordinarius Sacramenti Pœnitentiæ Minister ille est, qui Pœnitentium est Pastor; & est Papa pro universo terrarum Orbe, in sua Diœcesi Episcopus, Parochus in sua Parochia; cumque Vicarii Generalis Tribunal juxta Can. 2. *de Consecrationibus in 6.*, & cap. *Romana de Appellationibus*, unum cum Tribunali Episcopi constituat, ejusdemque repræsentet Personam, hinc fit, ut prædictus Generalis Vicarius ordinariam habeat jurisdictionem, sicut alius quilibet Generalis Vicarius illorum Prælatorum, qui Episcopalem sortiuntur jurisdictionem; simili ratione loquendum est de Vicario Generali a Capitulo, Sede Vacante, electo, cum ipsum Capitulum, quod tunc ordinariam habet jurisdictionem, referat.

Episcopi olim Papæ confitebantur.

38 Ut refert Fagnanus *in 2. p. lib. V. Decret. de Pœnit., & remiss.* cap. *Nec pro dilatione* -- Ex juris communis dispositione „ Episcopus debet confiteri Archiepiscopo, „ Archiepiscopos Patriarchæ, Patriarcha „ Papæ, ut plenè per Hostien. *In summa*, „ *eodem tit.* §. *Cum confitendum*. Sed quia „ hujusmodi Prælati habent Superiores ni„ mis distantes, propterea fuit eis conces„ sum Privilegium, de quo in textu nostro, „ ut hic advertit Abb. num. 2. Similiter „ Prælati exempti, de quibus loquitur litera „ hujus textus, de jure confiteri debent Papæ, „ cui subsunt immediatè: de his enim in„ telligitur hæc Decretalis, & non de aliis „ Prælatis exemptis habentibus supra se „ alium Superiorem, ut Prior Abbatem „ Generalem . . . Sed quia prædicti exem„ pti Papæ immediatæ subjecti itidem nimis „ distabant a Curia Romana, idcircò fuit „ eis concessum Privilegium sibi eligendi „ Confessorem, ne pro dilatione Pœniten„ tiæ periculum immineat animarum -- Nunc igitur Episcopus, aliique exempti eligere sibi possunt discretum Confessarium, quem velint, ita quod approbatum a suo Ordinario eligere debent, quando apud non sibi subditum volunt confiteri, prout declaravit Sacra Congreg. Concilii Tridentini *in cap.* 15. *Sess.* 23. Eodem gaudent privilegio Regulares jurisdictionem in utroque foro habentes, nequeant tamen sibi sæcularem Sacerdotem assumere non approbatum a suo Ordinario, ut declaravit Alexander VII. præcisivè tamen a Privilegio.

Parochus approbatum sibi eligere potest Confessarium.

39 Parochus quamvis immediatè Episcopo subdatur, Confessarium sibi ex consuetudine eligere potest, ex approbatis tamen; Oppositum namque proscriptum legimus ab Alexandro VII. Prop. 16. -- Qui „ Beneficium Curatum habent, possunt sibi „ eligere in Confessarium simplicem Sacer„ dotem non approbatum ab Ordinario -- Hinc a fortiori pro suis ovibus nequit non approbatum deputare. Episcopus, & Parochus extra suam Diœcesim, absolvere suum subditum possunt: Non enim ibi contentiosa intervenit causæ cognitio. Vagi a Pastoribus loci, ubi reperiuntur, absolvi possunt; Peregrini verò ex proprii Pastoris permissione Ministri Locorum, per quæ transeunt, confitari possunt; dummodo in fraudem id non peragant; Qui duplex habet domicilium, utrobique potest per Confessionem Deo reconciliari; sicut & illi, qui majori, seu per notabilem anni partem extra Patriam morantur, ne diu absolutionis beneficio careant.

Minister delegatus quis.

40 Huc usque de Ordinario Ministro fuit sermo, nunc de Delegato dicimus illum, qui non jam ex suo munere, sed ex facultate Delegantis, videlicet ordinariam habentis jurisdictionem, ut sunt Pontifex, Episcopus, Generalis Vicarius, quibus additur summus Pœnitentiarius, illum, inquam, Ministrum delegatum censeri. Hic porrò subdelegare nequit, nisi id expressè habeat in mandatis; ea propter Regularis delegatus subdelegare nequaquam potest.

Jurisdictio sensibili signo conferenda.

41 Qui per delegationem alicui munus aliquod committit, exteriori signo hoc indicare debet: Jurisdictio namque humano, sensibilique modo conferenda est, ita ut ab alio cognoscatur; Non tamen necesse est, ut scripto declaretur: Oportet tamen absolutam adesse voluntatem, nec præsumpta sufficit, ut si Episcopus sciret, vel facultas exposceretur, concederet; Siquidem jurisdictionis existentia est conditio ad delegationem necessaria, multoque minus sufficiens censenda est jurisdictio per ratihabitionem de futuro: Etenim, ut valida sit Confessio, adæquata potestas de præsenti necessaria est, & Confessio semel invalida, nequaquam per ratihabitionem revalidari potest. Ratihabitio ad illos retrotrahitur contractus, qui ab initio invalidi convalidari inde possunt; Hos inter nequaquam sacramentales actiones adnumerantur. His positis ad propositam difficultatem descendimus.

42 Pro qua supponendum tanquam certum ad validam absolutionem non sufficere dubiam jurisdictionem, nisi in casu urgentis, gravisque necessitatis, quo & Sacerdos sub conditione absolvere, & Pœnitens debet esse paratus iterum confiteri habenti certam jurisdictionem, proinde difficultas circa probabilem jurisdictionem versatur, & quidem verè probabilem; nam de tenui probabilitate nullus sermo, cum neque circa ea, quæ minoris momenti sunt, possit deservire.

43 Dicendum itaque ad validam absolutionem

Digitized by Google

lutionem non sufficere probabilem jurisdictionem. Unico momento res clarescet. Illud nullimodè ad validam Sacramentum sufficit, per quod frustrationis periculo exponitur, ut pro comperto quisque habere debet; Atqui cum probabili jurisdictione Pœnitentiæ Sacramentum periculo frustrationis exponitur: ergo sola probabilis jurisdictio ad validam absolutionem non sufficit. Explicatur minor propositio. In iis, quæ necessariò pro Sacramenti valore requiruntur, probabilitas exponit periculo nullitatis Sacramentum: Valor enim rei in tantùm subsistit, in quantùm propria ejusdem constitutiva apponuntur; porrò Pœnitentiæ Sacramenti constitutiva alia sanè non sunt, nisi quæ Christus instituit, quam institutionem sicut nusquam Ecclesia variare potest, ita multò minus Doctorum opiniones possunt immutare. Quare toties frustrationis periculo exponitur Sacramentum, quoties ea non apponuntur, quæ certò cadunt sub divina institutione; Probabilitas autem in conspectu probabilioris, ac tutioris de valore non certò apponit, quæ ab Institutore sunt determinata, ac proindè certò peccat, qui soli innititur probabilitati; At jurisdictio est necessariò ab Institutore requisita ad Sacramenti Pœnitentiæ valorem: ergo sola probabilis jurisdictio ad validam absolutionem non sufficit. Minor non nisi ab Hæretico negabitur; nam ex Eugenio IV. in instructione Armenorum, ubi de Pœnitentiæ Sacramento -- Minister hujus Sacra„ menti est Sacerdos habens auctoritatem „ absolvendi vel Ordinariam, vel ex com„ missione Superioris -- Et ex Tridentino *Sess* 14. *cap.* 7. -- Quoniam igitur natura, „ & ratio judicii illud exposcit, ut senten„ tia in subditos dumtaxat feratur, persua„ sum semper in Ecclesia Dei fuit, & ve„ rissimum esse Synodus hæc confirmat, „ nullius momenti absolutionem eam esse „ debere, quam Sacerdos in eum profert, „ in quem ordinariam, aut subdelegatam „ non habet jurisdictionem -- Hic declaratur nullum esse Sacramentum sine jurisdictione, & aliàs satis innuitur ipsam requiri ex jure divino, cum asseratur institutam esse Sacramentum per modum judicii, quæ institutio utique a Christo fuit.

Jurisdictio probabilis incerta pro Sacramento.

Explicatur argumentum. In conficiendis Sacramentis circa ea, quæ ad illorum valorem requiruntur, non sufficit probabilis opinio, sed ea exigitur, quæ sit periculi expers, hoc declarante Innocentio XI. in suo Decreto an. 1679. emanato, ubi n. 1. sequens proscribitur propositio -- Non est „ illicitum in Sacramentis conferendis sequi „ opinionem probabilem de valore Sacra„ menti, relicta tutiore, nisi id vetet lex, „ conventio, aut periculum gravis damni „ incurrendi. Hinc sententia probabili tan„ tùm utendum non est in collatione Bap„ tismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episco„ palis -- Atqui jurisdictio necessaria est ad valorem Sacramenti, ut mox vidimus sive ex Eugenio IV., sive ex Tridentino: ergo probabilem jurisdictionem ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ nequaquam sufficere meritò dicendum est.

Opinio probabilis proscripta.

44 Nec momenti est, si dicas I. Jurisdictionem requiri per modum conditionis, non verò per modum constitutivi in recto essentiæ Sacramenti; Propositio autem Innocentii intelligitur de iis, quæ spectant ad Sacramentum per modum partis essentialis illud constituentis, ut sunt materia, forma, & intentio. II. Ideo in constitutivis se tenentibus ex parte Dei instituentis tutius est eligendum, quia Ecclesia nequit illa supplere; Atqui jurisdictio, cum ab Ecclesia conferatur, suppleri ab ipsa potest: ergo sufficiet probabilis.

Nullius, inquam, momenti est. Nam Innocentii Decretum absolutè loquitur de valore nullum apponens discrimen inter constitutiva in recto, & per modum conditionis. Et sanè etiam intentio Ministri nequaquam spectat ad intrinseca constitutiva, & tamen sine ea nullum est Sacramentum. Ulterius. In communiori sententia internus dolor de peccatis in constitutione Sacramenti solummodo importatur in obliquo, & tamen illum comprehendit damnata Innocentii propositio. Cæterum falsum est jurisdictionem non importari in recto; est enim ratio proxima constitutiva potestatis judicialis, ea propter non se habet ut conditio, sicut lumen gloriæ, quia est proxima ratio videndi Deum, non se habet tanquam conditio, ut intellectus ipsum videat.

Decretum Innocentii absolutum.

Nec urget secundum. Jurisdictio siquidem ex Christi institutione necessaria est, etsi ab Ecclesia concedenda: Porrò Ecclesia in necessariis ad Sacramenta immobiliter divinæ institutioni sese accommodat: unde haud præsumendum est jurisdictionem supplere, nisi id certò constet; Atqui stante probabili jurisdictione non certò constat illius defectum supplere, cum expressè amplecti tutiora præscribat: ergo.

Ecclesia non supplet jurisdictionem.

§. II.

OPPOSITA REFELLITUR SENTENTIA.

45 OBJIC. I. Majorem vim habet probabilitas, quam error; Sed Pœnitentiæ Sacramentum ex errore communi circa veritatem jurisdictionis est validum: ergo multò magis validum erit ex probabili sententia.

RESP. In hoc argumento unum, certitudine extrinseca, verum censetur, dubium aliud. Illud extrinseca certitudine certum creditur, videlicet in casu erroris communis circa veritatem jurisdictionis nequaquam absolutionem ex probabili, vel erronea jurisdictione conferri, sed ex certa, quatenus invictè propugnant Auctores pro eo casu Ecclesiam jurisdictionem supplere; & quamvis Paludanus dicere videatur id ab aliquibus negari, ad hujusmodi infringendam certitudinem hi pro nihilo considerantur. Aliud verò quod dubium est, an solus error communis sufficiat, an requiratur insuper titulus, ut ajunt, coloratus a legitimo Superiore col-

Jurisdictio ex errore communi.

collatos. Non requiri titulum, sed sufficere officii possessionem docent supra decem Auctores apud Sanchez *lib. 3. de Matrimonio cap. 22.*, illum verò desiderant ultra quadraginta Auctores apud eundem. Hæc itaque opinio probabilior est, ac tutior, prima nullimodè sequenda, cum tutius sequendum sit, ubi de Sacramenti valore agitur. Dixi prædicta certa esse certitudine extrinseca; Certitudo namque intrinseca nulla suppetit. Afferri tantummodo solet textus ex cap. *Infamis* 3. q. 7., ubi licèt Servus sit jurisdictionis incapax, si tamen communiter non habeatur pro Servo, & ex delegatione jurisdictionem exerceat, acta tenent; quia Princeps ad publicam utilitatem actis valorem impertitur; ex hoc igitur ad forum internum extensio fit. Nihilominus minus non levis emergere potest difficultas, cum in aliis casibus sive ad materiam, sive ad formam, sive ad intentionem spectantibus nec Deus, nec Ecclesia defectus supplere dicantur. Verùm circa hoc judicent alii.

Non relata doctrina ad casum extenditur, in quo verè probabilis sit opinio adstruens jurisdictionem adesse cum aliquo titulo; Volunt enim etiam tunc Ecclesiam supplere, cum error communis intervenire videatur, ex dicti ratione consuetudinem dare jurisdictionem; Atqui consuetudo, & praxis est Confessarios ex verè probabili opinione circa jurisdictionem absolvere: ergo.

Verumenim verò solidum non videtur fundamentum; nam consuetudo vim non habet, nisi Princeps sciat, consentiatque; ubi autem Principis placitum adest, probabilitati non superest locus, proindeque extra casum sumus. Falsa dein est minor propositio; sunt enim in oppositum sentientes, & quidem doctrinâ, & pluri, hi nempe Auctores, qui solam atsi verè probabilem opinionem circa jurisdictionem sufficere nequaquam admittunt. Addere non inopportunum erit, si prædicta subsisterent nullum esse casum, in quo sub damnatione primæ propositionis ab Innocentio proscriptæ comprahenderetur jurisdictionis materia, quod ùt falsum vel ab Auctoribus præcitatæ extensionis, qui illam propositionem explicaverunt, reputatur; & aliàs manifesta fit violentia sensui ab Ecclesia prætento, cum excludatur sola tantùm probabilitas. Siquidem ubi agitur de valore Sacramenti, comparatio inter probabilem, tutioremque versatur: Hoc ipso autem quod Ecclesia tutiorem in Sacramentis conficiendis exposcat, jam habemus argumentum ipsam nusquam intendere jurisdictionem conferre, ubi sola adsit probabilitas.

46 OB. II. Regularis pro solis viris approbatus validè fœminas absolvit; Atqui probabile solummodo est Regularem sic approbatum in eas habere jurisdictionem; cum id Doctores aliqui negent: ergo probabilis jurisdictio ad validam absolutionem sufficit. Major evidens est I. a paritate. Magis idonei ad audiendas quorumcumque Confessiones censendi sunt Regulares, quam Sacerdotes Saeculares; Sed illi, si ad Parochiam etiam in minori ætate deputentur, universaliter eliguntur, atque approbantur: ergo èt illi universaliter eligi debent; quod si non eligantur, adhuc absolvere possunt; cum illis injuria fiat, & Pontifex illis jurisdictionem impertiatur, ùt patet ex Clementina *Dudum de Sepulturis*.

II. Lex falsæ præsumptioni innixa non subsistit; Sed denegatio facultatis ad fœminas audiendas innititur falsæ præsumptioni, defectui scilicet virilis prudentiæ, quæ tamen præsumptio per statum Religiosum, longamque ejusdem disciplinam evacuatur: ergo limitatio nulla est.

III. Quod meritò censetur consilium, approbationis vim non impedit; Atqui clausula exclusiva circa mulierum Confessiones est per modum consilii: ergo.

IV. Ad Episcopum in ordine ad Regulares solius scientiæ judicium pertinet, Prælatorum verò est examen idoneitatis quoad mores; Sed Episcopus Regulares approbando, pro viris approbat absolutè quoad scientiam; & eò fortiùs, si exclusio non jam sit absoluta, sed tantummodo donec ad majorem pertingant ætatem: ergo.

Regularium approbatio ad Episcopū spectat.

RESP. *neg. maj.*, quæ nullimodè tuta est, aut probabilis: Approbatio namque Regularium pro excipiendis Saecularium Confessionibus ad Episcopum spectat, ùt statuitur in Trident. *Sess.* 23. *cap.* 15. quacunque consuetudine, & Privilegio in oppositum abolitis, & in Bulla Clementis X. apertè declaratur Regulares vel generaliter, vel limitatè approbari posse, immo, stante justa causa, a jam concessa facultate suspendi: Præcipitur quoque ibidem Regulares Infirmorum Confessiones excipientes debere illico Parochum certiorem reddere, hocque sub pœna suspensionis ab audiendis Confessionibus præcipi posse; ex quo satis colligitur facultatem ad arbitrium Episcopi extendi, & limitari.

Nec quidquam opposita momenta evincunt. Non primum: Nam quidquid dicatur de majori idoneitate in Regularibus, quam in Clericis ad Parochi munus assumptis, cum hi eligantur in Pastores, quibus suarum ovium cura incumbit, essentialiter illam universalitatem exposcunt. Siquidem non minus mulier, quam vir inter oves recensetur; æqualiterque illis præesse debet Pastor, eisque Doctrinæ, omniumque Sacramentorum pabulum præbere. Regulares non sunt Pastores, sed Episcoporum Coadjutores; Coadjutoris porrò munus limitationem potiùs, quam universalitatem dicere videtur. Breviùs. Parochi jurisdictio est ordinaria, adeoque officii naturam sequitur; Regularium verò delegata, & consequenter ad Delegantis voluntatem regulanda.

Parochis oves omnes committuntur.

Limitatio sive justa, sive injusta observanda.

Ad II. negandum est limitationem facultatis oriri ex falsa præsumptione, cum potius specialis dignitas Religiosi status ætatis gravitatem expostulat pro audiendis Mulierum Confessionibus. Verùm quidquid sit de falsa præsumptione, si positiva facultas pro Sacramento Pœnitentiæ administrando non adsit, nullum est Sacramentum. Habemus enim damnatam propositionem ab

Ale-

Alexandro VII. an. 1665., quæ est 13. in ordine -- Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato -- Si igitur deest approbatio pro Mulieribus, quocunque denegetur titulo, nulla jurisdictio fingi potest nec certa, nec probabilis.

Tertium motivum omninò voluntarium est. Verba enim exceptiva in collata ab Episcopo facultate nequaquam sonant Consilium, sed veram limitationem; sicut verba exceptiva ne Monialium Confessiones audiantur, ne a reservatis casibus absolvatur.

Jurisdictio dependet ab Episcopo.

Ad IV. Si dicatur nedum examen idoneitatis quoad scientiam spectare ad Episcopum, verùm etiam jurisdictionis collationem, jam corruit instantia; quæ tamen non subsistit, etsi dicas Papam, non Episcopum immediatè jurisdictionem Regularibus concedere; Nam non censetur a Pontifice concessa nisi dependenter ab arbitrio Ordinarii, velut a conditione.

47 OB. III. Excommunicatus toleratus validè absolvit petentem Sacramentum; Atqui intra limites probabilitatis est hujusmodi Excommunicatum habere jurisdictionem; cum aliqui sint oppositores: ergo.

Excommunicatus absolvere potest.

RESP. *neg. min.* Nunc enim pro comperto est posse Excommunicatum toleratum validè absolvere; refertur namque Decretum Constantiensis Concilii, quo declaratur neminem teneri fugere, & evitare censuratum in receptione, & Sacramentorum administratione, nisi fuerit nominatim denunciatus, aut notorius Clerici percussor, & contra Concilii auctoritatem non urget opposita Adriani opinio.

48 OB. IV. Ex generali regula gratia extensionem habet benignæ concessionis: Ex hoc principio rectè colligitur jurisdictionem pro audiendis Confessionibus non expirare morte Concedentis; Atqui concessio facta Sacerdoti in ordine ad audiendas Confessiones est gratia: ergo amplianda: ergo probabilis sufficit jurisdictio.

Gratia quando amplianda.

RESP. Gratia utique amplianda est, sed nequaquam in aliorum præjudicium, nec præter Ecclesiæ mentem; Porrò mens Ecclesiæ est in gravioribus causis, maximèque in necessariis ad Sacramentorum valorem, tutiora esse sequenda; Aliunde in Pœnitentium damnum vergit, si fortè Sacramentum non subsistat: Non enim datur certitudo, quod Ecclesia suppleat jurisdictionem, & quidem nec ab intrinseco; cum nullus Canon hac de re afferri possit, qui dilucidè loquatur; nec ab extrinseco, quia non omnes Doctores consentiunt; & altàs adducta a nobis momenta satis urgent. Aliter quidèm res se habet, quantùm ad concessionem, quæ morte Concedentis non expirat: Nam universalissimus Ecclesiæ usus nos certos efficit: Ubique enim defuncto Episcopo in audiendis Confessionibus sive cœptis, sive inchoandis perseverant Confessarii, quandiù præfinitum tempus non expirat, vel revocetur facultas. Pariter si deponatur Episcopus, si renunciet, si censeatur excommunicatus vitandus, si inhabilitetur, eodem modo Confessarii se gerunt in excipiendis Fidelium Confessionibus: Et hoc idem intra Claustra evenit, si Superior officio functus aliò migret. De Privilegiis a Papa concessis res planè evincitur ex jure tum cap. *Si super gratia 9. De Officio Delegati in 6.*, & cap. *Sicut 36. De Præbendis in 6.*, quæ jura nequaquam ad Pontificem limitanda videntur, sed extendi potius ad inferiores Prælatos ordinariam habentes jurisdictionem. Ut autem ad adductum exemplum redeamus, gratia quidem non expirat morte Concedentis, quia certò facta est, & aliàs jus clarè disponit, quod gratia facta morte Concedentis non finiatur; Casus verò Controversiæ non est de gratia certò facta, sed probabiliter tantùm; eaque propter extensio fieri nequit. Notandum tamen ea, quæ diximus circa facultatem excipiendi Confessionem non expirare, videlicet, morte Concedentis, intelligi debere de licentia generali, non autem de facultate concessa in favorem alicujus determinatæ Personæ; hæc enim in veriori sententia (sunt namque qui oppositum doceant) cessat morte Concedentis, secus si licentia, ut Confessarium sibi eligat, ipsi Pœnitenti concessa fuerit; quia est gratia ipsi facta, & est in possessione. Quando facultas conceditur ad beneplacitum, si in concessione inseratur *ad beneplacitum Sedis nostræ*, cum Sedes perseveret, non desinit morte Concedentis; si verò dicatur *ad arbitrium nostrum, donec nobis placuerit &c.* tunc cessat; cum voluntas Personæ ab ipsa Persona dependeat; si tamen habeatur facultas, donec revocetur, cum nullus contrarius actus intercesserit, adhuc post mortem Concedentis durare meritò censetur.

CONTROVERSIA IV.

§. I.

AN REGULARES AD CONFESSIONES SECULARIUM AUDIENDAS EPISCOPORUM INDIGEANT APPROBATIONE.

49 Approbatio in præsenti est declarativum judicium idoneitatis Sacerdotis pro excipiendis Confessionibus sive quoad scientiam, & prudentiam, sive quoad mores, hæc debet exteriori signo declarari, nec tamen scripto fieri opus est, nisi consultius.

Declaratur approbatio.

50 Approbationem a jurisdictione distingui in aperto est; Illa enim ad solam idoneitatem declarandam spectat, hæc superioritatem in subditos importat; quatenus est facultas liberè a Superiori concessa judicandi, & ferendi sententiam in proprios subditos, quos alteri, cui jurisdictionem tribuit, commendat: Unde stat, quod Sacerdos ab Episcopo idoneus sit declaratus, & tamen ab eodem non habeat jurisdictionem;

nem; ùt in Religiosis satis notum est. Approbatio, & jurisdictio, quandoque simul conferuntur, ùt cum Episcopus sciens, & volens præcipit Sacerdoti, ut Confessiones accipiat, quandoque jurisdictio absque approbatione confertur, ùt cum Prælatus dat facultatem in ordine ad Confessiones, si approbatus fuerit. Approbatio non solùm ad licitum prærequiritur, sed etiam ad validum. Gratis concedi debet; si tamen munus aliquod detur, non irritatur actus; Non enim in Tridentino, vel in aliis Canonibus irritans clausula adinvenitur, sicut de simoniacis beneficiorum collationibus habetur. In habente Parochiale officium alia non desideratur approbatio, quam præmissa pro officio, ad quod obligatio excipiendi confessiones consequitur.

Approbatio in Sacerdote necessaria.

51 Episcopus, qui approbat, debet jurisdictionem habere; ea propter debet esse electus, & confirmatus, licèt non consecratus, verùm etsi fuerit consecratus, si tamen Episcopatum dimiserit, approbationem nequit impertiri: nec debet excommunicationis vinculo, per quod sit vitandus, esse irretitus. Excommunicatio namque jurisdictionem aufert; approbatio itaque ad Sacramentale judicium dubio-procul est actus jurisdictionis. Capitulum, Sede Vacante, approbare potest. Nomine Episcopi veniunt hi, qui Episcopalem habent jurisdictionem, non tamen intelliguntur Generales, vel Provinciales Ordinum Regularium. Episcopus approbans illius Territorii esse debet, ubi Sacerdos excipere debet Confessiones, quia in ordine ad subditos debet conferri, juxta declarationem Congregationis Concilii ad Episcopum Valentinum.

Approbatio est actus jurisdictionis.

52 Approbatio semel concessa ex justa causa revocari potest; Fieri enim potest Episcopum ab initio deceptum Lupum pro Agno approbasse, vel Agnum in Lupum declinasse; hinc propter motiva, quæ sæpè contingunt, cum limitatione sive quoad tempus, sive quoad Personas approbare Sacerdotes consuitum est; his autem positis circumstantiis Confessiones extra præscriptos limites nullatenus validæ sunt; quia jurisdictionis termini sunt ad mensuram approbationis, nec favores ampliandi sunt extra latitudinem significationis verborum concessionis; Unde pro viris approbatus nequit mulierum excipere Confessiones. Porrò sic limitatè approbati eligi nequeunt virtute Jubilæi, quia eorum approbatio est coarctata.

Revocari potest approbatio.

53 Judicium idoneitatis circa scientiam versari debet, sine hac siquidem Pastoris munus, sicut & Medici, Judicis, Consultoris exerceri nequaquam potest; Quare graviter peccat absque requisita scientia audiens Confessiones; sicut èt gravis criminis rei censendi sunt sive Episcopus, sive Examinatores approbantes indignum.

54 Scientia porrò necessaria, ut quis approbari pro Confessionibus possit, ea est, qua Sacerdos mortalia a venialibus sciat distinguere, utvis in ferendo practico judicio errare possit; proindeque haud necesse est, ut de omnibus acto judicet, an veniale sit, vel non; sæpè etenim hoc non est possibile, sed sat est, noscat distinguere prout res communiter evenire solent. Scire quoque debet peccatorum numerum, circumstantias speciem mutantes, casus reservatos, censuras, a quibus nequit absolvere, occasiones proximas, Pœnitentis statum quantum ad essentialem dispositionem. Major scientia requiritur in Confessario pro omni personarum genere approbato, quam pro aliquibus tantùm, ubi gravioris momenti casus occurrere solent, ùt in Civitatibus, quam alibi. Suppleri tamen potest scientiæ defectus per Pœnitentis doctrinam, & ubi de futuris agitur, remitti possunt Pœnitentes ad Doctores. In casu nedum extremæ, sed etiam gravis necessitatis, ne, videlicet, diu Fideles remaneant sine Sacramento Pœnitentiæ, excusatur Episcopus indoctos approbans ad Confessiones, si habiles habere non possit; Quod potissimùm verificatur circa Confessarios mittendos ad Infidelium terras, ad Montana, ad inserviendum Fidelibus in Triremibus, aut Exercitibus; quo casu Confessarius insimul, & Pœnitens excusantur. Quoad Regulares censent Doctores, quod si quis de sufficientia dubitet, nihilominus minus, si Superior, qui ipsum probè novit, aptumque judicat, jubeat, Confessarii munus, depositâ conscientiâ, obire poterit.

Scientia Confessarii.

55 Confessiones bona fide apud Indoctum factæ validæ sunt; Ponitur enim materia, sicut & forma, adest jurisdictio, atque saltem exterior approbatio; eaque propter omnia, quæ ad essentiam Sacramenti desiderantur, interveniunt. Poterunt quidem aliunde esse nullæ, sacrilegæ, atque repetendæ, maximè si pœnitens de industria hujusmodi viros adiret.

Confessiones apud indoctû suspectæ.

56 Præter idoneitatem scientiæ probitas, & prudentia in Confessario prærequiruntur. Probitas alia est interior, ita quod Confessarius in statu gratiæ Sacramentum perficiat; si enim lethali sit gravatus crimine, tenetur sub gravi saltem ante formæ prolationem conteri, ne indignè tractet Sancta Domini; non tamen necessaria censetur confessio; requiritur quoque interior pietas, ut possit, & sciat Pœnitentes solari: Exterior probitas desideratur insuper in Confessario, ne pravis exemplis, quod verbis ædificat, destruat. Prudentia recti ministerii regula est; hæcque potissimùm exquiritur, pro medendis vulneribus, imponendis satisfactionibus, consiliisque opportunè subministrandis, pro dirigendis demùm salubriter pœnitentibus. Patiens sit Confessarius, ut rudes homines, & peccatorum pondere gravatos æquo animo sustineat. Pro Domino zelet zelum legis, sit de æterna proximorum salute sollicitus, provectâ ætate hoc munus subeat, ut gravitate, & honestate officio suo fungatur. Has, aliasque dotes præscribit Sanctus Carolus Borromæus in primo Mediolanensi Concilio, & in quinto cautè præcipit, ne impositas pro satisfactione eleemosynas, Missas, & restitutiones sibi, aut propriis Ecclesiis, domibusque applicet, quod èt Eboracense, & Senonense Concilium præcaveat, ne sanctum reconciliationis ministerium turpe oleat lucrum. Quæ huc usque

Probitas, & Prudentia in Confessario.

retu-

retulimus commonia sunt, nunc ad Regulares descendendo.

57 Dicendum est Regulares ad audiendas secularium Confessiones Episcoporum indigere approbatione.

Concil. Trid. vult approbationem in Regularibus.

PROB. I. Ex Tridentino *Sess. 23. cap. 15.* habetur — Quamvis Presbyteri in sua „ Ordinatione a peccatis absolvendi pote„ statem accipiant; decernit Sancta Syno„ dus nullum etiam Regularem posse Con„ fessiones secularium, etiam Sacerdotem, „ audire: Nec ad id idoneum reputari, „ nisi aut Parochiale beneficium, aut ab „ Episcopis per examen, si illis videbitur „ esse necessarium, aut aliàs idoneus judi„ cetur, & approbationem, quæ gratis de„ tur, obtineat, privilegiis, & consuetu„ dine quacumque etiam immemorabili, „ non obstantibus — Cum igitur Regulares non habeant Parochiale beneficium, jam planè fit nullimodè Secularium Confessiones excipere posse sine Episcoporum approbatione; & quidem in laudato texta sermo occurrit de Secularibus; nam quoad Regularium Confessiones nihil innovavit Concilium. His pondus additur ex Pii IV. Constitutione, quæ incipit: *Benedictus Deus*, ubi omnia, & singula Tridentini Decreta confirmavit, & Constitutione: *In Principis Apostolorum*, omnia privilegia, exemptiones, immunitates, facultates, dispensationes, & cætera hujusmodi revocata, & abrogata declaravit, & quæ Decretis, & Statutis Concilii opposita erant, ad ejusdem regulam reformari voluit.

Pius V., cum in Constitutione: *Etsi Mendicantium* plura Regularibus indulsisset, in alia, quæ incipit: *Romani Pontificis*, declaravit ex Trident. teneri Regulares subdi Episcopis quoad approbationem, revocatis, irritatisque quibuscumque concessionibus: Gregorius XIII an. 1573. Constitutione supramemorata Pii V. *Etsi Mendicantium*, nec non cæteris, quæ Tridentini Decretis contrariantur, revocatis, Constitutionem edidit, cujus initium *In tanta negotiorum mole*, per quam Tridentinæ Synodi statuta observari voluit. Gregorius XV. in Bulla *Inscrutabili* Regulares quomodocumque exemptos pro Confessionibus audiendis etiam Monialium Regularibus subjectarum indigere approbatione Episcoporum decrevit, sive extraordinarius, sive ordinarius sit Confessarius. Urbanus VIII. Religiosos omnes etiam Societatis Jesu in Decreto Tridentini, quantum ad approbationem comprehensos declaravit. Innocentius X. in causa Episcopi Angelopolitani idem specialiter statuit.

Pontifices revocant Privilegia contra Tridentinum.

Sententia de independentia ab Episcopis reprobata.

58 PROB. II. Alexander VII. per Breve ad Episcopum Andegavensem directum quorundam Regularium propositionem damnavit tanquam falsam, scandalosam, temerariam, in hæresim, & schisma inducentem, Tridentino, ac Sanctæ Sedi injuriosam, quæ efferebat in Galliis Regulares nequaquam subordinari Episcopo quoad approbationem pro excipiendis Secularium Confessionibus. Idem Pontifex propositionem, quæ est XIII., proscripsit, videlicet — Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui „ confitetur Regulari Episcopo præsentato, „ sed ab eo injustè reprobato — Si igitur in hoc casu non valent Confessiones, nemo unus dicet valere, quando neque præsentatio intervenit.

Jus naturale subdit Regulares Episcopis.

59 PROB. III. Nequaquam censeri potest Pontifices velle privilegiis juri naturali, atque Ecclesiasticæ Hierarchiæ vim inferre; Atqui jus naturale dictat, ut immediati Provinciarum Principes sciant Judices, qui de suis subditis juridicam ferre debent sententiam, & Pastores apprimè noscere debent, quinam sint Ministri, qui proprias oves pascunt; cum ipsis reddere de illis rationem competat; & hoc etsi a Supremo Principe mittantur, quando hic idoneitatem non probat, ut facit Pontifex universalem conferens jurisdictionem Regularibus; cum igitur intelligi nequeat, velle inhabiles ad Confessarii munus deputare, jam planè fit de mente Pontificis esse, ut immediati Pastores de idoneitate Confessariorum periculum faciant; Porrò Pastores immediati Secularium alii quidem non sunt, nisi Episcopi, Ecclesiastica quoque Hierarchia hunc dependentiæ ordinem exposcere pro comperto quisque habere potest.

§. II.

OPPOSITA DISSOLVUNTUR ARGUMENTA.

60 OBJIC. I. Ex regula juris *in 6.* per posteriorem Constitutionem priori non censetur derogari, nisi de priori fiat expressa mentio in posteriori; Sed Concilium expressè non revocavit Privilegia Regularibus concessa *in Clementina Dudum de Sepulturis*: ergo.

Quando posteriora derogent prioribus.

RESP. I. *In Clementina* non est sermo de approbatione, sed de jurisdictione, quæ satis inter se discriminantur; proindeque nulla præextitit Constitutio hac de re edita. II. Illa regula solummodo valet, quando posteriorem emanans Constitutionem priorem ignorare creditur, sicut habetur ex ratione, quam regula illa subdit; de Concilio autem Œcumenico nullatenus præsumendum est Regularium privilegia ignorasse. III. Concilium nominatim expressit consuetudinem, & Privilegia; nec est necesse singulas nomine propriu recitare Bullas: Hoc enim nec majestati, nec auctoritati Conciliorum decet.

61 OBJIC. II. In humana Republica, cui analogatur Ecclesia, qui Laureati sunt in Academia absque nova approbatione constituuntur Judices; Sed Regulares solent esse Laureati, atque Theologi: ergo approbari non debent.

Regulares etiam Laureati approbari debent.

RESP. Non omnes Regulares Theologi sunt, aut Laureati. Verùm quidquid de Laurea dicatur, sicut hæc non tribuit jurisdictionem, ita nec approbationem; ex propter & Magistri, & Doctores utràque indigent, ut sufficienter deducitur etiam ex Bulla Pii V. an. 1571. edita — Decernimus, & declaramus Decretum Concilii „ Tri-

„ Tridentini de approbatione Regularium „ audiendis Confessionibus Secularium præ„ positorum ab Episcopis facienda, obser„ vasti debere etiam in omnibus Regulari„ bus . . . . si sint Lectores, aut in Theo„ logia etiam de Superiorum suorum licen„ tia graduati, vel promoti — Ex his clarè patet argumentum a paritate non evincere; si enim Princeps decerneret, Laureatos in Universitatibus, atque Academiis debere iterum approbari, ut Judicis fungantur officio, standum esset Principis Decreto. Pro approbatione Regularium in ordine ad excipiendas Secularium Confessiones stat Principis Decretum: ergo observandum est. Verùm quidem est a Tridentino Episcoporum prudentiæ commisti, qui nam subjiciendi sint examini; Nam si Prælati, Magistri, Doctores præsententur, absque prævio examine approbari meritò possunt, adeoque dixit: *Aut aliàs idonei judicentur*.

62 OB. III. Habentes Parochiale beneficium juxta Tridentini Decretum non indigent approbatione; Atqui Regulares Prælati dignitatem Parochiali beneficio æquivalentem obtinent: ergo.

Prælatura Regularium non est officii Parrochiale.

RESP. Regularium dignitates nullimodè inter Parochialia beneficia adnumerantur: Non enim jus habent percipiendi fructus, & redditus ob officium ministrandi Sacramenta, in quo potissima ratio beneficii secundùm jurisperitos consistit ex cap. *Fin. de rescriptis in 6.* Habent quidem suorum subditorum gubernationem, & quoad ipsos servare debent suarum Constitutionum Decreta, sed quoad seculares nullum habent dominium, nec Episcoporum oves illis sunt commissæ, quod necessarium esset, ut sine nova approbatione Confessiones valerent excipere.

63 OB. IV. Concilium loquitur de approbatione absoluta, tam quoad tempus, quam quoad Personas; Atqui hisce temporibus Regulares non absolutè, sed limitatè approbantur, sæpiusque ad examen revocantur: ergo propter superinductos abusus Tridentini ordinatio nunc nequaquam obligat.

RESP. Concilium loquitur de approbatione concedenda secundùm Episcopi judicium de idoneitate; Potest autem Episcopus judicare aliquem idoneum pro determinatis Personis, & tempore, adeoque limitatè illum approbare. Approbant Episcopi Confessarios vel pro necessitate, vel pro majori subditorum utilitate; contingere autem potest, quod illis non indigeant nisi ad tempus, vel pro aliquo determinato Personarum genere. Possunt deinde justa de causa approbationem revocare; & quidem ut benè sit Christi gregi; Evenire namque impossibile non est, eum, qui aptus videbatur, talem revera non esse, vel ineptum evadere, qui aptus erat. Hinc Urbanus VIII. an. 1639. declaravit posse Episcopum Regulares ab audiendis Secularium Confessionibus interdicere, si parùm integrè, & castè conversare cognoverit, nec causam ipsis Regularibus aperire tenetur, sed soli Rom. Pontifici, cum ad id requisitus fuerit; & Alexander VII. per Breve datum an. 1659. Archiepiscopo Andegavensi sequentem damnavit propositionem — Ubi „ Concilium Tridentinum receptum non „ est, non possunt Episcopi restringere, „ vel limitare approbationes, quas Regu„ laribus concedunt, ad audiendas Con„ fessiones, neque illas ulla ex causa revo„ care — Idem legitur in Constitutione Clementis X., quæ incipit: *Superna* edita an. 1670

Episcopi potestas in Regulares Confessarios.

Nec momenti est, magis idoneos esse Regulares, quam Seculares, qui tamen cum universali potestate, atque illimitatè curæ animarum florenti ætate præponuntur; Nam ut diximus præcedenti Controversia in Resp. ad II. Object. n. 46. positam, in honorem hoc cedit Religiosi status, cujus honestati, majestati, & gravitati obsequentes approbationem limitant Præsules, ne Regulares juvenes mulierum audiant Confessiones. Deinde Parochiale ministerium nullam patitur limitationem, & aliàs Episcopi sæpè sæpiùs senes, quibus oves commendent, non habent.

Limitatio approbationis ad bonum Regularium.

Nec juvat Regulares a Papa jurisdictionem habere universalem, quæ per limitatam Episcoporum approbationem coarctari non potest. Non juvat, inquam; non enim conceditur jurisdictio, nisi cum subordinatione ad Episcopos approbantes, prout ipsis benè visum fuerit: Unde quoad usum limitari potest.

64 OB. V. Eadem occurrit ratio de approbatione Regularium pro una Diœcesi, ac pro aliis; Atqui semel approbatus pro una Diœcesi pro omnibus censetur approbatus; cum Regulares pro omni Diœcesi a Papa jurisdictionem habeant, idque concessam legimus Minoritis a Clemente VII., & Presbyteris Congregatione Oratorii a Sixto V., quæ Constitutiones Tridentino non adversantur; Siquidem, esto hujus Decretum velit Regularium approbationem, non tamen præcipit eandem esse debere ab Episcopis cujuscumque Diœcesis.

Hujusmodi instantia sequentem exposcit Controversiam.

CON-

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN REGULARIS APPROBATUS IN UNA DIŒCESI PRO AUDIENDIS CONFESSIONIBUS SECULARIUM POSSIT TRANSEUNDO PER ALIAM DIŒCESIM AUDIRE VALIDE' CONFESSIONES INCOLARUM ILLIUS ABSQUE LICENTIA DIŒCESANI EPISCOPI.

65 QUamvis Apostolica Sedes omnem moverit lapidem ad declarandum nullum extare privilegium apud Regulares quoscunque, cujus virtute possint semel approbati in una Diœcesi validè audire Confessiones in alia Diœcesi absque licentia Episcopi proprii illius Diœcesis, in qua Confessiones audiunt, nihilotamen minus nonnulli firmiter propugnare contendunt privilegia non esse totaliter extincta, sed integra perseverare, occasione itineris, & hospitii in Diœcesi aliena, in qua non permanenter morantur; undè volunt, quod Regularis Romæ approbatus iter faciens Mediolanum transiens per loca intermedia excipere possit Confessiones ubique absque alia licentia Diœcesanorum, quibus illa subduntur. Hinc colligunt Sacerdotes approbatos v. g. Faentiæ, si pergant ad eleemosynas quærendas in Territorium Archiepiscopi Bononiensis, posse in Pagis illius Confessiones validè excipere. Difficultas hæc maximi est momenti, eaque propter occasione præcitati argumenti solvenda.

66 Dicendum itaque non posse Regularem transeuntem per aliam Diœcesim sine licentia Episcopi Confessiones excipere, utvis alibi fuerit approbatus.

Clemen VIII. limitatio. OSTENDITUR I. ex Bulla Clementis VIII. expedita anno 1604 7. Decembris relatà à Cherubino *Tom. 3. Bullarii*. Hæc declarat, quod Confessarii vi privilegiorum vel immediatè concessorum Ordinibus, vel mediatè ratione participationis possint eligi, si sint approbati -- Scilicet in Alma „ Urbe a prædicto nostro Vicario, extra „ Urbem verò a locorum Ordinariis; Re„ gulares autem non solùm a prædicto Vi„ cario nostro, & a locorum Ordinariis re„ spectivè, sed etiam a suis Superioribus „ approbati sint -- Hæc declaratio comprehendit satis clarè Regulares Conventuales, Peregrinos, & Hospites; est enim absoluta ex uno capite, ex alio est in materia necessaria, cum jurisdictio, quæ essentialiter requiritur ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, non concedatur a Sede Apostolica Regularibus, nisi sub conditione approbationis Ordinariorum Locorum; propositio verò absoluta, ac indefinita æquivalet universali distributivæ, adeòque æquè comprehendit permanentes in locis, ac transeuntes per ea.

A EXPLICATUR. Regularis hospes nequit validè audire confessiones Secularium locorum, per quæ transit, nisi per jurisdictionem a Romano Pontifice collatam; Sed Clemens VIII. virtutem privilegiorum determinat, & determinatam declarat per approbationem Ordinarii locorum, in quibus fit confessio: ergo.

Expenditur ulterius. Ea ratione posset hospes validè audire Confessiones, quia in uno loco approbatus, vi privilegiorum esset ubique approbatus transeunter; sed hoc est falsum; siquidem approbatus privilegiatus in Urbe a Vicario Papæ, extra Urbem non potest per alia loca pertransiens
B audire confessiones -- Extra Urbem verò a „ locorum Ordinariis approbati sint -- Est enim veraciter extra Urbem, qui Hospes est Viterbii: est semper Ordinarius loci Diœcesanus Episcopus, sive Regularis sit hospes, sive Conventualis: adeoque semper debet approbari; ea propter repetit Pontifex -- Et a locorum Ordinariis respectivè -- Hæc autem particula *Respectivè* rem satis benè elucidat; significat namque diversas requiri approbationes, tot scilicet, quot sunt diversi Ordinarii locorum, in quibus Regularis Confessarii ministerium exercet, nempe toties, quoties diversa Diœcesana
C loca percurrit: quare in omni Diœcesano loco approbari debet, si in eo vult actualiter ministerium exercere sacramentaliter. Illud *Respectivè* stat, & pro diversitate locorum, & pro diversitate exercendi ministerium; ita quod permanenter exercens ministerium sacramentaliter petit approbationem permanentem; & exercere transeunter, approbationem transeunter; & aliter nequit verificari illud *respectivè* cadens super terminos, *approbati*, & *a locorum Ordinariis*. Rursus, optimè noverat Clemens Regulares ubique non habere Religiosum domicilium, ipsosque frequenter de loco ad locum mi-
D grare. Noverat privilegia a Regularibus adducta alia absoluta esse, alia exprimentia determinatum casum itineris; & nihilominus nullo apposito discrimine a locorum Ordinariis approbationem requirit; proindeque suo Decreto sive itinerantes, sive alicubi permanentes comprehendit Regulares.

67 II. Ex Clementina *Dudum de Sepulturis* ubi -- Magistri, Priores, Provinciales, & Ministri Ordinum Prædicatorum „ eligere studeant Personas sufficientes . . . „ quas sic ab ipsis electas repræsentent, vel „ repræsentari faciant Prælatis, ut de eo„ rum licentia, gratia, & beneplacito in
E „ Civitatibus, & Diœcesibus eorumdem „ hujusmodi Personæ sic electæ confessiones, „ confiteri sibi volentium, audiant, impo„ nant pœnitentias salutares, & beneficium „ absolutionis impendant, extra Civitates, „ & Diœceses, in quibus fuerint deputatæ „ confessiones nullatenus audituræ -- Ecce in Diœcesibus, in quibus non sunt deputatæ personæ Regulares *nullatenus* audituræ sunt confessiones, *nullatenus*, idest nullo modo: audire autem transeunter est aliquo modo audire: nullo autem modo, & aliquo audire ex regulis dialecticis contradictoria sunt. Illæ locutiones *in Diœcesibus eorumdem*, *Regularium limitata potestas.*

in

in quibus fuerint deputatæ, *extra Diœcesim &c.* sunt omninò modificantes, & limitantes potestatem audiendi Confessiones unicè, ubi Ministri sunt approbati, & non alibi. Sedes Apostolica necessariam satis indicat approbationem, sive in Civitate morentur, sive extra illam iter instituant.

68 III. Anno 1659. die 30. Januarii Congregatio Sanctæ Romanæ generalis, & universalis Inquisitionis habita coram Alexandro VII. sequentem propositionem — Re„gulares Ordinum Mendicantium semel „approbati ab uno Episcopo ad Confessio„nes audiendas in sua Diœcesi, habentur „pro approbatis in aliis Diœcesibus, ne„que nova indigent Episcoporum appro„batione. Regulares habent potestatem „absolvendi a casibus Episcopo reservatis „etiamsi ab Episcopo authoritas ista in„dulta non fuerit — hac censura notavit — Quoad primam partem est falsa, & „saluti animarum perniciosa. Quoad se„cundam partem est falsa, authoritati Epi„scopi, ac Sedi Apostolicæ injuriosa — Sic refertur Tom. 1. Compendii Consultationum Canonicarum Jacobi Pignatelli Romæ impressi Verbo de Confessione, & Confessoribus fol. 196. col. 1. Censura hujusmodi rem totam dirimit, quod ut clarius innotescat, sequens efformatur ratiocinium.

Censura Sacræ Congreg.

69 Motivo Privilegiorum Auctores relatæ propositionis insertam propugnabant doctrinam; sed secunda propositionis pars comprehendit Regulares absolventes a reservatis, sive itinerantes sint, sive non: ergo etiam comprehendit eosdem absolventes, dum iter faciunt. Ostenditur consequentia, de qua solummodo dubium oriri potest. Utraque propositionis pars absoluta, indefinita, & in materia necessaria, & absolutè exhibita est; & utraque absolutà, & indefinità censurà notata est; adeoque utraque in sua plenitudine censorio judicio declarata ut falsa; falsa verò non esset prima, si alicubi ab Episcopo non approbatus hospes Regularis, & iter agens posset absolvere; Utraque exposita fuit examini post collata Regularibus privilegia circa utramque, videlicet tam pro morantibus permanenter in aliqua Diœcesi, tam pro itinerantibus; hæc enim fuerunt concessa Minoribus ab Eugenio IV. Societati Jesu a Gregorio XIII. His autem Pontificibus posterior est Alexander VII. eorum Privilegiorum certò conscius, post quem nulla alia privilegia ea de re ab Apostolica Sede emanarunt; ea propter dubio-procul censura ad itinerantes extenditur. Prima propositionis pars ut saluti animarum perniciosa describitur, quia confessiones nullæ sunt in aliis Diœcesibus factæ a non approbatis ab earum Episcopis, sed confessiones factæ ab itinerantibus sunt factæ in aliis Diœcesibus absque nova approbatione: ergo sunt saluti animarum perniciosæ utpotè nullitati expositæ, & eo magis, quò minùs oves aliarum Diœcesum possunt esse cognitæ: & hinc ex secundæ partis censura habes unam ex rationibus a *priori* pro prima, & est hujusmodi. Regulariter Episcopis in suis Diœcesibus solent aliquos casus reservare, sicut constans testatur experientia; hos verò casus ut plurimum ignorant itinerantes; unde sine Episcopi approbatione pro comperto est ipsos sese certò exponere periculo absolvendi absque debita facultate; quapropter necessaria est absolutè approbatio a Diœcesano, ut transeuntes absolvant, & hoc intenditur laudata declaratione.

Nec momenti alicujus est effugium videlicet, quod ad revocationem singularium Privilegiorum necessaria est mentio expressa; siquidem in censoriis propositionum declarationibus, & in qualificationibus, & prohibitivis doctrinarum nullatenus est necessaria hæc expressio; quia propositiones, & doctrinæ prævio accurato examine per viros Theologos, doctos, & peritos in lege, & privilegiis; & per Judices in iis similiter eruditos damnantur, ea propter collatis omnibus datur sententia, cui standum est, quin de ea supremum Tribunal rationem reddere teneatur.

70 IV. Non sunt firmiora Privilegia Regularibus concessa quoad approbationem a Diœcesano, quam concessa Episcopis, qui sunt veri Pastores primum in Ecclesiastica Hierarchia gradum tenentes: sed Episcopi extra propriam Diœcesim morantes, vel per aliam transeuntes nequeunt eligere in Confessarium Sacerdotem sibi non subditum, & non approbatum a Diœcesano loci, in quo hospitantur, non obstante plenissimo privilegio Cap. *Fin. de Pœnit.*, *& Remissione* Episcopis concesso, ergo neque Regulares hospites non approbati a Diœcesano loci Confessiones excipere possunt. Expenditur argumentum. Romæ sub Gregorio XIII. actum est, an Episcopi in aliena Diœcesi simplicem Sacerdotem in Confessarium sibi eligere possent, cumque Cardinalium vota fuerint divisa, consultus Pontifex, respondit — In re dubia tutius est adhærere Con„cilio Tridentino — Emanavit deinde sequens Decretum — S. D. N. audita relatio„ne Congregationis declaravit Episcopum „vigore Privilegii, de quo in Cap. *Fin. de* „*Pœnit.*, *& Remiss.* non posse sibi eligere „Sacerdotem non subditum, qui a proprio „Ordinario non fuerit adhuc ad formam „hujus Decreti admissus, seu approbatus „ad audiendas Confessiones — Ubi advertunt Doctores non esse Episcopis ablatum Privilegium, sed explicatum quisnam sit Sacerdos idoneus elegibilis ab Episcopo, scilicet approbatus a suo Ordinario; cum ergo tot jam exierint declarationes determinantes Regularem auditurum Confessiones indigere approbatione Ordinarii Locorum, quomodo propugnari potest oppositum esse tutum, & probabile? Ex contrarietate Doctorum in diversa opinantium non est certum posse in itinere Regulares absolvere absque approbatione Diœcesani, viget regula Gregorii XII. — In re dubia tutius est „adhærere Concilio Tridentino — maximè firmato tot Bullis Pontificum, Regularium Privilegia limitantibus. Major Episcopalis dignitas videbatur hoc exposcere privilegium; si hoc non obstante Episcopis denegatur, quo jure credendum est concessum Regularibus.

Privilegia Episcoporum declarata.

71 V.

Breve Innocentii expenditur.

71 V. Innocenilo X. delatom fuerat in Indiis Oacidentalibus novæ Hispaniæ (A) nborias esse dissensiones in Diœcesi Aogelopolitana Episenpum intee, & Patres Societatis airca Verbi Dei prædicationem, & administrationem Sacramenti Pœnitentiæ absque Dimecsani approbatione. His auditis jussit Pontifex sequentem generalem propositionem a Saara Congregatinne maturè ad examen revocari -- Utram Regularis „ qoicunquè, etiam Sociatatis Jesu, possit „ administrare Sacramentum Pœnitentiæ „ absque lieentia Diœcesani Episeopi etiam „ si in alia Diœcesi approbatus sit? Re„ spondit, Regulares, etiam Societatis „ Jesu, in una Diœcesi ab Episcopo ap- (B) „ probatos ad Confessinnes Persnnarum se„ eularium audiendas, neqaaqaam posse „ in alia Diœcesi hujusmodi Confessinnes „ audire sine approbatinne Episcopi Diœ„ cesani -- Hae audita responsione subdidit Pontifex -- Nos igitur præinseria responsa, „ seu resolutiones auctoriiata prædicta, te„ nore præsentiam confirmamus, & appro„ bamus, illisqua Apostoliez firmitatis „ vim, & robur adjicimus, & inviolabi„ liter observari mandamus -- Et infra declaravit -- Potuisse Episcopum, seu ejus „ Vicarium præcipere sub pœna Excommu- (C) „ nicatinnis latæ sententiæ, ut a Confessio„ nibus audiendis, & a Verbi Dei prædi„ catione abstinerent -- In hoc Decreto rem totam habemus declaratam, quod ut elarè appareat aliqua sunt advertenda.

I. Apostolici hujas Bravis emanatio azorta qaidem fuit ex causa Diœcesis Angelopolitanæ, sed nea examen, nec resolutio ad eam solam Provinciam coarctata facre; sed amplissimè extensa ad omnes, at ax recitatis verbis, modoqua proponendi, & resolvendi propalam fit, nec aliter censeri potest.

II. Examen ex mandato Pontificis Sacre Congregationi commendatum fuit, & (D) ejusdem auctoritate edita ast resolutio; quam sun Brevi inferuit, additqoe robar, & vim Apostolicæ potestatis.

III. Hoc Breva non est novi juria constitutio, sed præexistentis declaratio, & confirmatio; quod planum fit ea postrema clausula, qua asseritar, potuisse Vicarium præcipere sub pœna Excommunicationis latæ sententiæ; quod falsum esset, si jus exigendæ approbationis, ac necessitas non præextitissent.

IV. In hoc Brevi non urget prætensum affugiam revocationis inferendæ Privilegiorum; quia declaratio habita est post accuratum examen momentorum, quæ in oppo- (E) situm afferebantur; & aliàs, ùt dicebamus, non est novi juris constitutio.

Porrò comprehendi etiam in hac declaratione casum itineris, & hospitationis in alia Diœcesi sola relectiona prædictorum clarescet. I. Propositio sub terminis omninò absolutis, generalibus, nullam importantibus limitationem facta est, & a Persona sciente omne Privilegiorum genus Regularibus in hac materia concessorum, & resolutio sub prædictis terminis a viris apprimè eadem privilegia callentibus, & quorum apprimè intererat; siquidem examen, & qualificationem Sacra Congregatio aliqaibas Theologis Regalaribus, qai nil antiquius habent, quam ut sarta tecta privilegia servent, commisit.

II. Aogelopolitanæ causa instituta fuit propter subortas lites ea prætensis Privilegiis, quæ in duplici genera circumferebantur, alia absoluta, experimentia alia casum itineris: resolutio verò edita est universalissimè nullo interposito discrimine; si autem iter agentes non comprehenderentur, omnis discordiarum causa sublata minimè esset: suboriri namque poterat dubitatio de Regularibus itinerantibus, quæ sanè flocci facienda non esset. Cæterum cum ante rampota Innocentii X. sententia circa absolutum Regularium Privilegia facta fuerit, jam planè dicendam est Pontificem per suum Breva quid aliud decernere voluisse, quod aliud sanè non est, nisi circa privilegia Regularium itinerantium.

III. Illa reperita expressio *etiam Societatis Jesu* rem elucidat, Patres siquidem Societatis in hac materia specialiter privilegiati censendi erant, & ipsis singulariter fuit concessum privilegium audiendi confessiones iter agendo absque nova approbatione Diœcesanorum; eum ob motivum Missionum frequenter ab ipsis agendarum inter Diœceses Catholicas, indigeant transira a locis ad loca diversis Episcopis subjecta; propterea in Brevi Apostolico ipsorum singularis mentio facta est, ut satis innotesceret includi etiam causam de itinerantibus.

IV. Verba illa, *In alia Diœcesi absque licentia Episcopi Diœcesani* clarè exprimunt necessitatem novæ licentiæ ab aa, quam habuit in Diœcesi, & pro Diœcesi, a qua discessit: ergo nova licentia requiritur.

V. Resolutio conceptis illi verbis facta est -- Neqaaquam posse in alia Diœcesi hu„ jusmodi Confessinnes audira sine appro„ batione Episcopi Diœcesani -- atqai hæc verba non patiuntur distinctionem audientis permanenter, aut transeunter, Regularis Conventualis, aut Hospitis &c.

72 VI. Clemens X. celeberrima Constitutiona, quæ incipit *Superna magni Patris familias* edita anno 1670., hac de ra agens habet -- Ad hæc Religiosos ab Episcopo ad „ Confessiones secularium in sua Diœcesi „ audiendas approbatos non posse in alia „ Diœcesi absque Episcopi Diœcesani ap„ probatione audire, quamvis pœnitentes „ subditi sint ejus Episcopi, a quo ipsi Re„ ligiosi jam fuerant approbati -- Ecce declarat requiri approbationem Episcopi loci universim præscindendo a permanenti, & transeunte: Ecce Regularis approbatus Bononiæ iter faciens Romam eum Cive Bononiensi nequit ejus Confessionem audire Laurei. Eam Constitutionem edidit, ùt constar ex §. I., ad tolleodas lites ortas ex privilegiis airca verbi Dei prædicationem, & Confessiones audiendas: sed lites eantum erant tam de permanenter, quam transeuntee confitentibus propter distinctionem privilegiorum: argo. Asserit §. II. novis Apostolicis his decretis se roborare definitiones in hac materia a suis Prædecessoribus

V factas;

factas; unde non instituit novum jus, sed antiquum confirmat ut vas exortas lites circa utrumque genus privilegii damnando. In eodem §. affirmat se majori deliberatione processisse, adhibitis Prælatis pietate, doctrina, ac prudentia præstantibus: Atqui non processisset majori deliberatione, si noluisset includere itinerantes, & nullam fecisset mentionem, optimè conscius, & memor privilegiorum: Nec justa ratione rem perpendissent Doctores illi, quibus examinanda commissa fuit, nisi etiam itinerantium privilegia considerassent. §. 4. eodem modo declarat approbatos ab alio non Diœcesano non posse audire Confessiones, sicut approbatus generaliter ad audiendas Confessiones Secularium, non posse audire Confessiones Monialium; Sed quoad Monialium Confessiones excludit eosdem itineris, & hospitii: ergo similiter &c. §. 9. Omnes Constitutiones, Apostolicas Ordinationes, & privilegia tot repetitis formulis revocat, ut jam nullum fingi possit effugium.

73 VII. Innocentius XII. Constitutione edita die 19. Aprilis anno 1700. privilegia omnia revocavit, seu veriùs falsam declaravit doctrinam, qua aliqui contendebant vi Bullæ Cruciatæ eligi posse in Confessarium Regularem in una Diœcesi approbatum; sed non eo in loco, in quo audit Confessiones — "Tenore præsentium decernimus, & declaramus Bullam Cruciatam nihil novi juris induxisse, nullumque privilegium continere quoad approbationem Confessariorum contra formam ejusdem Concil. Trid., & prædictarum Constitutionum Apostolicarum; adeout Confessarii tum Seculares, quam Regulares; quicumque illi sint, in vim dictæ Bullæ Cruciatæ a pœnitentibus ad audiendas eorum sacramentales Confessiones electi, nullatenus Confessiones hujusmodi audire valeant sine approbatione Ordinarii, & Episcopi Diœcesani loci, in quo ipsi Pœnitentes degunt, & Confessarios eligunt, vel ad excipiendas Confessiones requirunt, nec ad hoc suffragari approbationem semel, vel pluries ab aliis Ordinariis aliorum locorum, & Diœcesum obtentam, etiam si Pœnitentes illorum Ordinariorum, qui Confessarios electos approbassent, subditi forent; Confessiones autem aliter, & contra eorumdem præsentium, aliarumque Apostolicarum Constitutionum formam deinceps faciendas, & excipiendas respectivè, præterquam in casu necessitatis in articulo mortis, nullius fore, irritas, & invalidas, & Confessarios ipso jure suspensos esse, & etiam rigidè puniendos ab ipsis Ordinariis locorum. Porrò quamcumque contrariam opinionem tanquam falsam, temerariam, scandalosam, & in praxi perniciosam, prætenso quovis contrario usu, contrariaque consuetudine etiam antiquissima, minimè obstantibus, motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus, harum serie damnamus, & reprobamus, abrogamus, & abolemus" — Consimilem resolutionem habemus in caso Jubilæi emanatam a Sacra Congregatione sub die 9. Januarii 1633. ad petitionem Episcopi Limensis D. D. Ferdinandi Arias de Ugarte postulantis — "Utrum dum in Jubilæis datur facultas, ut Pœnitentes possint eligere quemlibet Confessorem ex approbatis ab Ordinario, intelligendum sit de Ordinario Confessarii, aut Pœnitentis, & quomodo" — Congregatio respondit; ad tertium — "Intelligi de Ordinario Diœcesis, in qua Confessarius Confessiones audit" — Si igitur maximum Cruciatæ privilegium nequaquam deservit, ut Regularis in una Diœcesi approbatus possit in alia Secularium Confessiones audire, quodnam privilegium prodesse poterit in casu Controversiæ, si perpriùs Episcopi loci, in quo auditur confessio approbatio, quam non habet itinerans expuscitur? Constans est Apostolicæ Sedis judicium nullimodè suffragari approbationem in aliqua Diœcesi ad effectum hic absolvendi, & neque ad absolvendos subditos Episcopi, a quo fuit approbatus, quod sanè nisi in casu itinerantium contingere potest. Si verò Regulari iter agenti Diœcesanos absque alia approbatione absolvere datum esset, posset etiam Subditos Episcopi, a quo fuit approbatus absolvere, tum quia potens absolvere in uno loco, potest absolvere omnes ad eum locum undequaque confluentes, tum quia Peregrinus frui potest Privilegiis locorum, per quæ transit; unde potest non jejunare, aut carnes comedere, ubi non jejunant, aut carnes comedunt, quamvis in sua Patria aliter fiat. Declarat insuper Pontifex irritas esse omnes Confessiones præter articulum mortis, cum quo non componitur validè, & licitè fieri Confessiones ab itinerantibus. Abrogat deinde omnia privilegia Regularibus concessa in ordine ad absolvendum absque approbatione; Hæc autem fuerunt concessa independenter a Bulla Cruciatæ. Nullas declarat Confessiones factas non solùm contra formam præsentis Constitutionis, sed — "aliarumque Apostolicarum" — alludens ad Clementis X. aliorumque Pontificum definitiones, quæ independenter a Cruciata loquuntur; Demum generaliter exprimit nihil juris contulisse Bullam Cruciatæ contra formam Concilii Tridentini. Hinc Apostolicæ Sedis rectam habes intelligentiam. In præcitatis Decretis id clarè intendit iudemne videlicet servare in sua primæva puritate, & ad illam revocare Concilium Tridentinum, ut constat ex verbis insertis in Constitutionibus, & declarationibus superiùs adductis; Porrò Concilium agit de approbatione pro omni Confessionum genere firmans jus commune, ad quod Peregrini ubicumque transeunt, tenentur.

Innoc. XII. declarans.

§. II.

OPPOSITA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

74 INter Privilegia Regularibus concessa unum reponunt Scriptores ab Eugenio IV. pro Minoribus expeditum, & a Gregorio XIII. aliud pro Patribus Societatis, quibus indulgetur posse in itinere quorumcumque Fidelium excipere Confessiones, sub duplici limitatione; prima ut Parochi non repugnent; Secunda, ut eo in loco non sit Episcopus; nec facilis ad eum adsit recursus. Non obstantibus Decretis postmodum emanatis propugnant nonnulli hæc privilegia subsistere, dummodo hujusmodi itinerantes alibi sint approbati. Utvis hac de re plures Doctores scripserint ante Constitut. Clementi X., & Innocentii XII. attamen post illas paucos admodum, duos videlicet, vel tres scripsisse reperio, quorum unus absolutè affirmat omni desiderata ratione; duo alii fluctuanter loquuntur, subscribuntque Alphonso a Leone asserenti in re tam gravi expectandam esse ab Apostolica Sede declarationem.

75 OB. I. Simpliciter, & secundùm quid non opponuntur; sed audire Confessiones iter agendo est audire potestate secundùm quid, audire permanenter est audire potestate simpliciter: ergo revocatio potestatis excipiendi Confessiones permanenter, non est revocatio excipiendi Confessiones transeunter; Atqui Constitutiones productæ agunt de potestate absoluta, & ad actum perfectum, adeoque de audientibus Confessiones permanenter; quapropter Privilegium ad actum imperfectum, & transeuntem in suo vigore perseverat.

RESP. negando assumptum. Constitutiones productæ satis apertæ sunt, & non dant locum excogitatæ distinctioni; Siquidem loquuntur omninò absolutè, & simpliciter: loquuntur omninò universaliter distributivè negando ullatenus confessiones esse validas: declarant abrogata quæcumque Privilegia, omnia, & singula quolibet tempore a quolibet emanata: sunt edita post maturam deliberationem a scientibus utramque Privilegiorum gentis, vimque potestatis ad actum permanentem, & ad actum transeuntem. Adhibiti sunt ad hujus rei consultationem Regulares Theologi suorum Privilegiorum conscii, ac defensores. Prospicientes Romani Pontifices radicem, ex qua tot eantæ sunt doctrinæ in extensione scilicet Privilegiorum, expressè sanxerunt necessariam esse debere approbationem ab Ordinario loci illius, in quo Confessiones audiuntur, aliamque non sufficere; aliàs confessio absque debita approbatione nulla jure censetur. Inspexerunt Pontifices actus judicialis naturam, qui sive transeunter, sive permanenter in alienos subditos exercitus nullius est juris, non habita facultate a propriis Superioribus; Porrò huic facultati Apostolica Sedes suas alligat concessiones.

Sive ad actũ permanentẽ, sive transeuntem requiritur facultas.

76 OB. II. & est replica contra solutionem. Decretum irritans gratias, eas solùm irritare intelligitur, quæ sunt contrariæ fini, & doctrinæ proscriptæ; sed gratia itinerantibus facta non contrariatur fini, & doctrinæ proscriptæ; siquidem doctrina proscripta in duplici propositione continetur, quarum prima docebat approbatum Regularem in una Diœcesi esse ubique approbatum, secunda approbatum in una Diœcesi posse subditos illius ubique audire: his autem Privilegium iter agentium non præjudicat, nec contrariatur; nam semper stat permanenter non esse ubique approbatum; nec permanenter posse ubique absolutè audire Confessiones Diœcesanorum Episcopi, a quo olim fuit approbatus.

RESP. Concessa, seu veriùs, permissa majori negatur minor, quæ non sufficienter explicatur, nec adæquatus finis in ea comprehenditur. In aperto est ex Constitutione *Superna* Pontifices semina, quæ Episcopos inter & Regulares in dies pullulabant, eradicare voluisse, prætensa videlicet Privilegia universaliter, & absolutè explicata, & extensa. Si poterant Regulares ubique absolvere permanenter, & etiam ubique subditos Ordinarii, qui approbaverat, poterant semper, & pro semper, sive permanenter, sive transeunter; & hoc secundum a fortiori, quia actus transeunter factus minus præjudicat; & revera apertè opinabatur, quod in itinere posset excipi confessio subditi illius Episcopi, a quo fuerat Regularis aliquando approbatus; Hinc Regularis Bononiæ approbatus iter agens Romam poterat Laureti Bononienses cives illuc devotionis causa confluentes audire sacramentaliter. Lis erat propter violatam jurisdictionem Episcoporum, ex quo exteri, & Peregrini in suis Diœcesibus audiebant Confessiones, non obtenta licentia, ideo postulaverunt declarari, cujus Episcopi approbatio necessaria esset ad valorem Sacramenti, non ad permanenter absolvendum: Approbatio quidem ad singulas confessiones ubicunque faciendas, & quomodocumque necessaria est, & Apostolica Sedes necessariam quoque dixit licentiam Ordinarii locorum, in quibus excipiuntur Confessiones. Posse autem aliquando, & alicubi sacramentaliter absolvere vi Privilegii, & nullibi, & nunquam posse dubio-procul aliquam saltem dicunt oppositionem; Sed Romani Pontifices irritum fecerunt Privilegium omne favens opinioni asserenti posse Regulares audire alicubi, & aliquando Secularium Confessiones absque licentia Ordinariorum loci, in quo fiunt Confessiones, quas invalidas declarant; proinde Privilegium prætensum itinerantium sustulerunt. Si expressè haberetur, *Revocamus Privilegium itinerantium* profectò minimè dubitandum esset: Atqui efficacioribus clausulis habetur, abrogando omnia Privilegia ad hanc materiam pertinentia, etiam corpori juris inserta, etiam juramento firmata, sub quibuscumque verborum tenoribus, & insolitis clausulis, & etiam si specialis, specifica, expressa, & individua, seu quævis alia expressio habenda, aut alia

exquisita forma ad hoc servanda foret: ergo.

77 OB. III. & est replica contra solutionem. Non videtur revocatum Privilegium concessum in compensationem; sed Privilegium itinerantium concessum est in compensationem Privilegiorum revocatorum in materia approbationis per Concilium Tridentinum, & Romanos Pontifices: ergo in suo robore permanere dicendum est.

RESP. Assumptum esse voluntarium, nulla enim probatione fulcitur, nec fulciri potest: postquam concessum est Privilegium itinerantium, subsecutæ sunt plures Privilegiorum revocationes circa Regularium approbationem, ut constat ex productis superiùs Decretis, quorum plura sunt posteriora ad Eugenium IV., qui illud concessit Minoribus; & ad Gregorium XIII., qui concessit Patribus Societatis; unde non est concessum in compensationis revocatorum.

Privilegium itinerantium nō est in compensationem.

78 OB. IV. Per Privilegiorum revocationem non est credendum Apostolicam Sedem non consuluisse casibus, qui frequenter occurrunt: sed occurrunt frequentissimi casus Regularibus itinerantibus pro audiendis Confessionibus; frequentissimè enim iter agunt, eleemosynam quærunt per Pagos, & Montana, ubi non est Confessariorum copia; ubi plerique non libenter suo Parocho confitentur; ubi ruralia quandoque solennia recurrunt confluentibus undique Populis, & Parochus non sufficit omnibus, & petunt adjuvari a quæstoribus: pinguiores etiam colliguntur eleemosynæ, ubi quæstuantes Confessiones audiunt &c.

RESP. Hoc argumentum, quod magni faciunt Adversantes, oppositum evincit; præcipuum enim continet momentum, quo ducta Apostolica Sedes declaravit approbationem habendam esse ab Ordinario Loci, in quo audiuntur Confessiones: continet discordiarum semina orta inter privilegiatos Regulares, & Episcopos, ob quas tollendas fatentur Romani Pontifices se motos esse ad declaranda Privilegia, & revocanda. Cæterum ex quo frequenter iter agant Regulares non probatur convenientia Privilegii, sed oppositum; Nam Regulares hujusmodi ignorant, quinam casus sint reservati, unde periculo se exponunt in excipiendis Confessionibus. Ulterius ex itinerantibus quidam in Locis per menses, & annos absque domicilio morantur; justum ne censeri debet, quod ii Confessiones absque licentia Episcopi audiant? Pro casu necessitatis, qui occurrere potest, Ecclesia abundè providit, & pro occurrentibus solenniis possunt Parochi ab Episcopis licentiam obtinere, ut Sacerdotes alibi approbati Confessiones possint excipere.

Regulam hìc positam fundet praxis Societatis. Speciale Privilegium pro audiendis Confessionibus in itinere concessit Gregorius XIII. Patribus Societatis ob particulare motivum, quia ad evangelizandum per Diœceses mittuntur, & nihilotamenminus Generalis Præpositus statuit ne ullatenus eo utantur, nisi præsentetur Episcopis, aut eorum Vicariis, personaliter si commodè fieri potest, si autem sit difficilis accessus per literas, & facultatem evangelizandi obtineant, *ad evitandam nempè*, ut ajunt Scriptores Societatis, *Episcoporum offensionem*. Justè enim datur occasio offensionis Episcopis exercendo, ipsis insciis, ministerium reconciliationis in locis propriæ jurisdictionis, quamvis transeunter; ea propter ad offensionum, & discordiarum radicem evellendam Constitutio *Superna* irritum hac de re omne Privilegium declarat.

Et sanè si Privilegium illud expendatur, periculum abusus planè fiet, & justa Episcoporum querimonia; Quot perlegi Auctores illud Privilegium referentes illam conditionem apponunt, *Si non sint Episcopi, aut eorum Vicarii, nec facilis ad ipsos sit aditus*. Qui per Diœceses obambulant præcipuè quæstuando, raro contingit facilem non esse aditum ad Episcopos, vel eorum Vicarios. Tunc enim dicitur quis non commodè posse alium adire, quando distantia est ultra duas dietas. Cap. *Nonnulli de rescriptis*. In Persica Clementis VIII. § *De reconciliatione Ecclesiæ*. Adrianus VI. Bulla pro Indis: definiunt jura, & communiter Doctores viginti milliaria per singulos dies peragi posse *L. 3. ff. de verborum significatione*. *L. 1. ff. si quis Cautionibus*. Decius in Cap. *Olim n. 2. de Exceptionibus*: & Cap. *Cum sit n. 5. de Appellationibus*. Scio equidem regulam hanc non semper habere locum propter circumstantias nivium, pluviarum, & personarum, ut docent Hostiensis Abbas in Cap. *Nonnulli n. 7. de rescriptis*: Alciatus *in. lib. 3. ff. de verborum significatione*; experientia tamen teste hujusmodi Personarum genus itinere viginti milliarum haud defatigatur. Deinde bene advertit Verricellus *de Apostolicis Missionibus*, quod in Indiis, & Turcis Infidelium difficilis quidem personalis accessus ad Episcopum potest contingere, facilis tamen per literas, cum ergo itinerantes ad hæc non semper attendant, aut exequantur, nec Privilegium suffragatur; & justè dicendæ sunt Episcoporum querelæ.

Hic porrò notandum venit, Idoneitatis judicium non ad scientiam tantùm, sed ad vitæ, morumque integritatem spectare, quidquid unus, vel alter dicat. Ex Scripturis, & Patribus compertum est morum integritatem in Sacramenti Pœnitentiæ Ministro esse apprimè necessariam. Clementis X. auctoritas in Constitutione *Superna* contenta rem docet — Cum præcipua Ministri Sacramenti Pœnitentiæ qualitas sit „ vitæ integritas, ac morum honestas — Hinc quandoque fit viros aliàs doctos pro viris quidem, non pro Monialibus approbari, sicuti & approbatos pro viris non habere facultatem pro fœminis, nisi ad talem pervenerint ætatem, ut omissis exemplis apud Scriptores relatis, constat in Curia Romana, in qua nulli conceditur facultas audiendi mulieres, nisi ætatem 35. annorum attigerit. Hæc omnia evincunt Episcopos justè conquestos, atque Pontifices omnia privilegia justè revocasse.

79 OB. V. Si Parochi suas committant vices Regularibus, possunt hi, dum-

jter.

iter agant Confessiones excipere sine ulteriori approbatione; Hoc autem communiter contingit; nam ipsi exorant transeuntes, ut eos in confessionibus audiendis præcipuè cum festa occurrunt, adjuvent.

RESP. Hoc aliàs celebre argumentum nunc nullimodè urget. Docuerunt olim quidam Parochum posse simplicem Sacerdotem sibi in Confessarium eligere, & legitimè inferebant suas etiam vices simplici committere posse Sacerdoti. Ex quo autem in propositione decimaseptima ab Alexandro VII. doctrina antecedens fuit proscripta, nunc a fortiori colligunt Doctores nullam esse illationem: & meritò; quia per se primò prætensum illud Privilegium afficiebat personam, extensivè subditos. Post illius propositionis proscriptionem docuerunt alii Parochum posse sibi in Confessarium eligere, & pro suis ovibus quemlibet Sacerdotem, etiam Regularem alicubi approbatum: Etenim tunc habitur quidquid Tridentinum requirit: & hanc alias plausibilem sententiam confirmabant exemplo Jubilæi, & Cruciatæ, virtute cujus Fideles poterant eligere quemcumque alicubi approbatum; consulebant tamen in praxi oppositam sequendam; & benè cum ex adverso starent gravissimi Doctores principiis solidioribus innixi.

Parochorum potestas declarata.

Nunc verò dubio-procul sententia sequenda est, quæ asserit non posse Parochum suas vices committere Sacerdoti Regulari approbato, sed non ab Episcopo suæ Diœcesis, quod evincitur ex ipsis exemplis Cruciatæ, & Jubilæi, quæ superiùs expendimus, ex Tridentini Decreto supra relato, demum ex Apostolicis Constitutionibus, declarantibus Episcopum approbantem ad Confessiones esse debere loci illius, in quo audiuntur; Et sanè alteri suas committere vices nihil aliud esse potest, quam jurisdictionem suam concedere, hujus autem concessio exigit pro conditione approbationem Episcopi Diœcesani: Declarant Pontifices jurisdictionem absque conditione approbationis Regularibus non dare, & concessam volunt eis non prodesse, si illa non accedat, quomodo ergo illam dabit Parochus? Per talem deputationem non committit Parochus suum Parochiale beneficium Regularibus, Episcopus localis non approbat; jus autem commune exigit aut Parochiale beneficium, aut Episcopi approbationem, ut Regularis possit Secularium Confessiones excipere. Itaque ut benè notat Gabriel in expositione propositionis 17. Alexandri VII. Regularis alicubi approbatus, sed non in hac Diœcesi, habetur hic velut non approbatus, proinde nec pro se ipso, nec pro suis ovibus potest Parochus illum eligere, ut idem Auctor in expensione Constitutionis *Superna* advertit; Summus Pontifex limitat Regularis capacitatem ad recipiendam jurisdictionem, sub conditione approbationis Diœcesani: Ex propter illusoria est distinctio cujusdam dicentis vi Privilegiorum non posse Regularem a Diœcesano non approbatum audire Confessiones, posse tamen vi commissionis factæ suarum vicum a Parocho.

80 OB. VI. Consuetudo æquivalet legi: sed datur consuetudo, quod Regulares **A** iter agentes excipiant confessiones Secularium nulla habita licentia Episcopi Diœcesani, quod pro Germania nonnulli fatentur, & pro Italia idem dicendum videtur propter Episcoporum erga Regulares benevolentiam; adeoque dicendum est esse licitum; & ratio a priori est præsumpta voluntas, & ipsorummet Pastorum ratihabitio, qui suarum ovium salutem per omnem modum exoptant.

RESP. Argumentum, quod a pluribus magni fit, suo pondere corruit. Hanc consuetudinem dari mordicùs quidam de- **B** fendit, quia, inquit, Romanus Pontifex Regulares novit uti privilegiis, de quorum revocatione habetur controversia inter Doctores: Noverunt pariter Episcopi tum ex factis, tum ex Auctoribus de morali Theologia agentibus: Si igitur noverunt, & silent, tacitè ad minus consentiunt, approbant, conceduntque licentiam; aliàs salutem parvipenderent ovium sibi commissarum, quarum animas exquiret Dominus de manibus Pastorum, qui positivè in semitam rectam eas dirigere tenentur, & noxia subtrahendo pascua, pabula salutaria exhibere.

C Flebile hujusmodi eloquentiæ genus omnium fermè legum vim enervat; Certum namque est a pluribus leges infringi. Supremi Pastores oves suas haud dirigere debent tanquam Pædagogi verberibus, sed legibus potius, mandatis, Decretis, pœnarum maximè spiritualium comminationibus, atque actuali earumdem inflictione, transgressione accedente; & quando ad ipsos peculiares deferuntur casus, delinquentes judicialiter corrigere, aut pœnaliter punire, prout in Domino videbitur. Ministri autem, ut Parochi, Confessarii, & hujusmodi in viam salutis dirigere debent oves juxta rectam legum **D** intelligentiam, non eas in laxiorem partem interpretando, aut molles pulvillos capiti submittendo. Arcta via est, quæ ducit ad vitam; Prudens quilibet Supremorum Legislatorum mandata exequi debet. Alienum quippe ab Hierarchico ordine est, ut inferior Superiorum leges pro libito interpretetur, aut infringat.

Facili negotio nonnulli ad consuetudinem confugiunt, quæ abusus potius dicenda est. Nec adversus aperta, & repetita Pontificum Decreta prævalere quit consuetudo; Pluries autem Constitutionibus editis, prætensis Privilegiis excipiendi Secula- **E** rium Confessiones restiterunt Pontifices, & pluriam propositionum proscriptione Sedes Apostolica libertatem explicandi leges, easque in parte benigniorum detrahendo coercuit. Non scientia qualibet, aut notitia in Legislatore circa legum inobservantiam pro inducenda opposita consuetudine sufficiens censenda est; Non enim in Judice privata scientia sufficit ad puniendum, vel absolvendum. Scientia necessaria in Legislatore, debet esse Legislatoris, qua Legislatoris, ut consuetudo vim recipiat. Et licet non reclamet Legislator, non inde tacitus consensus colligitur: Stat enim Ca-

Quando prævalet consuetudo contra leges.

nonicam

nonicum axioma, quod multa tolerantur, quæ si ad forum deducerentur, non sustinerentur. Sciunt equidem Pontifices plures evulgari opiniones circa Privilegiorum existentiam, vel revocationem: Verùm ex hoc non evincitur earumdem approbatio. Audiamus Innocentium XI. in Decreto an. 1679. die 2. Martii emanato, quod incipit Sanctissimus D. N. Innocentius Papa XI. — „ Non intendens tamen Sanctitas Sua per „ hoc Decretum alias propositiones in ipso „ non expressas, & Sanctitati Suæ quomo„ dolibet, & ex quacumque parte exhibitas, „ vel exhibendas ullatenus approbare. -- Quod & Alexander VIII. similiter expressit in suo Decreto edito die 7. Decemb. 1690. & sanè quotiescumque remanet, & perseverat eadem ratio legis, non prævalere consuetudinem contra legem docet Angelicus 1. 2. *q.* 97. *art.* 3. *ad* 2. — Si autem maneat ra„ tio eadem, propter quam prima lex uti„ lis erat, non consuetudo legem, sed lex „ consuetudinem vincit — Manet autem eadem ratio legis in casu nostro, inconvenientia videlicet, secuta usu eorum Privilegiorum; ac proinde & si extaret consuetudo, non prævalet contra legem.

Quod de Germania dicitur adhuc incertum est. Claudius la Croix *Tom.* 2. *Lib.* 2. *p* 2. in expositione Constit. Clement. *Superna* habet — Sed de hac re satis non constat, „ cum viderim sæpè Regulares ab una ad „ aliam Diœcesim transeuntes sistere se „ Ordinariis, & per hoc tantùm facilitare „ approbationem sui pro nova Diœcesi, si „ ostendant approbationem aliarum Diœce„ seon — Et ibi agit de Privilegio itinerantium. In Italia habemus exempla Episcoporum, qui malè audierant de Regularibus, qui hæc agendo absque ipsorum licentia Confessiones excipiunt. Deinde de justa Episcoporum querela certos nos facit mox citata Constitutio, quæ omnia revocat Privilegia non obstante quacumque consuetudine. Porrò, quod additur de Episcoporum benignitate, oppositum evincit; Etenim qui faciles sunt, jure meritò conqueruntur, quod licentia non postuletur, quam dare non renuunt, ubi aliorum viderint approbationes: Cæterum etsi faciles, sunt etiam prudentes. Prudentia autem dictat indiscriminatim non esse permittendam omnibus Regularibus transeuntibus, & incognitis administrationem Sacramenti Pœnitentiæ. Ex his propalam fit haud adesse momentum aliquod rationabiliter præsumendi in Episcopis tacitum consensum, immo oppositum; licet alias voluntas præsumpta non sufficiat, cum agatur de necessariis requisitis ad valorem Sacramenti, sed requiritur vera, & certa licentia, & multò minùs sufficiat ratihabitio de futuro, cum Pontifices, & Concilium præviam expostulent approbationem. Utique Episcopi suarum ovium salutem petopiant; Verùm si eas sine delectu Sacerdoti prorsus alienigenæ commendarent, tanquam desides essent reprobandi.

81 OB. VII. In favorabilibus dubium est benignè interpretandum; Sed adhuc post Clementinam dubia est exemptio Privilegii itinerantium; nam Theologi quidam interrogati illud subsistere dixerunt: ergo interpretari debemus benignè, adeoque standum est pro affirmativa; eo vel maximè quod Privilegia Regularibus concessa sunt in remunerationem, induuntque naturam irrevocabilitatis; sunt ex certa scientia, & de plenitudine potestatis confirmata, sicut post Decretum Clementis VIII. Theatinis confirmaverunt Gregorius XV., & Paulus V., qui eodem modo concessa Societati confirmavit; Porrò confirmatio sub his formulis Privilegia vivificat annullata, & cassata.

RESP. Plura affert fallax objectio, quæ summatim indicabimus. Major supponit Privilegia esse simpliciter de genere favorabilium, quod verum est respectu personarum, quibus conceditur; tale autem non est omne Privilegium relatè ad jus commune, qualia sunt Privilegia exemptiva a legibus communibus, hæc enim sunt quædam dispensationes, & dispensatio est legi odiosa; ea propter in dubio dispensatio, seu benignior interpretatio est onerosa legi, & juri communi, quod est in possessione, & prævalet, sicut potestas legislativa, sed hoc indicasse sufficiat, ad rem deveniendo.

Constans Canonum regula est in dubiis tutiorem partem esse eligendam, & in præsenti materia produximus n. 70. casum de Episcopo peregrinante expositum consultationi, num virtute suorum Privilegiorum posset assumere in Confessarium Sacerdotem non approbatum a Diœcesano, & quia Consultores in oppositas abiere sententias respondit Pontifex — In re dubia tutius est „ adhærere Concilio — Hinc negativa emanavit declaratio: Deinde a morali certitudine magis distat dubium, quam tenuiter probabile inter probabilitatis limites comprehensum; nam tenue probabile pondus aliquod addit uni parti, quod non facit dubium: atqui tenuiter probabile est illicitum in praxi, & in se omninò insufficiens ad conscientiam dirigendam, sicut constat ex 3. propositione ex proscriptis ab Innocentio XI. ergo multò magis dubium.

Ad secundam propositionem, dicimus nullam esse quamcumque interpretationem datam Constitutioni *Superna*, quæ non emanat a Sede Apostolica; siquidem ipsa aufert potestatem eam interpretandi a quolibet, etiam ab Episcopis, suisque Officialibus; & jure meritò, nam si talis subsit facultas, jam corruit finis a Pontifice intentus discordiarum, quæ diversitate opinionum interpretantium foventur, evitatio. Deinde hujus sententiæ Propugnatores, ut notat doctissimus Noster Salmatic. *Tom.* 2. *de Pœnit. disp.* 12. *dub.* 9. *num.* 124. referens pro affirmativa Valentinum nostrum *Tract.* 1. *§.* 5. *n.* 46, *&* 47. -- Rationem tamen, „ quam desideramus, assignat nullam -- addit Salmaticensis, qui ipse aliquas conatus est subjicere, concludens — Sed quid „ probabilitatis hæc habeant, & quid tan„ dem sentiendum sanioris aliorum crisi „ committenda censuimus — Et Claudius la Croix superiùs citatus habet — Non „ aude-

„ auderem sententiam illam sequi : nec no„ vum *Compend. Privileg. Societatis* V. *Confessarius* §. 2. videtur satis fidere isti Pri„ vilegio -- Antequam emanaret Constitutio *Superna* ob Decretum Urbani VIII. fluctuabant nonnulli Doctores circa revocationem Privilegii, quantò magis post illam, & alias declarationes absolutè exigentes approbationem Ordinarii loci, in quo audiuntur Confessiones : quapropter aut nullius, aut tenuis valdè probabilitatis censenda est opinio contraria ; & consequenter ea non habet conditiones, quas requirunt Doctores, ut Ecclesia suppleat jurisdictionem.

Ad primum additamentum notandum I. Privilegium in duplicem dividi classem, videlicet in Privilegium in justitia commutativa fundatum, & in Privilegium innixum liberali Principis voluntati : primum verum exposcit contractum, etvis innominatum, nempe *Do, ut Des : Facio, ut Des*. Do, cum pecunia solvitur : Facio, cum determinati labores, & opera particularia exhibentur : ùt quæ concessa Sancto Ludovico Francorum Regi ob motum Saracenis bellum. Dividitur hoc in exemptivum a communibus oneribus, aut promotivum ad honores, ut deferendi aureum vellus, & in collativum juris in translativum dominii alicujus v. g. Provinciæ, vel Fodinæ &c. Secundum dividitur in simpliciter gratuitum, & absque respectu, sive ad meritum, sive ad opus præstitum ; & non simpliciter gratuitum, quia concessum titulo alicujus præstiti operis, & motivo honestatis. Hoc posterius subdividitur in Privilegium collatum ex vera grati animi significatione, & ex impropria. Gratitudo strictè dicta ea est, quæ attendit ad merita cum quadam proportione æqualitatis : impropria, seu largè accepta ea est, quæ respicit merita aliqualiter, sed cum inæqualitate proportionis : Rursus merita alia sunt generalia, seu communia, alia sunt particularia, & specialia : primi generis involvunt rationem debiti ex parte merentium, secundi generis debiti rationem non includunt : illa prima ad gratitudinem secundùm quid spectant ; secunda debitum veræ, & propriæ gratitudinis fundare possunt.

Privilegium aliud ex justitia, aliud ex liberalitate.

Notandum II. Privilegium secundùm aliqua naturam sapit legis, potissimè in qualitate motivi, & finis ; omnis lex justa debet per se primò utilitatem boni communis respicere, ùt apud Doctores solemne est ; & si temporum cursu bono communi non utilis efficiatur, mutari potest, sicut cum D. Th. 1. 2. *q.* 97. *art.* 7. docent Auctores ; quod fortiùs urget, si communi bono noxia deprehendantur ; & sub hac conditione conditur, & sub eadem perpetuitatis naturam sortitur ; sub hac proportione Privilegia decurrunt.

Notandum III. Supremus Legislator, atque Reipublicæ Moderator Successoris potestatem infringere, aut ligare potest, nec quoad substantiam, nec quoad modum illius usum impedire pro tempore sui gubernii, aliàs publicis rebus malè consultum esset : Sicut enim tempora, ita & circumstantiæ mutantur, & mores, proindeque diversa occurrere possunt, quæ mutationem & jure, & meritò exposcant ; Hoc sanè perquam facilè evenit, ubi potestas gubernativa in omni plenitudine immediatè a Deo ad Successores descendit, ùt in Romano Pontifice videre est, cui potestas non jam ab hominibus, sed est a Deo, tum proximè, tam remotè ad ædificationem Corporis Christi. Hinc illæ circumferuntur regulæ : *Par in Parem non habet imperium*. Colligitur ex Cap. *Innotuit* 20. *de electione* : Cap. *Inferior* : Cap. *Denique dist.* 21. *L. Nam & Magistratus ff. de recep. arbitr. Ejus est actum tollere, cujus est facere. L. Non ambigitur*, & *L. Leges sacratissimæ C. eodem titulo. Principis gratia semper intelligitur sine alterius præjudicio*. Cap. *Super eo de Off. Delegati*.

Notandum IV. Meretur Privilegium ammittere, qui Privilegio abutitur. 11. *Quæst.* 3. Cap. *Privilegium* -- Privilegium „ meretur omninò ammittere, qui permis„ sa sibi abutitur potestate — Cap. *Tuarum*, & Cap. *Ut Privilegia* ; *De Privilegiis* clarissimè idem constituitur : Resque in aperto est ; Omnis enim potestas a Deo est in ædificationem.

Notandum V. In Statutis Principum clausula *Ex plenitudine potestatis* maximam vim habent operativam : In præsenti sufficit subdere unam, vel alteram. Ex communi sententia Juris-prudentum docet Barbosa *Tractatu de Clausulis Clausula* 41. n. 2. -- Est „ illa, cujus causæ non est ratio exquiren„ da in Principe, cur ita faciat — quod intelligitur de Constitutionibus juri Divino, vel naturali, vel canonico, in laico, minimè contrariis. *Num.* 9. pariter cum aliis Doctoribus -- Habet vim derogatoriæ ad „ omnem legem contrariam, etiam haben„ tem clausulam derogatoriam — *Num.* 10.— „ Operatur, quod contraria censeantur „ sublata absque alia derogatione, & clau„ sula, *non obstante*, maximè quando adest „ clausula *ex certa scientia* -- Ratio horum est aperta, siquidem operari ex plenitudine potestatis, est operari ex potestate extraordinaria, hoc est supra leges ; eo proportionali modo, quo dicimus Deum operari supra leges, quando operatur potentia extraordinaria.

Notandum VI. Privilegia non sunt Regularibus concessa ex contractu stricto, justitiam rigorosam fundante, qualis est, Do, ut Des : Do, ut facias ; Res in aperto est, & dubio-procul, nec casus in oppositum afferri potest, nisi quædam incommunicabilia Privilegia Monacis, qui solvunt nummum, concessa. Similiter non sunt de genere eorum, quæ dominium super aliquod lucrativum transferunt, ùt ex Bullis videre est, sed sunt a communi jure exemptiva, sunt collativa alicujus potestatis supra Christi oves in ordine ad aliquos actus ; sunt spiritualium bonorum communicativa, ex propter solummodo ad gratiosum privilegium eorundem collatio referri potest, non autem ad lineam justitiæ commutativæ. His certis principiis præmissis ad difficultatis nodum dissolvendum accedimus.

Noster Pater Gabriel *de Remediis ignorantiæ* in expositione Clementinæ *Superna* dicit

dicit I. Privilegia Regularibus collata non esse remuneratoria; merita enim, ad quæ possunt respicere Pontifices, sunt debita, quia Regulares sunt acceptati, & assumpti in adjutorium Apostolicæ Sedis, & Episcoporum, quod in magnum Regularium Ordinum decus venit. Ea vi proprii instituti tenentur Mendicantes Populis deservire, a quibus propterea eleemosynis sustentantur; eaque propter, ut docet Cajetanus, gravi obstringuntur obligatione, ut studiis, aliisque mediis ipsis deserviant. Sunt itaque privilegia hujusmodi illecebræ quædam, ut alacriùs Regulares muneri suo incumbant.

Hinc, admittendo remuneratoria esse, dicit II. merita, quorum intuitu Apostolica Sedes indulsit Privilegia, jam pleno, & perabundè sive per exemptiones, sive per dignitates, honoresque remunerata fuisse; & sanè quid optabilius, quam illa spiritualium bonorum amplissima collatio per indulgentias, in quarum comparatione cætera sunt, velut arena exigua, & tanquam lutum æstimari meritò debet argentum in conspectu illarum. Demum asserit collata Mendicantibus Privilegia fuisse, ut ea his magis, magisque regularis observantia flureret. Obtento fine cessant media; unde nil mirum, si illa revocata fuere.

Alios legimus Doctores eruditè argumento respondentes. Privilegia Regularium etsi remuneratoria censeantur, esse quidem irrevocabilia potestate ordinaria, non autem de plenitudine potestatis, sub cujus clausula per Apostolicas Constitutiones revocata sunt, quinimmo etiam potestate ordinaria revocabilia esse, quia collata sub conditione intrinsecè inclusa, videlicet quandiu sunt utilia, quandiu non sunt nociva, & quidem ad imitationem legum, quæ sub iisdem clausulis censentur perpetuæ, quibus non existentibus, aut cessant, aut jure providentiæ ordinariè mutantur. Addas in Privilegiorum usu irrepsisse abusus, quos in suis Constitutionibus notant Pontifices, atvis utendo plenitudine potestatis retractationis causam explicare nequaquam debeant. Hoc clarè ex Urbano VIII. Vivæ vocis oracula revocante -- Cum au-
„ tem experientiâ rerum magistrâ compertum sit concessiones &c. sæpè ab iis, in
„ quorum favorem emanaverunt, minùs
„ Canonica interpretatione extendi, &
„ perperam in disciplinæ Ecclesiasticæ de-
„ trimentum executioni demandari -- Sic legitur in motu proprio, qui incipit *Aliàs felicis recordationis*. die 20. Decembris anno 1631. Quæ revocatio est illimitata, & comprehendit concessa ad instantiam Regum; & etiam manu alicujus Cardinalis firmata, ut videre est apud Vivam in expositione damnatarum Propositionum in materia Privilegiorum, & apud alios Scriptores; quæ revocatio tangit utrumque forum internum, & externum. Solutionem argumento datam, brevibus complexus est Gregorius XV. In motu proprio expedito die 2. Julii 1622. --
„ Romanus Pontifex . . . . gratias, & in-
„ dulta a se, & Prædecessoribus suis con-
„ cessa, justis interdum suadentibus causis,
„ juxta creditum sibi pastoralis officii debi-
„ tum, moderatur, aut revocat prout re-
„ rum, & temporum qualitatibus debitè
„ pensatis conspicit in Domino salubriter
„ expedire --

Ad secundum additamentum dicimus voluntariam esse explicationem. Nam clausula *ex certa scientia* nil aliud exprimit nisi decretum emanatum fuisse cum plena causæ, & circumstantiarum cognitione. Nec clausula *de plenitudine potestatis* significat Privilegiorum renovationem, sed efficacitatem voluntatis indicat volentis, sive confirmationem, sive collationem, sive revocationem, vel aliud quid intentum in Decreto, operando etiam supra leges absque alligatione ad ordinariæ providentiæ regulas. Julius II. interrogatus a Minoribus, an in Bulla confirmationis Privilegiorum ipsis factæ comprehenderet etiam Privilegia, quæ non fuit in usu, respondit, negativè, quibus docere voluit in Confirmationibus multò minus comprehendi collata, ac annullata.

82 OB. VIII. Concessum irrevocabiliter non est revocatum: sed concessa sunt Privilegia Regularibus irrevocabiliter; nam Sanctus Pius V. certa Privilegia contulit Mendicantibus decernens ea Privilegia nullo unquam tempore per Sanctam Sedem revocari posse; & sub aliis revocationibus non comprehendi; & si contingat ea revocari, Pontifex denuò concedit, ut ipsemet Generalis Mendicantium ea possit revalidare, quæ Privilegia eodem modo confirmavit Paulus V., sed referibamus verba Clementis VIII. Bulla, quæ incipit: *Dudum Congregationum Fratrum Discalceatorum &c.*, in qua communicat omnia Privilegia omnium aliorum Ordinum, & sunt -- Decernentes præsentes
„ literas nullo unquam tempore sub ullis si-
„ milium, vel dissimilium gratiarum revo-
„ cationibus, alterationibus, limitationibus,
„ abrogationibus, aut aliis dispositionibus
„ a nobis, & quibuscumque Romanis Pon-
„ tificibus, vel dicta Sede nunc, & pro
„ tempore emanatis comprehendi, sed sem-
„ per ab illos exemptos, & quoties illæ
„ emanabunt, toties in pristinum, & eum,
„ in quo antè præmissa erant, statum resti-
„ tutas, & de novo etiam sub posteriori
„ data pro tempore existentem Præpositum
„ Generalem præfati Ordinis Discalceato-
„ rum hujusmodi eligendum concessa esse,
„ & fore &c. -- Cumque quotannis Capitula Generalia acciperent Privilegia omnia a Pontificibus concessa, hinc fit eadem post quamcumque contrariam Constitutionem semper vigere.

RESP. Hujusmodi sanam doctrinam a jure exorbitare nemo unus non videt. Nonnè in Ecclesia illusorium quoddam gubernii genus institueretur, si saluberrima Pontificum constituta artificiosis hisce illuderentur intelligentiis? Apostolica Sedes manifestis Hæreticorum irrisionibus exponitur, cum contradictoria dicta, & positiones in Pontificum Decretis adstruuntur. Dubio-procul Regulares non ii sunt, qui Privilegiis quandoque abuti non possint. Nulla enim lex tam sancta est, quæ hominum malitia vitiari nequeat; quo igitur pacto pro tempore existentes Papæ illas emendabunt, si semper revi-

ravivifennt per posteriorem temporis designationem revocatæ leges, & Privilegia? Data erit ergo Pontificibus in destructionem potestas? Solennis doctrina est, legem humanam utvis utilem posse abrogari, si mutatis circumstantiis alia occurrat melior; quare in Privilegiis hoc erit negandum, si revocationem communi bono utiliorem judicari contingat; cum altùs veram legis rationem non sortiantur, & aliunde fint legum quædam dispensationes, proindeque legum vulnera? Dicant quæso Oppositores, stantibus prædictis clausulis poterat ne Clemens VIII. Privilegia revocare? Profectò nullus renuet; Quomodo igitur per posteriorem temporis consignationem potuit potestatem suorum Successorum, quæ est omninò æqualis, & independens limitare? Phrases itaque hujusmodi inseruntur ad explicandam efficaciam voluntaris Concedentis gratiam, ejusque perpetuitatem, inquantum stat ex parte sua; subintelliguntur tamen semper clausulæ communes, jure gentium, & naturali transcendentes omnes contractus, & concessiones, atque indubia doctrina est hos semper includi, & si nullatenus exprimantur, inter quas illa est: *Salvo jure alieno: Salva summa potestate Principis. Absque præjudicio boni communis &c.* Cum ergo temporum successu sæpè fiat, ut nocivum fit bono communi, quod erat utile, si illas formulas accedentibus his circumstantiis nequiquam urgere; cumque in omnibus Petri Successoribus summa fit potestas, & plenum jus, jam in aperto est, evanidas esse posteriores illas temporum consignationes, si justâ causâ datâ, Privilegia contingat a Supremo Pastore pro tempore revocari. Præter hæc alii addunt locutiones illas, illasque consignationes efficere irrevocabilitatem per usum potestatis ordinariæ, non autem per usum potestatis extraordinariæ, hoc est de plenitudine potestatis; quod est intelligendum, quando ex arbitrio revocantur.

Lex etsi utilis abrogari potest.

83 OB. IX. Eadem est ratio maritimæ, ac terrestris peregrinationis; sed in maritimo itinere Sacerdos approbatus ab uno Dioecesano pro Nautis potest absolvere quoscumque ingredientes navim ex quacumque Dioecesi, per quam successivè transit navis; ergo similiter Regularis in una Dioecesi approbatus potest absolvere quoscumque el accedentes per successivum transitum per diversas Dioeceses.

RESP. *Neg. majorem*; pro elucidatione solutionis. Navis vel habet Capellanum, vel non habet; si habet, ille Capellanus potest absolvere quoscumque sese adjungentes navi, quocumque vadat, ac transeat, quia se habet velut Parochus illius Corporis, & Communitatis existentis in navi, quæ consurgit ex Nautis, militibus, & itinerantibus, quo pacto Parochus potest quoscumque de novo accedentes absolvere. Capellanus potest approbari ab Episcopo, cujus est navis; ab Episcopo Portus, a quo solvitur, ab Episcopo Portus, in quo navis moratur, quia eo tempore navis est illi subjecta.

Si verò non habeat Capellanum, Sacerdos approbari debet ab Episcopo Portus, in quo sistit navis, vel a viciniori; quia navis transeuntes est illi Episcopo subdita, propterea Judex potest ibi delinquentes Nautas punire. Si verò æqualiter distet navis a duabus Dioecesibus, quæ æqualitas non est metaphysicè metienda, cum modicum pro nihilo reputetur, a quolibet approbari potest, quia æqualiter uni, & alteri subjiciunt, & datur locus præventioni. In itinere terrestri non se habet Sacerdos velut Parochus unius Communitatis; cum illi accedentes non faciant unum Corpus, ùt evidens est. Videatur Verricelius *de Missionibus Apostolicis Tit. 11. de Pœnitentia q. 156.* ubi alia.

CONTROVERSIA VI.

§. I.

AN ECCLESIA POTESTATEM HABEAT RESERVANDI PECCATA.

84 UTvis ad Seculum usque XI. Pontifices plenam absolvendi facultatem quoad omnia crimina Episcopis reliquissent, eodem tamen ævo ipsimet Præsules ad Romanum Pontificem Pœnitentes dirigebant, sive ut ab atrocioribus criminibus absolverentur, sive ut gravi mulctarentur pœna, quâ absolutâ ab iisdem Episcopis absolutionis beneficium obtinerent. Hinc in Remensi Concilio an. 1131. celebrato, præside Innocentio II., *Can.* 13. Decretum legimus, ut — „ Nullus Episcoporum (illum videlicet, „ qui violentas manus in Clericos, vel Mo- „ nachos injecerit) præsumat absolvere, „ donec Apostolico aspectui præsentetur, & „ ejus mandatum suscipiat — Concilium Avenionense *Can.* 13. Decrevit Perjuros, & Ecclesiasticarum Censurarum Contemptores a Summo dumtaxat Pontifice esse absolvendos. Postmodum verò ipsi Romani Pontifices plures casus, seu, ùt loquitur Cajetanus, plura crimina, quibus sunt annexæ censuræ, sibi reservata voluerunt.

Episcopi omnia crimina relaxare poterant.

85 Quoad Episcopos spectat, graviora crimina, quibus in primitiva Ecclesia publica injungebatur pœnitentia, sibi reservaverunt: Cum enim publica Exomologesis pene obliterata esset, Episcopi atrociorum delictorum absolvendi facultatem secundi Ordinis Sacerdotibus denegarunt, & non nisi rarò his facultatem faciebant absolvendi, ùt ex Arelatensi Concil. an. 1260. convocato habetur *Can.* 16., ubi dicitur Episcopos tempore Quadragesimæ propter imbecillas, & impotentes consuevisse Pœnitentiarios mittere, ut delinquentes *a casibus*, qui *Majoribus reservabantur*, absolverent; Quod clariùs evincitur ex Concilio altero Arelatensi an. 1265. congregato, ubi *Can.* 13. prohibetur, ne Sacerdotes Confessarii a reservatis absolvant — Nisi Personæ, quæ in aliquos præ- „ dictorum casuum inciderint, fuerint adeo

Reservatio peccatorum apud Episcopos.

„ senes, vel valetudinariæ, quod ad Episcopos, vel eorum Pœnitentiarios venire „ non possint, vel nisi fuerint in mortis articulo constitutæ; & tunc eis nihilominus „ injungatur, quod si recuperaverint sanitatem, pro prædictis se debeant Episcoporum aspectibus præsentare -- Concilium Rotomagense an. 1299. Decreto 6. statuit, ut *nisi certis Personis, & notis dumtaxat* facultatem absolvendi a casibus reservatis committant Episcopis.

86 Ex prædictis licèt pro comperto habeatur adesse in Ecclesia potestatem reservandi peccata, hoc tamen effractè negavit. Wiclephus *de Serm. Domini in Monte c. 13.* -- „ Diabolus docet, quod potestates absolvendi a peccatis talibus (id est Sacerdotibus) restringantur -- Hinc Novatorum calumniæ asserentes peccatorum reservationem aucupium esse pecuniæ.

87 Dicendum tamen in Ecclesia dari potestatem reservandi peccata, quod Tridentinum *Seff. 14. Can. XI.* declaravit -- Si „ quis dixerit Episcopum non habere jus reservandi sibi casus, nisi quoad externam „ politiam, atque adeo casuum reservationem non prohibere quo minus Sacerdos „ a reservatis verè absolvat; anathema sit --

Potestas absolvendi limitari potest.

Et PROB. I. Qui absolutam habet potestatem utendi clavibus Regni Cœlorum, potest iis uti pro aliquibus peccatis, & non pro aliis: Hæc est enim natura Clavium materialium, a quibus metaphora desumpta est, ut iis utatur Dominus ad aliqua aperienda, aliaque occultanda, ipseque quit uni Servo claves tradere ad aliqua, sed non omnia aperienda; Atqui Petrus absolutum habet usum Clavium Regni Cœlorum in ordine ad relaxanda crimina, & ipsi pro libitu facultatem aperiendi inferioribus Ministris tradere concessum est: ergo.

Explicatur ea doctrina, quam ex Innocentio III. refert Thomas Waldensis *Tom. 2. de Sacram. Pœnit. cap.* 149. *n.* 2. -- Qualiter etiam fundamentum scribendi accepit in hac re, in Sermone de Natali „ Apostolorum Petri, & Pauli, qui incipit. Interrogabat Jesus Discipulos; post „ medium, Innocentius. Portæ Inferi non „ prævalebunt adversus eam, potestas autem ipsius in duobus maximè commendatur, videlicet, in absolutione peccatorum, & operatione miraculorum. Licet „ enim communem cum aliis dimittendi „ peccata potestatem acceperit, non tamen „ sine rationabili causa solus legitur interrogasse Jesum, si peccaverit in me frater „ meus, dimittam illi usque septies? Et „ ei soli legitur respondisse Jesus; Non „ dico tibi septies, sed usque septuagies „ septies . . . Quid ergo septenarius per seipsum multiplicatus significat, nisi universorum universa peccata? Sic igitur „ soli Petri præcipitur, ut si peccavit in „ se frater suus, dimittat ei non solùm „ septies, sed usque septuagies septies, „ quia solus Petrus dimittere potest in Terra universorum universa peccata; Nam „ & quædam peccata, quorum absolutio „ soli Petro est reservata --

88 PROB. II. Ecclesia Reipublicæ benè ordinatæ assimilatur; Atqui in benè ordinata Republica quædam reservari solent causæ Supremo Principi, circa quas coarctatam habent facultatem inferiores Judices, etsi ad causarum universalitatem deputati sint: ergo pari ratione legitima dabitur potestas in Ecclesia quædam reservandi delicta. Et sanè ipsamet jurisdictionis natura dicit esse limitationis capacem: eaque propter Ecclesia, quæ potestatem habet jurisdictionem impertiendi, illam tum quoad Personas, tum quoad peccata coarctatam potest & jure, & meritò concedere.

Ecclesia Reipublicæ comparatur.

89 PROB. III. Ecclesia jus habet constituendi Judices in foro conscientiæ in ædificationem; Sed peccatorum reservatio cedere potest, immo cedit in ædificationem; cum ad impiorum refrænandam audaciam maximè tendat: ergo. Et quidem dubio procul reservationem in majorem Dei honorem, majoremque Fidelium utilitatem ordinari nemo unus dubitare potest, cum per eam severiùs puniantur noxæ, unde major inde consurgit pro divina offensa satisfactio, nec non major inde in peccatore humiliatio, proindeque major fructus pœnitentiæ, vitæque reformatio.

Reservatio in ædificationē.

90 PROB. IV. ex Tridentini doctrina *Seff. 14. cap. 7.* per quam præcedentia apprimè roborantur -- Magnopere ad Chri„ stiani Populi disciplinam pertinere San„ ctissimis Patribus nostris visum est, ut „ atrociora quædam, & graviora crimina „ non a quibusvis, sed a Summis dumtaxat Sacerdotibus absolverentur: Undè „ meritò Pontifices Maximi pro suprema „ potestate sibi in Ecclesia universa tradita, causas aliquas criminum graviores „ suo potuerunt peculiari judicio reservare. „ Neque dubitandum est, quando omnia, „ quæ a Deo sunt, ordinata sunt, quia „ hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique Diœcesi, in ædificationem tamen, „ non in destructionem, liceat pro illis „ in subditos tradita supra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, præsertim „ quo ad illa, quibus excommunicationis „ censura annexa est. Hanc autem delictorum reservationem consonum est divinæ auctoritati, non tantùm in externa „ politia, sed etiam coram Deo vim habere -- Quid clariùs, quidve efficaciùs ad intentum?

Reservatio ab antiquitate exemplata.

§. II.

OPPOSITA HÆRETICORUM MOMENTA.

91 OB. I. Ecclesia nequaquam potestatem a Deo Sacerdotibus collatam limitare potest, cum in jus divinum nihil possit; Sed Christus illimitatam potestatem Sacerdotibus contulit illis verbis Joan. 20. *Quorum remiseritis peccata &c*: ergo. Hinc Petrum reservare volentem absolutionem peccatorum, Matth. 18. *Quoties pecca-*

peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? reprehendit Christus illimitatam volens criminum condonationem. *Non dico tibi septies, sed septuagies septies:* ergo reprehensibiles sunt Pontifices, seu Episcopi limitantes jurisdictionem circa aliqua utvis graviora crimina.

RESP. Ecclesia non limitat a Deo collatam potestatem; non enim absolutè peccatorum absolutionem denegat, sed absolvendi potestatem ordinatè Sacerdotibus elargitur; Et quidem juxta Christi Doctrinam, qui tunc Apostolis potestatem tribuit relaxandi peccatorum vincula, quando eis oves suas dirigendas tradidit; ac propter, antequam remittendi peccata daret potestatem, dixit, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos,* ut planè intelligeremus, tunc Sacerdotibus conferri jurisdictionem, cum eis sive limitatè, sive illimitatè subditi deputantur. Cæterum licèt in præcitatis verbis non explicetur jus reservandi crimina, hoc tamen satis innuitur per subsequentia, videlicet; *Quorum retinueritis, retenta sunt.* Nec Christus Petrum reprehendit ob reservatam peccatorum absolutionem, sed ob limitatum numerum nocarum ultra quam nulla superesset absolvendi facultas. Hoc porrò per reservationem non intendit Ecclesia; vult enim omnia delicta sive quoad numerum, sive quoad excessum gravissima relaxari, sed non a quolibet Ministro. Vid. n. 87.

Jurisdictio quando confertur.

92 OB. II. Absolutio a peccatis proximè ordinatur ad sacram sumendam Synaxim in Evangelico Convivio, quod filio suo Rex fecit, adumbratam; Atqui ad illud Convivium omnes compelluntur intrare: *Compelle intrare:* ergo in aperto est velle Christum peccatores non arceri, sed impelli ad criminum relaxationem obtinendam; sed per reservationem peccatores non jam compelluntur, sed arcentur: ergo.

RESP. Malè assumitur parabula pro Pœnitentiæ Sacramento; cum a Christo instituta sit ad manifestandum ipsum velle omnes Ecclesiam ingredi; ideoque mittuntur Servi per vicos, & plateas, ut debiles, claudosque, idest cujuscumque generis homines introducant; sed argumentis credibilitatis nullæ fidei. Hi porrò compellendi sunt non quidem vi: Si verò ad Sacram Eucharistiam parabola attendatur, & pro claudis, debilibusque intelligantur peccatores, jam dicimus illam nobis prodesse; Compelluntur namque quis multipliciter, monitis videlicet, exhortationibus, sempiterni supplicii minis, excommunicationibus, nec non reservationibus, quibus impiorum infringitur audacia.

Ad fidem compulsio qua.

93 OB. III. Christi jugum leve est; Atqui gravissimum onus est reservatio; Cogit enim Peccatores maximis expensis, laboribusque sese Romano Pontifici, aut Episcopo præsentare: ergo reservatio aliena est a Christi doctrina.

RESP. Equidem jugum Christi leve est, sed arcta est via, quæ ducit ad salutem; proindeque utrumque componi debet. Reservatio sanè onus quoddam est, sed æquè utile, & necessarium, non tamen importabile, cùm urgente necessitate, vel gravi

Reservatio nõ est importabile onus.

incommodo in promptu sint media, quæ omnem fere liniant asperitatem.

94 OB. IV. Reservatio sacramentali Confessioni opponi videtur; Hæc namque integra esse debet; & aliàs Confessio facta apud Sacerdotem non habentem facultatem in reservata integra esse nequit; cum hic omnia relaxare crimina non possit.

RESP. Reservatio per se nequaquam importat mutilam Confessionem, aut absolutionem, sed quod non quilibet Sacramenti Minister habentam reservata absolvere possit; Quare qui aliquo reservato crimine est irretitus, ad eos accedere debet Confessarios, qui potestate gaudent talia crimina dimittendi; quo pacto nullimodè Confessio dimidia erit.

Reservatio non exigit dimidiam confessionem.

95 OB. V. Reservatio directè, & per se Pœnitentem periculo infamiæ exponit; cum oporteat vel a Sacramentis abstinere, vel proprio prætermisso Confessario, Pœnitentiarium quærere, unde suspiciones oriuntur in viris adversus uxores, in Patribus adversus filias, servos, ancillas &c. Hinc lites, jurgia, iræ; Hæc porrò aliena sunt a Charitate legis gratiæ: ergo.

RESP. Per se reservatio ad hoc non tendit; Qui enim prudenter se gerit omnem infamiam quit evitare; Si quod autem inconveniens quandoque oriatur, præter legis intentionem est; quod sanè singulare non est in nostro casu, immo frequenter in aliis legibus evenire pro comperto est, quin dictæ leges reprobari debeant.

Ex lege per accidens mala oriuntur.

CONTROVERSIA VII.

§. I.

AN INDISCRETA RESERVATIO VALIDA SIT.

96 QUi in Ecclesia Dei ordinaria gaudet auctoritate, potest reservare peccata. Hinc Summus Pontifex hanc pro tota Ecclesia habet potestatem, Episcopus pro sua Diœcesi; Superiores autem Regulares jurisdictionem in utroque foro habentes nequeunt absque consensu Generalis, vel Provincialis Capituli alios reservare casus præter enumeratos in Constitutione Clem. VIII., videlicet, Apostasiam etiam retento habitu; Nocturnam, ac furtivam egressionem e Claustro; Veneficia, Incantationes, & Sortilegia; Mortale peccatum contra paupertatis votum; Furtum grave de bonis Monasterii; Lapsum carnis opere consummatum; In legitimo judicio falsum juramentum; Procurationem, consilium, auxilium ad abortum fœtus animati, etiam non secuto effectu; Occisionem, percussionem gravem, atque cujuscumque Personæ vulnerationem; Falsificationem manus, aut Sigilli Officialium Monasterii; Malitiosum impedimentum, retardationem, aperitionem

Quis potest casus reservare.

literarum a Superioribus ad Inferiores, & e contra. Hic autem notandum venit non posse Superiores Regulares aliud quidpiam extra præcitatos casus præcipere sub excommunicatione, eamque sibi reservare, ùt Sacra Congregatio declaravit an. 1617. die 7. Julii, cum hoc sit contra Pontificia Decretum, quo Subditorum libertati consultum voluit. Quinam verò casus sint de facto reservati, quilibet ex propriis statutis facilè dignoscere poterit.

97 Qui ob ordinariam jurisdictionem reservata crimina possunt, ea quoque absolvere queunt, dummodo Sacerdotio sint initiati, aliisque absolvendi facultatem impertiri. Si autem hi Superiorem habeant, ipsi quoque reservatorum absolutio competit, cum majorem in subditos jurisdictionem sortitus sit; debet tamen præesse in eodem foro conscientiæ; Quare Archiepiscopus a Suffraganeis reservata nequit relaxare, nisi fortè in actuali Visitatione.

98 Episcopus, si in reservata a Pontifice labatur, ab illis casibus a suo Confessario absolvi potest, quos ipse aliis quit remittere, ùt Sacra Congregatio declaravit; & meritò quidem; justum quippe est, ut sub concessa sibi potestate in favorem sui gregis èt ipse comprehendatur. Generalis Vicarius cùm super reservata a proprio Episcopo Ministros potest deputare, potest etiam a casibus ejusdem Episcopi absolvi. Sic Regularis Sacerdos (nisi municipalis lex obstet) a Superiore constitutus Pœnitentiarius super reservata cum potestate subdelegandi potest èt ipse a Deputato absolutionem obtinere; sicut Superiores, qui ex Privilegio a reservatis subditos absolvunt, possunt èt ipsi electo Sacerdoti confiteri; vult enim Pontifex omnibus favere Religiosis, nec Superiores in favorabilibus deterioris conditionis esse debent. Cum verò Confessarius pro se ipso vult facultatem petere, nec a Superiore dignosci patitur, accuratè procedere debet: Nam si vagè petat pro aliquo absolvendo, nequit pro se concessa uti facultate, sicut si Superior ei licentiam concedat quemdam absolvendi Pœnitentem, quia tunc determinatè ipsi Confessario illam largitur pro alio a se ipso; debet itaque concedi per verba, quæ & Confessarium, & Pœnitentem comprehendant.

A quibus absolvenda sunt reservata.

99 Si ad jurisdictionis vim attendamus peccata quælibet, sive purè interna, sive venialia, sive dubia sub reservationis vinculo cadere possunt; quia pro sacramentali absolutione omnia sub jurisdictione cadunt. Attamen nullum de facto reservatur veniale; ejus namque reservatio inutilis foret; siquidem per alia media est expiabile; Nec reservatur purè internum crimen; cum reservatio ad vim coactivam pertineat, quæ circa externa versatur; similiter peccatum, quod dubium perseverat, nequaquam reservatum censetur, sive quia odiosa est reservatio, adeoque restringenda, sive quia reservatio apponitur, ut iniquorum contumacia infringatur, utque graviora crimina avertantur; Hoc quidem in peccatis dubiis non est invenire, cum imperfectum reputetur peccatum, nec magnam turpitudinis notam præseferat: Ex quo inferunt primò Doctores; Si peccatum externum non sit mortale ex objecto, nisi ratione pravæ voluntatis lethale sit, non esse reservatum; ùt si quis obolum furetur animo dilapidandi domum; nam Ecclesia gravem exteriorem noxam reservat. Secundò inferunt eum, qui bona fide post sufficiens conscientiæ examen confessus est peccatum ùt dubium, agnoscat inde certum esse, atque reservatum, teneri quidem illud ùt certum confiteri, sed neutiquam Superiorem adire, quia cum fuerit verè dimissum, per veram absolutionem reservatio ablata est.

Quæ peccata reservari possunt.

100 His prælibatis ad rem nostram descendimus. Indiscreta reservatio tunc contingere dicitur, quando plus justò plura reservantur delicta, & absque rationabili momento, vel singulorum conditionibus, qui sub reservatione comprehenduntur, nequaquam inspectis, vel demum non satis providendo de modo habendi absolutionem a reservatis. Illud compertum esse debet, gravissimi reum esse criminis Episcopum indiscretè reservantem peccata; innumera siquidem suboriuntur damna ex imprudenti reservatione, ùt apud Gersonem *Opusc. de Potestate absolvendi* habetur -- Pastoralis au„ctoritas in casibus reservandis quoad fo„rum conscientiæ, sicut & alia quælibet „potestas, data est Prælatis in ædifica„tionem Ecclesiæ, non in destructionem, „sicut dicit Apostolus, & in favorem Po„puli Christiani, pro salute, non pro quæ„stu, aut simili commodo consequendo. „Constat autem certissimè per plures ex„pertus in Confessionibus audiendis tem„pore isto, quod reservatio stricta quorum„dam casuum præsertim in gravioribus, „& occultis speciebus peccati carnalis, „retrahit innumeros a Confessione talium „peccatorum, sicut sunt pueri, & puellæ, „& mulieres verecundissimæ, & rurales „Idiotæ, a quibus vix potest extrahi con„fessio talium peccatorum, quantumcum„que Confessor sit solicitus, humilis, mo„rosus, & discretus. Quod si remittantur „ad Prælatum, vel Pœnitentiarium de „longinquo, vel in publico refugiunt, & „horrent. Expertumque est millies, quod „non vadunt, sicut nec ducenti, nec tre„centi, immo nec mille Pœnitentiarii suf„ficerent aliquando in una Diœcesi ad ta„les casus plenè audiendos, absolvendos„que. Denique quid prodest, & certè „obest plurimum, addere verecundiam „super verecundiam, onera gravia super „onera, & difficultatem confitendi talia „peccata super difficultatem, quæ tanta „est, ut vix credi posset? Et hoc præci„puè quando peccatum secretum est, & „tale quod auctor perpetuò celabit ipsum, „si velit, ut nec Episcopus, nec alius in„de punitionem, vel notitiam inveniat -- Hinc Sacra Congregatio declaravit anno 1661. die 26. Novemb. graviorum criminum reservationem solummodo esse faciendam, quæ ad Ecclesiæ incrementum deserviat. Quare tota difficultas circa indiscretæ reservationis valorem versatur.

Indiscreta reservatio illicita.

101 Dicendum indiscretam reservationem

Indiscreta reservatio non irritatur. nem valere . PROB. I. Neque in Tridentino , neque in Canone aliquo , aut Pontificum Constitutione adinvenitur formula indiscretæ reservationis irritativa , sicut in materia Simoniæ irritatio habetur ; Atqui ubi lex non irritat , factum tenet : ergo indiscretam reservationem valere dicendum est .

Episcopus æquiparatur Pontifici proportionaliter. 102 PROB. II. Eadem est proportionalis ratio de Episcopis , ac de Pontifice ; cum utrisque ordinaria competat jurisdictio ; sed indiscretam reservationem per Pontificem factam valere ad unum omnes docent , ea ducti ratione , quod legitimam habeat jurisdictionem ; Unde si contra rectum ordinem agat , malè quidem operetur , verùm lex tenet : ergo cum Episcopus jurisdictionem habeat , validè quidem , utvis illicitè operatur , dum indiscretam apponit reservationem .

Reservatio indiscreta opponitur prudentiæ. 103 PROB. III. Stante legitima auctoritate , justoque fine lex subsistit , utvis secundum omnes Prudentiæ leges non feratur ; Atqui indiscreta reservatio a legitima potestate sub justo titulo , ac fine emanat , atque solammodo prudentiæ regulis non accommodatur : ergo .

Indiscreta reservatio ad substantiam non spectat. 104 PROB. IV. Sicut ex parte legis substantia quidem , sed non modus extrinsecus præcepti cadit sub præcepto , ita ex parte Legislatoris modus extrinsecæ potestati extrinsecus legis vim non impedit ; Atqui reservationis indiscretio est modus potestati reservativæ extrinsecus , ut evidens est : ergo .

Onus legis nō tollit legem. 105 PROB. V. Indiscreta reservatio ad majus legis onus spectat ; Sed majus onus non tollit legis valorem ; unde in Capitularibus Caroli Magni dicitur obediendam esse Apostolicæ Sedi , etsi importabile onus imponat : ergo .

§. I I.

OBJECTIONIBUS FIT SATIS .

106 OB. I. Tridentina Synodus in Episcopis agnoscit potestatem reservandi crimina , quia *quæ a Deo sunt , ordinata sunt* ; Atqui indiscreta reservatio non est ordinata : ergo non est a Deo : ergo non tenet .

Indiscreta reservatio citra prudentiam. RESP. Tridentinum præclara affert , ad ostendendam dari in Episcopis auctoritatem reservandi , cum ipsis competat in sua Diœcesi subditarum ovium cura , sicut Pontifici in toto Orbe ; ad quod sanè apprimè deservit potestas reservandi peccata ; Porrò huic Hierarchicæ ordinationi non sufficit indiscreta reservatio , sed potius illam comprobat ; Si enim citra prudentiæ leges Pontifex peccata reservet , reservationem valere dicimus : ergo pariter si Episcopus hoc idem peragat , valebit .

107 INSTABIS . Tridentinum præcitata affert verba ad excludendam indiscretam reservationem ; ait enim reservationem esse in ædificationem ; Sed indiscreta reservatio nequaquam est in ædificationem , sed
A in destructionem : ergo .

Reservatio indiscreta usum respicit. RESP. Usus potestatis , non jam ipsa potestas reservandi indiscreta est ; Hoc autem , cum substantiam potestatis non afficiat , illicitam quidem facit reservationem , sed non invalidam .

108 SUBSUMES . Per Tridentinum potestas reservandi est pro atrocioribus , gravioribusque criminibus ; Sed indiscreta reservatio hos limites prætergreditur : ergo non valet .

Reservandi jus ad graviora non limitatur. RESP. Tridentinum pro reservationis materia assignet quidem graviora delicta , non quidem ut declaret intra limites
B graviorum criminum potestatem reservandi coarctari , sed ut convenientem reservationis materiam innuat ; Ex quo benè juvat inferre indiscretam reservationem illicitam quidem esse , non verò invalidam .

109 OB. II. Lex , quæ ad commune Reipublicæ bonum non ordinatur , non tenet ; sed indiscreta reservatio ad commune Ecclesiæ bonum nequaquam ordinatur , ut supra ex Gersone adnotavimus : ergo .

Prava voluntas malorum causa. RESP. Indiscreta reservatio graviùs quidem subditos onerat , sed commune bonum non destruit . Nec ea , quæ Parisiensis Doctor affert , officiunt ; Nam mala ,
C quæ ibi describit , non jam ex legis quantumvis laboriosæ conditione , sed ex prava peccantium voluntate suboriuntur . Attamen plura inde bona evenire pro comperto est .

110 OB. III. Eadem est ratio de Confessariis Delegatis , ac de habentibus jus Parochiale ; Sed habentibus jus Parochiale nequit Episcopus indiscretam reservationem apponere ; Sicut enim ad libitum Pastorali munere , quod ex genere perpetuum est , ipsos privare nequit , ita nec nimia arctare : ergo .

Parochi jurisdictio immutabilis. RESP. Indiscretè facta Parochis reser-
D vatio utique subsistit propter intrinsecam Episcopo subordinationem ; nisi adeo excederet , ut reservatio privationi muneris æquiparari posset : Hæc siquidem non nisi per modum pœnæ infligi potest .

111 OB. IV. Tanti valet ex parte Superioris indiscreta reservatio , quanti ex parte subditi fraudolenta subtractio ab onere reservationis ; utrobique enim adest abusus ; Sed validè non absolvitur , qui ex intentione a loco , ubi casus est reservatus , discedit , accessurus ad locum , ubi non subditur reservationi : ergo .

RESP. Tripliciter intelligi potest ca-
E sus in argumento relatus ; Primò ut casus utrobique sit reservatus , & tunc instantia non urget , cum nullibi a simplici Confessario absolvi possit ; Secundò ut sit reservatus in loco , ad quem Peregrinus accedit , sed non in loco , unde discedit , & tunc nequaquam absolvi potest , nisi a Delegato pro casibus reservatis : Etenim limitatio jurisdictionis afficit Confessarium in hoc loco ; & quamvis Advenæ subditi non sint habitualiter hujus Episcopi , sunt tamen subditi transeunter in ordine ad suscipienda Sacramenta ; Quare sicut Privilegiis incolarum frui possunt , ita onera eorundem subire debent ;

Fraus nemini patrocinatur.

debent; Tertiò, ut peccatum sit solummodò reservatum in loco, a quo Viator discedit, & bona fide pro aliis peragendis negotiis iter instituat, & tunc a quolibet approbato Confessario absolutionis beneficium consequi potest, si verò ea intentione absolutionis obtinendæ, & in fraudem discedat, tunc nequaquam capax est absolutionis per simplicem Confessarium conferendæ, & quidem ea generali regula, quod fraus nemini patrocinatur: In casu autem indiscretæ reservationis potestas reservandi non est imminuta, adeoque subsistit.

112 OB. V. Obtenta facultas pro reservatis non subsistit relatè ad peccata in confidentiam commissa, ut si nova adjiciat Pœnitens crimina, aut si spe facultatis obtinendæ in reservata labatur; Intentio namque Concedentis ea est, ut ille a peccatis resurgat, non jam ut nova perpetret: ergo etiam indiscreta reservatio invalida censenda est; cum in animarum salutem non urgeret.

Facultas absolvendi a reservatis explicatur.

RESP. Discriminantur Doctores circa casum in antecedenti propositum, ut igitur certò procedamus, sequentes regulæ attendendæ sunt. Itaque sit prima regula: Si facultas sub his formulis sit collata *de præmissis, de expositis, vel de hoc crimine semel aut decies absolvas*, hæc sanè ad peccata post obtentam facultatem commissa, sive ejusdem, sive diversi sint generis, nequaquam extenditur, quia ex concedendi modo ad præteritum solummodo limitatur.

Secunda regula. Si absoluta sit facultas, & simpliciter pro aliquo peccatorum genere, ad alia nova delicta diversi generis non extenditur; Coarctatur enim ad tale peccatorum genus, ùt clarè innotescit.

Tertia regula. Si licentia concessa sit sive Pœnitenti, sive Confessario ad hunc sensum, videlicet pro hac vice, hoc est, pro hac Confessione, tunc ad peccata post obtentam licentiam perpetrata jure meritò trahitur; Facultas namque adæquatam illius Confessionis materiam afficit, & peccata sive priora, sive posteriora verè, & propriè sunt illius materia; quod verò occasionem inde sumat Pœnitens nova crimina patrandi, hoc accidentale reputatur; Non enim invalidæ efficiuntur concessiones ex prava peccantium voluntate.

Quarta regula. Si petenti determinatè pro commisso crimine facultatem absolvendi Superior amplam largiatur facultatem, totam suam delegando potestatem, tunc ad omnia sive ante, sive post commissa peccata extenditur. Attamen pro hac & præcedenti regula notandum est non oportere diu Confessionem differre, atque ad multum temporis protrahere, siquidem nec ex communi modo has facultates concedendi, nec ex Superioris intentione tanta temporis intercapedo intelligitur; adeoque protracta absolutio nulla erit.

Quinta regula. Si Pœnitens spe obtinendæ facultatis peccata peccatis adjiciat, tenet obtenta facultas, valetque absolutio, si cætera aliàs necessaria adsint. Certum equidem est Superiorem intendere, quod Pœnitens a peccatis resurgat, nec alia committat, quod concessio absolvendi a reservatis sit in salutare remedium, nihilotamen minus cum in collata facultate nulla supponatur limitatio, comprehenduntur crimina etiam in confidentiam patrata; aliàs neque ipsemet Superior absolvere posset, quando Pœnitens in confidentiam facilis absolutionis ab amico Præsule habendæ peccaret.

CONTROVERSIA VIII.

§. I.

AN REGULARES A RESERVATIS AB EPISCOPO ABSOLVERE POSSINT.

A reservatis quis absolvere possit.

113 DUbio-procul, qui legitimè reservavit peccata, non solùm per seipsum potest illa relaxare, verùm etiam aliis absolvendi licentiam impertiri, proindeque Regulares obtenta ab Episcopis facultate possunt reservata dimittere. Superior, si Pœnitentem, qui reservatum crimen ipsi fassus est, nolit absolvere, sed pro sacramentali absolutione ad inferiorem remittat, aufert hoc ipso reservationem; Illa etenim destinatio est jurisdictionis delegatio; Inferior tamen ad alium remittere non potest, cum nequeat subdelegare.

114 Superior nequit reservata Pœnitentis crimina excipere, atque sacramentaliter absolvere, ipsum deinde ad Inferiorem remittere, ut a non reservatis absolvatur; Nisi casus aliquis, qui metaphysicus censeri debet, tantæ necessitatis occurrat, ita ut aliter fieri non possit: Urget namque Confessionis integritas, quæ divinæ est institutionis. Cæterum in simili Romanæ Curiæ stylum sequi potest, quæ extrasacramentaliter audit Pœnitentes, ut a censuris absolvantur, hinc ad Inferiores pro sacramentali Confessione remittit.

Licentia pro reservatis concedenda.

115 Superior petenti sive per se, sive per Confessarium facultatem, ut alteri ab ipso confiteri possit reservata, non debet regulariter denegare, immo illam concedere tenetur; Siquidem cum reservatio sit ad subditorum bonum ordinata, in ipsorum dispendium detorqueri non debet; hujusmodi autem denegatio propter humanam infirmitatem in Pœnitentium damnum cederet. Posset quidem ex rationabili causa illam non delegare, si ex hoc Pœnitens occasionem caperet multiplicandi crimina, vel in damnum, aut aliorum scandalum cederet, vel etiam pro uberiori ipsius fructu, si majus non subsit periculum. Quod si Superior injustè renuat facultatem dare, non inde ab alio absolvi potest; cum revera desit jurisdictio, & superiùs vidimus proscriptam thesim: valere, scilicet, Confessionem factam Sacerdoti præsentato, sed injustè reprobato. Doctores nostri ex Constitutione Clem. VIII. inferunt Regulares

pro

pro illa vice, qua facultatem petunt, & non obtinent, suum Pœnitentem Regularem absolvere posse, cum ibi legatur — „ Possunt nihilominus Confessarii illa vice „ Pœnitentes Regulares absolvere —

Superior cum aliis delegare potest facultatem.

116 Superior Inferiori super reservata tribuens facultatem, satisfactionem Pœnitenti imponendam designare valet, utvis hoc sub obligatione injungere expedire neutiquam videatur; satiùs est hoc Confessarii prudentiæ committere: Hic namque apprimè noscere potest, quid magis opportunum sit ad pœnitentis profectum. Ratio primi est, quia cum Pœnitens per delegatam facultatem dispensetur ab onere comparandi coram Superiore, hic potest delegare, prout vult, etiam aliquo imposito gravamine.

117 Si quis reservatis irretitus animo confitendi vel ad Superiorem, vel ad Delegatum accedat, & ex defectu aliquo invalidam faciat Confessionem, sublata remanet reservatio; hæc siquidem eo tendit, ut delinquens Superiori se præsentet, subeatque onus comparendi, atque ab ipso monita salutis, opportuna remedia, atque absolutionem recipiat, quæ tamen necessaria non est, cum censura, & reservatio absque sacramentali Confessione, & absolutione auferri possint: Hinc cum Delegatus invalidè habentem reservata in Confessione absolvit, a Superiore meritò censetur auferri censura. Debet tamen Pœnitens, dum iterum peccata subjicit clavibus, Confessarium admonere, quod fuerit, licèt invalidè, confessus habenti facultatem in reservata.

118 Aufertur quoque reservatio circa invincibiliter oblita, secus vincibiliter; legitima enim fuit Confessio; & sanè Pœnitens si expressè a reservatis absolutionem exposceret, utique esset absolutus; quoties autem invincibiliter oblitus, quæ memoriæ occurrunt, confitetur, virtualiter petit absolvi; Exoptat namque Deo perfectè reconciliari, & Confessarius etsi Delegatus Pœnitentem a quocunque vinculo solvere. Quæ de oblitis attulimus, ad ea extenduntur peccata, quæ ex necessitate omittuntur justa regulas formalis integritatis in Confessione habenda: Urget enim eadem ratio.

119 Confessarius non habens facultatem circa reservata, sive censuram habeant annexam, sive non, nullimodè Pœnitentem directè absolvere potest, cum legitima careat jurisdictione; Neque a non reservatis quis relaxare, & pro aliorum solutione ad Superiorem remittere; Urget siquidem divinum præceptum de Confessionis integritate; Potest tamen in casu gravis necessitatis, etiam extra mortis articulum, ut si instet necessitas adimplendi præceptum annuæ Confessionis, Sacrificium offerendi, sumendi Eucharistiam, quæ absque scandalo, aut infamia omitti nequeant, indirectè a reservatis absolvere, cùm aliàs auctoritatem super alia peccata sortitus sit. Qui indirectè absolutus est, postmodum sese Superiori præsentari tenetur, quod fortiùs valet, si casus sub excommunicatione esset reservatus, utvis censuram hujusmodi indirectam absolutionem non impediat.

120 His præmissis ut innotesceret, quo pacto reservatio tollenda sit, inquirimus, an Regulares, qui a directo Episcoporum regimine sunt absoluti, Romanoque Pontifici subduntur, & a quo jurisdictionem habere prætendunt, a reservatis casibus ab Episcopo sine speciali ejusdem facultate possint absolvere. & respondetur negativè.

Clementis V. Privilegia.

121 PROB. I. Clemens V. in Viennensi Generali Concilio perampla concessit Regularibus Privilegia etiam in pœnitentiali foro, ita tamen ut absolvendi potestas facultatem, quam Parochi habent, non excederet; Atqui Parochi sine Episcopi deputatione jus non habent absolvendi a reservatis ab Episcopo: ergo neque Regulares.

122 PROB. II. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 7. docet Episcoporum auctoritatem quoad reservationem in sua Diœcesi esse super reliquos inferiores Sacerdotes; Atqui Regulares sunt Sacerdotes Episcopo inferiores quoad excipiendas Confessiones, eam ejusdem saltem indigeant approbatione, & aliàs sunt in Diœcesi: ergo Episcoporum auctoritati subduntur.

123 PROB. III. Mediolanense Concilium III. sub Sancto Carolo Borromæo tit. *De his, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ pertinent.* docet Regulares virtute Privilegiorum non a reservatis ab Episcopo absolvere, quia sic ab Apostolica Sede declaratum est; Porrò hujusmodi declaratio habita fuit a Gregorio XIII. an. 1577., qui interroganti Archiepiscopo, an Regulares ex Privilegio ab Apostolica Sede impetrato, & præsertim per Mare Magnum possint a reservatis absolvere — Sanctitas Sua censuit ex facultati„ bus per hoc Mare Magnum, aliave pri„ vilegia Regularibus concessa factam eis „ non esse potestatem absolvendi sibi in ca„ sibus ab Episcopis reservatis — Concilium V. sub eodem Titulo declarat Regularem, qui absque Episcopi licentia in scriptis a reservatis absolvere attentaverit, excommunicationis censurâ notari. Concilium Burdigalense explicans Tridentinum affirmat nullum ex Sacerdotibus a reservatis a Diœcesano sub excommunicationis sententia, præter quam in mortis articulo posse absolvere. Idem statuit Concilium Bituricense tit. *de Pœnit. cap.* 8., Aquense tit. 21. *De his, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ spectant*, Narbonense tit. 17. *De casibus reservatis*.

124 PROB. IV. Clemens VIII. anno 1601. expressam edidit Constitutionem, in qua apertè declarat nullo privilegiorum prætextu, aut cujuscumque indulti quomodocumque collati sive vivæ vocis Oraculo, sive scripto, in ordine ad quascumque Personas Ecclesiasticas, sive seculares etiam sublimiores posse Regulares cujuscumque instituti a casibus reservatis absolvere, non obtenta prius Episcoporum facultate, quamvis prætensa Privilegia fuerint impertita in gratiam, & ad preces Principum, Regum, aut Imperatorum, decernitque contrafacientes excommunicationis vinculo innodari,

nul-

nullasque esse Confessiones. Paulus V. Clementis Constitutionem confirmavit, & Urbanus VIII. an. 1628. nequaquam revisisse declaravit, si quæ erant Privilegia per concessiones a Pontificibus post Tridentinam factas, irritasque enunciavit Confessiones.

125 PROB. V. Non est dicendam Apostolicam Sedem canonicè damnando doctrinales propositiones in materia Fidei, morumque errare; Atqui expresiè damnavit doctrinam dicentium Regulares absolvere posse a reservatis per Episcopum; Nam Alexander VII. an. 1659. Brevi dato Archiepiscopo Gandavensi illam propositionem tanquam falsam, Episcoporum auctoritati, Sedique Apostolicæ injuriosam proscripsit, & an. 1665. suo primo Decreto sequentem, quæ duodecima est in ordine, reprobavit — „ Mendicantes possunt absolvere a casibus „ Episcopis reservatis, non obtenta ad id „ Episcoporum facultate — Hinc Clem. X. an. 1670. triplicem statuit propositionem — „ I. Ex facultatibus per Mare Magnum, „ aliave Privilegia Regularibus cujuscumq; „ Ordinis, Instituti, aut Societatis etiam „ Jesu concessis factam eis non esse potesta„ tem absolvendi in casibus ab Episcopo „ sibi reservatis — II. Per confirmationem „ dictorum Privilegiorum, quas Regulares „ a Sede Apostolica post Sacrum Concilium „ Tridentinum obtinuerunt, nequaquam „ revixisse Privilegia prius ab eodem Con„ cilio, aut deinde Apostolicis etiam De„ cretis sublata, atque extincta, si quæ „ habebant, absolvendi a casibus Episcopo „ reservatis — III. Habentes facultatem „ absolvendi ab omnibus casibus Sedi Apo„ stolicæ reservatis, non ideo posse absol„ vere a casibus, quos Episcopi sibi reser„ vaverint —

§. II.

OPPOSITA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

126 OB. I. Regulares non habent ab Episcopis jurisdictionem, sed solammodo approbationem: ergo data approbatione eorundem potestas limitari nequit: ergo ab omnibus casibus etiam Episcopo reservatis poterunt absolvere.

RESP. Etsi Regularibus ab Apostolica Sede concedatur jurisdictio, attamen conceditur quoad usum dependentem ab Episcopo pro libito ipsos approbante tum quoad Personas, tum quoad materiam judicandam; ea propter & jure, & meritò quosdam reservare potest casus, a quibus sine speciali deputatione absolvere nequeant.

Jurisdictio Regularis concessa cum subordinatione.

127 OB. II. Omnia sive Conciliorum, sive Pontificum Decreta eò tendunt, ut Tridentini statuta confirment; Atqui Tridentinum nequaquam in suis statutis comprehendit Regulares, ideo *Sess.* 14. *cap.* 7. loquens de reservatione ab Episcopo facienda dicit — Liceat pro illis in subditos tradita „ supra reliquos inferiores Sacerdotes au„ ctoritate — Porrò inferiores Sacerdotes non sunt Regulares, cum Episcopis non subdantur. Habet quoque Sacra Synodus Episcopos posse facultatem coarctare — In „ sua utique Diœcesi — Regulares non sunt de Diœcesi. In generalibus demum Decretis non veniunt, quæ specialiter sunt nominanda; Regulares autem propter exemptionem ab Episcopis essent speciali nota digni.

RESP. Concilium Regulares comprehendisse Apostolica Sedes, quæ legitimè Concilia interpretatur, declaravit, ùt superiùs visum est. Deinde Tridentina Synodus eos comprehendit, qui ordinariam, vel delegatam habent jurisdictionem, ùt ex principio laudati capitis videre est; Regulares delegatam habent jurisdictionem. Et licet ipsi directè non subdantur Episcopis, attamen sunt revera Sacerdotes Episcopo inferiores, & veraciter sunt in Diœcesi, quidquid sit, an dici debeant de Diœcesi. Nec erant specialiter nominandi, cum æqualis ratio de utroque Sacerdotum genere valeat, & Hierarchicus ordo id expostulet, ùt innuit Concilium.

Regulares, in quo Episcopis subdantur.

128 OB. III. Facultas in corpore juris inserta vim legis communis per clausulas generales irrevocabilis obtinet; Atqui facultas Regularibus elargita pro reservatis ex vi Clementinæ *Dudum*, *de Sepulturis* est in corpore juris inserta: ergo.

RESP. Ad Legislatorem spectat leges authenticè explicare. Porrò Apostolica Sedes, quæ illa contulit Privilegia, explicat in his non comprehendi facultatem absolvendi a reservatis, ùt in aperto est ex prima Clementis X. propositione jam relata. Quibus addas velim leges quascumque per generalem revocationem aboleri, ùt in benè ordinata Republica contingere persæpè videmus; Quo igitur pacto pro Regularibus singularis revocationis modus exposcitur? Verùm ut aditus omnis intercluderetur, expresiè Privilegia Regularium hac super re revocavere Pontifices supra laudati.

Privilegia Regularium revocare.

129 OB. IV. Concilium, & Pontifices, dum Privilegia Regularium explicant, ac revocant, non jam forum conscientiæ, sed exteriorem solammodo politiam tangunt; Hoc siquidem sub fine illius legis cadit, hoc unicè debitus Hierarchiæ ordo, & pax Episcopos inter, & Regulares exposcit: ergo in foro conscientiæ adhuc absolvere possunt Regulares a reservatis.

RESP. Concilia, & Pontifices apertè pro interiori foro loquuntur. Præcavet Tridentinum *loc. cit.* potestatem reservandi non esse tantummodo pro externa politia, quod Hæretici intendebant, sed etiam pro foro conscientiæ; Hinc Pontificum Decreta nullas, irritasque declarant Confessiones: Ex propter Alexander VII. 36. propositionem proscripsit asserentem — Regulares pos„ sunt in foro conscientiæ uti privilegiis „ suis, quæ sunt expresiè revocata per Con„ cilium Tridentinum — Quare amandanda est illa distinctio Regularium absolutè, & Regularium privilegiatorum, cum esse pri-

Decreta forū conscientiæ respiciunt.

privilegiatum a privilegiis, quæ nunc cassata sunt, dependeat.

130 OB. V. Revocatio Privilegiorum semper intelligitur sub conditione minoris præjudicii, & quod non sit contra naturalem æquitatem; Atqui si privilegia circa reservata non intelligerentur subsistere saltem in foro conscientiæ, jam revocatio esset præjudicialis, & contra naturalem æquitatem; nam illa sunt Principis beneficium cum possessione, & sunt remuneratoria; Princeps autem beneficia collata subdito, qui de illis habet possessionem, revocare nequit, præcipuè si remuneratoria sint: ergo.

Privilegium est revocabile.

RESP. De intrinseca Privilegii ratione est, quod sit revocabile, & nusquam Principi deest potestas pro temporum circumstantiis consulendi subditorum utilitati. Revocatio quidem debet esse minus præjudicialis privilegiato, idest restringi debet; uttamen suum effectum sortiatur, oportet; si autem ad forum interius, in quo sacramentalis absolutio tota peragitur, non extenderetur, inanis, nulliusque esset momenti. Privilegium propriè loquendo non est beneficium, sed quædam a communi lege exceptio, seu quædam particularis lex exceptiva; adeoque nulla dominii translatio intervenit. Privilegia remuneratoria, quæ jus æquitatis fundant, ea censentur, quæ medio contractu conceduntur. Talia autem non sunt Privilegia circa reservata. Cumque Privilegiorum possessio communi Reipublicæ bono officiat, hinc Princeps illa revocare potest: Etenim semper concessa intelliguntur, dummodo in aliorum damnum non vergant. Sed de hoc plura in præcedentibus Controversiis.

CONTROVERSIA IX.

§. I.

AN CONFESSARIUS PŒNITENTEM INTERROGARE TENEATUR.

131 CUm Pœnitentiæ Sacramentum, utvis necessarium ad salutem, non sit tamen contentiosum, sed voluntarium judicium, in quo Pœnitens reus insimul accusator est, & testis, videtur munus Confessarii esse solummodo ipsum audire, & juxta criminum qualitatem vel absolvere, vel retinere; attamen operæ pretium erit rem hanc ad examen revocare, pluraque pro praxi in medium afferre.

132 Dicendum itaque Confessarium ex vi sui muneris Pœnitentem, quando ratio occurrit, interrogare debere.

Confessarius est fidelis mysteriorum dispensator.

PROB. I. Confessarius est fidelis Sacramenti Pœnitentiæ Minister, dicente Apostolo 2. Corinth. 5. *Dedit nobis Deus ministerium reconciliationis*, & 1. Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores Mysteriorum Dei: Hic jam quæritur inter dispensatores, ut fidelis quis inveniatur.* Atqui ad fidelem Sacramenti Ministrum apprimè congruit, ut totis viribus, omnique conatu studeat Sacramentum debitè fieri: Porrò nisi Confessarius Pœnitentem interrogare teneretur, vel propter ignorantiam juris & facti, vel propter malitiam, aut ruborem persæpè Sacramentum indebitè fieret: ergo.

Confessarius Medicus, & Judex.

133 PROB. II. Confessario intrinsecè competit spiritualis Medici, & Judicis munus; Sed essentialiter Medico convenit infirmum interrogare, sive ut morbi qualitas satis innotescat, sive ut occulta detegantur vulnera, sive ut opportunis medicaminibus morborum origo evellatur. Essentialiter quoque debet Judex a reo veritatem exquirere, ut justa feratur sententia: ergo. Et sanè plura occurrunt momenta in Pœnitente ad occultanda crimina, quam in infirmo, & reo; Hic enim tormentorum metu, ille verò spe salutis sive morbum, sive delictum facilè detegunt: Pœnitens autem vano rubore suffunditur, angitur suspicione infamiæ, ipsaque peccati turpitudo tenebras quærit: Si ergo Confessarius non interroget, quomodo abdita Pœnitentis dignoscere poterit?

Confessario honor Dei commendatur.

134 PROB. III. Divinus honor a Tridentino *Sess. 14. cap. 8.* Confessario commendatur, qui etiam injuriæ Deo irrogatæ Judex censetur; Sed nisi teneretur Pœnitentem interrogare, sæpè sæpiùs Dei honorem vindicare nequiret: Dupliciter enim divinus honor reparatur, primò media congrua satisfactione, quæ a Sacerdote imponitur; & hoc quandoque fieri nequit, nisi interrogatio accedat; Nam vel peccatorum numerus, vel circumstantiæ occultantur; cum plures horum manifestationem necessariam esse haud sciant; secundò media apponendo, ne iterum Deo irrogetur injuria, novisque criminibus ejusdem honor lædatur: Ad hoc sanè nemo unus est, qui non videat esse pernecesse proximas nocere labendi occasiones, sicut & malas consuetudines, quas rarò spontè Pœnitentes revelant: ergo tenetur Confessarius abscondita perquirere, ne per Malachiam cap. 2. a Domino exprobretur. *Et nunc ad vos mandatum hoc, o Sacerdotes. Si nolueritis audire, & si nolueritis ponere super cor, ut detis gloriam nomini meo, ait Dominus Exercituum, mittam in vos egestatem, & maledicam &c.*

Magisterium poscit interrogationem.

135 PROB. IV. Pœnitentis Magister, & Consiliarius est Confessarius: Malachiæ 2. *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus; quia Angelus Domini Exercituum est*: Sed Magisterium, sicut & Consiliarii munus nequit in foro conscientiæ exerceri, nisi interrogatio præcedat, cum plerique Pœnitentium imperiti in lege Domini inveniantur: ergo.

Dispositio Pœnitentis dignoscenda.

136 PROB. V. Confessarius summo studio juxta Christi mandatum præcavere debet, ne sanctum det canibus; Sed hoc haud facilè præcavere potest, nisi subjecti dispositionem attentè exquirat; Etenim non rarò contingit externa contritionis signa non apparere, nisi per interrogationem, qua peccatorum

Y totum

torum detestatio dignoscitur : ergo.

Confessarius est Pastor.

137 PROB. VI. Confessarius vel est Pastor, vel Pastoris vices gerit; sed ad Pastorem spectat congruum ovibus exhibere pabulum, quarum indigentiam ex ipsis non satis perspectam habet; adeoque illam per interrogationem exquirere debet. Quod certè non haberetur, nisi Confessarius ex vi sui muneris Pœnitentem interrogare teneretur.

§. II.

OBJECTIONES DILUUNTUR.

138. OB. I. Sacramentalis Pœnitentiæ Ministris vetat Christus, ne domum suam faciant domum negotiationis; Atqui dum in peccatorum enarratione interrogationes miscentur, facilimè Christi Tribunal domus fit negotiationis; plurima enim vana, curiosa plurime interferuntur, sive ad statum familiæ, sive ad Reipublicæ gubernationem : ergo.

RESP. Christi Tribunal non jam vanitatis, sed compunctionis est, ea propter quæ curiositatem sapiunt, rejicienda omninò, nec obligatio interrogandi inutilia, & vana fovet; Sacerdos siquidem nonnisi de his interrogare debet, quæ ad Confessionis, seu peccatorum necessariam notitiam pertinent; quod si ad alia divertat, reprehensibilis meritò est. Nec semper interrogationes intercedere debent; si namque prudenter judicet Pœnitentem omnia explicasse, frustraneum est interrogare; sicut etiam cum Sapientum excipit Confessiones: Hi siquidem necessaria ex se subjiciunt clavibus.

Non semper interrogandi est.

139 OB. II. Juxta communem Doctorum sententiam ad legitimam Confessionem sufficit formalis integritas; sed quando Pœnitens, quæ sibi occurrunt, exponit, jam habetur formalis integritas, præsertim accedente bona fide, atque invincibili inadvertentia : ergo superflua est interrogatio.

Integritas Confessionis duplex.

RESP. Utvis quandoque formalis integritas in Confessione sufficiat, attamen materialis per se obligat, ubi absque gravi incommodo haberi potest; Porrò ad hanc maximè deservit Confessarii interrogatio, cum per ipsam occulta, atque oblita ad memoriam revocentur, quod a verè Pœnitentibus plurimum exoptabile est, ut Deo perfectè reconcilientur.

140 OB III. Christus Legisperitos, qui importabilia onera hominibus imponunt, redarguit est; Atqui Confessioni per istas interrogationes novum imponitur onus, cum molestè ab uno ad aliud fiat regressus : ergo.

Confessarius prudentiâ dirigatur.

RESP. Sacerdotale Ministerium, quod prudentiæ regulis dirigitur, suavem potiùs, quam onerosam reddit Confessionem. Equidem nec exactissima notitia, nec metaphysica conscientiæ perscrutatio debet intervenire; ea namque sufficit diligentia, quæ in humanis negotiis prudenter adhibetur. Non itaque interrogandi sunt Pœnitentes de his omnibus, quæ occurrere possunt, sed interrogationes instituendæ sunt circa statum Pœnitentis, vel circa ea, in quæ secundùm verisimilitudinem labi potuit. Etenim quisnam prudenti ductus consilio Aratorem Agricolam de Simonia interrogaret?

141 OB. IV. Illud in Confessione non est necessarium, quod Sacerdotem, & Pœnitentem coinquinare potest; Atqui per interrogationes & Sacerdos, & Pœnitens coinquinari possunt; Luxuriæ siquidem volutabrum innumeris pene circumstantiis implicatum, si evolvatur, puriorum inficit conscientias, & ferè inevitabiliter loquentem, audientemque commaculat : non igitur satis credibile est Deum ad rem adeò periculosam obligare : ergo.

Circa luxuriæ species parcè interrogandum.

RESP. Luxuriæ puteus altus quidem est, & plurimo scatens fœtore, in quem flebili jactura quam plures ruunt, veruntamen Deo adjuvante, atque prudentia dirigente nec Sacerdos, nec Pœnitens ab hac coinquinabitur pice, si ea tantummodo spectentur, quæ necessaria sunt, nec de minoribus circumstantiis, quæ speciem non immutant, fiat sermo. Verba modesta esse debent, cauta, nec morosa, & qui sufficienter idonei sunt ad sese explicandum, nonnisi generaliter sunt interrogandi.

142 OB. V. Interrogationes ad aliud ferè non deserviunt, nisi ad perturbandam majestatem sacramentalis Confessionis; Sæpè enim narrationis series intermittenda est, ex quo aliorum peccatorum oblivio accidere poterit, cum mens a constituto ordine longè distrahatur : si verò expectandum est, donec Pœnitens Confessionem absolverit, tunc & Sacerdos eorum obliviscetur, quæ necessariò exquirere debet, & Pœnitens peccata iterum repetere, novamque subire confusionem cogetur.

Prudens sit Confessarius.

RESP. Cum omnia sapienter ordinaverit Deus, omnis perturbatio cessat, si prudenter Confessarius se gerat. Debent enim singula examinari, nec ad finem usque protrahi interrogationes, sive ut Pœnitentis rubor, sive ut oblivionis periculum evitetur, quod & suaviter peragendum est; increpationes namque malè inter confitendum effunduntur, cum mortale silentium gignere possint. Ad hæc attendat Confessarius, & omnia prosperè evenient.

143 OB. VI. Repetitis interrogationibus scrupulis anxiantur conscientiæ maximè ruralium; Sæpè enim est invenire agrestes viros, qui nunquam fuerint circumstantias confessi, immo neque numerum, assueti se accusare solummodo in genere, pejerasse videlicet, maledicisse, & hujusmodi. Isti, si de singulis respondere deberent, ad desperationem adigerentur; ne igitur medicina eis fiat in venenum, ab interrogationibus abstinendum est: ergo istæ non sunt necessariæ.

RESP. Pro rudibus hominibus apprimè necessariæ sunt interrogationes; Vix enim

id

id genus hominum difcutere confcientiam novit, utvis fciat confcientiæ examen ad Confeffionem præmittendum effe, ideoque quæ memoriæ primò occurrunt, clavibus fubdit. Confeffarii induftria, nec non patientia eorundem negligentiam, atque ofcitantiam fuppleat, oportet. Neque enim laudabile eft illos dimittere, ut de commiffis peccatis examen iterum inftituant, cum, experientia tefte, inftructiores non redeant. Adjuvet igitur illos benignè Chrifti Minifter, & ea recolat peccata, in quæ probabiliùs labi potuêrunt. Deveniendo autem ad cafum propofitum, qui non rarò contingit, dicendum eft, fi hujufmodi homines malitiosè proceffferint, Confeffiones dubio-procul iterandæ funt; fi verò bona fide, eorundem vitæ feriem fummatim colligant, & quænam graviora, & frequentiora crimina perpetraverint, deinde ab uno anno expoftulet, quoties fuerint circiter lapfi, & facili negotio totius vitæ ftatum Confeffarius deprehendet, annos cum proportione fupputando, & Deus, qui cognofcit figmentum noftrum, cætera condonebit. Optimum tamen erit ad generalem Confeffionem ipfos adhortari; ut tamen res fructuosè peragatur, a Confeffario adjuvari debet.

Quomodo agendum cum rudibus.

144 OB. VII. Sacramentum divinæ amicitiæ reconciliativum carnificina efficitur famæ proximi; Nam occafione interrogationum proximorum defectus deteguntur, quod in Communitatum, & familiarum dedecus vergit. Hinc etiam fequitur quædam neceffitas facramentale figillum violandi; Sæpè enim fciuntur pœnitentium crimina, de quibus non fe accufant, & nifi violato fecreto interrogentur, facrilegè dimittendi funt.

RESP. Trepidant adverfarii, ubi non eft timor; quomodo vita proximi fpectat ad materiam meæ Confeffionis? Tunc folummodo proximi mentio occurrit, quando fubftantia peccati aliter explicari non poteft. Si qui ergo defectus in damnum famæ proximi quandoque contingant, non Sacramenti, fed imperitii Sacerdotis, vel Pœnitentis crimen eft.

A Ad id, quod innuitur, videlicet quid agere debeat Confeffarius cum Pœnitens negat peccatum, quod ab ipfo certò commiffum novit, & aliàs clavibus non fubjicit. Diftinguendum eft, unde nam in Confeffario fcientiam habeatur; vel enim illud extrafacramentaliter novit per femetipfum, vel ex aliorum narratione, vel demum fcientiâ Confeffionis; quod infolitum non eft, quando unus Confeffarius totius familiæ, (B) aut Communitatis excipit Confeffiones. Si per femetipfum novit peccatum aliàs non confeffum, folerter debet interrogare, fi poft prudentes exquifitiones in negatione rane perfiftat, de patrato crimine clarè admoneat, ipfumque ad contritionem difponat, quod fi adhuc in fuo propofito perfeveret, deneganda eft abfolutio. Ea qua enim advertit Pœnitens fuum crimen Con(C)feffario innotuiffe, jam nullum fuppetit effugium ab integritate ipfum excufans. Si autem ex aliorum narratione crimen Confeffario innotuerit, debet fapienter, prudenterque interrogare, illumque de ftricta obligatione omnia exponendi peccata admonere, & de facrilegio, quod ab occultantibus delicta contrahitur; quod fi negativus perduret, abfolvatur; quia allucinatio inter(D)cedere potuit. Quando autem factum fcit facramentali notitia, concefsâ etiam a revelante licentiâ interrogandi, fummo ftudio opus eft; de his, qui ad materiam illius criminis reducuntur, fermonem immifceat, explicet, quam horrendum fit facrilegium in Confeffione, peccatum de induftria occultum nufquam dimitti, nifi reveletur, his tamen expofitis, fi adhuc peccatum non de(E)tegit, figna contritionis expofcat, hinc abfolvat, facrilegium permittendo, quo pacto Parochus facrilegium permittit, quando occulto peccatori cum aliis ad Sacram Menfam accedenti Euchariftiam diftribuit. Notandum tamen eft, in hoc cafu de negato crimine poffe fieri directam interrogationem, fi de illis fit, de quibus illius conditionis homines folent interrogari.

DISPUTATIO OCTAVA.

DE SACRAMENTALI CONFESSIONIS SIGILLO.

1 DAllæus, ut Sacramentalem evertat Confessionem, alia inter criminatur Catholicos circa strictissimum secreti vinculum, quo obstringitur Confessarius, ipsumque perniciosum omninò traducit, cum ea eo foveri conjurationes, & scelera impiè proclamet; Ea propter ut Catholicum dogma propugnemus, hujus secreti qualitatem exponere operæ pretium est. Sigillum igitur, ut nominis ethymologiam indicemus, vinculum illud dicitur, quo Confessarius, quæ in Confessione audivit, tenetur non revelare, & sicut illud quod materiali sigillo munitur, tectum, tutumque esse nemo inficiatur, sic debitum, quo obstringitur Sacramenti Pœnitentiæ Minister, ut quæ in foro conscientiæ sibi a Pœnitente commendata audivit, occultet, sigillum dicitur. Vinculum hoc ea triplici oritur lege Ecclesiastica, videlicet, naturali, & divina, ea quibus tres fundantur tituli, nempe Fidelitatis, Justitiæ, & Religionis; Quoniam verò lex sive Ecclesiastica, sive naturalis non semper, & indispensabiliter obligat, in casu scilicet, quo commune bonum periclitaretur, ideo ad jus divinum quæstionem devolvimus, ut omnimoda sacramentalis sigilli indissolubilitas, quæ Fidei hostibus non arridet, firmetur.

CONTROVERSIA UNICA.

§. I.

AN SACRAMENTALE SIGILLUM SIT JURIS DIVINI.

2 DIcendum Sacramentale sigillum Confessionis esse divini juris, proindeque omnimodè indissolubile.

PROB. I. Sacramenti Pœnitentiæ natura est, ut sit signum mediâ gratiâ sanctificante peccati destructivum, adeoque omnimodè ejusdem delectivum, dicente Psalmista Psal. 31. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*: ergo essentialiter sequitur in Ministro omnimodè indispensabilis obligatio occultandi peccatum in Confessione perceptum. Etenim Minister exteriùs signum administrat, quantum est ex se peccati destructivum, sicut Deus interiùs illud destruit: Cum ergo sacramentalia signa illud planè significent, quod interiùs peragitur, jam fit hujus Sacramenti administrationem clarè significata Confessarium occultare debere peccata sibi in Confessione commendata, adeoque revelationem esse contra Sacramenti significationem. Hanc habemus rationem a D. Thoma 4. *Sent. dist.* 21. *q.* 3. *art.* 1. *quæstiunc.* 1. — In Sacramentis ea, quæ exteriùs geruntur, sunt signa rerum, quæ interiùs contingunt; & ideo Confessio, qua quis Sacerdoti se subjicit, signum est interioris, qua quis Deo subjicitur; Deus autem peccatum illius, qui se subjicit per pœnitentiam, tegit; unde & hoc oportet in Sacramento Pœnitentiæ. Et ideo de necessitate Sacramenti est, quod quis Confessionem celet, & tanquam violator Sacramenti peccat, qui revelat — Contra hanc D. Thomæ rationem plura in responsionibus ad objecta.

Violatio sacramentalis sigilli contra naturam Sacramenti.

3 PROB. II. Ea, quæ in Confessione audit Sacerdos, sub Clavium potestate, atque ut habens earundem potestatem recipit; Atqui sacramentalis Clavium potestas non est nisi ad solvendum, vel retinendum peccatum coram Deo, hoc est, non ordinatur, nisi ad hoc ut Deus remittat, vel peccatum retineat; ergo Clavium potestas a Deo est, atque omninò ab ipso dependet; adeoque de peccato, quod sub iisdem commendatur, nullatenus potest ab intrinsecis ipsius Sacramenti loqui Minister.

Potestas clavium infert secretum.

4 PROB. III. Qui prudenter rem aliquam maximi momenti intendit, ea sanè instituit media, sine quibus id, quod intenditur, consequi non potest; Atqui nec usus Confessionis, nec illius finis ullatenus consequi posset, si in aliquo casu posset Sacerdos auditum crimen revelare: Equidem nemo unus adinveniretur, qui peccata sua in Confessione aperiret; Si enim adhuc stante strictissimo sigilli vinculo quamplures præcipuè ea mulieribus peccata, quæ deteriorem afferunt ignominiam, reticere pro comperto est, quid sperandum, si revelationi, vel in casu valdè raro, pateret aditus? Si igitur per peccatorum Confessionem intendit Christus homines a vitiis retrahere, dicendum planè est sigillum ex divino jure obligare, cum sine illo finis a Christo intentus haberi nequaquam posset.

Sine secreto Confessio foret impossibilis.

5 PROB. IV. Sacerdos dubio-procul ea naturali jure audita in Confessione celare tenetur; sive quia revelatio ea se in Pœnitentis damnum vergit, sive quia Confessarium inter, & Pœnitentem virtuale intercedit pactum ob confidentialem secretorum sui cordis depositionem; Sed huic obligationi

Sacramentum sacrà reddit Confessionem.

tioni alia superadditur Religionis; Magis enim inter sacra connumeratur Sacramentum, quam materialis Ecclesia Deo dicata: Porrò Ecclesia suam dignitatem, & reverentiam supra res in ea depositas extendit, ita quod earundem abreptio sacrilegium meritò censeatur: ergo multò magis Sacramentum Pœnitentiæ sacram reddit ipsam Confessionem; eaque propter certò colligitur sacramentale secretum juris esse divini, cujus violatio sacrilega est. Et sanè si hujusmodi secretum ab hoc fonte non oriretur, quonam pacto stricta adeo observantia, atque perpetua viguisset in Ecclesia? quæ enim ex sola naturali lege, aut Ecclesiastica obligant, non urgent in quocunque eventu, cum salsem, communi bono periclitante, secretum non teneat. Etenim in aperto est illum ad naturale secretum non obligari, qui Patriæ proditionem occultè novit &c. Signum igitur est sacramentale sigillum ab altiori principio emanare, videlicet a jure divino.

6 Porrò perpetuum fuisse in Ecclesia hoc sacramentale sigillum ex Patribus clarè evincitur. Igitur Gregorius Nyssenus Oratione: *In eos, qui alios acerbè judicant* habet -- Audacter ostende illi, quæ sunt recondita. „ Animi arcana tanquam occulta vulnera „ Medico detege. Ipse & honoris, & va- „ letudinis tuæ rationem habebit -- Honoris ratio habetur, dum Pœnitentis crimina non revelantur. S. Ambrosius, ùt Paulinus in ejusdem vita descripsit, inviolabile servabat secretum -- Quotiescunque illi aliquis „ ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos „ confessus esset, ita flebat, ut & flere „ illum compelleret . . . . Causas autem „ criminum, quas illi confitebantur, nulli „ nisi Domino soli, ad quem intercedebat, „ loquebatur. Bonum relinquens exemplum „ posteris Sacerdotibus, ut intercessores „ apud Deum magis sint, quam accusato- „ res apud homines -- Si non nisi Domino de auditis peccatis ad intercedendum loquebatur: ergo alium servabat secretum. S. Leo *Epist.* 80. ad Episcopos Campaniæ ejusdem labii est -- Illam contra Apostoli- „ cam regulam præsumptionem, quam nu- „ per agnovi a quibusdam illicita usurpa- „ tione committi, modis omnibus consti- „ tuo submoveri: ne videlicet de singulo- „ rum peccatorum genere, libello scripta „ professio publicetur . . . Cum reatus con- „ scientiarum sufficiat solis Sacerdotibus in- „ dicari Confessione secreta. Quamvis enim „ plenitudo fidei videatur esse laudabilis, „ quæ propter Dei timorem apud homines „ erubescere non veretur, tamen quia non „ omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea, „ qui pœnitentiam poscunt, non timeant „ publicare, removeatur tam improbabilis „ consuetudo, ne multi a Pœnitentiæ re- „ mediis arceantur, dum aut erubescunt, „ aut metuunt inimicis suis sua facta rese- „ rari, quibus possint legum constitutione „ percelli. Sufficit enim illa Confessio, quæ „ primùm Deo offertur, tum etiam Sacer- „ doti, qui pro delictis Pœnitentiam pre- „ cator accedit. Tunc enim demum plures „ ad pœnitentiam poterunt provocari, si „ Populi auribus non publicetur conscientia „ confitentis -- Quid clariùs pro sacramentali sigillo? Innocentius III. in cap. *Omnis utriusque sexus: de Pœnitentia, & Remissione* §. *Caveat*, ita inquit -- Caveat autem om- „ ninò ne verbo, aut signo, aut alio quo- „ vis modo aliquatenus prodat peccato- „ rem -- Similiter cap. *Sacerdos: de Pœnitentia dist.* 6. D. Gregorius habet -- Sacer- „ dos ante omnia caveat, ne de his, qui „ ei confitentur, peccata alicujus revelet, „ neque (quod absit) pro aliquo scandalo „ vitando -- En perpetua Ecclesiæ disciplina in servando omnimodè sacramentali secreto.

Secretum Confessionis semper in Ecclesia servatum.

§. II.

ADVERSANTIUM OBJECTIONIBUS FIT SATIS.

7 OB. I. Lex illa, quæ communi bono opponitur, a Deo esse nequaquam dicenda est; Atqui sacramentale secretum communi bono adversatur; Non enim revelari possunt Patriæ Proditores, Hæretici, qui Catholicam Fidem evertere student, & alii ejusdem surfuris homines: ergo sacramentale secretum non est ex jure divino, adeoque non est indissolubile.

Sigillum sacramentale communi bono favet.

RESP. Falsum est sacramentale secretum communi bono adversari, immo commune bonum periclitaretur, si strictissimo sigillo non arctaretur Confessarius. Etenim nemo unus peccata sua confiteretur, si possent illa quandoque revelari, ùt supra n. 4. dictum est. Immo per tale secretum communi bono satis consulitur. Accedentibus enim ad Pœnitentiæ Sacramentum, qui pessima moliuntur, quandoque a prudenti Confessario a pravis machinationibus retrahuntur, atque saniora amplectuntur consilia. Porrò si de peccatorum revelatione timor subesse posset, damnum esset irreparabile. Advertendum tamen cum S. Thoma *in Suppl. quæst.* 11. *art.* 1. *ad* 1. -- Illud „ quod sub Confessione scitur, est quasi „ nescitum; cum illud nesciat ùt homo, „ sed ùt Deus. Tamen aliquod remedium „ adhibere debet in prædictis casibus, qua- „ tenus potest sine revelatione -- Confessio- „ nis, sicut monendo eos, qui confiten- „ tur, & aliis diligentiam apponendo, ne „ corrumpatur per hæresim. Potest etiam „ dicere Prælato, quod diligentiùs vigilet „ super gregem suum, ita tamen, quod „ non dicat aliquid, quod verbo, vel nutu „ confitentem prodat --

8 OB. II. In primitiva Ecclesia sacramentalis sigilli lex non vigebat; pro occultissimis siquidem delictis publicæ injungebantur Pœnitentiæ, per quas facilè quilibet in peccati notitiam devenire poterat: ergo.

RESP. Circa hoc argumentum plura infra dicenda occurrunt, dum probabitur falsò adscribi Ecclesiæ pro occultis peccatis publicam imposuisse pœnitentiam, adeoque instantia non urget.

9 OB.

9 OB. III. Circumstantiæ mutantes speciem jure divino in Confessione aperiendæ sunt; Sed evenire potest Confessarium non posse suum peccatum in Confessione explicare nisi secretum revelet: ergo cum aliàs peccatum suum jure divino clavibus subjicere debeat, non poterit idem jus ad secretum astringere. *Min. explicatur*. Fiat casus Confessarium accessisse ad unicam Sororem putando ignorantiâ, sed vincibili aliam esse a Sorore, hanc postmodum Fratri confiteri se illam esse mulierem, quam cognovit. In hoc casu nequit Confessarius incestum suum confiteri, nisi utendo scientiâ habitâ per Sororem in Confessione: ergo.

Fortius ligat sigillum sacramentale, quam præceptum Confessionis.

RESP. In dicto casu Confessarius incestuosus nequaquam hanc circumstantiam utvis mutantem speciem revelare tenetur in Confessione; Nam licèt de jure divino obliget materialis integritas Confessionis, attamen strictiùs ligat sacramentale sigillum, vel quia primum est positivum præceptum obligans semper, & non pro semper, aliud verò negativum obligans in quocunque eventu, vel melius, quia suavis Dei providentia limitationes patitur in materiali integritate, quandoque enim adest physica, aut moralis impotentia integrè confitendi; quæ porrò providentia inviolabiliter adstringit ad sacramentale secretum, ne difficilis nimium reddatur peccatorum Confessio.

10 OB. IV. Ad annum usque 1560. solemnis erat doctrina Superiores Ecclesiæ, vel Congregationis Religiosæ ad externam gubernationem uti posse scientiâ Confessionis; ea propter Religio nostra huic pravi abrenunciatos oppositum præcepit, & universaliter Urbanus VIII. Decreto specialiter edito anno 1594. hanc reprobavit doctrinam — Tam Superiores pro tempore existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superioritatis gradum fuerint promoti, caveant diligentissimè, ne eâ notitiâ, quam de aliorum peccatis in Confessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem utantur — Atqui utendo scientiâ Confessionis peccata revelabantur: ergo secretum jure divino obligare nequaquam dicendum est.

RESP. Ex quo Doctores illi erraverint, non inde colligitur non urgere sacramentale sigillum. Nec Ecclesia attendens ad mala inde provenientia, dum talem doctrinam vetuit, jus novum condidit, sed tali Decreto jus divinum quasi obliteratum ad mentem revocavit, ne imprudentes, atque ignari falsis deciperentur opinionibus, quæ inter sana Ecclesiæ dogmata velut zizania inimicus homo seminavit. Notandum tamen Doctores illos non esse taliter intelligendos, ut propugnarent licere uti directâ Confessionis scientiâ, sed indirectâ, hoc est, non revelando peccata, sed impediendo ne domo v. g. Pœnitentes exeant, negando votum in ordine ad officia, & hujusmodi; quæ certè indirectè detegunt crimina.

Usus scientiæ indirectè prohibitus.

11 OB. V. Nequit dici juris divini, quod maximè deservit ad universalem Ecclesiam per malos Ministros destruendam, evertendasque Regularium Congregationes; Atqui hoc eveniret ex strictissima Confessionis sigillo: Nequeunt siquidem Confessarii indignis occulta etiam denegare suffragia; & aliàs ipsimet Confessarii ad electiones præcipuè deputantur, atque inserviunt vel proprio ipsorum voto, vel consulendo, vel exhibendo testimonium de vita, moribusque integritate eligendorum.

RESP. Falsum est a sacramentali sigillo hæc mala oriri, cum Eugenius Papa. Can. *Si Sacerdos*. Extra *De Officio Judicis Ordinarii* declarat Prælatum nequaquam punire posse subditum ex sola Confessionis scientia; Istæ namque actiones in foro externo exercentur, in quo Prælati peccata non noverunt, cum audita in Confessione sciant non jam ut homines, sed ut Deus. Circa suffragia in ordine ad electiones Prælatorum; Constitutiones nostræ denegare vetant suffragium ex Confessionis scientia, & universalis quidem suppetit ratio, quia retrahuntur Fideles a Confessione, si semel credant illis posse denegari suffragium. S. Thomas *cit. loco ad 4.*, & S. Antoninus *3. p. tit. 16. c. 22.* dicunt propter alias causas illud denegari posse, videlicet propter scientiæ, aut ætatis defectum. Absolutam reddit rationem Sanctus Antoninus, quia videlicet digni, vel indigni electio ipsum inter, & Deum geritur — Unde potest etiam ex his, quæ scit ut Deus, judicare in proposito — & aliàs indigni electio est intrinsecè mala. Hujusmodi tamen doctrinam limitandam esse censeo, ut scientia Confessionis non jam positivè influat, sed solummodo excitet ad alias perpendendas causas, ob quas suffragium denegari posset, & ad exactiùs momenta expendenda, quæ ad rationis lancem libratæ in aliam partem inclinare possunt. Attamen in re tanti momenti summâ incedendum est diligentiâ.

Suffragia non sunt deneganda ex scientia Confessionis.

12 OB. VI. Impium est asserere Christum instituere voluisse Sacramentum Ecclesiasticæ Hierarchiæ destructivum, cum ea, quæ a Deo sunt, ordinata sint, *Ad Rom.* 13. Atqui sacramentale sigillum hujusmodi esset, siquidem, ut illud servetur, non debet Superiori legitimè præcipienti obtemperari, non debet Judici interroganti respondere, debet sciscitanti de auditis in Confessione expressè negari veritas, affirmando v. g. legitimè fuisse confessum, quem Confessarius non absolvit: quomodo igitur lex iniqua adeo a Deo esse potest?

RESP. Per sacramentale secretum haud Hierarchicus Ecclesiæ ordo læditur; Ecclesia namque ea perpendit, quæ Sacerdos novit ut homo, non autem ut Deus; ea propter unicuique, Sacramento videlicet, & Ecclesiæ, sua jura servantur. Hinc ad primum. Nullo præcepto, utvis sub excommunicatione lato, obligari potest Sacerdos ad revelanda in Confessione cognita, quod ab Honorio III. cap. *Dilectus*. Extra. *de excessibus Prælatorum* statuitur; & rectè quidem, cum sigillum ad ipsum consequatur Sacramentum, cujus obligatio ad jus divinum spectat, quod non est humano jure solubile. Ad secundum. Judex tantummodo de his interrogationem instituere valet, quæ per allegata, & probata apta sunt probari; Porrò audita in Confessione hujusmodi non

Humanum jus contra divinum prævalere nequit.

sunt.

fons; propterea de istic interrogari nequit Sacerdos, nec respondere teoeint. Ad tertiom. Cùm Sacerdos de auditis in Confessione expressè eaqniritue, si interrogans sit Catholicue, respondere debet interrogationem hujusmodi a Carholica Fide alienam esse; cum Fideles ad unum omnes sciee debeant Confessarium arctissimo obstringi silentii vinculo: Si verò Hæreticue, vel Ethnicue privatè ea de re sermonem habeat, facili negotio res tota absolvetur respondendo, Catholicis vetitum esse de his loqui; si verò a publica auctoritate sit interrogatus ad martyrium usque, secretum non minus propugnare debet, ac alia Fidei mysteria. Quare nullius sunt momenti eæ, quas nonnulli sibi fingunt, angustiæ, & quod Sacerdos mentiri cogatur, aut pejerare. Nec vetum est Confessarii silentium inter Catholicos argumentum esse peccati clavibus subjecti; Silentium siquidem de his, de quibus non tenetur quis respondere, neqoaquam consensus judicandus est, & aliàs Catholici sciunt, quod a Confessariis eludi possent; Quod si imprudens aliquis ex silentio inferre vellet peccatum illud, de quo interrogavit, verè fuisse a Pœnitente commissum, atque Confessario sacramentaliter notum, graviter peccaret, temerè judicando; quia ex nullo præsupposito fundamento in ee gravissima judicium ferret.

13 OB. VII. Ex Concilio Carthaginensi IV. Can. *Placuit causa 6. quæst.* 2. supponitur Episcopum revelare posse crimen in Confessione sibi delatum; immo Innocentius III. Confessionem patefieri posse apertè declaravit. Rem narrat Cæsarius Cistercienfis *lib. III. Historiarum memorabilium cap.* 21., & 22. -- In domo quadam Cistercien-
„ sis Ordinis Monachus quidam sine Ordine
„ celebravit. Hoc cum die quadam Abbati
„ suo retulisset in Confessione, nec tamen
„ cessare vellet a tanta præsumptione; Ab-
„ bas dolens, & lacrymans, ut a blasphemia
„ tam magna desisteret, miserum rogavit,
„ monuit, præcepit, sed non profecit. Il-
„ le verò timens notari si cessaret, celebra-
„ vit ut priùs -- Abbas in Generali Capitulo non congregato re exposita, occultâ tamen Personâ, a cæteris Abbatibus consilium expetiit; Attamen cum nil certi prolatum fuerit, ad Innocentium quæstio delata fuit, re ad examen per literatos viros revocata -- Omnibus penè in hoc sen-
„ tientibus, quod Confessio non esset pro-
„ denda -- Respondit Pontifex ream esse revelandum. Ad idem facit, quod refert Matthæus Parisius ad annum 1257. de Conjuratione detecta in Summum Pontificem Innocentium IV. a quodam Confessario, qui unius Complicis Confessionem exceperat. Factum describit Parisius. Cum Vualterus de Ocra Friderici II. a Consiliis Radulfum militem ad cædem Innocentii impulisset, adducto Reginaldo in conjurationis consortium -- Accidit intra paucos dies sequen-
„ tes, ut idem Reginaldus graviter, &
„ usque ad mortem infirmitate subita cor-
„ reptus, Præsbytero suo in Confessione
„ hæc omnia insinuavit moriturus, & sic
„ pœnitens in fata concessit. Sacerdos au-
„ tem statim hoc imminens periculum Pa-
„ pæ fiducialiter intimavit -- Seculo igitur XIII., & XIV. non urgebat strictum adeo Confessionis sigillum.

RESP. Canonem Carthaginensis Concilii haud loqui de crimine sacramentali notitia habito, sed cognito secretâ quidem notitiâ ab ipso Episcopo, quæ naturalis secreti limites non excedebat; Porrò naturale secretum non semper obligat, sed revelari debet, ubi commune bonum periclitatur. Ad aliud ex Innocentio III. dicendum Pontificem censuisse peccatum illius Monachi revelandum, quippe Confessio ab ipso facta, non sacramentalis erat; Excipe Pontificis mentem a laudato Historico relatam --
„ Omnibus pene in hoc sentientibus, quod
„ Confessio non esset prodenda, respondit:
„ Ego dico in tali articulo esse prodendam,
„ quia talis Confessio non est Confessio, sed
„ blasphemia. Nec debet Confessor blas-
„ phemiam talem, ac insaniam celare, per
„ quam periculum incumbere poterit toti
„ Ecclesiæ. Et placuit sententia omni-
„ bus, scripsitque sequenti anno Capitulo,
„ quod a se fuerat determinatum, & a
„ Cardinalibus approbatum -- Sigillum itaque Confessionis indissolubile sciebant Pontifex, & Cardinales, ut compertum noverant ex *Can.* 21. Concilii Lateranensis IV., qui eodem Pontifice Præside conditus fuerat, mandans Confessionis secretum ita inviolabiliter observari, ut Sacerdotem, si violaverit, in arctum Monasterium ad perpetuam agendam pœnitentiam detrudendum esse decernat: Cæterum peccatum Confessario expositum non quidem animo recipiendi absolutionem, sed fictè, & velut illusoriè gravi urgente necessitate retiecndum nequaquam esse declarat. Nec momenti est revelatio Conjurationis a Reginaldo intentatæ; cum enim piè obierit, *Pœnitens in fata concessit*, planè conjicere possumus revelatum fuisse crimen de mandato ipsius Pœnitentis, qui sanè incapax fuisset absolutionis, si pertinax perseverasset in Conjuratione, nec damnum avertere, media delicti revelatione, studuisset.

Ex falsa Confessione non oritur secretum.

14 OB. VIII. Jure divino non tenemur venialia clavibus subjicere, nec illorum revelatio Pœnitentem infamat, sicut nec locutio extases, aut imperfectiones manifestans: ergo saltem de his non dabitur secreti obligatio.

RESP. Venialia determinatè accepta sub strictissimo cadunt sigillo, siquidem non sunt ex jure divino necessaria Confessionis materia, sunt tamen sufficiens, atque eorundem revelatio odiosam reddit Confessionem. Extases, raptus, & similia, si exponantur in ordine ad crimen aliquod manifestandum, sub sigillo comprehenduntur, quæ ratione circumstantiæ, objecta peccatorum, aliaque cum peccatis annexa reticeri debent. Hic abs re non erit referre, quæ Continuator Chronici Nangii habet *tom. XI. Spicilegii*. Cum Robertus Comes Bellimontis ad Comitatum Attrabatensem inhiaret, fictis quibusdam literis comprobare jus suum intentaverat, verùm falsitate detecta causâ cecidit, rem scitè noverat Confessarius Re-

Quæ ad secretum obligant.

Roberti, exquisitusque ut rem patefaceret, constanter negavit, cum talia nosset ex sacramentali Confessione, res ventilata fuit apud plures in Theologia Magistros, aliusve, quid inde? Decretum habes ex Historico -- Quidam Frater Prædicator Confessor Domini Roberti prædicti, ad aulam
„ Episcopi Parisiensis, in præsentia aliquorum Magistrorum in Theologia, & præcipuè Fratris Petri de Palude tum Patriarchæ Jerosolymitani, & aliquorum aliorum Magistrorum, & præcipuè Mendicantium, & aliquorum de Secretariis Regis, adducitur, & de illis falsis literis, quid & quantum sciret, diligenter interrogatur, & quoniam ibi, & alibi semper dixerat, quod illud, quod de prædictis literis sciebat, erat sub sigillo Confessionis, & per consequens illud non poterat, nec debebat revelare, & in hoc proposito viriliter persistebat: Verumtamen quia antequam in ipsorum Magistrorum præsentiam veniret, ipse consenserat, quod si Magistri in Theologia vellent in præsentia ejus asserere, quod ille posset sine peccato revelare, ipse revelaret de literis, & earum mutatione, quando, & quomodo inventa fuerunt, edoceret: idcirco Patriarcha prædictus de Ordine Prædicatorum Doctor in Theologia assumpto verbo in præsentia dicti Fratris Confessoris, & omnium aliorum coassistentium dicit, quod ipse poterat istud sine peccato, vel periculo revelare, quoniam, ut dicebat, sola peccata sub sigillo Confessionis cadunt, & quia istud non erat peccatum, sed magis erat ad manifestationem, & tranquillitatem totius Regni . . . . & idcirco de revelatione nullum sibi periculum imminebat, immo sibi deberet de merito compensari. Cui sentienti alii assistentes Magistri consenserunt unanimiter -- His habes revelari posse non jam peccata, quæ in Confessione aperiuntur, sed ea, quæ Pœnitens simul cum peccatis narrat. Petrus de Palude, aliique senserunt ea, quæ serie peccatorum exponuntur, impunè referari posse. Hujuscemodi tamen doctrina ad praxim reducenda non est, maximè si sermo sit de his, quæ cum peccatis aliquomodo connectuntur, proptereaque laudatus Continuator subdit responsum illud fuisse -- contra doctrinam
„ communem, quam Prædicatores reputant verissimam, & quam ipsi quotidie defendere nituntur, quæ dicit, quod ea, quæ sub eodem contextu cum peccatis dicuntur, licet peccata non sint, sub eodem sigillo Confessionis cum peccatis habeantur --

15 OB. IX. præsertim contra rationem D. Thomæ. Illud, quod ad significationem Sacramenti spectat, si desit, nullum evadit Sacramentum; Atqui si sigillum sacramentale per sacrilegam Confessarii fractionem desit, adhuc stat Pœnitentiæ Sacramentum: ergo tale sigillum ad significationem non pertinet.

Obligatio secreti intrinseca Sacramento.

RESP. Ratio D. Thomæ probat obligationem ad secretum servandum sacramentali significationi intrinsecam esse, secus ipsam actualem secreti observantiam, quæ licet actu violetur, ejusdem tamen obligatio quovis tempore urget.

16 OB. X. contra eandem S. Doctoris rationem. In Pœnitentiæ Sacramento peccata in foro Dei non teguntur, nisi ubi Confessio est formata; cum tunc solummodo gratia sanctificans occultativa peccati conferatur; Atqui persæpè Confessio non est formata, ut dum Pœnitens indispositus non absolvitur: ergo.

Confessio vera semper inducit secretum.

RESP. Quoties peccatorum narratio coram Sacerdote fit in ordine ad sacramentalem absolutionem obtinendam, hoc est, animo se accusandi, utvis Pœnitens bona, vel mala fide sit indispositus, semper strictissima Clavium obligatio viget, de quo aperta occurrit Alexandri III. declaratio Can. *Quod quidam* Extra., *de Pœnit.*, *& Remiss.* Si verò contingat Pœnitentem accedere animo irridendi, decipiendi, aut in deteriorem partem vel ipsum trahendi Confessarium, tunc illa narratio non est per modum Confessionis, ut ex Innocentio III. respondimus n. 13., sicut nec alia a Dominico Soto relata 4. *Sent. dist.* 18. *quæst.* 4. *art.* 5. cujusdam Cardinalis, qui alteri confessus est, ut ipsum traheret in suas partes adversus Pontificem. Ratio autem cur Confessio animo se accusandi facta secretum inducat, potissima est, quia statim ac Confessio cœpta est ut accusatio, jam Sacerdos Dei Personam gerit; & aliàs exterius signum Confessionis secundùm se institutum est ad remittenda peccata, estque illorum remissivum, adeoque occultativum; Aliunde autem provenit actu non remittere, proindeque semper sigilli obligationem inducit.

17 OB. XI. Si Confessio invalida, immo sacrilega cadit sub sigillo, quia inchoativè, licet non completè actum clavium participat, jam planè fit, cæteros etiam scientes peccata in Confessione exposita, ut circumstantes audientes peccatorum narrationem, Interpretes, legentes cartam, in qua descripta sunt peccata, Laicum, qui Sacerdotem se fingeret, illum, a quo consilium petitur, ad sacramentale secretum teneri; in hisce namque casibus sigilli participatio intercedit.

RESP. affirmativè S. Thomas *laudato loco art.* 3., quia in istis casibus aliqua intercedit participatio de actu clavis; & revera in prædictis omnibus istis casibus aliquid de Confessione, habetur cum mediatè, vel immediatè ab ipsa oriatur notitia. De illis verò, quæ committuntur Fidei sub sigillo Confessionis, sed absque Confessione, dicit Sanctus Doctor cadere sub secreto naturali, sed non sub sacramentali, etiamsi audiens ea excepisset sub illo sigillo; quia illa narratio non est per modum accusationis ad remissionem peccatorum potestate clavium ordinatæ.

18 OB. XII. Quæ divini sunt juris ab homine dispensari nequaquam possunt, sicut & ea, quæ sunt de intrinseca Sacramenti significatione; sed de licentia pœnitentis potest Confessarius audita in Confessione revelare, ut communissimè concedunt Doctores: ergo obligatio sigilli non est juris divini

Google

divini; nec de intrinseca Sacramenti significatione.

RESP. Scotus neque de licentia Pœnitentis posse Confessarium loqui de auditis in Confessione propugnat; quamvis concedat Pœnitentem illam extrà Confessionem posse concedere; ea ductus ratione, quod sigillum sit in favorem totius Ecclesiæ, cui præjudicat Pœnitens dando licentiam, ipsamque perturbat Ecclesiam, sicut non potest Clericus privilegio Canonis cedere, quia in decorem Ecclesiastici Ordinis concessum; Hinc mentiendi occasio desumeretur; nam alicujus criminis reus, confiteri posset dicens se non commisisse delictum, atque ad evitandam pœnam Confessario licentiam impertiri Confessionem revelandi.

Confessarius de licentia peccata revelare potest.

Ea communiori tamen sententia conceditur posse Pœnitentem hanc concedere licentiam; & non rarò necessitatem subesse, ùt cum absque consilio nequit providere Confessarius Pœnitenti, vel cum obtineri convenienter non potest alio medio remissio offensæ, aut pecuniæ debitæ propter furtum: cùm petenda est venia pro absolvendo a reservatis. Laudabilis fuit equidem priorum Seculorum disciplina, voluntariæ scilicet publicæ Confessionis de occultis; quare ergo Confessio hujusmodi fieri nequit per alium? Ad rem nostram S. Thomas *art.* 4. invictum affert momentum — Potest „ confitens facere, quod Sacerdos illud, „ quod sciebat ùt Deus sciat etiam ùt ho„ mo — Quatenus accusat sua peccata in ordine ad remissionem media clavium potestate, deponit ea Sacerdoti ùt Deo; quatenus autem pro alio fine, qui est consequibilis absque necessitate virtutis Clavium, consignat Sacerdoti ùt homini; quarè Pœnitens non dispensat jus divinum, quod obligat Confessarium ùt Deum scientem peccata, non ùt hominem; nec intrinseca Sacramenti significatio violatur, nec damnum aliquod communi Ecclesiæ bono ob eamdem rationem affertur. Quod de privilegio Canonis adducitur non est ad rem, quia Ecclesia in Clerico duplicis Personæ discrimen non agnoscit, ut secundùm unam subjici possit seculari potestati, & secundùm alteram Ecclesiasticæ: Nec urget quod ultimò additur; nam peccata in Confessione exposita judicialiter non ponuntur. Ut tamen licentia teneat, necesse est, quod sequentes habeat conditiones. I. Ut sit expressa, undè non sufficit virtualis, & interpretativa. II. Ut sit libera, & spontanea; undè non valet coacta, & importunè extorta. III. Ut sit in bonum Pœnitentis, & hoc sensu intelligitur etiam concessa in generali; quare non valet concessa in præjudicium. Unde nulla censetur licentia precibus, blanditiisque importunis, multoque minùs vi, & metu extorta.

19 OB. XIII. Sacramenti significatio eadem est respectu Confessarii, ac respectu Pœnitentis, aliorumque; Atqui dubio-procul Sacerdos Confessionis scientiâ in sui ipsius bonum uti potest: ergo etiam in bonum Pœnitentis, aliorumve; proindeque sigilli obligatio non est de intrinseca Sacramenti significatione. Minor propositio in aperto est: Nam Sacerdos ex auditis in Confessione cautior redditur ad evitanda pericula labendi, discit gentium mores, si fortè apud non Sacerdotem fuerit confessus, suæ consulit conscientiæ alium eligendo, confessionesque reparando, insidias, sibique paratum declinat venenum, aliaque plura hujusmodi peragit ex habita Confessionis notitiâ. Cur eadem in ordine ad alios peragi non possunt?

RESP. Ubi periculum violandi sigillum subest, eadem viget ratio sive in ordine ad seipsum, sive in ordine ad alios. Favorabilior quidem est Sacerdotis conditio quoad ejusdem utilitatem, & commodum, cum faciliùs periculum revelationis evitetur; ea propter recitati casus a Theologis tanquam a nemine iidem non admittuntur. Nec sanè quoad vitæ emendationem dubitatio aliqua suboriri potest; Etenim res tota Deum inter, & Confessarium absolvitur, nec Confessio odiosa redditur; quoad evitandas sibi paratas insidias, mortemve, non redditur similiter difficilis Confessio, quia, ùt notat Gavardus, communis hominum intelligentia est, Confessarios posse in hisce casibus sibi providere, atque supponuntur insidiæ revelari, ut evitentur; cumque ea omnia ex communi vivendi modo, atque ob plura, eaque diversa motiva habeantur, sacramentalis revelatio facilè obtegitur. Attamen maximo studio evitandum est periculum revelandi sacramentale Confessionis sigillum, ne fideles a tam salutari, atque necessario Sacramento, vano perculsi timore, retrahantur.

Scientia Confessionis pro Confessario deservire potest.

20 Pœnæ violatoribus sigilli sacramentalis infligendæ habentur in cap. *Omnis utriusque sexus de Pœnit, & Remiss. §. Caveat* — „ Qui peccatum in pœnitentiali judicio sibi „ detectum, præsumpserit revelare, non so„ lùm a sacerdotali officio deponendum de„ cernimus, verùm etiam ad agendum per„ petuam pœnitentiam in arctum Monaste„ rium detrudendum — Si secretum revelans malè sentiat de Sacramento, ad Inquisitores spectat tale delictum cognoscere, secus ad Episcopum.

Quæ pœnæ contra Violatores, & a quibus infligendæ.

DISPUTATIO NONA.

DE SATISFACTIONE.

Disputatio præsens prout comprehendit Polemica adversus Hæreticos, Historica pro Ecclesiastica Disciplina, Practica pro moribus instruendis satis latam complectitur Provinciam. Quæ ad institutam nostrum spectant absoluto calamo pertractabimus, cætera verò a longè salutare satiùs erit.

Satisfactio multiplex.

1 Satisfactio igitur secundùm omnem quam dicit latitudinem, est actio quælibet, qua quis facit, quantùm debet, sive debitam solvendo, sive seipsum defendendo, sive rationem reddendo circa interrogata, ad quem sensum loquitur Sanctus Petrus Epist. 1. c. 3. v. 15. *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe*; & D. Paulus Act. 24. *Pro me satisfaciam.* Strictiùs verò intellecta est compensatio ponens cum debito æqualitatem; quod si debitum exteriora respiciat, puta, ablatam pecuniam, læsam famam, vel hujusmodi, actio compensativa dicitur restitutio, si autem debitum sit in actionibus personalibus, quibus Personæ dignitas fuit violata, tunc actio compensativa nuncupatur satisfactio; cumque per peccatum Deo irrogetur injuria, sequitur eidem esse satisfaciendum; medio insuper peccato incurritur jus vindictæ, de quo plura in hoc Tract., & pro hoc jure extinguendo satisfactio quoque necessaria censetur. Porrò ipsa inter actus virtutis justitiæ meritò enumeratur; actus siquidem justitiæ ordinatur ad ponendam æqualitatem cum aliqua saltem proportione, quod utique satisfactioni convenit, cum tendat ad ipsam æqualitatem proportionaliter ponendam, & quidem actus justitiæ vindicativæ; Etenim actus justitiæ vel est sui ad alterum, ùt cum quis alteri debet, vel alterius ad alterum, ùt Judex inter duos ferens sententiam; ubi est sui ad alteram æqualitas, ab ipso satisfaciente poni debet, & de hac impræsentiarum est sermo, cum de satisfactione Deo debita a Pœnitente sermo occurrat. Utvia tamen ad actum vindicativæ justitiæ spectet, cum quandoque, ùt in humanis videre est, taliter exhibeatur, ut reconciliatio consequatur, atque amicitia reparetur; ad quod sanè Christiana satisfactio ordinatur, hinc consecutivè est actus charitatis, sive a charitate imperatus.

Est actus justitiæ.

2 Satisfactio sic considerata definitur, quod sit voluntaria sui ipsius punitio ad reparandam injuriam Deo irrogatam, & ad extinguendam temporalem pœnam peccato debitam. Hæc autem dividitur in satisfactionem in pœna, & satisfactionem pro pœna. Prior, quæ etiam satispassio dicitur, est pœna per legem determinata, & a Judice reo inflicta, ùt est illa, quam delinquentes in hac vita sustinent, vel subeundo mortem, vel quid simile, & in alia animæ Purgatorio igni deputatæ; posterior ea est, quam quis eligit pro redimenda pœna sibi per leges debita. Satisfactio quoque alia est perfecta, alia imperfecta, illa est, cum debitor ex propriis debitum adæquat, & solvit absque ulla creditoris gratia, hæc cum opus exhibitum habet quidem quandam cum debito proportionem, sed non adæquatam, eaque propter necessaria est Creditoris indulgentia gratia. De satisfactione publica, & privata dicemus infra. His igitur expositis sit

CONTROVERSIA I.

§. I.

AN OPERA SATISFACTORIA EX DIVINO PRÆCEPTO SINT NECESSARIA.

3 ALiam supponit titulus Controversiam, a qua omnes Theologi præsentem instituant Disputationem; fundamentum siquidem est totius negotii de satisfactione, videlicet regulariter remissâ culpâ superesse temporalis pœnæ reatum, pro quo redimendo necessaria est satisfactio. Verum quia dilucidè rem hanc pertractavimus in Tract. de Purgatorio, ubi ex prædicto reatu probavimus Purgatorium ignem, ideo nunc illam supponimus, & ad propositam Controversiam deveniendo, Acatholici communi calculo affirmant opera pœnalia non esse necessaria pro redimendo reatu temporalis pœnæ, eorumque praxim novitium, & absque Scripturæ auctoritate firmatam. Sequenti Controversia eorundem deliramenta adnotabimus, nunc sufficiat Kemnitium referre, qui 2. P. *Examinis Tridentini* habet -- Quod „ dictum est optimam, & aptissimam pœnitentiam esse novam vitam, hanc habet „ sententiam: Post acceptam fide propter „ Christum remissionem peccatorum, non „ requiri præterea aliam satisfactionem, „ aut expiationem pro peccatis, cum simus „ in Christo consummati, sed requiri illud, „ quod

Dimissa culpa superest reatus pœnæ.

„ quod Scriptura præscribit : Desina a malo, & fac bonum — Ex adverso semper stetit Catholicum dogma, cui adhærentes dicimus opera satisfactoria iis, qui peccaverunt ex divino præcepto esse necessaria.

4 PROB. I. Danielis 4. legitur. *Peccata tua eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum*; Sed peccata secundùm reatum culpæ aleemosynis non redimuntur, cum & culpæ remissio gratuita sit, & eleemosyna etiam a peccatore elargiri possit : ergo est debitæ pœnæ remissiva. Ad hoc alludere videbatur S. Isidorus Pelusiota *lib.* 3. *Epist.* 157., dum ait — Pœnitentia „ diuturno tempore vitia curare solet. Nam „ & laboribus, & jejunio, & vigilia, & „ eleemosyna, & precibus, & omnibus id „ genus rebus opus habet, ut contracta „ vulnera sanantur —

Pœna temporalis eleemosynis redimitur.

5 PROB. II. Deus peccatum David remiserat. 2. Reg. 12. *Dixit David ad Nathan : Peccavi Domino; dixitque Nathan ad David : Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; Atqui remissâ culpâ adhuc Deo satisfecit pro pœna. Psal. 50. *Amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me. Quoniam iniquitatem meam ego cognosco, & peccatum meum contra me est semper*. Ubi Augustinus ibidem ait — Novi justitiam ejus, „ cujus quæro misericordiam. Non impunitum erit, sed ideo nolo, ut tu me „ punias, quia ego peccatum meum punio. „ Ideo peto, ut ignoscas, quia ego agnosco — Et S. Hilarius in Psalm. 118. ad illa verba : *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei*, ad rem nostram scribit — Conscius „ peccatorum veterum, ùt Historiâ ipsâ „ docetur, licet toto corde se direxerit, „ tamen quia & peccati sui dolorem antè „ reipsa jam scripserit, tunc, cum Propheta Nathan arguente, crimen suum recognovit, & flevit, nunc quoque non „ destitit veræ pœnitentiæ lacrymis veteris „ facti crimen abluere — Idem S. Cyrillus Jerosolymitanus *Catech.* 2. — Beatus David, „ quamvis audierit Dominum transtulisse „ peccatum ipsius, non abstinuit tamen a „ pœnitentia; verùm loco purpuræ sacco „ utebatur, & loco aurei Throni in terra, „ cinereque Rex sedebat, neque tantùm in „ cinere sedebat, verùm etiam cinere vescebatur, quemadmodum ipse dicit, quod „ cinerem tanquam panem manducabam —

Homo puniat peccatum, ne ipsum puniat Deus.

6 PROB. III. Peccatoribus conversis, & de tenebris criminum exutis jubet Apostolus ad Rom. 6. *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita & nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Hic Apostolus præcipit, ut secundùm delicti mensuram sit satisfactionis modus; Quemadmodum enim crimina criminibus addendo crescit malitia, ita pœnitendo opera operibus addi debent in satisfactionem, velut per gradus conscientiam a contaminatione expurgando, quod dicebat Chrysostomus *lib.* 2. *de Sacerdotio* non longè a principio — Non temerè „ ad delictorum modum oportet & mulctam adhibere — & *de Confessione peccati* — „ Confessio reddat, quod peccatum detraxerat, curet pœnitentia, quod delicto-„ rum macula sordiderat, serpentium virus „ satisfactionis antidoto recuretur, peccatorum venena precum instantiâ depellantur, ut Dominum, quem nobis delicta „ fecerant iracundum, reddant obsequia „ digna placatum — Idem Apostolus ad Hebr. 10. docens Lapsis post Baptismum aliud non superesse pro remedio Baptismo, sed solam Pœnitentiæ tabulam, claré satisfactionis necessitatem adstruit : *Voluntariè nobis peccantibus post acceptam notitiam veritatis jam non relinquitur pro peccatis hostia* (idest alter Baptismus) *terribilis quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ est consumptura adversarios*. Pœnè judicii forma in eo sita est, quod crimen quidem remittatur, verùm severè puniatur, & ita pœnitentia necessaria ad resurgendum pœnalia opera exigit, quod si in præsenti seculo non fiat, Purgatorius superest ignis consumptivus peccatorum.

Juxta delicti sit satisfactionis modus.

7 PROB. IV. *Luc.* 3. Peccatoribus injungitur dignos pœnitentiæ fructus facere. Ad quod attendens Chrysostomus *hom.* 10. *in Matth.* habet — Agamus pœnitentiam „ etiamsi indulgentiæ modum peccata excedere videantur . . . Pœnitentiam dico, „ non solùm, ut a malis prioribus desistamus, verùm etiam ut bonorum operum „ fructibus impleamur. *Facite*, inquit, „ *fructus dignos pœnitentiæ*. Quo autem modo fructificare poterimus? Si utique peccatis adversa faciamus : v.g. aliena rapuisti? Incipe donare jam propria. Longo „ es tempore fornicatus? A legitimo quoque usu suspendere conjugii, ac perpetuam continentiam sæpius paucorum dierum castitate meditare — Hoc idem clariùs elucet ex eodem Evangelista *cap.* 10. in parabola de vulnerato a Latronibus semivivo relicto; in eo siquidem describitur peccator — Neque enim vulnerato, *ut ait laudatus Chrysostomus cit. Hom.*, sufficit ad salutem tantummodo spicula evellere, sed „ etiam remedia adhibere vulneribus oportet. Delitiis antea, & temulentia diffluebas? Jejunio, & aquæ potu utrumque „ tempera —

Peccator punitus debet.

8 PROB. V. Passim Scripturæ de Deo Misericordiam insimul, & veritatem, seu justitiam prædicant, sicut misericordiâ, & veritate redimi peccata. Prov. 6. *Misericordia, & veritate redimitur iniquitas*, sed in Deo misericordia elucet gratis culpam condonando, & justitia exigendo debitam peccatis satisfactionem, sicut misericordiâ redimitur iniquitas per liberalem Dei remissionem, & veritate mediâ pœnâ, qua læsæ justitiæ ordinem reparat peccator : ergo. Hinc August. in *Psal.* 50. exponens illa verba. *Veritatem dilexisti* inquit — Impunita peccata eorum „ etiam quibus ignoscis, non dimisisti, sic „ prorogasti misericordiam, ut servares veritatem. Ignoscis confitenti, sed se ipsum „ punienti, sic servatur misericordia, & „ veritas — Misericordia, quia homo liberatur, veritas, quia peccatum punitur; & ad eundem sensum habet Origenes *hom.* 6. in Exod. — Misericors est, & miserator Dominus, „ & creaturæ suæ non vult mortem, sed ut „ convertatur, & vivat, pœnitendo, flendo, „ satisfaciendo deleat, quod admissum est —

In Deo Misericordia, & veritas.

9 Posset ulterius probari Catholica veritas ex communi Patrum testimonio; verùm cum eorum sensa ex nos dictis satis appareat, ejusdemque labii sint reliqui, ideo illos prætermittimus, plura dicturi in sequentibus.

§. II.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

10 OB. I. Nullus Scripturæ textus afferri potest, quo pœnarum differentia, diversique Pœnitentium gradus, puta, septem, vel decem dierum, trium, vel quinque annorum, & hujusmodi comprobentur: non ergo ex divino præcepto urget necessitas satisfactionis pro temporali pœna.

Pœnarum differentia ex Scripturis.

RESP. Quot alia sunt in Scripturis mysteria quoad rei veritatem expressa, quæ sub identitate sensus sub diversis tamen vocabulis a nobis explicantur; ùt de Transubstantiationis vocabulo videre est, & aliàs accidentalibus condecorata ritibus in Catholica Ecclesia exercentur? Itaque pœnarum differentia apprimè colligitur, ubi Deos proportionatam criminibus pœnam taxandam esse dixit, v. g Deut. 25. *Pro mensura delicti erit plagarum modus*; & Apocal. 18. *Quantùm glorificavit se, & in delitiis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum*. Temporis quoque determinationem desumpsit Ecclesia ex Scripturis, sive ubi Deus trium dierum pestem Davidi eligendam proposuit, sive ubi septem tempora super Nabuchodonosorem transitura prædicuntur. *Danielis* 4. Cæterum vel primis Ecclesiæ Seculis illos Pœnitentiæ gradus invaluisse legimus ex S. Basilio *Epist. ad Amphilochium Can.* 58. — „ Qui adulteravit, in quindecim annis Sacramentis non communicabit. Quatuor „ annis erit deflens, quinque audiens, quatuor substractus, in duobus consistens sine „ communione — Unde satis apparet falsò hanc satisfaciendi per statutum temporis spatium disciplinam ùt novitiam deprædicari a Luthero *in Assert. art.* 5. — Quare verum dial arbitrariam istam satisfactionem „ nec in Scripturis, nec in Patribus inveniri; inveniri autem pœnam irremissibilem a Deo impositam, ùt *Psalm.* 88. Visitabo in virga iniquitates eorum —

11 OB. II. Satisfactiones a Catholicis excogitatæ, publicisque impositæ peccatoribus exempli, & disciplinæ causa ab Ethnicis originem habuerunt, qui delinquentes publicis adjiciebant pœnis: ergo.

Satisfactio ex Scripturis evincitur.

RESP. Falsum est antiquitùs injunctas pœnales fuisse satisfactiones exempli, seu disciplinæ causâ. Etenim Ecclesia non illas effinxit ad exemplum Ethnicorum, ùt somniavit Philippus Melancthon, a quo habemus instantiam, sed ex Scriptura, & exemplis, quæ ex ipsa deprompsit; Et sanè num David exempli causâ lacrymis lavabat per singulas noctes lectum suum, cum hoc clanculum fieret? & tamen ab ipso clara satisfactionis monumenta habemus, ejusdemque necessitatem comprobavimus.

12 OB. III. Evangelium obscurat, qui tanti valere humanas observationes adstruit, ut æternam pœnam compensare possint; Atqui hoc docent Scholastici: ergo.

RESP. Desiderantur Scholasticorum testimonia, quibus evinci possit ab Hæreticis intentum, cum luce clariùs sit, Scholasticos, reliquosque Catholicos perpetuò docere per satisfactionem non quidem æternam, sed temporalem pœnam redimi; hoc ipsum novit Melancthon, qui non satis sibi constans præsentem promovet instantiam, dum in locis communibus tit. de satisfactione — Monachi hic definiunt satisfactiones „ opera non debita, quibus volunt redimi „ pœnas Purgatorii, aut certè alias pœnas „ temporales: Sic enim docent, Deum, „ cum sit misericors, remittere culpam, „ sed cum sit justus, & vindex mutare pœnam æternam in temporalem Purgatorii: „ Deinde addunt, partem pœnarum remitti potestate clavium, partem redimendam „ esse satisfactionibus — Si igitur Misericors Deus culpam remittit, & hæc est Monachorum doctrina, quonam pacto audet asserere Scholasticos, qui èt Monachi fuere, velle satisfactionibus æternam pœnam remitti?

Satisfactione temporalis pœna redimitur.

13 OB. IV. Deus noster Deus pacis est; Atqui doctrina de satisfactione pacem turbat: Non enim dignoscere potest Pœnitens, quot, ùt sic dicamus, satisfactionis gradus exsolvere debeat, ut temporalis pœna relaxetur; eaque propter anxia solicitudine vexabitur, nesciens num propitius sit Deus? nam satisfactio etsi levioris momenti a Deo acceptetur, cum videri possit parum æstimari peccati gravitatem, addens Calvinus *lib.* 3. *Instit. cap.* 4. §. 27. — Et ut „ ipsis concedamus, peccata aliquot justa „ satisfactione redimere, quid tandem facient, ubi tot peccatis obruuntur, quorum satisfactionibus nec centum vitæ, „ vel si totæ in hoc sint, sufficere queant? —

RESP. Subdola hac arte Populum sibi adscivit Calvinus, pœnalium operum necessitatem eliminans, vel minimo fidei actu pacis conscientiam promittens, quam non nisi molestarum satisfactionum solutione aquiri posse deprædicat. Verùm cæcus est, & dux cæcorum: Etenim sincera conscientiæ pax in vera peccatorum remissione, per quam homo ad divinam perducitur amicitiam, invenitur, nec ullatenus a temporalis pœnæ reatu adhuc perseveranti pax hujuscemodi perturbatur; remissibilis siquidem est, nec propter illum æterna salus periclitatur. Et utvis gravissima fuerint crimina, temporalis tamen reatus ferventioribus actibus compensatur, & quidem brevi temporis spatio; quoniam opera justi charitate informata apud Deum plurimi valent; propterea intensior charitatis actus, ùt Patres testantur, totum quandoque reatum diluit, de quo plura diximus Tom. 1., ubi De Ecclesiæ Thesauro ex superfluentibus Sanctorum satisfactionibus coalescente.

Conscientiæ pax unde oritur.

14 OB. V.

14 OB. V. Opera ea necessaria censentur, quæ sunt ad Dei cultum ordinata; Aiqui opera pœualia, quæ satisfactoria dicuntur, non sunt ad Dei cultum ordinata; cum sint ab hominihus præcepta, & aliàs frustra Deus colitur mandatis hominum: ergo.

RESP. Argumentum omnes illos criminatur, qui laboriosa opera exercuerunt, & vel ipsum Præcursorem, qui asperam in Eremo vitam transegit, eos quoque qui circumjerunt in melotis, in pellibus caprinis afflicti, angustiati, quibus dignus non erat mundus. Opera igitur satisfactoria quandoque ab hominibus præcipiuntur, sed taliter ut prius a Deo præcepta intelligantur. Illa quidem obedientia, quæ hominibus exhibetur, Deo displicet, si cum observantia mandatorum Dei non compatitur, & is frustra Deum colere dicitur, qui, ut hominibus placeat, Dei voluntatem contemnit. Cæterum opera satisfactoria, atque pœnalia Deo placere, immo a Deo præcipi ex supradictis pro comperto quisque habere potest.

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN OPERA PŒNALIA SINT VERE' PRO TEMPORALI PŒNA SATISFACTIVA.

15 PRætermissis antiquorum Hæreticorum erroribus circa opera satisfactoria mentem Novatorum, ne in incertum divagemur, exponemus. Negant hi operibus pœnitentiæ in Charitate exercitis vim aliquam inesse coram Deo pro dimissis peccatis satisfactivam quantùm ad reatum temporalis pœnæ. Lutherus *Assert. art.* 5. habet — „ Vehementer odi, & sublatum vellem hoc „ vocabulum satisfactio, quod non modo „ in Scripturis non invenitur, sed & pericu- „ losum habet sensum, quasi Deo quisquam „ possit pro ullo peccato satisfacere, cum „ gratis ille ignoscat omnia — Philippus Melancthon *in Apologia Confess. Augustana art. de Confess., & Satisfact.* scripsit — Sed tamen „ fatentur adversarii, quod satisfactiones non „ prosint ad remissionem culpæ: verùm „ fingunt satisfactiones prodesse ad redimen- „ das pœnas, seu Purgatorii, vel alias . . . „ Hæc tota res est commentitia, recens „ conficta, sine auctoritate Scripturæ, & „ veterum Scriptorum Ecclesiasticorum — Eadem vestigia premit Kemnitius 2. *P. Exam. Concil. Trid.*, Calvinus *lib.* 3. *Instit. c.* 3. per varios paragraphos, & reliqui eorum sequaces, quorum una vox est, nostra opera nullam vim satisfactivam habere coram Deo.

16 Qoia tamen haud negare queunt in primitiva Ecclesia exercitium operum pœnalium peccatoribus demandatum extitisse, ideò dicunt illa spectacula fuisse inducta I. ad exemplum: II. in probationem eorum, qui recipi debebant in Ecclesiam: III. in testificationem, qua certior reddebatur Ecclesia eos, quos mulctaverat excommunicatione, suas adimplevisse partes: quapropter res illa unicè ordinabatur ad exteriorem Ecclesiæ disciplinam, totaque vis satisfactiva erat pro Ecclesia, seu pœnitentes Ecclesiæ satisfaciebant, non Deo. Catholica Ecclesia docet opera pœnalia a Justificatis exercita esse veraciter satisfactiva pro pœna temporali debita peccatis commissis coram ipsomet Deo, sicut coram ipsomet Deo revera deletur peccatum quoad culpam.

17 Quod dupliciter potest intelligi *de congruo* tantùm, vel etiam *de condigno* Michael Baïus propositione 59. ex contentis in Bulla, quæ incipit *In eminenti* docet opera non esse *de condigno* satisfactoria — Quando per „ eleemosynas, aliaq. pœnitentiæ opera Deo „ satisfacimus pro pœnis temporalibus, non „ dignum pretium Deo pro peccatis nostris „ offerimus, sicut quidam errantes autu- „ mant, (nam alioquin essemus saltem „ aliqua ex parte Redemptores) sed aliquid „ facimus, cujus intuitu Christi satisfactio „ nobis applicatur, & communicatur — Et propositione 77. — Satisfactiones labo- „ riosæ Justificatorum non valent expiare „ *de condigno* pœnam temporalem restantem „ post culpam condonatam — In utroque itaque sensu Controversiam examinamus.

Ut decisio clarior evadat, supponimus Scripturas sub verbo *peccatum* sæpè intelligere pœnam peccato debitam, quia cum pœna sit culpæ effectus, optimè nomine causæ, ùt sæpè evenire in aperto est, nuncupatur: sic Genes. 43. *Nisi reduxero puerum, ero peccati reus in te omni tempore*: Deut. 5. *Reddens iniquitatem Patrum in filios*: 3.Reg.1. *Erimus ego: & filius meus Salomon peccatores*, & alibi; ita quod ipsemet Christus dicitur factus peccatum, quia factus est fidejussor pro nostris peccatis debitam exsolvendo pœnam. His positis

18 Dicendum opera Justificatorum verè coram Deo esse satisfactiva pro temporali pœnâ dimissis peccatis debitâ.

PROB. I. Tobiæ 4. legitur: *Eleemosyna ab omni peccato, & a morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras*. Ecclesiastici 3. *Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccatis*. Prov. 13. *Redemptio animæ viri divitiæ suæ*: Atqui laudati Scripturæ textus loquuntur de effectibus satisfactionis in ordine ad Deum: sunt enim circa animam: Hi porrò effectus sunt liberari a malo, non ire in tenebras, extinguere peccatum vi eleemosynæ, qua omnia misericordiæ opera significantur: ergo opera satisfactoria verè a Deo pro temporali pœna dimissis peccatis debita acceptantur.

Pœnalia opera a Deo acceptantur loco pœnæ.

19 PROB. II. Opus ratione cujus peccati debitum remittitur, est sanè illius satisfactivum; Sed hujuscemodi sunt pœnalia justificatorum opera: Nam Ecclesiastici 21. habetur. *Fili peccasti? non adjicias iterum: sed & de pristinis deprecare, ut dimittantur tibi*. Primò describitur emendatio peccati,

Pœna per oratio'em dimittitur.

atque

utque ad consequendam veniam dispositio: *Ne adjicias iterum, & de præteritis deprecare*, hinc declaratur remissio pœnæ per orationem obtinenda, *Deprecare, ut dimittantur tibi*: ergo.

Remissio pœnæ temporalis ex operibus,

20 PROB. III. Scriptura perpetuò innuit remissionem temporalis pœnæ a satisfactoriis operibus derivare. Sic Jonæ cap. 3. habetur: *Et vidit Deus opera eorum, quia conversi sunt de via sua mala, & misertus est super malitiam, quam locutus fuerat, ut faceret eis, & non fecit*. 3. Reg. 21. descripto Achab cilicio induto, & demisso capite deambulante subditur. *Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbiten dicens: Nonne vidisti humiliatum Achab coram me? quia igitur humiliatus est mei causa, non inducam malum in diebus ejus*. Demum 2. Paralip. 33. legitur de Manasse: *Qui postquam coangustatus est, oravit ad Dominum Deum suum, egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum suorum, deprecatusque est eum, & obsecravit intentè, & exaudivit orationem ejus, reduxitque eum Jerusalem in Regnum suum*. In hisce exemplis pro comperto est vi pœnalium satisfactionum temporalem pœnam peccatis impositam dimitti; id enim planè fit, ex quo dicatur Deum misertum esse, quia *vidit opera eorum*, noile malum inducere super Achab, *quia humiliatus est*, exaudiram orationem Manasse, quia *egit pœnitentiam*. Et quidem talia non peregerunt præcisè tanquam spectantia ad externam politiam, sed in ordine ad Deum, a quo pœnæ relaxationem obtinuerunt, ùt ex relatis clarè evincitur, cum dicatur Deus placatus &c.

Operum Misericordiæ magna vis.

21 PROB. IV. Christus Luc. 11. reprehensis Pharisæis de rapina, & iniquitate addidit: *Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*. Quid clariùs ad declarandam efficaciam operum misericordiæ: per ipsa namque mundatur homo non quidem a reatu culpæ, cum eleemosyna in statu peccati sit opus mortuum, nulliusque momenti, sed a reatu temporalis pœnæ: ergo.

Opera justi meritoria, & satisfactoria.

22 PROB. V. Opera justificatorum verè sunt æternæ vitæ meritoria. 2. ad Timoth. 4. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solùm autem mihi, sed et iis qui diligunt adventum ejus*: ergo dubio procul censenda sunt satisfactivæ temporalis pœnæ: Etenim longè majus, dignius que est jus æternæ beatitudinis, quam temporalis pœnæ remissio.

De condigno satisfit pro temporali pœna.

23 Quo argumento satis evincitur nos de *condigno* pro temporali pœna satisfacere posse, sicut æternam vitam *de condigno* meremur; & ratio in aperto est: Etenim cum temporalis pœna finitis circumscripta sit limitibus, adæquari utique potest a valore operum, quæ virtute sanctificantis gratiæ ad supernaturalem ordinem elevantur. Hinc & jure, & meritò Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 9. affirmat absolutè pro temporali pœna operibus justificatorum Deo satisfieri — „ Docet præterea tantam esse divinæ munificentiæ largitatem ut non solùm pœnis „ spontè a nobis pro vindicando peccato „ susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro „ mensura delicti impositis, sed etiam „ (quod maximum amoris argumentum est) „ temporalibus flagellis a Deo inflictis, & „ a nobis patienter toleratis apud Deum „ Patrem per Christum Jesum satisfacere „ valeamus — Quibus pondus additur ex repetita damnatione propositionum superiùs enunciatarum Michaelis Baii; sicut ex Scripturis, & Patribus in præcedenti Controversia allegatis.

§. III.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

24 OB. I. Ex Scripturis satis colligitur pœnam a Deo pro peccatis constitutam irremissibilem esse. Psal. 88. *Visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum*, & Job 30. *Deus cujus iræ nemo resistere potest*. Hinc Moyses *Deut*. 3. oravit, ut ei pœna pro incredulitatis peccato inflicta dimitteretur, & non fuit exauditus, mortuusque est, priusquam promissionis terram ingrederetur: ergo opera satisfactoria verè non remittunt temporalem pœnam peccatis debitam.

Non omnes pœnæ redimuntur.

RESP. Haud inficias ibimus plures pœnas bonorum operum efficaciâ non redimi, eæque potissimùm sunt exteriores, quas Deus ad perditissimos homines revocandos sensibiliter infligit, ùt mors, infirmitates, pestes, & alia hujusmodi. Diversimodè tamen, nam quandoque mala nec ex parte, nec ex toto per exhibitas satisfactiones avertuntur, quandoque ex parte: Attamen pœna illa per se a Deo taxata per commutationem æternæ pœnæ in temporalem, quæ si hoc sæculo negligitur, reservatur in Purgatorio luenda, semper per opera satisfactoria est remissibilis, & de hac in præsenti sermo instituitur.

25 OB. II. Deus in Levitico omnes ritus expiandi peccata exactissimè collegit; nullum autem opus adinvenire est ab ipso taxatum pro redimendis peccatis præter sacrificium, quod erat figura sacrificii Crucis, ut planè intelligeremus Christum unicè pro nobis satisfecisse: ergo superflua sunt opera pœnalia.

Sacrificia veteris legis diversa.

RESP. Multipliciter in hoc argumento errat Calvinus: Sacrificia siquidem veteris legis culpam non expiabant, dicente Psalmista Psal. 50. *Quoniam si voluisses sacrificium, dedissem utique: holocaustis non delectaberis. Sacrificium Deo spiritus contribulatus; cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; Tota igitur illorum efficacia ad legalem expurgandam immunditiam ordinabatur; quæ sanè quoddam pœnæ genus reputabatur; proindeque potius necessarium esse opus satisfactivum inferri potest; cumque pro mensura delicti esset etiam institutum Sacrificium, clarè evincitur oblationes illas ad reparandam injuriam Deo irrogatam esse ordinatas; adeoque etiam tunc temporis

quæ-

quædam injunctæ erant satisfactiones expiativæ pœnæ injungendæ; Nec illa sacrificia adæquatam referebant imaginem sacrificii Crucis; Hæc nempe ad omnia se extendit crimina, illa verò ad singularia; non enim legimus decreta sacrificia pro Idololatria, pro Homicidio, pro Adulterio; sed Prophetæ, & Sacerdotes admonebant, ut in cinere, & cilicio talia delicta expiarentur.

26 OB. III. Satisfactio exigi nequaquam potest, ubi non datur ejusdem materia; Atqui dimissâ culpâ non superest satisfactionis materia; dicente Jeremia c. 50. *In illo tempore quæretur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum Judæ, & non invenietur, quia propitius ero eis, quos reliquero.* Eo nihil prorsus superesse peccati.

RESP. Jeremiam nobis favere in aperto est: Loquitur enim de pœna Babylonicæ captivitatis Judæis inflicta propter crimina, quæ statuto a Deo tempore subeunda erat. Sufficienter namque & culpa, & reatus pœnæ fuerant expiata, sive per toleratas patienter afflictiones, sive intuitu orationis, humiliationisque a Sanctis exhibitis; ea propter peccatum nec quoad culpam, nec quoad pœnæ reatum supererat. Cæterum palam fit a Deo hominum peccata temporali pœna puniri, sed & illius pœnæ reatum piis justorum operibus exsolvi.

Pia justorum opera pœnam persolvunt.

27 OB. IV. Passiones hujus temporis, ut testatur Apostolus, non sunt condignæ (sunt enim inferioris ordinis) ad alterius seculi pœnas: ergo Purgatoriæ pœnæ piis hujus seculi operibus expiari nequaquam possunt.

RESP. Apostolus, qui hujus seculi pœnas pro futuro improportionatas dixit, non renuit asserere momentaneum, & leve tribulationis nostræ æternum gloriæ pondus operari in nobis: Si ergo inferiora hæc æternam promereri possunt felicitatem, haud iisdem vis deneganda est ad temporalem pœnam redimendam. Equidem hujus seculi pœnalitates, si secundùm se spectantur, inferioris sunt ordinis, attamen ut a charitate informatæ in supernaturali ordine constituuntur, atque condignitatem, æqualitatemque eam debito sortiuntur.

Pœnæ ut a charitate informatæ sunt superioris ordinis.

28 OB. V. Ad Rom. 5. legitur: *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*; sed delictum Adæ Posteris intulit culpæ, nec non æternæ, temporalisque pœnæ reatum: ergo superabundans Christi gratia auferre utique debet culpæ, æternæ, atque temporalis pœnæ reatum.

RESP. Argumentum adversarios ferit. Ultrò admittunt Acatholici Christi gratiam per Baptismum collatam originariam abluere noxam, æternæque pœnæ reatum extinguere, non tamen temporales pœnas auferre, nisi copiosam Christi redemptionem fateantur. Igitur Christi gratia est superabundans, quia & ipse Christus ex toto rigore justitiæ satisfecit, meruitque, ut opera nostra essent insimul satisfactoria, & meritoria: Sicut divina Omnipotentia eo magis elucet, ex quo non solùm ipsa effectus producat, sed etiam faciat, ut causæ secundæ verè operentur.

Satisfactio Christi superabundans.

29 OB. VI. Si opera nostra essent satisfactoria, essemus nosmetipsi Redemptores; Atqui hoc est blasphemum: ergo illis meritò vis satisfactoria deneganda est.

RESP. Haud renuimus fateri nos esse Redemptores, ex virtute tamen a Christo participata; Hinc dicebat Daniel Nabuchodonosor cap. 4. *Peccata tua eleemosynis redime.* Christus igitur numeris omnibus noster Redemptor est, quia ex propriis solutu pretio nos redemit, Homines verò imperfecto quodam modo sui Redemptores nuncupari possunt, quia alieno quidem pretio sibi liberaliter, & gratis ad talem usum concesso, propria apposita cooperatione, & labore sese a servitute liberant.

Homines imperfecti Redemptores.

30 OB. VII. Joannes Epist. 1. cap. 2. scribebat. *Filioli mei hæc scribo vobis, ut non peccetis; sed etsi quis peccaverit Advocatum habemus apud Patrem Jesum Christum; & ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius Mundi.* Atqui apud Judicem tota vis motiva in opere Advocati consistit, opus verò delinquentis pro nihilo habetur: ergo peccatoris opera nullam vim satisfactivam habent.

RESP. Argumentum in Hæreticos redit. Christus siquidem principaliter pro culpæ remissione interpellat, adeoque pro consequenda culpæ venia nihil a peccatore peragendum esset. Verùm Evangelista, qui prædicta protulit, in primo capite Epistolæ habet. *Si confiteamur peccata nostra: fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate.* Ecce quod opus nostrum exposcit ad obtinendam peccatorum remissionem.

Cooperatio nostra necessaria.

31 OB. VIII. Omnium sive Prophetarum, sive Apostolorum, sive Patrum ore una vox est Christum pro nobis adæquatè satisfecisse; Atqui si nostris operibus satisfacimus, jam Christus adæquatè pro nobis non satisfecit: ergo.

RESP. Argumento, quod magni faciunt Novatores, vel ipsi respondeant, oportet. Christus est propitiatio pro peccatis nostris quoad culpæ reatum, & tamen, ut justificemur, necessariam volunt Hæretici Fidem saltem, & Baptismum. Cur igitur dici nequit Christum pro nobis adæquatè satisfecisse, atque insimul nostram satisfactionem necessariam esse? Christus itaque adæquatè per modum universalis, & principalis causæ satisfecit, quæ particularis, & subordinatæ causæ consortium non excludit: sicut Deus in ordine naturali omnes producit effectus, quia immediatè per modum universalis, & principalis causæ concurrit, verùm & causa secunda verè agit, quia & ipsa particulari influxu, & subordinato effectum producit. Et sanè Christi Passio in ordine ad æternam consequendam felicitatem desides nos reddere nequaquam debet, dicente Scriptura, quod salutem nostram operemur; adeoque cum adæquata satisfactione a Christo per modum universalis, & principalis causæ oblata, stat optimè etiam satisfactio nostra, quæ per virtutem ab ipso participatam vim habet Deum placandi, satisfaciendique pro temporali pœna.

Christi satisfactio nostram non excludit.

AR-

§. IV.

ARGUMENTIS EX PATRUM AUCTORITATE DESUMPTIS FIT SATIS.

32 OB. I. Patres operibus charitate formatis alios assignant effectus non jam vim satisfactivam; Sed hoc non eveniret, si ipsa vim satisfactivam haberent pro temporali pœna redimenda: ergo.

Opera justi plures habēt effectus.

RESP. Non solùm Patres, verùm etiam Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. justorum operibus alios tribuunt effectus præter temporalis pœnæ relaxationem -- Proculdubio magnoperè a peccato revocant, „ & quasi fræno quodam coercent hæ satisfactoriæ pœnæ; cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt; „ medentur quoque peccatorum reliquiis, „ & vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollunt. Hæc Tridentinum -- Attamen vis potissima operum hujusmodi est in ordine ad satisfaciendum pro temporalis pœnæ reatu. Quoniam verò ex Patribus argumentum instituunt Hæretici, audiant Tertullianum *lib. de Pœnitentia* vocantem talia opera pretium, atque pœnarum redemptionem -- Offendisti, sed reconciliari „ adhuc potes, habes, cui satisfacias, & „ quidem volentem . . . satisfactio confessione disponitur -- & paulò ante dixerat -- „ Hoc enim pretio Dominus veniam addicere instituit: hac pœnitentiæ compensatione redimendam proponit iniquitatem -- Audiant Origenem *Hom.* 15. *in Leviticum* -- Si tamen invenerit manus tua „ pretium, quod restituat. Quale pretium? Pœnitentiæ sine dubio lacrymis „ congregatum, & manibus, idest, labore boni operis inventum -- En potissima ratio operis justorum!

33 OB. II. Patrum sententiæ non est adhærendum, cum Hyperbolico quodam modo loquantur; Atqui dum de satisfactoriis operibus sermonem habent, tali loquendi modo utuntur. Dicunt namque absolutè per talia opera redimi peccata, atque Dei offensam compensari; quod utique falsum est, cum gratis dimittatur culpa: ergo.

Culpa ex Dei Misericordia remittitur.

RESP. Totum argumentum falsitate scatet. Annon solenne est apud Patres culpam inter, & pœnam distinguere, illiusque remissionem divinæ misericordiæ opus adstruere? *Hom.* 3. *in lib. Judicum* habet Origenes -- Vide benignum Dominum „ misericordiam cum severitate miscentem, „ & ipsius pœnæ modum justa, & clementi „ liberatione pensantem. Non in perpetuum tradit delinquentes, sed quanto „ tempore errasse te nosti, quanto tempore „ deliquisti, tanto nihilominus tempore „ humilia te ipsum Deo, & satisfacito ei „ in confessione Pœnitentiæ -- S. Hilarius *in Matth. cap.* 4. -- Quia charitas plurimùm „ peccatorum tegit, & errorum nostrorum „ ambitiosa apud Deum patrona est; novissimum pœnæ quadrantem solvemus, nisi „ pretio ipsius aliquantorum criminum culpâ „ redimamur -- Hic habes Dei misericordiam relaxantem crimina quoad culpam, & satisfactoria hominum opera redimentia pœnam. Quando autem Patres absoluto loquendi modo asserunt nostris operibus pro offensa Dei fieri satis, nequaquam loquuntur de offensa Dei prout culpam dicit, atque jus odii fundat in Deo, sed de effectibus ab eadem Dei offensa derivatis, videlicet de jure compensationis, vindictæ, atque de temporalis pœnæ reatu, ad quæ terminatur satisfactio. Nec non nisi impiè, atque irreverenter hyperbolica censenda est Patrum locutio, præcipuè agendo contra Hæreticos, ut de Tertulliano, Ambrosio, aliisque videre est.

34 OB. III. Patres agentes de satisfactione audiendi non sunt, cum falsa tradant: Affirmant namque non remitti peccata nisi expletis canonicis satisfactionibus, ut refert S. Cyprianus *lib. de Lapsis*, quod tamen Scripturæ refragatur promittenti peccatorum remissionem quacunque die ingemuerit peccator; immo citatus Martyr *ser. de Eleemosyna* vult peccata ante Baptismum commissa Christi sanguine emundari, sordes verò postmodum contractas eleemosynis dilui, cum aliàs peccata quælibet per Christum deleri oporteat.

Cōtritio quovis tempore elicita delet culpam.

RESP. Somniavit Kemnitius asserendo Patres, & præsertim S. Cyprianum velle peccata nequaquam dimitti, nisi expletis canonicis satisfactionibus. Erat quidem tunc temporis ea disciplina ad Sacramenta non admittere Delinquentes, nisi expletâ pœnitentiâ; verùm apprimè noverant per veracem contritionem, inchoato etiam pœnitentiæ tempore peccata dimitti, ea propter instante mortis periculo Lapsi reconciliabantur, etsi pœnitentiæ gradus non absolverint, ut refert idem Cyprianus *lib.* 3. *Epist.* 17., *&* 18. Nisi dicere velimus ipsos loqui de remissione completa, & totali, videlicet culpæ, & pœnæ, quæ utique regulariter non habebatur nisi persolutâ injunctâ pœnitentiâ, per quam, suppositâ culpæ remissione, temporalis pœnæ reatus extinguebatur. Cæterum S. Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 3. eos redarguens, qui ante plenam satisfactionem pacem pœnitentibus dabant, habet -- Elaborant, ne Deo indignanti satisfiat -- & infra -- Datur opera ne satisfa„ ctionibus, & lamentationibus justis deli„ cta redimantur, ne vulnera lacrymis „ abluantur -- Hic sanè apertè docet satisfactionis opera pœnam redimere. Discrimen autem inter peccata ante, & post Baptismum perpetrata non illud est, quod ab Hæreticis effingitur, sed illud, quod rectæ fidei cohæret, cum enim plenissimè per Baptismum Christi sanguis applicetur, ideo peccata omnia ante illius susceptionem commissa absque ulla satisfactione delentur sive quoad culpam, sive quoad æternam, temporalemque pœnam, verùm post Baptismum nostra satisfactio necessaria meritò reputatur, quoniam per sacramentalem absolutionem

nem remittitur quidem culpa, pœnaque æterna: sed non tota pœna temporalis; hæc siquidem precibus, jejuniis, eleemosynis relaxatur, propterea bene dixit S. Martyr laud. *Ser. de Eleemos.* -- Eleemosynis, & fide „ peccata purgantur: non utique illa deli- „ cta, quæ fuerant ante contracta; nam „ illa Christi sanguine, & satisfactione pur- „ gantur --

35 OB. IV. Satisfactiones vim non habent Deum placandi, si revera ad pœnæ remissionem nequaquam requirantur; Atqui aa Patribus, & præcipuè ea Chrysostomo ad temporalis pœnæ remissionem non requiruntur satisfactiones: ergo. *Min. prob.* ex Chrysostomo *Homil.* 28. *in* 1. *ad Cor.* 11. -- „ Si nostra tantùm voluerimus cognoscere „ peccata, liberi erimus ab hujus, & al- „ terius seculi pœnis -- *Hom.* 2. *in Ps.* 50. -- „ Ubi misericordia petitur, pœnæ locus „ non est -- Et *Homil.* 10. *in Genes.* dicit, nihil aliud a nobis Deum requirere, nisi ut peccata cum lacrymis detestemur: ergo.

RESP. Perperam assumitur Chrysostomus pro hæretica pravitate, cum apertè dogma de satisfactione propugnet, ùt videre est *Ser. de Conf. peccati*, ubi inquit -- Confessio „ pœnitentiàm monstrat, satisfactio sibi ve- „ niam divina pietate conciliat .... Pejus „ est Dei offensam non satisfactione placare, „ quam peccando Dei bonitatem offende- „ re -- Et sanè quonam pacto pro se primum testimonium usurpare possunt Novatores, dum dicit sufficere peccata cognoscere, cum in alio testimonio ab ipsis laudato, videlicet *Hom.* 10. *in Gen.* requirat lacrymas, atque peccati detestationem? In primo itaque textu loquitur Chrysostomus de cognitione practica, & efficaci, qua quis suum peccatum accusat, & non excusat, illudque sincero corde abominatur, & tunc per contritionis fervorem illud deleri potest & a culpæ reatu, & a debito cujuscumque pœnæ. Aliud testimonium abs re affertur; tunc enim postulatâ misericordiâ pœnæ locus non superest, quando præcesserunt tum lacrymæ pœnitentium, tum ipsa peccati confessio, ait namque -- Deus dicit; da mihi confessio- „ nem tuam, & lacrymas pœnitentiæ -- Vides quæ, & quomodo Dei misericordia exposcenda est, ut pœna auferatur? Cum verò *Homil.* 10. *in Gen.* affirmat Deum non aliud exquirere nisi criminum detestationem cum lacrymis, numquid satisfactoria opera excludit? Num & ipsæ lacrymæ pœnarum expiatrices meritò censendæ non sunt? Hoc inter alia satisfactionis opus Deo exhibebat Psalmista, dum ajebat. *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo.*

Intensa contritio omnem reatum aufert.

36 OB. V. S. Petri conversio exemplar est conversionis faciendæ a Lapsis; Atqui, teste D. Ambrosio *lib.* 10. *in Lucam*, Sanctus Petrus nullam pro negationis crimine Deo obtulit satisfactionem -- Lacrymas Petri le- „ go, satisfactionem non lego -- ergo.

RESP. Frustra suppetias ab Ambrosio quærunt Acatholici: Posset namque non immeritò dici satisfactione non indiguisse Petrum ob intensissimam contritionem, qua negationem suam deflevit; Verùm alia est S. Doctoris mens: Etenim satisfactionis nomen eo loci pro excusatione, seu defensione usurpat, laudatque Petrum, quod peccatum sincerè confessus sit, cum nos crimina nostra excusatione obvelare studeamus -- „ Nos excusamus, ipse non excusavit .. „ Maluit enim ipse suum accusare pecca- „ tum, ut justificaretur fatendo, quam „ gravaretur negando: Justus enim in prin- „ cipio est accusator sui, & ideo flevit. „ Petrus doluit, & flevit, quia erravit ùt „ homo. Non invenio, quid dixerit, inve- „ nio, quod fleverit, lacrymas ejus lego, „ satisfactionem non lego, & quod defen- „ di non potest, ablui potest -- Quod autem satisfactio in hac significatione quandoque intelligatur, jam vidimus sub initio hujus Disputationis. Nec aliter sensisse Sanctum Ambrosium dicendum est, cum *Epist.* 82. ad Ecclesiam Vercellensem dicat -- Quæ „ nobis salus esse potest, nisi jejunio elue- „ rimus peccata nostra --

Petri resipiscentia cum lacrymis.

37 OB. VI. Si quæ opera essent satisfactoria, ea planè censenda essent, quæ justificati exercent: Sed hæc non sunt; cum Augustinus *lib.* 2. *de peccator. merit., & remiss. cap.* 14. dicat miserias hujus vitæ ante remissionem esse supplicia peccatorum, post ipsam esse certamina, exercitationesque justorum; in Enchiridio affirmat per talia opera Ecclesiæ satisfieri, & de Ecclesiasticis Dogmatibus -- Pœnitentiæ satisfactio est „ causas peccatorum excindere, nec eorum „ suggestionibus aditum indulgere -- ergo.

RESP. Si Augustino fidere volunt, causâ cadunt Hæretici: Etenim in Enchiridio *cap.* 70. ait -- In melius est vita mu- „ tanda, & per eleemosynas de peccatis „ præteritis est propitiandus Deus, non ad „ hoc emendus, ut ea semper liceat impu- „ nè committere: nemini enim dedit laxa- „ mentum peccandi, quamvis miserando „ deleat jam facta peccata, si non satisfa- „ ctio congrua negligatur -- Et *Hom. ultima ex* 50. *cap.* 15. -- Non sufficit mores in me- „ lius commutare, & a factis malis recede- „ re, nisi etiam de his, quæ facta sunt, „ satisfiat Deo -- Hinc optimè dicebat hujus vitæ calamitates esse in justis certamina pro augmento gratiæ, pro merito coronæ, pro redemptione debiti pœnæ temporalis; & quidem per ipsas satisfit Ecclesiæ, sed insimul Deo, ùt ex *Hom.* 50. mox vidimus; verè quoque dixit satisfactiones causas peccatorum excindere, quo pacto loquitur etiam Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. -- Hæ „ satisfactoriæ pœnæ .... vitiosos habi- „ tus malè vivendo comparatos contrariis „ virtutum actionibus tollunt -- Unde Sanctus Doctor, sive Gennadius, cujus est illa auctoritas, satisfactionem per unum ex ipsius effectibus describit. Ex his clarè evincitur Patres perpetuos esse in asserenda satisfactionis necessitate, atque per ipsam Deo satisfieri extinguendo debitum temporalis pœnæ per peccata contractum. Quare cum Tridentina Synodo *laudata Sess. Can.* 13. concludendum est -- Si quis dixerit, pro „ peccatis quoad pœnam temporalem mini- „ mè Deo per Christi merita satisfieri pœnis

Augustinus satisfactionis necessitatem propugnat.

„ ab eo inflictis patienter toleratis, vel a „ Sacerdote injunctis, sed neque spontè „ susceptis, ut jejuniis, orationibus, elee„ mosynis, vel aliis etiam pietatis operi„ bus, atque ideo optimam pœnitentiam „ esse tantùm novam vitam; anathema „ sit —

CONTROVERSIA III.

§. I.

AN DIVINO JURE POSSIT CONFESSARIUS, ET DEBEAT MULCTAM INJUNGERE SATISFACTIVAM PRO PECCATIS.

38 TRidentinum *Seff.* 14. *cap.* 9. tria pœnarum genera, quibus justificatus pro peccatis satisfacere possit, assignat — Do„ cet prætere . . . . ut non solùm pœnis „ spontè a nobis pro vindicando peccato „ susceptis, aut Sacerdotis arbitrio pro men„ sura delicti impositis, sed etiam . . . . „ temporalibus flagellis a Deo inflictis, „ & a nobis patienter toleratis apud Deum „ Patrem per Jesum Christum satisfacere „ valeamus —

Multiplex satisfactio.

39 Prætermissis Audianis, quibus hæreseos nota innititur, cum, ut ait Theodoretus *lib.* 4 *Hæreticarum Fabularum cap.* 10. — „ Confessis darent veniam, non tempus „ ad Pœnitentiam definientes, sicut Eccle„ siæ leges præcipiunt, sed potestate con„ donantes — refert Joannes Schechta in *Epist.* ad Erasmum Piggardi Pœnitentiam a Sacerdotibus injunctam pro peccatis esse fucum, & tectorium Hypocritarum; & præter Lutherum, Kemnitium, Calvinum, aliosque Novatores, novissimè Innocentius Gentiletus *in Examine Tridentini ad Can.* 4. *Seff.* 14. evincere intendit Sacerdotalem satisfactionem antiquioribus refragari Canonibus.

40 Partes, quas titulus comprehendit, tres sunt, in una tamen adunantur. Prima, an Pœnitentibus mulctam imponere possit Sacerdos: Secunda, an sub gravi præcepto illam imponere teneatur? Tertia, an obligatoriè imponat, ita quod a Pœnitente sub gravi respui nequeat. Utvis unica conclusione omnes partes dissolvi possint, attamen tum materiæ dignitas, tum praxis necessitas postulat, ut distinctis examinentur Paragraphis, supponendo, quod alibi probatum est, satisfactionem partem esse Sacramenti Pœnitentiæ, essentialem in voto, in re integralem.

§. II.

AN JURE DIVINO, ET POTESTATE CLAVIUM SATISFACTORIA PŒNA A SACERDOTIBUS PRO PECCATIS INJUNGATUR.

41 REspondetur affirmativè, & PROB. I. Sacerdos divino jure in Persona Christi ministerium reconciliationis exercet; Atqui satisfactoriam pœnam vi ministerii hujus injungit: ergo jure divino a Sacerdotibus satisfactoria injungitur pœna. Totum argumentum habemus ex Apostolo 1. ad Corinth. cap. 5. ubi Paulus auctoritate sibi divinitùs collata incestuosum Corinthium pœnis subjecit. *Ego quidem absens corpore, præsens autem spiritu, jam judicavi ut præsens eum, qui sic operatus est. In nomine Domini Jesu Christi, congregatis vobis, & meo spiritu, cum virtute Domini nostri Jesu tradere hujusmodi Satanæ in interitum, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Ex his intellexerunt Patres satisfactionis onus Incestuoso impositum. Origenes, cæteris omissis, *Hom.* 24. *in Levit.* Quod dicit — Tradidi „ in interitum carnis, hoc est in afflictio„ nem corporis, quæ solet a Pœnitenti„ bus expendi, eumque carnis interitum „ nominavit, qui tamen carnis interitus „ vitam spiritus conferat —

Paulus incestuoso satisfactoriã pœnã imposuit.

42 PROB. II. Potestas Clavium, quarum usus in Pœnitentiæ Sacramento divini juris meritò censetur, ordinatur ad directè solvendum, ligandumque; Sed Pœnitens directè mediâ pœnâ, qua oneratur, ligatur: ergo divino jure injungitur satisfactio. Argumentum hujusmodi desumitur ex cap. 18. Matth. *Quæcunque alligaveritis super Terram, erunt ligata & in Cœlo.* Porrò Pœnitentes ligantur, sive cum ipsis absolutionis beneficium suspenditur, sive cum laboriosa satisfactionis opera imponuntur, quæ de re apud Ambrosium *in Orat. de obitu Theodosii* legimus, Sanctum Antistitem Imperatorem Pœnitentiæ addixisse, & post octo menses ad sacra admisisse — Vinculum admitte, quo „ te ligari Deus Dominus omnium sursum „ probat. Medicinam id faciet, sanitatem„ que restituet — En pœnæ impositio sub ligaminis vocabulo manifestata.

Ligatur peccator per satisfactionis impositionē.

43 PROB. III. Pœnitentiæ Sacramentum divino jure per modum judicii institutum est: Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt;* Atqui in Judice essentialis est potestas reo, quem absolvit, pœnam infligendi: ergo etiam Sacerdotibus? Hinc dicebat Sanctus Cyrillus Alexandrinus *lib.* 12. *in Joan.* — Remit„ tunt porrò peccata, vel retinent Spiritu „ Sancti afflati homines duobus, ut arbi„ tror, modis: vel enim dignos ad Bap„ tismum vocant, vitæ nimirum gravitate, „ & constantia fidei jam probatos homines; „ vel prohibent, & a gratia divina arcent „ eos, qui nondum digni sunt. Vel alio „ quo-

Judex pœnã infligere debet.

Digitized by Google

„ quodam modo peccata remittunt, ac re„ tinent, nempe cum filios Ecclesiæ pec„ cantes corripiunt, vel pœnitentibus igno„ scunt — Quam auctoritatem licèt malè audiat Dallæus, perinde acsi peccatorum distincta narratio non sit necessaria, ùt in Baptismo contingit, attamen, utvis de his, qui foris sunt, videlicet de non baptizatis, distincta peccatorum disquisitio exposci nequeat, verùm ab illis, qui Christo nomen dederunt, exacta peccatorum discussio meritò exposcitur, ut peccata, quæ relaxanda, quæve retinenda sint, justa æquitatis lance dignoscantur. Vide mox auctoritatem ex S. Gregorio.

44 PROB. IV. Patres in eam confluunt sententiam, ut Sacerdotes divino jure pro peccatis satisfactoriam pœnam injungant. S. Augustinus *hom. ult. ex 50.* habet — Ve„ niat ad Antistitas, per quos illi in Ec„ clesia claves ministrantur, & tanquam „ bonus jam incipiens esse filius, materno„ rum membrorum ordine custodito, a „ Præpositis Sacramentorum accipiat satis„ factionis suæ modum — Clariùs Sanctus Leo *Epist. ad Theodorum* — Mediator Dei, & „ hominum hanc Præpositis Ecclesiæ tradi„ dit potestatem, ut & confitentibus actio„ nem Pœnitentiæ darent, & eosdem salu„ bri satisfactione purgatos ad communio„ nem Sacramentorum per januam reconci„ liationis admitterent — Et Gregor. Magnus *lib. 3. in 1. Reg. ad cap. 7.* — Affli„ ctio pœnitentiæ ad delenda peccata ido„ nea est, cum Sacerdotis judicio fuerit „ imperata, cum ab eo confitentium acti„ bus discussis pro modo criminis onus eis „ decernitur afflictionis —

§. III.

ACATHOLICORUM ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

45 OB. I. Ita se habet Pœnitentiæ Sacramentum ad delenda renatorum crimina, sicut Baptismus ad illa Cathecumenorum; Atqui Sacerdos Baptismum administrans nullam imponit mulctam: ergo neque administrans Sacramentum reconciliationis.

Baptismum inter, & Pœnitentiam discrimen.

RESP. Satis latum discrimen pluries adduximus Baptismum inter, & Pœnitentiam. Primus est regenerationis Sacramentum, in quo vetus homo desinit, & perit, ùt in naturali generatione contingit, secunda verò est Sacramentum animæ morbos sanans; Porrò infirmitas non tota simul cessat; ex propter per pœnas satisfactivas successivè purgatur homo a pœnæ reatu. Hoc agnovit Tridentinum *Sess. 14. cap. 2.* — „ Alius est præterea Baptismi, alius Pœni„ tentiæ fructus: per Baptismum enim „ Christum induentes, nova prorsus in illo „ efficimur creatura, plenam, & integram „ peccatorum omnium remissionem conse„ quentes: ad quam tamen novitatem, & „ integritatem per Sacramentum Pœni„ tentiæ sine magnis nostris fletibus, & la„ boribus, divina id exigente justitia, per„ venire nequaquam possumus —

46 OB. II. Sacerdos absolutionis beneficium conferens Christum imitari debet; atqui Christus peccata dimittens nullam imponebat mulctam: ergo similiter Sacerdos.

Christus cur sine satisfactione peccata dimisit.

RESP. Christus auctoritate excellentiæ, atque independenter a Sacramentis relaxabat crimina, secus Sacerdos, qui modum sibi concessæ potestatis excedere nequaquam potest. Et sanè Christus totale debitum remittebat, vel quia Pœnitentes perfectâ contritione ferventes noverat, vel quia gratiam conferebat, ut per intensos charitatis actus divinæ satisfacerent justitiæ. Cæterùm, ùt ait Eucherius *in lib. 2. Reg. cap. 8.* — Do„ minus delet peccatum, sed sine ultione „ non deserit; aut enim ipse homo se pu„ nit, aut Deus percutit — Et aliàs quandoque laboriosa opera imposuit, ùt dum Paralytico jussit grabatum tollere, & Leproso munus ad Altare offerre. Placet tamen ad rem nostram Ambrosii auctoritatem *lib. 1. de Pœnit. cap. 2.* accommodare — Sed ajunt (sic urger contra Novatianos) se Domino „ deferre reverentiam, cui soli remittendo„ rum criminum potestatem reservent. Im„ mo nulli majorem injuriam faciunt, quam „ ei, cujus volunt mandata rescindere, „ commissum munus refundere. Nam cum „ ipse in Evangelio suo dixerit Dominus „ Jesus: Accipite Spiritum Sanctum, quo„ rum remiseritis peccata, remittuntur eis, „ & quorum retinueritis, retenta sunt, quis „ est, qui magis honorat, utrum qui man„ datis obtemperat, an qui resistit — Collata itaque Sacerdotibus fuit potestas, sed cum obligatione mulctam imponendi.

47 OB. III. Sacerdotalis mulcta ordinatur ad extinguendas pœnas, quibus Deo satisfacere debemus; sed Divina Justitia pœnas taxavit, quibus ipsi satisfacere debemus. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*: ergo Sacerdos imponendo mulctam Dei præcepta imputare intendit.

RESP. S. Isidorus *lib. 2. de Summo bono cap. 13.* ait — Ille pœnitentiam dignè agit, „ qui reatum suum satisfactione legitima „ plangit — Porrò hæc satisfactio multipliciter contingere potest, ùt sub initio Controversiæ ex Tridentino adnotavimus. Quid mirum igitur si adimpleatur præceptum agendi pœnitentiam per laboriosa opera a Sacerdotibus injuncta, cum hoc ipsi agant ex ipsius Christi mandato?

Mulcta Sacerdotalis nō opponitur Dei mandatis.

48 OB. IV. In Clavibus hæc duo, solvere, hoc est Cœlum aperire, & ligare, hoc est, Cœlum claudere correlativa sunt; Atqui solummodo peccatum Cœlum claudit, quod aliàs unus alteri imponere nequit: ergo.

RESP. Dicitur Cœlum claudi, cum impedimentum apponitur ad ipsius ingressum: Hoc porrò etiam per reatum pœnæ habetur; legitur enim Apoc. 21. *Non intrabit in eam* (idest cœlestem Jerusalem) *aliquod coinquinatum*. Cum igitur Sacerdotalis mulcta eo tendat, ut reatui pœnæ fiat satis, hinc nequaquam dicendum est, per illam puni, sed potius auferri impedimentum.

Satisfactio Cœlū aperit.

49 OB. V. Sacramentalis potestas ad peccati medicinam, atque levamen ordinatur; Sed Impositio pœnæ non est ad levamen, sed potius ad grave Pœnitentis onus: ergo.

RESP. Medici munus, quod Acatholici in Sacerdotibus recognoscunt, legitimam probat potestatem imponendi pœnam Pœnitentibus; quia tamen per absolutionem lethale vulnus curetur, alia tamen adhibenda sunt remedia ad perfectam sanitatem, quod per satisfactionem habetur. Est quidem onus, sed tale ut majora avertens mala a verè Pœnitentibus exoptabile sit.

§. IV.

AN SACERDOS PŒNITENTIBUS SUB GRAVI SATISFACTIONES IMPONERE DEBEAT.

50 Dicendum Sacerdotem Pœnitentibus per se sub gravi satisfactiones imponere debere.

PROB. I. Tridentina Synodus legitima divinæ institutionis interpres, dum agit de obligatione Sacerdotis in ordine ad pœnitentiam imponendam, verba usurpat præceptum significantia: Ait enim *Seff.* 14 *cap.* 8. — Debent ergo Sacerdotes Domini, „ quantum spiritus, & prudentia suggesserit, „ pro qualitate criminum, & pœnitentium „ facultate salutares, & convenientes satis- „ factiones injungere — Affirmans inde ipsos peccatorum pœnitentia participes fieri, si pro gravibus levissimas, & eo maximè si nullam imponant satisfactionem. Ea propter egregiè ad rem nostram dicebat Sanctus Cyprianus *in Sermone de Lapsis* esse contra Evangelium ad preces Martyrum Lapsis remittere peccata ante expletam impositam mulctam — Contra Evangelii vigorem, con- „ tra Domini, ac Dei legem temeritate „ quorundam laxatur incautis communica- „ tio. Irrita, & falsa pax, periculosa dan- „ tibus, & nihil accipientibus profutura — ergo sub præcepto mulctam pœnitentibus imponere debent Sacerdotes, dum Pœnitentiæ Sacramentum administrant.

Fit peccatori reus, qui satisfactionem non imponit.

51 PROB. II. Sacerdos, quantùm ad ipsum spectat, tenetur integrum facere Sacramentum; cumque Sacramentorum materia gravis sit, gravis est obligatio; Atqui satisfactio utpote Sacramenti pars, ad integritatem necessaria censetur: ergo ipsam sub gravi tenetur injungere. Porrò satisfactionem esse Sacramenti partem habes ex laudata Synodo *Seff.* 14. *Can.* 4. — Si quis „ negaverit ad integritatem, & perfectam „ peccatorum remissionem requiri tres actus „ in Pœnitente, quasi materiam Sacramen- „ ti Pœnitentiæ, videlicet Contritionem, „ Confessionem, & Satisfactionem.... „ anathema sit —

Satisfactio est Pœnitentiæ pars.

52 PROB. III. Judex sub gravi obligatione justitiæ æquitatem servare tenetur; Sed justitiæ æquitas a Sacerdote servatur satisfactivam pœnam imponendo pro reatu coram Deo existente: Unde Augustinus *lib.* 20. *De Civit. Dei cap.* 9. ad illa verba Apoc. 20. *Et vidi sedes, & sedentes super eas, & judicium datum est*, habet — Non „ hoc putandum est de ultimo judicio dici, „ sed sedes Præpositorum, & ipsi Præpositi „ intelligendi sunt, per quos Ecclesia nunc „ gubernatur. Judicium autem datum, nul- „ lum meliùs accipiendum videtur, quam „ id, quod dictum est: Quæ ligaveris in „ Terra, ligata erunt & in Cœlo &c.

53 PROB. IV. Pœnitentiæ Sacramentum per se institutum est in medicinam peccatorum; & Sacerdotes constituti sunt Medici curatores vulnerum Pœnitentis; Atqui hujusmodi medicina est satisfactio a Sacerdotibus imposita, etenim Augustinus *lib. de Fide, & operibus cap. ultimo*, explicatis gravioribus peccatis, quibus publica imponenda est Pœnitentia, alia dicit esse, quæ alio curanda sunt remedio — Item nisi essent „ quædam non ea humilitate Pœnitentiæ sa- „ nanda, qualis in Ecclesia datur iis, qui „ propriè Pœnitentes vocantur, sed qui- „ busdam correptionum medicamentis, non „ diceret ipse Dominus: Corripe eum in- „ ter te, & ipsum solum — Sanantur igitur peccata quædam medicamine correptionum, sed etiam satisfactionum.

Satisfactio est medicina Pœnitentis.

§. V.

OPPOSITA MOMENTA REFELLUNTUR.

54 OB. I. Contingere potest Pœnitentem immediatè post Confessionem ad Martyrium fore deducendum; Atqui in eo casu nulla superest necessitas Sacramentalis Confessionis, Martyrium enim omnem pœnæ reatum delet: ergo tunc non tenetur Sacerdos satisfactionem injungere: ergo hoc præceptum graviter obligans non datur.

RESP. Sacerdos in dicto casu, ut integrum faciat Sacramentum, aliquam imponere debet mulctam Pœnitenti; Si autem casus ad metaphysicam impotentiam quodcumque, vel leve opus exercendi reduceretur, tunc vel ipsum futurum martyrium pro satisfactione imponatur.

55 OB II. Quandoque Pœnitens nullam adimplere potest pœnitentiam, ut si in extremis ageret spiritum; Atqui tunc Confessarius frustra ipsi onus satisfactionis injungeret: ergo.

RESP. Si infirmus morti proximus momentaneum aliquod opus exercere potest, uti esset Sanctissimi JESUS invocatio Nominis, illud imponat Sacerdos, aut saltem ut proximæ mortis dolores Deo offerat. Etenim Confessarius non solùm ad morbi gravitatem spectare debet, sed etiam ad Pœnitentis vires, ne moraliter impossibilia decernat.

Possibilia præcipiat Confessarius.

56 OB. III. Si Pœnitens sit mortificationibus deditus, soleatque de peccatis inten-

intensam valdè contritionem elicere, tunc sanè superfluè a Confessario injungeretur mulcta; cum nullus supersit temporalis pœnæ reatus exsolvendus: ergo tunc nec debet, nec potest; eo sanè modo quo absolutionem nequit impendere, quando nullum clavibus subjicitur peccatum.

RESP. Sacerdos in eo casu pro comperto habet Pœnitentem peccasse, non autem Deo adæquatè satisfecisse pro temporali pœna; ea propter ipsi competit integrum facere Sacramentum; & aliàs sæpè homines falluntur; neque enim viæ Domini sunt, sicut viæ hominum.

57 OB. IV. Confessio si tota circa peccata aliàs clavibus subjecta versetur, nulla superest satisfactionis necessitas, aut utilitas; cum jam expiata sint; Atqui hujusmodi confessio sæpè a viris timoratis habetur: ergo in eo casu Confessarius absque imposito onere absolvere debet Pœnitentem.

Peccatis aliàs confessis satisfactio imponenda.

RESP. Sicut peccata aliàs confessa, ut quis iterum ab iis absolvatur, novo deflenda sunt dolore, ita novâ mulctâ sunt punienda; Neque enim Confessario innotescit divinæ justitiæ factum fuisse satis, aut ipse ab onere liberatur integrandi Sacramentum.

58 OB. V. D. Thomas *Quodlibeto* 3. *art.* 28. docet posse Confessarium liberam imponere satisfactionem; sed si teneretur ex præcepto nequaquam posset liberam imponere satisfactionem; teneretur namque ligare: ergo.

Libera satisfactio quomodo imponi possit.

RESP. Dupliciter intelligi potest satisfactionis onus liberum esse, vel ita quod in Pœnitentis potestate sit illud exequi pro libito, vel ita ut unum, aliudve ex impositis operibus eligere possit, puta vel jejunium, vel eleemosynam. Primo modo suo non fungeretur munere Confessarius, benè verò secundo, quo pacto locutum fuisse dicimus S. Thomam.

59 OB. VI. Propugnat Cardinalis de Lugo Confessarium post datam absolutionem imponere posse Pœnitenti satisfactoriam mulctam; Verùm si vi Clavium ad hoc adstringeretur, taliter agere non posset; cum usus Clavium perfectè per absolutionem compleatur: ergo.

RESP. Momentum, quo laudatus Cardinalis movetur ad suam propugnandam sententiam, haud illud est, quod fingunt Adversantes, Sacerdotem videlicet non teneri satisfactionem injungere, sed quia actio illa immediatè consequens ad absolutionem videtur nequaquam discontinuata. Veriùs quidem est ob motivum in argumento adductum hujusmodi opinionem ad praxim deducendam non esse. Nec illa moralis continuatio probat ad intentum; Etenim cum satisfactio sit pars materialis integralis, & aliàs materia formam præcedere debeat, planè fit præviè imponendam, acceptandamque esse satisfactionem.

60 INSTABIS contra datam doctrinam. S. Thomas *cit. Quodlib.* affirmat deprecationem illam a Sacerdote post absolutionem prolatam: *Quidquid boni feceris, vel mali patienter sustinueris &c.* adjungi in satisfactionem peccatorum; sed illa completâ absolutione proferuntur: ergo post datam absolutionem satisfactoria mulcta injungi potest.

RESP. Quidam volunt prædicta verba ante absolutionem proferenda esse, ut vim suam sortiantur; verùm hoc utpotè contra præscriptum in Rituali admittendum non est; quare sufficit Sacerdotem ante absolutionem habere intentionem talia opera injungendi, hocque indicare Pœnitenti, ut videlicet acceptet, offeratque omnia opera, quæ peraget in peccatorum remissionem; qui usus satis laudabilis est Sacerdotibus in subsidium, atque levamen; quando congrua imponi nequit satisfactio.

Satisfactio prævie ad absolutionem injungenda.

61 OB. VII. Confessariis solenne est opera injungere pro expiatione pœnarum animabus Purgatorii; Sed si ex præcepto tenerentur satisfactionem injungere, hoc non liceret; non enim Pœnitens Deo satisfaceret pro reatu temporalis pœnæ sibi debitæ, cum in alterius commodum caderet satisfactio: ergo.

RESP. In Pœnitentis opere est satisfactio *ex opere operato*, & *ex opere operantis*, in casu argumenti in bonum Defunctorum cedit satisfactio *ex opere operantis*, secus *ex opere operato*; hæc siquidem Pœnitenti prodest.

Satisfactio pro Defunctis.

§. VI.

AN PŒNITENS ACCEPTARE TENEATUR PŒNITENTIAM, ATQUE ADIMPLERE.

62 DIcendum Pœnitentem teneri pœnitentiam a Sacerdote impositam acceptare, atque adimplere.

PROB. I. Quod divino jure præcipitur, acceptare tenetur Pœnitens: Non enim valor, & obligatio divinorum præceptorum ab hominum acceptatione dependent; sed jure divino tenetur Sacerdos satisfactoriam mulctam Pœnitentibus injungere, cum facultatem habet ligandi, atque retinendi; Matth. 18. *Quæcunque alligaveritis*, Jo. 20. *Quorum retinueritis &c.* ergo eodem jure Pœnitens mulctam acceptare, atque adimplere tenetur.

Divino jure acceptanda satisfactio.

63 PROB. II. Satisfactio, prout est actus Pœnitentis, declarante Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 3., est pars integralis Sacramenti reconciliationis; Atqui gravis urget obligatio complendi Sacramentum quoad omnes suas partes: ergo sicut graviter obligatur Sacerdos ad imponendam satisfactionem, ita ad illam acceptandam, adimplendamque graviter tenetur Pœnitens.

Satisfactio ut pars Sacramenti imponitur.

64 PROB. III. Sacerdos, ut pro comperto est, imponendo pœnitentiam Judicis, Medicique munus exercet; Atqui reus impositam pœnam subire tenetur, sicut et ægrotus medicinam: ergo similiter Pœnitens exequi debet impositam pœnam.

Sacerdos est Judex, & Medicus.

65 PROB. IV. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. declarat Ministros graviter obligari ad proportionatas gravitati criminum satisfactiones injungendas. Atqui præceptum hoc

Ministri pœnas imponere debent.

hoc frustra est impositum, si Pœnitens ab illo declinare posset: ergo. Hoc innuebat Glosa in cap. *Multiplex de Pœnit. dist.* 1., dum explicans mentem S. Leonis habet -- „ Non quod ipsimet sibi ipsis injungant Pœnitentiam, quæ si ita intelligatur, pro „ nihilo essent Sacerdotibus claves Ecclesiæ --

Acceptatio satisfactionis est dispositio Pœnitentis.

66 PROB. V. Pœnitens ad reconciliationis Sacramentum cum debita animi dispositione accedere tenetur; Atqui accedens animo non acceptandi injunctam satisfactionem non accedit dispositus; non enim habet animum Deo satisfaciendi; quod declarat Tridentinum, dum laudata *Sess. c.* 4. ait -- Pœnitentem debere accedere non so„ lum cum dolore, sed cum voto præstandi „ reliqua -- ergo.

His accedunt Patres, quos inter est Augustinus, sive Auctor *de vera, & falsa Pœnit.* relatus cap. *Consideret de Pœnit. dist.* 15. §. *In his omnibus* -- Ponat se omninò in po„ testate Judicis in judicio Sacerdotis nihil „ sibi reservans sui, & omnia eo jubente „ paratus sit facere pro reparanda animæ „ vita -- Et S. Gregorius *lib.* 3. *in* 1. *Reg. c.* 7. -- Afflictio pœnitentiæ idonea est ad „ delenda peccata, cum Sacerdotis judicio „ fuerit imperata --. Et Rabanus *in Collectione Synodorum* scribit -- Pœnitens illud, „ quod ei institutum fuerit, ita cautè obser„ vet, ac si ex ore Dei fuerit prolatum --

§ VII.

CONTRARIA ARGUMENTA ELIDUNTUR.

67 OB. I. Confessarius est arbitrarius Judex, idest, a Pœnitente electus, qui alium adire poterat: ergo Pœnitens illi potest se subjicere quoad culpam, non autem quoad pœnam.

Pœnitens quoad pœnā se subjicere debet Sacerdoti.

RESP. Doctrina in antecedenti relata vera est, attamen extra rem; Quilibet siquidem Sacerdos tenetur Sacramentum complere prout a Domino Institutum est, & Sacramento sic instituto Pœnitens se subdere debet; Ea propter sicut facta hujus Confessarii electione liberum non est Pœnitenti se subjicere quoad aliqua, & non quoad omnia lethalia crimina, nec quoad contritionem, ita ipsi non datur optio quoad culpam, non quoad pœnam se subjiciendi. Non solùm enim Sacramentum reconciliationis ad culpam, verùm etiam ad delendam pœnam ordinatur.

68 OB. II. Potest Pœnitens purgatorias pœnas in altero seculo reatui pœnæ temporalis debitas eligere; Cedere namque potest privilegio a Divina Misericordia concesso, ut per levissimas hujus seculi pœnas pro gravissimis alterius fiat satis: ergo.

Pœnitens nequit respuere satisfactionē subiturus Purgatorii pœnas.

RESP. Argumenti probare incumbit, impositionem satisfactionis per Sacerdotem Privilegium esse, non jam præceptum, cum aliàs sive institutio Sacramenti, sive Ecclesiæ declaratio spectentur, satisfactionem præceptam esse evincant. Divina itaque Clementia statuit, ut per levissimam hujus seculi mulctam gravissima alterius compensetur, sed juxta Christi mandata, ejusdemque institutionem. Cæterum præjacta Adversantium doctrina Traditioni refragatur. Etenim primitivæ Ecclesiæ Patres absolutionem illis non impertiebantur, qui pœnitentias a Conciliis statutas subire detractabant; Unde Lapsi, ùt legere est apud Cyprianum *lib. de Lapsis*, ad pacem non admittebantur, utvis Martyrum libellos afferrent, si Canonum pœnas acceptare noluissent, & si quis inexpleta pœnitentia e vivis excederet, de ejus salute dubitabatur, teste Augustino *homil.* 41. *ex* 50. Statutum quoque legitur Pœnitentes, qui infirmitate advenienie ab impositis pœnis cessabant, recuperata salute in eodem, quo ante morbum morabantur, Pœnitentium gradu remittendos: sic habemus ex *Can.* 13. Nicæni I. -- Decernit, ut „ extremè laborantes, & in exitu vitæ po„ siti, ultimo & maximè necessario non „ priventur Viatico: quod si convaluerint, „ communionem confecuti, sint inter eos, „ qui in sola communicant oratione -- Idem ex Nysseno Epistola Canonica ad Letoïum; & alibi sæpè.

69 OB. III. Sacerdotalis mulcta ordinatur ad exhibendam Deo satisfactionem, quam naturali lege, seu ex justitia reddere tenetur Pœnitens; Atqui, ùt plerique docent, non tenetur homo sub præcepto legis naturalis in hoc seculo pro temporali pœna Deo satisfacere; Nam reus pœnam subire non tenetur, nisi quando Judex illam infligit, & aliàs Deus ùt Judex non nisi in Purgatorio temporali pœna mulctat Delinquentem: ergo.

RESP. Argumentum oppositum evincit; Quodlibet enim positivum præceptum est naturalis, vel supernaturalis juris modificatio; cum ergo divinum præceptum ad Confessionem obliget ùt a Deo institutam, & institutio ex parte Pœnitentis tres partes, actusque exigat, planè fit Pœnitentem teneri eas ponere. Huic irrefragabili doctrinæ lucem affert S. Thomas 3. *p. q.* 90. *art.* 2. asserens Sacramentum hoc institutum esse per modum instrumenti reconciliativi hominis cum Deo; Porrò reconciliatio ad arbitrium offensi, in eo quod ipsi est satisfaciendum, fieri debet; Deus autem arbitrium suum satis manifestavit; dum non nisi per claves Ecclesiæ, quas ad solvendum, ligandumque concessit, remissionem placet concedere.

Præcepta in lege naturali, aut supernaturali fundātur.

70 OB. IV. Si, clave obligante, mulctam subire teneretur Pœnitens, illam in melius mutare nequiret; quia præceptum determinat opus in specie; Hoc autem falsum meritò censeri debet; opus siquidem melius, magis Deo placet, magisque satisfactivum est, quo pacto votum in melius commutari quit ab ipso Vovente.

RESP. Opus aliud est melius secundum speciem, aliud est melius in individuo. Opus in individuo melius est, quod hic, & nunc secundùm Dei voluntatem est nobis per legitimos Ministros manifestatum; & hoc modo opus melius cuicunque perfectissimo

Opus quodnā melius.

ctissimo operi est præferendum. Satius enim est nunc studere, quam ferventissimè orare; si primum nunc sit in mandatis, aliud verò liberum: Itaque haud melius est arbitrarium Pœnitentiæ opus omissæ satisfactioni a Confessario injunctæ. Addas velim opus satisfactivum, quod integralis est pars Sacramenti, ex Clavium auctoritate esse debere; virtute namque Clavium suum producit effectum; opus verò subrogatum non est ex Clavium auctoritate, eaque propter neque complævivum Sacramenti. Potest aliàs votum in melius mutari, cum sit quædam voluntaria lex, mulcta autem imposita ex alterius imperio.

72 OB. V. Clavium potestas ejusdem virtutis est sive ad mortalium, sive ad venialium Confessionem; Sacramentum enim Pœnitentiæ unum est; Atqui Clavium potestas in ordine ad venialia ut obligandi non gaudet, cum ea confiteri ex divino jure nequaquam adstringamur, multoque minus sub gravi vinculo, cum venialia levis sit materia, levisque mulcta imponatur; unde ejusdem prætermissio haud lethaliter vitiosa est.

Omissio gravis etsi Pœnitentia sit levis.

RESP. Voluntariam omissionem Pœnitentiæ sive levis, sive gravis a lethali noxa immunem esse negari jure potest. Quando enim gravis est, graviter obligat, cum res præcepta, non verò materia, supra quam cadit, sit inspicienda; quando levis, adhuc gravi vinculo ligat, cum necessariò spectetur ad Sacramentum integrandum, quod ut rem gravissimam ad unum omnes fateantur, oportet. Et sanè ad obligationis pondus perpendendum nequaquam materiæ levitas secundum se spectatur, sed sub circumstantiis; Hinc leve mendacium officiosum lethalis criminis malitiam induit, si cum invocatione divini nominis assumatur; ut videre est ex 24. Propositione Innocentiani Decreti; Relatè ad totam Liturgiam decem verborum omissio levis reputatur, si autem fit ex Canone gravis judicatur. Alia similia passim occurrunt.

72 DICES. Omissionem circumstantiæ in pœnitentia adjunctæ, si levis sit, nemo unus ut lethalem damnabit, ut si Confessarius preces flexis genibus recitandas injungat, aut jejunium die Sabbati, & alia hujusmodi: ergo ratione pari levis pœnitentiæ omissio a lethali noxa excusanda est, cum utrobique momentum de integritate Sacramenti urgere videatur.

Circumstantiæ Pœnitentiæ in duplici differentia.

RESP. Circumstantiæ Pœnitentiis connexæ in duplici recensentur differentia; aliæ specialiter a Confessario intenduntur, aliæ verò non. Specialiter intentæ eæ sunt v. g. quæ ad cultum alicujus diei, imaginis, vel Sancti præscribuntur; si autem a Sacerdote imponantur, ut facilliùs exequantur; v. g. jejunium die Veneris, quia aliàs a carnibus abstinendum est, non judicantur specialiter intentæ: Circumstantiæ primi generis obligatoriæ sunt, secus secundi. Cæterum notandum est omissionem levis materiæ gravem reputari, quando nil aliud nisi levis satisfactio a Sacerdote decreta est; si enim quis injunctam habeat recitationem plurium decadum Salutationis Angelicæ, si unam ex Salutationibus prætermittat, non nisi leviter delinquit, cum substantialiter Sacramentum integretur; ubi verò leve onus injunctum ex toto negligit, gravis criminis reus efficitur, cum Sacramentum imperfectum reddat. Liberum itaque est venialia confiteri; verùm si quis velit ea clavibus subjicere, sicut dolere, ita satisfactionis onus subire tenetur.

73 OB. VI. Ex communi Doctorum calculo unus pro alio satisfacere potest; Atqui si mulcta a Sacerdote taxata obligaret, hoc nequaquam subsisteret, cum præceptum huic determinatæ Personæ esset injunctum: ergo. Major propalam fit exemplo eleemosynæ, quam Dominus per servum largitur, & insuper auctoritate Angelici *in Suppl. q. 13. art. 2.*

RESP. Si sermo sit de sacramentali satisfactione doctrina argumenti falsa est, & ab Alexandro VII. proscripta in propositione 15. „ Pœnitens propria auctoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius „ pœnitentiam impleat „ Et ratio in aperto est; siquidem Tridentinum *Sess. 14. c. 3.* declarat actus Pœnitentis esse Sacramenti partes, inter quas est satisfactio. Maximè cum sacramentalis satisfactio oriri debeat ex potestate Clavium, a quibus elevatur; sed actus quo Pœnitens alium subrogat, non est ex Clavium potestate, multoque minus operis executio ab alio posita. Nec aliàs satisfactio sic exercita suum effectum plenè sortiri potest. Etenim ordinatur in vindictam, & medicinam commissi criminis: Opus autem ab alio positum in vindictam, aut ipsius Pœnitentis medicinam nequaquam vergit. Quæ enim medicina ab altero sumpta ægrotum sanat? Hæc sanè probant neque Confessarium integram satisfactionem per alium implendam imponere posse, utvis quoad partem; Pœnitenti injungendo, ut alium exoret pro ipso v. g. jejunare.

Unus pro alio sacramentalem pœnitentiam supplere nequit.

Nec eleemosynæ exemplum quidquam urget, cum hæc inter ea enumeretur, quæ per alios planè exercentur, nec Ministrum, sed Dominum respiciat; ea propter non servus, sed Dominus eleemosynam largiri dicitur, adeoque etsi servus gravi crimine sit irretitus Domino in gratia existenti prodest.

Sanctus Thomas extra rem adducitur, cum non de Sacramentali, sed de communi satisfactione in Sanctorum communione fundata loquatur; & hoc meritò affirmat, cum viva mystici corporis membra charitate informata ad invicem sint solicita, ad invicem se adjuvent, atque bonorum operum fructum participent ad invicem, sicut in membris naturalis corporis evenire pro comperto est, teste Apostolo *ad Rom. 12.* Cæterum Sanctus Doctor loquendo de sacramentali satisfactione oppositum innuit in *resp. ad 2.* Si autem velimus dicere Angelicum loqui de sacramentali satisfactione, prout est solutio debiti intelligendus est de ipsa quoad partem, & de Sacerdotis beneplacito.

74 OB. VII. Si sub gravi obligatione Pœnitentem ligaret Sacerdos, non posset alter illam mutare; ligatus siquidem ab uno Judice ab æquali solvi non potest; sed unum

Sacer-

Sacerdotem impositam ab alio mulctam posse mutare, praxis Ecclesiæ satis evincit: ergo.

RESP. Molestum sanè argumentum. Pro solutione quædam supponenda sunt. I. Quando alave, ùt ajunt, arranta, pœna injuncta est, idest cum excessu, tunc ad æquitatis leges illam reducere potest Sacerdos alius. Excessus namque non est actus jurisdictionis, sed abusus. II. Nullus ea tuto auferre potest mulctam, cum integrandum sit Sacramentum. III. Idem Sacerdos sive in eadem, sive in altera confessione, habitâ confuso modo præteritorum criminum memoriâ, mulctam posse commutare. IV. Commutatio deberet fieri in confessione auditis peccatis; Nam satisfactio imponi debet cognitâ causâ, ùt ait Tridentinum, & aliàs est pars integralis Sacramenti, quod non verificaretur, si commutatio esset extra-sacramentalis.

Pœnitentia an commutari possit.

His prælibatis dicimus nequaquam secundum Confessarium commutare posse satisfactionem a priori injunctam, quia commutatio esse debet actus Clavium, cum satisfactio sit pars sacramentalis; Sed actus Clavium non nisi in Confessione exerceri potest: ergo secundo Sacerdoti nova facienda est Confessio: ergo satisfactio, quæ imponitur per commutationem, non primo, sed posteriori Sacramento correspondet, adeoque primum remaneret imperfectum, quod est grave inconveniens, & aliàr primus Sacerdos ligando super Terram non ligasset in Cœlis. Hæc quidem doctrina, si intrinseca momenta spectantur, sequenda videtur. Quoniam verò plausibilis plurium Doctorum sententia est talem commutationem licere, ideo dicendum in casu commutationis non exerceri judicium in alterum Sacerdotem, sed in Pœnitentem; quia secundus Sacerdos mentem alterius Ministri declarat, qui utpote rationalis pœnam, quæ subrogatur, vult; Si enim ea, propter quæ commutatio exquiritur, priori Sacerdoti innotuissent, primam satisfactionem nequaquam injunxisset, sed eam potius quam secundus imponit; eaque propter virtualis ejusdem sententia dici debet. Attamen in commutatione, ubi satisfactio latitudinem, seu divisibilem materiam habet, partem prioris relinquere satis opportunum erit.

75 OB. VIII. Si mulcta Sacerdotalis obligaret potissimè, quia est integralis pars Sacramenti, & quia ordinatur ad satisfaciendum Deo, opus esset eam quamtocyus adimplere, Partes enim uniri deberent inter se, cumque satisfactio esse debet ab homine grato, & aliàs per longum temporis spatium Pœnitentes præcipuè malis irretiti habitibus facilè labantur, ideo illam differre periculosum esset; Atqui hoc est contra praxim tum veteris, tum præsentis Ecclesiæ, quæ pœnitentias injungit longo temporis tractu explendas, ùt unum Sabbati jejunium ad plures menses, vel quid simile injungit: ergo; aliàs in statu peccati peractæ essent repetendæ.

Pœnitentia quamprimùm implenda.

RESP. Certum quidem est pœnitentiam, quamprimùm commodè fieri potest, adimplendam esse, & potissimùm antequam quis iterum confiteatur; Incongruum quippe videtur, incompleto primo, aliud fieri Sacramentum. Si autem contingat pœnitentiam haud impleri posse, utpote quæ longum temporis spatium exposcat, pars aliqua ponatur, nec complementum expectandum est, cum dilatio consensum Judicis habeat.

Quantum ad aliud, quod objicitur, videlicet, de pœnitentia in statu peccati adimpleta; triplex peccati status distinguatur, oportet, status nempe quo homo est in peccato actu, affectu, & reatu. Dicitur quis in statu actuali peccati, ùt cum opus injunctum exercendo peccat, v. g. si Missam audiens mulierem pravè concupisceret, quo casu per tale opus non satisfieri Deo planum est, cum non intercedat studium placandi Deum, ubi actualiter Deus ipse offenditur, nec satis concipi potest novis debitis extingui priora.

Triplex peccatoris status.

Status peccati alter est, dum homo habitualem affectum ad præteritam culpam fovet, qui status peccati habitualis nuncupatur; & neque opus in eo statu Deo exhibitum satisfactorium censendum est, testante namque Scriptura, dona impiorum abominatur Deus; & meritò sanè cum Apostolus 1. ad Corinth. 13. scribat; *Et si tradidero corpus meum . . . Charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*. Etenim cum opera nostra non habeant proportionem cum debito erga Deo, elevari debent a gratia, quod, ubi affectus peccati dominatur, evenire non posse pro comperto est.

Si autem homo, retractato veraciter peccato, sive habitibus, sive onere satisfaciendi irretitus sit, tunc satisfacere meritò potest; cùm status hujusmodi cum Dei amicitia componatur.

76 An autem opera, dominante peccato, exercita sint repetenda? Ea distinguunt Thomistæ cum Angelico Præceptore *in Suppl. q. 14. art. 3.* Quædam enim sunt, quæ post se effectum relinquunt, ùt jejunia, flagellationes, quæ corpus affligunt, alia verò cum ipsa actione desinunt, ùt preces, & prima non esse repetenda, benè verò secunda affirmant; hæc namque advenienti charitate vivificari nequeunt cum in se nihil amplius sint, illa verò vivificantur. Cæterum doctrina hujusmodi aliquibus non arridet. Hos inter sunt PP. Salmanticenses *Tract. 24. de Pœnit. disp. 11. §. 1. num. 39.* cum Sacerdos non illos effectus, sed opera injungat.

Opera exercita in peccato an repetenda.

77 DICES I. Jejunans quadragesimali tempore cum habituali affectu ad peccandum Ecclesiæ præcepto satisfacit: ergo cum eodem habituali affectu satisfactoria opera exercens Sacerdotis præceptum adimplet.

RESP. Disparitas in aperto est; Nam Quadragesimalis jejunii præceptum haud conjungitur cum fine conversionem ad Deum expostulante; intendit siquidem disponere ad nutritionem assequendam, secus est de præcepto Sacerdotis, quod directè ordinatur ad placandum Deum, eique pro dimissis noxis compensandum, atque ad temporalis pœnæ debitum extinguendum, quæ sanè statum gratiæ prærequirunt.

Satisfactio ordinatur ad Deum placandum.

78 DICES II. Oratio a peccatore exer-

exercita bona est, atque ad Dei gloriam per actualem imperfectæ dilectionis affectum quit dirigi: ergo.

RESP. Plus requiritur, ut opus aliquod sit satisfactorium, & meritorium, quam ad hoc ut sit bonum; ad hoc namque sufficit, ut opus sit juxta regulas morum, ad illud autem necesse ut persona Deo sit grata, quod absque charitate nusquam evenire potest.

Opus satisfactorium esse debet Deo gratum.

79 DICES III. Juxta antiquæ disciplinæ Canones pœnalibus operibus Deo satisfaciebant Pœnitentes; Atqui pro eo statu non erant habitualiter ad Deum conversi; cum non absolverentur nisi totâ expletâ pœnitentiâ: ergo.

RESP. Ecclesiæ disciplina Pœnitentes credebat per contritionem perfectam justificari, qua vel incohabant, vel pœnitentiales gradus prosequebantur, alioquin de nomenclatura piæ Matris frustra gloriaretur, lubens, & volens pœnalia adeo opera æternæ vitæ præmio carere; cum aliàs Pœnitentes sub imperfecta contritione absolvere potuisset, quæ imperfecta contritio juxta Jueninum *Tract. de Sacr. Pœnit. de Satisfactione quæst. 6. cap. 5. art. 3. Concl. 3.*, a qua habetur instantia præcedens, sicut & subsequens.

Pœnitentes per Contritionem justificabantur.

80 DICES IV. Reus criminis læsæ Majestatis potest Principi, antequam ipsi crimen remittat, eumque ad amicitiam acceptet, debitam exhibere satisfactionem: ergo poterit Peccator in statu peccati Deo facere satis; Nam ut opus *de congruo* sit gratum, sat est, quod exeat a Persona, quæ Deum offensum saltem actualiter diligat.

RESP. Notum discrimen Deum inter, hominesque intercedit. Homines exteriora perpendunt; ea propter si hæc bona sunt, accepiaotur; Deus autem intuetur cor; & exinde munera; proindeque peccatoris opera utpote immunda respuit Deus. Addas velim in humanis opera secundùm se quandoque proportionata esse cum debito, secus coram Deo, respecto cujus opus ex se, nisi per charitatem elevetur, nullam dicit proportionem; Paritas itaque haberi potest, si loquamur de operibus, quibus homo ad peccatorum remissionem consequendam disponitur, & ut Deus jus odii deponat, secus de operibus, quæ pro exactu temporalis pœnæ exolvi debent.

Satisfactio a charitate informata.

81 DICES V. Opera a Sacerdote injuncta, atque in statu peccati exercita in proposito accepiata a Deo fuerunt, atque sub illa prima intentione execuia; Atqui illa utpote charitate informata grata Deo fuerunt: ergo erunt satisfactoria, multòque magis integrantia Sacramentum; unde nequaquam repetenda.

RESP. Prior illa intentio optima fuit, eique proportionatus valor satisfactivus correspondet; Verùm adveniente peccato sicut meritorius valor interrumpitur, ita & satisfactorius; principium namque vivificans periit, & per opera in peccato exercita non jam formalis, sed materialis Sacramenti integritas habetur.

Peccatū tollit meritum, vimque satisfactivā operibus.

82 OB. IX. Si Sacerdos satisfactionem præciperet, eamque Pœnitens acceptare teneretur eo potissimùm momento, quod satisfactio sit integralis pars Sacramenti, oporteret opera executionem ad absolutionem præmittere; cum illa ad materiales Sacramenti partes, quæ formæ subjiciuntur, eamque præeunt, spectet; Sed hoc doctrinæ Ecclesiæ refragatur, ùt Alexander VIII. in suo Decreto Prop. 16. declaravit: ergo.

RESP. Circa difficultatem hujusmodi duplex Ecclesiæ status distinguendus est; primus nascentis Ecclesiæ disciplinam, alter posteriorum temporum praxim respicit. Sub priori Ecclesiæ statu ea invaluerat disciplina, ut non nisi expletis satisfactoriis operibus, Pœnitentes absolverentur, ùt planè evincitur exemplo Incestuosi, quem Paulus non absolvit, nisi peracto duriori pœnitentiæ cursu, a quo non recessit Ecclesia, quæ solummodo post stationem Fletus, Auditionis, & Substractionis Pœnitentes regulariter absolvebat; & meritò sanè; Verebantur namque Patres, ne ficta conversione indignè Sacramentorum participes fierent Pœnitentes, neve facilitate veniæ peccandi occasionem captarent. Hinc ardentiùs ad sacram Synaxim disponebantur, atque pleniùs Deo satisfaciebant, nec Hæretici, aut Ethnici ex frequentia absolutionis in favorem delinquentium sacra mysteria subsanare poterant.

Cur antiquitus non statim absolverentur Pœnitentes.

Nusquam tamen censuit Ecclesia necessariò præmittendam satisfactionem; Etenim ante expletam satisfactionem nonnulli absolvebantur, ùt supra n. 68. adnotavimus ex Concilio Niceno, & decrevit circa infirmos Innoc. I. *Epist. 1. cap. 7.* — Sanè si quis „ in ægritudinem inciderit, atque usque ad „ desperationem devenerit, ei est ante tem„ pus Paschæ relaxandum, ne de seculo „ absque communione discedat — Impertiebatur quoque absolutio, ne rei criminum capitalium ad Hæreticos cum plebis scandalo declinarent, ùt videre est ex mutuis Epistolis Cornelii, & Cypriani, sive cum periculum Schismatis ex dilatione reconciliationis suboriri poterat, ùt scripsit Augustinus *lib. 3. contra Epist. Parmeniani cap. 2.*, aut ad Martyrium cum rapiendus quis esset, teste S.Cypriano *Epist. 54. ad Cornelium*; demum cum ex Lapsorum reditu, & reconciliatione Ecclesiæ incrementum sperabatur, quod habetur ex Cornelio, qui Throphimum reconciliavit, ex quo multi, qui a Novatiano seducti fuerant, ad Ecclesiam redierunt; quod sanè non evenisset, nisi indulgentiam, atque reconciliationem non fuisset elargitus Throphimo Cornelius, ùt habetur ex Sancto Cypriano *Epist. 52. ad Antonianum*.

Lapsis absolutio ante expletam satisfactionem cur elargiretur.

Quoad praxim posteriorum Ecclesiæ temporum; priori seosim deficiente prævaluisse legimus præcipuè Sec. XII., cum per Indulgentias passim concessas a canonicis pœnis statim absolvebantur, & aliàs Ecclesia, quæ in Sacramentis accidentalia sunt, mutare potest; ùt in Baptismo videre est, qui aliàs trina, nunc unica immersione perficitur, & in Eucharistia, quæ olim Laicis sub utraque specie concedebatur, nunc sub una tantùm. Nec praxim hanc reprobandam esse pro comperto est ex Decreto Sixti V.

Disciplina mutata in Ecclesia.

 edita

edito in Complutensi Concilio adversus Petrum Oxomensem propugnantem sequentem propositionem — Non sunt absolvendi pœnitentes, nisi peracta prius pœnitentia eis injuncta — Et ex Decreto sanctae Alexandri VIII. damnante propositionem 16., quæ erat hujusmodi — Ordinem præmittendi satisfactionem absolutioni inducit, non politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa lex Christi, & præscriptio, natura rei idipsum quodam modo dictante —

Hinc respondendo ad argumentum dicimus; ut partes materiales informentur per verba formæ sufficit, ut opere in proposito, atque acceptatione præsentia sint, ut docet Sanctus Thomas 3. *p. quæst.* 90. *art.* 2. *ad* 2. Verùm quidem est quandoque ob bonum pœnitentis necesse fore aliquam satisfactionis partem absolutionem præcedere; sed hoc allatam doctrinam non infringit; Oportet enim Peccatorem ad modum ægroti curare, cui pro diversitate, & morborum qualitate diversa a peritis Medicis applicanda sunt remedia.

CONTROVERSIA IV.

§. I.

AN SACERDOS TENEATUR PROPORTIONATAS PECCATORUM GRAVITATI IMPONERE SATISFACTIONES.

83 Cum ultimis hisce temporibus non defuerint Scriptores ab æquitatis semita nimium declinantes, qui levissimas pœnitentias pro gravissimis criminibus sufficere docuerint, ita quod ex his unus (cujus opera Apostolica Sedes proscripsit) particulariter loquendo ausus sit affirmare pro quolibet mortali crimine satis esse calculum virgineum quinque Decadum, nec opus esse ad peccatorum multiplicationem satisfactionem augere, operæ pretium erit de hoc veritatem inquirere.

84 Dicendum itaque est Sacerdotem teneri proportionatas peccatorum gravitati imponere satisfactiones.

Condigna pœnitentia, idest proportionata satisfactio.

PROB. I. Scripturæ condignam peccatis agendam esse pœnitentiam: Act. 26. *Annunciabam, ut agerent pœnitentiam, & converterentur ad Deum digna pœnitentiæ opera facientes*; & Luc. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ*; Sed condigna pœnitentia idem est, ac proportionata satisfactio, ut tantò majora acquirat bonorum lucra per pœnitentiam, quanta sibi Peccator intulit damna per peccata, quod dicebat Chrysostomus *hom.* 10. *in cap.* 3. *Matth.* — Pœnitentiam verò dico, non solùm ut a malis prioribus desistamus, verùm etiam ut bonorum operum fructibus impleamur. Facite, inquit Joannes, fructus dignos pœnitentiæ. Quo autem modo fructificare poterimus, si omnique peccatis adverse faciamus. Aliena rapuisti? Et incipe donare jam propria. Longo es tempore fornicatus? A legitimo quoque usu suspendere conjugii.... Neque enim vulneratio sufficit ad salutem tantummodo spiculum de corpore evellere, sed etiam remedia adhibere vulneribus —

Patrum sententia circa satisfactiones.

85 PROB. II. Patres in eo perpetui sunt, ut gravioribus criminibus gravior debeatur mulcta. Sanctus Cyprianus *lib. de Lapsis* — Pœnitentia crimine minor non sit — Sanctus Eligius *Homil.* 29. — Majora crimina admittentibus, majora sunt adhibenda remedia — Sanctus Petrus Damianus *Opusc. de Perfect. Monach. cap.* 6. — Unusquisque quo magis gravatur offensis, eo majori gravandus est pondere satisfactionis. Hinc Sanctus Carolus Borromeus *in suis Instructionibus* 4. *Parte* sequentem regulam Ministris præscribit — Videant ne pro peccatis gravibus levissimas pœnas imponant, id quod & Confessoribus, & Pœnitentibus periculosum est, cum id a sacris Literis, & a Conciliorum Decretis, & a SS. Patrum sententia alienum sit. Nam divinæ literæ ab iis, qui pœnitentiam agunt, hoc efflagitant, ut fructus dignos pœnitentiæ faciant, utque ad Dominum convertantur in jejunio, fletu, & planctu —

Participat de crimine, qui levē imponit mulctam.

86 Hæc scripsit Sanctus Antistes Tridentino adhærens, quod Patrum vestigia sequens contra molliores Confessarios inclamat, eosque alienorum criminum participes facit. *Sess.* 14. *cap.* 8. — Ne si fortè peccatis conniveant, & indulgentiùs cum pœnitentibus agant levissima quædam opera pro gravissimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur —

Quando moderanda pœnitentia.

87 Hæc usque, aliaque plura in responsione argumentorum addocendo probant Sacerdotes regulariter proportionatas injungere debere Pœnitentibus satisfactiones: Etenim per accidens, spectatisque occurrentibus circumstantiis, prudentiâ dirigente, moderandæ sunt, adeoque mitiores imponendæ, cum sæpè in majorem cedant utilitatem Pœnitentis. Ea propter ægris, aut gravi morbo laborantibus infirmitatis tolerantia, paucâ additâ mulctâ, pro satisfactione taxanda; diuturnè laborantibus, quæ labori compatibilia sunt, injungenda, nec longis precibus, durisque jejuniis, ferialibus potissimùm diebus, ligari debent; Pauperibus imprudenter præscribitur eleemosyne; Pœnitentibus, qui non jam ex pertinacie, sed ex infirmitate spiritus timent deficere, parcendum est, eosque paulatim corroborare; Ita nos docent Patres, quos inter est Auctor Operis Imperfecti *hom.* 43., S. Nilus *Epist.* 3. *ad Charisium Presbyterum*, S. Thomas *Quodlib.* 3. *quæst.* 13. *art.* 1. Sanctus Franciscus Salesius *in Monitis ad Confessarios cap.* 8., aliique plures. Monitos tamen nos volunt Patres, ut Pœnitentes levi mulctatos satisfactione se esse sciant, ut benè advertit Angelicus *laudata quæstione*.

§. II.

§. II.

OPPOSITA MOMENTA DISSOLVUNTUR .

88 OB. I. Ecclesiæ sensa a Tridentino expetenda sunt ; Atqui Tridentinum agens de gravi injungenda satisfactione peccatis correspondente solummodo consultivè loqui videtur : Non enim asserit injungendas esse *pro qualitate criminum . . . . satisfactiones* , sed utitur verbo *debent* , quod obligationem non sonat : ergo a vera Ecclesiæ doctrina nequaquam recedit, qui leviores imponit mulctas .

Verbum debent præceptum importat.

RESP. Falsò innititur fundamento argumentum ; nusquam enim legitur verbum illud usurpari ad significandum consilium , quod luce clariùs fit ex contextu , ubi affirmat Sacerdotes participes fieri criminum Pœnitentis , si in imponendis satisfactionibus æqualitatem non servant , & *cap.* 5. ejusdem *Sess.* 14. in rem nostram utitur exemplo Judicis , qui secundùm leges , quæ proportionatam ad criminum gravitatem mulctam determinant , pœnas infligere tenentur , & ea ratione declarat necessariò Confessionem integram esse oportere, ut Sacerdotes in imponendis pœnis æquitatem servare possint ; integritas autem cadit sub gravissima obligatione , adeoque etiam motivum integritatis, ejusque adimpletio. Sensit demum Pœnitentem a Sacerdote tanquam ægrotum a perito Medico curandum esse ; Porrò Medicus ex præcepto proportionatam infirmitati medicamen apponere tenetur , quam doctrinam a Patribus habuisse testatur ; Et sanè eam tradit Sanctus Ambrosius *in Psal.* 118. ad illa verba : *Et de lege tua miserere mei* dicens -- Exigit ergo medicinæ ratio, ut aut sectione , aut adustione curetur . Nisi enim putrefacta recidantur, aut humor inutilis decoquatur , frustra medicina manus adhibentur ad vulnera . Ideoque bonus Medicus hujusmodi ægrum legitimè dicit esse curandum , ut possit medicina proficere . Lege ergo miseretur , qui cum justitiâ , sapientiâque miseretur --

89 OB. II. Concilium meritò explicari quit de satisfactione , quando medicinalis est , cum hæc morbo proportionari debeat ; sed non semper necessitas subest medicinalis pœnitentiæ : ergo non semper proportionata imponi debet . Instat ex opposito Auctor Pentalogi . In satisfactione duo esse consideranda , & rationem solutionis , & rationem remedii , satisfactio prout dicit solutionem exigit æqualitatem , prout verò dicit remedium accommodari debet viribus Pœnitentium ; hæc inter dicit , secundum magis esse considerandum , quam primum , quod non est de necessitate salutis ; cum solutio fit adæquabilis in Purgatorio .

RESP. Primum directè pugnat cum Tridentino , quod expressè , & directè intendit Novatorum errorem evertere dicentium , dimissâ culpâ, omnem pœnæ reatum dimitti, nullamque superesse solvendæ pœnæ debitum , admittentium quidem remedium aliquod ad præcavendum peccatum , sed negantium pensum ad solvendam pœnam, ideo Concilium expressis verbis habet -- Habeant autem præ oculis , ut satisfactio , quam imponant non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam , sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem : Nam claves Sacerdotum non ad solvendum dumtaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres & credunt , & docent -- Ex quibus evanescit aliud effugium : Vult namque Concilium satisfactionem sub utroque munere inspici a Sacerdotibus , nulloque rationabili momento probari potest Sacerdotem magis spectare debere satisfactionem tamquam remedium , quam ut solutionem , cum Patres necessitatem urgeant , ut Deo satisfiat , atque peccatum puniatur , unde a Tertulliano *lib. de Pænit. cap.* 6. describitur satisfactio -- Pretium , quo Dominus veniam addicere instituit . . . , compensationem , quæ redimendum proponit impunitatem -- Et S. Cyprianus *lib.* 1. *Epist.* 3. satisfactiones vocat redemptrices peccatorum .

Satisfactio ut medicina, & solutio.

90 OB. III. Ut proportionata imponeretur satisfactio , infinita pro mortali crimine injungi deberet ; offensa quippe Dei infinita est , eique infinita debetur pœna ; Atqui infinita mulcta imponi nequit : ergo nequaquam urget præceptum proportionatam injungendi .

RESP. Huic argumento fidebat Calvinus , ut de medio omnem tolleret satisfactionem , dicens , quod neque centum vitæ sufficerent pro expiando peccato . Igitur peccatum dicit offensam infinitam , cui infinita pœna debetur ; verùm dimissâ gratis culpâ æterna pœna in temporalem commutatur , quæ satisfactoriis operibus compensari potest ; & nobis facilè dignosci nequeat, quæ sit temporalis pœnæ quantitas ; attamen pro comperto est non levem esse , si grave crimen est .

Temporalis pœna compensari potest.

91 OB. IV. Nostra ætate ob nimiam imbecilitatem humanæ naturæ ad graves peragendas pœnitentias non suppetunt vires : ergo cum pene in omnibus hujusmodi imbecilitas habeatur, prudenter agunt Sacerdotes leviora imponendo onera .

RESP. Haud nova est querimonia hujusmodi . Temporibus Sancti Petri Damiani argumentum istud alias radices egerat , ita ut Alexandro II. scripserit via inter seculares adinveniri , qui ferat , si -- Vel triduum per hebdomadam jejunare præcipias . Modo stomachi læsionem simulant, modo splenis , sive vesicæ lamentantur exitium , modo marcidi pulmonis vitio intercludi sibi anhelitum conqueruntur -- Tunc temporis , sicut & nunc evenire solet , ut graves declinarent satisfactiones, ad alios confugiebant Sacerdotes , & Olibanus Comes a pœnitentia sibi per Sanctum Romualdum injunctam ad plures Episcopos , atque Abbates appellavit ; nihilotamen minus ad unam omnes Sanctissimi Viri sententiam confirmaverunt . Non igitur naturæ imbecilitas incusanda est , sed animi infirmitas, quæ parvipendit æterna . Quot validi sunt corpore, ut temporalibus incumbant

Infirmitas animi non excusat a gravi subeunda satisfactione.

sive negotiis, sive etiam delectationibus, quibus vires deficiunt ad jejunium ad curanda animæ vulnera peropportunum peragendum?

92 OB. V. Christum non legimus gravem imposuisse satisfactionem peccatoribus pluribus, gravissimisque onusis sceleribus, ut Magdalenæ, & Zachæo; Sed quæ Christus gessit, semper præ oculis habenda sunt ad imitationem: ergo.

RESP. Diversimodè non argumentantur Novatores, ut satisfactionem evertant. Utvis Christus legibus sacramentalis pœnitentiæ non adstringeretur, cum potestate excellentiæ peccata relaxaret, attamen notandum est piissimum Redemptorem durissimæ pœnitentiæ spiritum Pœnitentibus inspirasse. Et sanè quid durius excogitari potest pœnitentiæ studio, quod Magdalena exsecuta est, & fervore Zachæi, quo non solùm quadruplum reddidit ex fraudatis, sed dimidium bonorum sponte largitus est pauperibus, Christique Discipulatum suscepit?

Christus potestate excellentiæ remittebat peccata.

93 OB. VI. Impositio satisfactionis Sacerdotalis Spiritu Dei regulanda est: sed Spiritus Dei est spiritus dulcedinis: ergo.

RESP. Sanctissimi Patres Spiritu Dei repleti fuerunt, & tamen ferventissimè pro gravioribus pœnitentiæ operibus adversus leviora declamaverunt, nullus profectò, nisi Hæreticus destitutum dicet spiritu Dei Tridentinum, & tamen Canonem edidit de gravi injungenda satisfactione! Non caret lenitatis spiritu Medicus, qui ferro, igne, mordacique unguento curat computrescentia vulnera, sed ex adverso ea prætermittens occisor dicitur; quapropter optimè dicebat Clerus Romanus *Epist.* 31. inter Cyprianas — „ Neque hoc est curare, sed si verum di„ cere volumus, occidere — Veræ dilectionis spiritus est temporalibus hisce pœnis ab æternis, vel gravissimis Purgatorii suppliciis convenienti proportione liberare, atque criminum relapsus resecare. Spiritus Dei justitiæ insimul, & misericordiæ est. Gratis dimittit offensam, sed etiam vindictam expostulat; qualis porrò sit justitiæ rigor propalam fit ex his, quæ nobis tradita, & Ecclesia de alterius seculi pœnis revelant. Ut Deo satisfaceret David calicem salutaris accipiebat, calicem scilicet plenum misto. Sanctus Thomas *Opusc. de Offic. Sacerd.* 65 ait — Faciat ergo Sacerdos quod„ dam temperamentum ex misericordia, & „ severitate, ut pœnitentia non sit nimis „ dissoluta, nec nimis rigida: ut autem „ Sacerdos ad illa doctus sit meditabitur „ Scripturas, & dicta Sanctorum, in qui„ bus ista inveniet —

Spiritus Dei misericordiæ, & justitiæ est.

94 OB. VII. Alexander VIII. proscripsit propositionem, quæ dicebat — Consue„ tudo moderna quoad administrationem „ Sacramenti Pœnitentiæ etiam si eam plu„ rimorum sustentet auctoritas, & multi tem„ poris diuturnitas confirmet, nihilominus „ ab Ecclesia non habetur pro usu, sed abu„ su — Sed consuetudo moderna est de levibus imponendis satisfactionibus: ergo.

RESP. Proscripta propositio loquitur de consuetudine præmittendi satisfactiones ante absolutionem ut manifestè constat ex propositione 16. — Ordinem præmittendi „ satisfactionem absolutioni induxit non „ politia, aut institutio Ecclesiæ, sed ipsa „ Christi lex, & præscriptio natura rei „ idipsum dictante — Et justè reprobata est, cum contra naturam judicii sit, quod pœna in executione sustinenda sit ante sententiam. Non excludit tamen proscriptio opera illa præcedentia pro recta dispositione necessaria, sicut examen conscientiæ, orationem pro impetrando auxilio ad contritionem, mortificationes, suspiria, & alia media congrua ad cor emolliendum, & ad propositum firmandum; sicut non ea excludit opera, quæ sunt necessaria ut Sacerdos prudens judicium de rectitudine dispositionis efformare possit, sicut in foro exteriori reus a Judice per ea media probatur, quæ ad rectum efformandum judicium de reatu sunt necessaria, etiamsi illa media reo sint onerosa. Extenditur quoque propositio ad hujus temporis consuetudinem regulariter absolvendi, veteri non servata disciplina de Confessionibus, publicisque satisfactionibus.

Opera, quæ absolutionem præcedere debent.

95 OB. VIII. Canones pœnitentiales determinant convenientes pro delictis satisfactiones: Sed Canones hujusmodi Ecclesia contradicente, non sunt in usu: ergo non sunt imponendæ congruæ satisfactiones.

RESP. Sanctus Carolus Canones pœnitentiales collegit, & ab omnibus Sacerdotibus sciri præscripsit; Et Apostolica Sedes ejusdem instructionis imprimi jussit, ut per eas dirigantur Confessarii in Sacramentis Pœnitentiæ administratione; quare non vult Ecclesia Canonum observantiam proscribere, sed eam quoad ipsorum Canonum essentialem formam urget; licet accidentalis formæ usum non exigat. Forma essentialis in eo sita est, ut satisfactionis sint laboriosæ, sint afflictivæ, non sint leves; sint peccatis congruæ, sint emendationi idoneæ, eaque propter dixit Sanctus Antistes Canonum scientiam esse necessariam, ut exemplar præ oculis habeat Sacerdos, ex quo rectum judicium efformare possit circa convenientes pœnitentias: Accidentalis Canonum forma ordo ille est, gradusque pœnitentium, exterior subjectio, atque solemnitas reconciliationis, quæ secundùm priorum Seculorum disciplinam observabantur.

Canones Pœnitentiales quo pacto nunc observandi.

Et sanè cum Patres in Concilio Tridentino statuerint convenientes gravitati peccatorum imponendas esse pœnas, Canonum usus sub accidentali forma non extabat, & tamen eam formam satisfactionum tradiderunt, & talibus firmaverunt momentis, quæ quovis tempore urgebunt, quæ hic placet breviter expendere ut mens Ecclesiæ pateat adversus leves, & incongruas pœnitentias.

Motivum primum desumit Concilium a ratione justitiæ, quæ exigit, ut aliter recipiatur in gratiam, qui peccavit ignoranter ante Baptismum, ac qui peccavit post susceptum Baptismum; unde cum Patribus Sacramentum Pœnitentiæ vocat laboriosum Baptismum: at quæso quomodo laboriosus Baptismus recitatio Coronæ Virginei censenda

fenda est, si pro gravi crimine imponatur?

Secundum motivum est, ut *vitiosos habitus malè vivendo comparatos contrariis virtutum actionibus tollant*, quæ ratio profectò non urgeret si leviores pœnitentiæ essent injungendæ. Quis credet vitiosos blasphemandi, & pejerandi habitus una, vel altera abstinentia a pinguioribus epulis eradicari?

Motivum tertium est: *Ad amovendam imminentem a Deo pœnam*. Sed levia quædam opera non sufficiunt ad removenda flagella, quæ Deus solet peccatoribus infligere; qualis porrò requiratur indicat nobis Scriptura in Aahab 3. *Reg.* 21. In Manasse 2. *Paralip.* 23. in Nabucodonosor 4. *Danielis*; in Ninivitis *Jonæ* 3. Carpit Tertullianus *lib. de Pœnit. cap* 11. eos, qui levioribus pœnitentiis placare Deum, ejusque iram avertare præsumunt.

Quartum motivum, *ut dum satisfaciendo patimur pro peccatis nostris, Christo Jesu, qui pro nostris peccatis satisfecit conformes efficiamur*. Est verò prorsus ridiculum affirmare, quod fur, fornicarius, perjurus paucis quibusdam operibus dici possit Christi imitator, atque Filio Dei pro sceleribus nostris satisfacienti conformari. Hæc seriò inspecta evincunt mentem Concilii esse, ut gravitati peccatorum conveniat satisfactio.

96 OB. IX. Hisce temporibus plenariæ sepè conceduntur Indulgentiæ; sed per plenariam Indulgentiam eximitur Fidelis ab omni pœna peccatis debita; adeoque nulla, vel levissima est satisfactio injungenda; unde refert Glossa in Extravag. antiquorum *de Pœnit., & remiss.* Bonifacium VIII. in publicatione Jubilæi declarasse in Concistorio, quod Pœnitentiarii nihil debent injungere ultra præter præcepta a Pontifice opera, alias Indulgentia frustraretur.

Pro solutione hujus argumenti vide Tom. I. Tract. II. de Purgat. Par. V. Controv. X., & Controv. VIII. n. 129. Conf. 2.

97 OB. X. Consuetudo posterior priorem infringit praxim, & legem: Sed multis ab hinc annis leviores injungendi satisfactiones invaluit consuetudo: ergo tollit priorem legem; cumque consuetudo vim legis sortiatur, jam leviora onera imponere licitum esse pro comperto esse debet.

RESP. Præsens consuetudo cum Patribus, Conciliisque refragetur, nemini patrocinatur, eaque propter nihil evincit.

98 OB. XI. Onus faciendi fructus pœnitentiæ a Christo impositum ab Ecclesia duobus exponitur modis; per satisfactionem scilicet a determinato Ministro in Tribunali Confessionis impositam: & per publica opera, quæ per diversa anni tempora singulis injungit Fidelibus; adeoque haud necesse esse credit, quod a Confessario proportionata injungatur satisfactio.

RESP. Oppositum evincitur. Ecclesia sciens gravissimas esse Purgatorii pœnas a Domino statutas; sciens rigorem Justitiæ Divinæ; sciens Fidelium negligentiam in compensandis debitis coram Deo; sciens quod gravissimæ etiam mulctæ Sacerdotales plerumque sunt inferiores ad debiti gravitatem, solicita est ne nimiam gravati Fideles ab hoc seculo exeant, atque adeo aliqua quandoque satisfactoria præcipit opera, quæ etiam ad alios dirigit fines.

Ecclesia de Fidelibus solicita.

99 OB. XII. Sancti Patres docent quibusvis pœnis expletis rigore Sacerdotali impositis, teneri Fideles ad alia, & alia opera satisfactoria: sed hæc doctrina nullatenus vera esset, si teneretur Confessarius proportionatas imponere, quia, hoc ipso quod essent hujusmodi, omnis pœnæ reatus tolleretur, sicut ubi Pontifex justam judicat causam esse ad dispensandum votum, vel ad elargiendam Indulgentiam, hoc ipso totum vinculum tollitur: Itaque signum est, quod non tenetur Sacerdos æquales injungere satisfactiones.

RESP. Patrum doctrina vera est, sed alio sanè sensu ab Adversariis intento. Noverunt Patres ex Scripturis debiti gravitatem, & æquissimam Divini Judicis severitatem, ac propter urgent pœnitentialium operum juge exercitium, quamvis Sacerdotales mulctæ leves non sint. Nec probatio evincit, non enim semper auferunt totus pœnæ reatus, quamvis congruæ judicentur pœnæ, quia quantitas pœnæ, divina lege statuta, est immutabilis, & ad mensuram indivisibilem constituta, unde quandiu tota mensura non adæquatur, debitum non tollitur; in re autem non semper injuncta opera totam pœnæ adæquant, cum illam ignoret Sacerdos, qui cum Minister sit Dei, non est arbitrarius Judex quantum ad hoc, ut tollat omne debitum, si opus in re non sit adæquatum, quamvis sit arbitrarius ut hoc, vel illud opus imponat. Nec exempla producta juvant; nam Pontifices habent absolutam potestatem dispensandi votum ad libitum, posita causa rationabili sibi probata; similiter plenitudine potestatis applicant Thesaurum Ecclesiæ in Indulgentiis sub hac, vel illa conditione, qua potestate in reatum pœnæ debitæ in foro Dei caret Sacerdos.

Reatus pœnæ non semper per mulctam sacerdotalem aufertur.

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN OPERA SATISFACTORIA A SACERDOTIBUS IMPONENDA DEBEANT ESSE PŒNALIA.

100 HÆresis Dosithæi fuit, in lege Domini vivendum esse secundum carnem: Jovinianus docuit jejunium nullius esse valoris: Pelagius perperam credidit, quod oratio inutilis omninò sit. Philippus Melancthon tum in Confes. Augustana *tit. de Confess.* tum in Apologia *art. de Pœnit.*, tum *in locis cit. de satisfact.* damnat ea opera, in quibus Orthodoxi constituunt satisfactiones.

101 Supponit titulus opus satisfactorium debere esse liberum, bonum, ac supernaturale: liberum, quia sicut liberè pec-

peccavimus, ita liberè satisfacere debemus: liberum quoque esse debet, aliàs non esset opus morale, seu humanum; moralitatis enim principium est libertas: Bonum quia debet placere, & acceptari a Deo, & Deus malum reprobat: Supernaturale, quia Deus, cui satisfit, ad ordinem supernaturalem spectat; & reatus pœnæ debitæ consequitur ad injuriam terminativè ordinis superioris; unde Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 8. docet satisfactiones esse ex Christi meritis; & hæc supernaturalia sunt.

102 Opus pœnale potest esse aliunde præceptum, vel puri consilii: potest esse externum, vel internum. Præsens Controversia indifferenter inquirit de opere pœnali sive interno, sive externo, sive supererogatorio, sive non. Non desunt tamen Catholici, qui volunt opus pœnale solius consilii esse satisfactivum, alii solum opus externum esse imponendum.

103 His positis dicendum est opus satisfactionum pœnale esse debere.

PROB. I. Scriptura ubicumque opera nobis præcipit pœnitentialia pœnalia describit; Sic Joelis 2. *Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & fletu, & planctu.* Immo exempla Achab, Manassis, David, Nabocodonosur, Ninivitarum, quibus nos Spiritus Sanctus ad pœnitentiam invitat, in durissimis, atque pœnalibus operibus consistunt: Nec in veteri tantum lege, sed in nova idem inclamat. Matth. 11. *In cinere, & cilicio pœnitentiam egissent.* Et Apoc. 2. *Memento unde excideris, & age pœnitentiam* ... Pœnitentia autem pœnam importat: ergo.

Opus satisfactorium pœnale.

104 PROB. II. Sicut satisfactionis nostræ efficacia, & vis ex meritis Christi est, ita opus satisfactivum ejusdem debet esse naturæ, ac satisfactoria Christi opera fuerunt: Christus porrò operibus verè pœnalibus pro nobis satisfecit. Argumentum habemus ex D. Petro Epist. 1. cap. 2. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus .... Christo igitur passo in carne, & vos eadem cogitatione armamini.*

105 PROB. III. Satisfactio, quam Confessarius imponit, & Pœnitens subit, ad justitiam vindicativam spectat; sed justitia vindicativa cum intendat pro fine punitionem, per solas pœnas exercetur: Adde satisfactionem, quam sustinemus in hoc Seculo, ordinari ad extinguendas gravissimas Purgatorii pœnas: Ergo ut proportio detur inter satisfactionem, & satispassionem oportet opera satisfactiva pœnalia esse, & afflictiva.

106 PROB. IV. Ratio manifesta idem evincit. Satisfactio ordinatur ad compensandam offensam alteri factam: recompensatio autem adæquationem importat, ut adæquatio per justitiam fit per subtractionem ab uno, qui plus justo habet, addendo illi, cui ablatum est, seu qui minus habet; sed homo, ut sibi indulgeat peccando, subtrahit moraliter a Deo honorem: ergo, ut homo adæquationem ponat, oportet, quod exhibendo honorem Deo sibi subtrahat, quantum sibi indulsit; in hac autem subtractione pœnalitas consistit: adeoque opus satisfactivum pœnale esse debet: quæ ratio includitur in illo Apocalypsis: *Quantum fuit in deliciis, tantum date illi tormentum.* Si satisfactiones consideremus etiam in ordine ad futuram culpam præcavendam, pariter pœnales esse debent, quia pœna a futura culpa præservat: Non enim facilè homo ad peccata redit, ex quo pœnam expertus est.

107 Ex Scripturis, & ex dictis habemus satisfactivæ pœnæ rationem in exterioribus operibus, atque interioribus adinveniri: In his quidem, cum dicat Scriptura: *Convertimini in toto corde vestro; Scindite corda vestra:* In hac sanè cordis conversione, atque scissione multum patitur homo per avulsionem affectuum a propria voluntate ab amore proprio, & inclinationibus ad terrena; In illis verò, cum in jejunio, & planctu, in cinere, & cilicio satisfaciendum esse affirmat.

108 Ex iisdem fontibus planè colligitur ratio pœnæ satisfactivæ in operibus sponte assumptis, ut patet exemplo Davidis, Achabi, Ninivitarum: Et in operibus non liberè assumptis, ut constat in flagellis a Deo immissis, & patienter toleratis, quæ satisfactorias esse docent Scripturæ Job 3. *In tempore tribulationis peccata dimittis his, qui invocant te* .. Eccles. 2. *Pius, & misericors est Deus, & remittit in die tribulationis peccata.* Ecclesiast. 35. *Speciosa misericordia Dei in tempore tribulationis.* Ut autem sint satisfactoria, opus est flagella a Deo immissa fieri quodammodo nostra, satisfactio enim a satispassione distinguitur, ex quo illa a nobis fit, hæc ab alio. Porrò nostra tunc fiunt, cum libenter acceptantur, libenterque sustinentur: Et hæc doctrina vera est non solùm de tribulationibus, quas Deus in pœnam peccatorum immittit, sed de quacumque afflictione, atque spiritus, corporisque angustiis.

Pœnalitates involuntariæ quomodo satisfactoriæ.

109 Si immissa a Deo flagella, quæ nullatenus evitare possumus, patienter tolerata efficiuntur satisfactoria, æquè satisfactoria erunt opera aliundè præcepta; ex quo enim debita sunt, non desinunt esse bona, libera, supernaturalia, Deoque grata, ex propter in justo sunt meritoria; quare igitur satisfactoria esse non poterunt? Nemo sanè dubitare potest, martyrium ubi sub præcepto cadit, delere pœnæ reatum pro peccatis prius commissis, & Ecclesia plura opera pœnalia præcipit, quæ etiam in satisfactionem peccatorum dirigit, sicut ex Collectis constat. Et ratio hujus est, quia nostra satisfactio non est pro condignitate ad debitum nostrum coram Deo; nec ad rigorosam, sed ad imperfectam justitiam spectat; proindeque coalescit ex benevolentia, & dilectione Dei acceptantis opera nostra; adeoque sive præcepta sint, sive non, acceptat Deus, dummodo ex puro corde, & fide recta ad ipsum dirigantur.

Opera præcepta satisfactoria.

§. II.

§. I I.

OPPOSITA DILUUNTUR ARGUMENTA .

110 OB. I. Ex communi Patrum calculo, quo ex majori charitate opus progreditur, eò magis satisfactorium est; sed opus quo ex majori charitate fit, minus quoque pœnale est, etenim charitas pœnam non habet: ergo opus non est satisfactivum ut pœnale est.

Defectus pœnalitatis non semper minuit satisfactionem.

RESP. Quando deffectus pœnalitatis se tenet ex parte actus, tunc opus non est satisfactivum, vel satisfactio diminuitur, quando verò deffectus pœnalitatis oritur ex promptitudine voluntatis eligentis opus pœnale, tunc crescit satisfactio in eo, qui ex majori charitate operatur: Sicut si difficultas victoriæ non minuatur ex parte actus, sed pugna per superabundantiam gratiæ, & fervoris supprimatur, tunc victoria est melior, & laudabilior, ùt constat in Deipara. Cum verò dicitur charitatem pœnam non habere, sensus est charitatem non operari motivo pœnæ, sicut operatur timor.

111 OB. II. Solemne est apud Patres vitia contrariis curari, sed quædam ex tristitia committuntur, ut de peccato invidiæ, & accediæ constat; Invidi enim, & Accidiosi interiùs, & exteriùs tristitia consummuntur: ergo peccata hujusmodi pœnalibus non sunt expianda operib s.

Invidia, & accedia oritur ex amore.

RESP. Invidiæ, Accediæque motus semper ex inordinato sui amore sive in utilibus, sive in delectabilibus exoritur; in eo igitur nimis sibi indulgens homo Deo debitum subtrahit honorem, ac proinde, ut ei satisfaciat pœnalitatibus sibi tantumdem subtrahere oportet.

112 OB. III. B. Paulo attestante 1. ad Timoth. 4. *Corporalis exercitatio ad modicum utilis est*. Sed valdè utilis esset si opera satisfactoria esse pœnalia oporteret: ergo.

Satisfactio ab interno actu habet valorem.

RESP. Apostolus de corporali exercitatione relatè ad pietatem sermonem habet, quod utique verum est; siquidem excellentiora sunt pietatis opera, & alias bonitas actus exterioris formam recipit ab actu interiori; quo posito corporalis exercitatio plurimi valet coram Deo, propterea quod Paulus ipsemet adhortatur, ut semper mortificationem Jesu Christi in corpore nostro circumferamus.

113 OB. IV. Sicut scriptum est Deus non delectatur in morte, videlicet in pœnis hominum; Sed Deo facienda est compensatio; ergo nequit ipsi fieri per opus pœnale utpotè non gratum.

Plagis Deus delectatur.

RESP. Nec Pater delectatur in plagis filii, & tamen qui parcit virgæ filium non diligit: Delectatur itaque Deus in pœnis, ut justè sunt, non secundùm se sumptæ; sicut delectatur Pater in verberibus emendativis filii; quatè pœnalia sunt Deo satisfactiva, & plagæ sunt filii amendativæ.

114 OB. V. Inter opera satisfactoria enumeratur Oratio, juxta illud Psalm. 49. *Invoca me in die tribulationis, & eruam te*. Et Manasses 2. Paralip. 33. *Oratione remissionem peccatorum impetravit*: Atqui Oratio non est opus pœnale, cum sit medicina tristitiæ Jacob. 5. *Tristatur aliquis in vobis oret, & psallat*.

RESP. Oratio est maximè afflictiva carnis, & eo magis, quo perfectior est, quamvis spiritualem suavitatem, & aliquando corporalem habeat, comprimuntur enim sensus corporis per orationem, propterea dixit Sanctus Gregorius super Ezech. — „ Dum crescit in nobis fortitudo amoris „ intimi, infirmatur proculdubio fortitudo „ carnis, unde & nervus femoris Jacob ex „ lucta Angeli emarcuisse legitur *Gen.* 32. — Addas sub oratione omnia obsequia, quæ Deo exhibentur comprehendi, sicut sub jejunio omnes corporis afflictiones, & sub eleemosyna omnia pia opera erga proximum, hæcque divisio divisioni peccatorum contra Deum, contra proximum, & contra nos aptatur, necnon triplici peccatorum origini assignatæ 1. *Joan.* 4. scilicet concupiscentiæ carnis, contra quam ordinatur jejunium: concupiscentiæ oculorum, contra quam eleemosyna: Et superbiæ vitæ, contra quam oratio; cujus divisionis convenientia in eo fundatur, quod satisfactio facienda est, subtrahendo aliquid ex nostro: Tria autem bona habemus, corporis fortunæ, & animæ: bona corporis subtrahimus per jejunium; bona fortunæ per eleemosynam; bona animæ submittendo illa totaliter Deo.

Quæ sunt opera satisfactoria.

115 OB. VI. Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 13. docet præter assignata, aliis etiam pietatis operibus Deo satisfieri: sed non omnia opera pia sunt pœnalia: ergo.

Opera pietatis habent difficultatem.

RESP. In omnibus pietatis operibus datur ratio pœnæ, quia semper caro concupiscit adversus spiritum, & ex adverso, eaque propter dicebat Sanctus Paulus, non quod volo hoc facio, sed quod nolo hoc ago, & sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & trahentem me in legem peccati; & in hac lucta verus est labor, veraque pœnalitas, & in hac lucta vincendum est, ut opus quodcumque bonum sit. Magnus sanè labor animi, & corporis etiam quandoque in temperando ad regulas rationis usum divitiarum, delitiarum, ciborum, & similium.

116 OB. VII. Imponuntur quandoque a Sacerdotibus in satisfactionem piæ cordis affectiones in Deum, mentales invocationes Sanctissimorum nominum Jesus, & Mariæ; sed actus isti simpliciter interni non sunt pœnales: ergo.

Actus internus verè satisfactivus.

RESP. Usus ille valdè salutaris est, quia Deus ad cor respicit, & bonitas in actibus interioribus consistit, & ab his ad exteriora extenditur: est quoque necessarius pro casibus extremè laborantium. Attamen falsò asseritur non esse pœnales; cum, ut boni sint fas sit ex fine, objecto, debitisque circumstantiis exerceri. Mentis labor in eo est, quod ad medium rationis efficiantur actus ut virtuosi sint. Actus internus ex ratione excludi potuisset, quod satisfactio sit pars integralis Sacramenti sensibilis; sed nihil inde evincitur, cum per Sacerdotis impo-

impositionem, pœnitentia acceptationem, humilemque confessionem satis sensibilis evadat.

117 OB. VIII. adversus ultimam partem. Una solutione duplici debito haud potest fieri satis; sed opera præcepta sunt aliundè debita: ergo non possunt esse satisfactiva pro peccatis.

RESP. Momentum in argumento adductum urget in materia strictæ justitiæ, ubi agitur de dato, & accepto; non enim solutione decem aureorum extingui potest debitum ut decem ex mutuo, & decem ex emptione: secus accidit in his, quæ ex diversis virtutum titulis oriuntur, quia in opere debito plures virtutum tituli coadunari possunt, qui omnes suam conferunt operi bonitatem, quia unum motivum virtutis non impedit aliud, sicut bonitas objecti, non impedit bonitatem ex fine. Motivum obedientiæ, non impedit motivum humilitatis, charitatis erga Deum, & proximum, ita satisfactio debiti obedientiæ, non impedit satisfactionem debiti charitatis, & aliorum, quare cum in opere præcepto detur respectus subjectionis ad Superiorem, ratio bonitatis per respectum ad modum rationis; & ratio pœnæ hinc planè fit solutionem esse præcepti obedientiæ ad legem, solutionem quoque pro peccatis, & insuper vitæ æternæ meritoriam esse.

Idem actus pluribus deservire potest.

Advertendum tamen perappositè est Sacerdotes non debere præcepta opera, vel saltem solùm præcepta injungere. Cùm enim homo peccando specialiter sibi indulserit, Deoque se subtraxerit, oportet sibi specialiter subtrahere satisfaciendo: Quare ubi Sacerdos determinatè non exprimit, semper de opere aliunde non præcepto intelligitur: ex propter si injungat sacri auditionem die festo, vel jejunii in hebdomada, intelligitur de alio sacro, & jejunio distincto ab obligatione diei festi, & a vigilia occurrente; si verò longo tractu imponatur auditio Sacri singulis diebus, ut per mensem, tunc nisi aliter exprimatur, ex modo communi loquendi, non est necesse diebus festis duo sacra audire. Ubi verò opus præceptum injungitur, ejus omissio est duplex peccatum specie distinctum in Confessione aperiendum.

DISPUTATIO ULTIMA.

DE ANTIQUA CIRCA CANONICAS SATISFACTIONES DISCIPLINA.

SYNOPSIS HISTORICA.

1 CUm Canonicæ satisfactiones sint quædam Ecclesiastica lege pœnæ in vindictam statutæ, emendationemque criminum, quæ lapsus nuncupabantur, operæ pretium erit hujus nominis originem perquirere, ut cætera clariùs dilucidentur. Equidem peccatum omne lapsus contra divinam, humanamque legem rectè dicitur, indèque peccantes Lapsi appellantur, proprio tamen jure lapsi dicebantur, qui a Catholica Fide deficiebant, illo potissimùm tempore quo Tyrannorum persecutio Fideles vexabat: Verùm Ecclesia non statim ab exortis persecutionibus canonicas edidit pro Lapsis sanctiones, ùt mox propalam fiet.

Lapsi unde dicti.

2 Sub Ecclesiæ primordiis Judæi contra Evangelicam legem insurrexerunt, quos inter Saulus, ex mirabili conversione postmodum Paulus, emicuit anno a Christi Ascensione primo, atque in nativitate ejusdem 34. In hac persecutione, quæ *Act.* 11. describitur, in varias Mundi partes dispersi sunt Fideles, ut in Phœnicem, Cyprum, Antiochiam, & Asiam, ad quam plures pervenerunt, ùt ex Epistola S. Petri ipsis data videre est.

Prima Ecclesiæ persecutio.

3 Secundam excitavit persecutionem; in qua periit S. Jacobus Herodes Agrippa Anno Domini 44., Claudii verò imperatoris II. Hac sæviente non solùm Credentes dispersi fuere, sed èt Apostoli, qui per universum Terrarum Orbem, Spiritu Sancto afflante, divisi sunt ad prædicandum Evangelium. Persecutio hæc *Act.* 12. refertur, ubi èt justa Dei ultio in persecutorem narratur, de quo habet Eusebius *lib.* 2. *Hist. Eccles. cap.* 9 — Cum universus populus „ concionem ejus mirè collaudasset .... „ Scriptura narrat ab Angelo Domini extemplò percussum fuisse, vermibusque corrosum, & penitus tabefactum animam efflasse —

Alia Ecclesiæ persecutio.

4 Post Hebræos malo omine contra Ecclesiam insurrexerunt Ethnici Principes, quorum primus fuit Nero 10. Imperii sui anno, Christi verò 66., sub quo Apostolorum Principes Petrus, & Paulus martyrio coronati fuerunt. Diris adeò suppliciis afficiebantur Christiani, ut vel ab Ethnicis commiserarentur. Auctor est Tacitus *l.* 15. Annalium, Neronem, ut Urbis incendii invidiam a se propulsaret, hanc in Christianos sævitiem exercuisse, in ipsos tanquam in incendiarios animadvertens. Persecutio hujus-

Ethnicorum prima persecutio unde exorta.

hujusmodi prima inter decem recensetur, quæ ab infideli Principe mota est, dicente Eusebio *lib. 2. cap.* 24. -- Primum Nero- „ nem in hanc sectam (Christianorum) „ tum maximè Romæ orientem, Cæsariano „ gladio ferocisse --

5 Secunda itaque persecutio auctorem habuit Domitianum a Christo nato an. 92., & Imperii 10. Sæviit nedum in Christianos, sed etiam in Judæos ex Davidica stirpe progenitos. Sub eodem in Patmos Insulam relegatus fuit S. Joannes Evangelista.

6 Recruduit anno Christi 107. persecutio, quæ tertia dicitur, sub Trajano V., vel ùt aliis placet, decimo anno imperante; Cum enim falsò criminarentur Christiani Plinius Secundus Bithiniæ Proconsul, veritate perspecta, Imperatorem hac de re consuluit, cui Trajanus mandavit, teste Eusebio *lib. 3. cap.* 27. -- Christianos a nemine „ inquirendos, oblatos verò puniri opor- „ tere -- ùt si delatio reum faceret innocentem. Vindicem tamen Deum sensit impius Tyrannus immanissima Judæorum vexatus persecutione.

7 Trajano successit Hadrianus, hic nono Imperii anno prohibuit Christianos morte plecti, nisi de violatis legibus probarentur. Hinc pacificè quievit Ecclesia sub Antonino Pio. Verùm sub Marco Aurelio Antonino, & Lucio Vero eam Deus tradidit probandam Persecutoribus. Quarta igitur persecutione grassante miraculo Deus illam avertit. Cum enim Marcus Aurelius contra Marcomanos bellum gereret, eas in angustias totus Romanorum exercitus devenit, ut vel siti perire, vel captivitatem subire oporteret. Prætorianus Præfectus Imperatorem adiit, monetque, ut jubeat Melitidam Legionem, quæ Christo nomen dederat, pro Exercitus incolumitate Deum exorare. Christianorum votis annuit Omnipotens, hinc pluviam super Romanos, super hostes verò fulmina, ignemque immisit, quibus dirè vexati, aut interempti, aut in fugam versi Romanis victoriam paravarunt. Quo facto motus Marcus Aurelius sanctionem evulgavit, ne Christiani Religionis causâ vexarentur. Sunt, qui volunt etiam post solemne hoc miraculo ab ipso quoque Imperatore agnitum malè habitos esse Christianos; attamen hoc Proconsulum, Præsidumque vitio vertendum est, qui in bonè meritos sæviebant; & ne contra Principis edictum agere viderentur, Christianos tanquam malorum omnium auctores excruciabant.

8 Ab anno 180. usque ad 202., vel 204. Ecclesiæ pax affulsit, cui iterum crudele bellum indixit Septimius Severus anno Imperii 10., & quinta persecutio enumeratur: Immanis adeo fuit hujusmodi persecutio, ut Judas Danielis Prophetæ Commentator asserere non dubitaverit Antichristi adventum jamjam adesse, ùt legere est apud Eusebium *lib. 6. cap.* 6.

9 Anno 237. Imperium auspicatus est Maximinus a Christianorum cæde; Verùm refert citatus Eusebius *eodem lib. cap.* 28. Imperatorem mandasse -- Solos Ecclesiarum „ Præsides tanquam fauctores doctrinæ Ec- „ clesiasticæ neci dare -- Per triennium vexatum Christi ovile paululùm conquievit sub Philippo Imp. ex Arabum gente progenito de Ipso laudatus Historiagraphus *lib. 6. cap.* 27. habet -- Fama est istum, Chri- „ stianus namque erat, cum precationum „ in die postremæ vigiliæ Paschatis una „ cum multitudine in Ecclesia particeps „ fieri vellet, non prius ab Episcopo (vi- „ delicet Fabiano) qui tum Ecclesiæ præ- „ erat, permissum est intrare, quam se „ confessus fuisset, & inter eos, qui pec- „ catorum vinculis adhuc tenebantur astri- „ cti, locumque pœnitentiam agentium „ præstitutum occupabant, se sua spontè col- „ locavisset; Episcopumque dixisse, eum „ non alia conditione, nisi istud faceret, „ propter multa delicta, quæ ab illo fere- „ bantur admissa, aliquando ab ipso in „ Ecclesiam receptum fore. Imperatorem „ autem alacri animo & lubenti Episcopo „ morem gessisse, & ingenuam modestiam, „ ac Religiosam, piamque affectionem, „ Dei timore incitatam, reipsa declarasse „ memorant --

Philippus Imper. Christianus occultus.

10 In sui Successorem Decium promovit Philippus, sed pietate degenerem: Is namque anno Christi 252., & Imperii primo bellum, idque atrocissimum Christianis indixit. Ecclesiam totam susdeque vertere in animo erat, verùm, ulciscente Deo, anno secundo, cum adversus Gothos bellum gereret inclinantem aciem sustinere volens in voraginam lapsus e vivis sublatus est. Attamen dum de plurimis Martyrum coronis lætabatur Ecclesia, luxit insimul multorum ruinam; ea propter ut tantum a Fidelibus malum averteret, severiores adversus lapsos condidit leges.

11 Octavam passa est Ecclesia persecutionem sub Valeriano, & Gallieno Impp. anno Christi 259. Christianis ad quintum usque Imperii annum favere visus est Valerianus, sed ab Ægyptio Mago in deteriora mutatus, in ipsos sæviit. Vindicem tamen Deum passus est; Dolo etenim a Sapore Persarum Rege captus Belvæ adinstar caveâ conclusus toties educebatur, quoties Rex ascensurus equum incurvati Imperatoris caput premebat; cumque Gallienus Filius a probrosa adeo captivitate Patrem eripere negligeret, Sapor eum, pelle detractâ, sale condire jussit, quo supplicio miserrimè interiit. Gallienus Patris exemplo edoctus mitiùs egit in Christianos.

12 Nona accedit persecutio, qua Aurelianus anno 272. vexavit Ecclesiam, eam adaugens, quam a Gallieno intermissam excitaverat Claudius Imperii invasor. Talia referunt Annales Pontificii; cæterum Eusebius *lib. 7. cap.* 24. rem aliter coartat; Scribit enim Aurelianum a consilio excitandæ persecutionis divina ultione evocatum fuisse: Siquidem cum edictum adversus Christianos scribere vellet, dissoluti sunt Brachiorum nervi.

13 Decima tandem ab Ethnicis Principibus mota est persecutio sub Diocletiano, & Maximiano Impp. cæteris truculentior, sive suppliciorum immanitatem, sive Martyrum multitudinem cœlo donatam spectes; Regio quælibet plures, eosque insignes

Martyres habuit. Sola Ægyptus centumquadraginta quatuor millia Christianorum cæsa enumeravit. Priusquam publico edicto contra Christianos debacharetur, Martyr occubuit Sanctus Sebastianus Prætoriæ cohortis Dux, quam ob Catholicæ Fidei confessionem morti deputavit Diocletianus, & Maximianus Thebanam Legionem sub Mauritio Duce Diis sacrificare renuentem obtruncavit. Nicomediæ versabantur Tyranni, cum contra Christianos edictum promulgaverunt; incertum tamen apud Auctores quo Anno imperii, & Christi illud evulgatum fuerit. Communius fertur id avenisse anno imperialis regiminis 18., & Christi 304., biennio ante, vel anno eodem, quo Imperio renunciaverunt, reliquum verò persecutionis tempus, quod ad decennium fuit, sub Maximino Orientis Tyranno auctum est, quo obeunte Ecclesiæ pax reddita fuit.

14 Cum plures itaque Christifideles persecutionum immanitate perterriti a Fide deficerent, quod potissimùm sub Decii persecutione deflevit Ecclesia, huic malo occurrere volentes Episcopi, plura sanaerunt. Eos inter, qui a fide deficiebant, Lapsi dicebantur, hique a criminum diversitate, diversimodè appellabantur; Etenim qui Idolorum sacrificiis se polluebant, Sacrificati dicebantur, Thurificati, qui thus idoliis incendebant, & Idololatræ, qui quemlibet Religionis cultum Diis offerebant, Libellatici demum quidam nominabantur, videlicet, qui a Magistratibus securitatis obtinebant libellos. Ex his porrò alii erant, qui Imperatorio evulgato edicto, ut se a suppliciis, bonorumque proscriptione eriperent, scriptis schedulis apud Judices utvis fictè profitebantur se Christum negare, vel Gentium mores adoptare, de quibus Plinius Secundus *lib. 10. Epist. 97. ad Trajanum* habet — Propositus est libellus sine auctore „ multorum nomina continens, qui nega„ rent esse Christianos, aut fuisse, cum „ præsente me Deos appellarent, & ima„ gini tuæ, quam propter hoc jusseram „ cum simulacris Numinum afferri, thure „ & vino supplicarent, præterea que male„ dicerent Christo — Alii verò indicta persecutione, sibi timentes coram Episcopo nolle Christum negare, aut Diis sacrificare profitebantur; Hinc vel per se, vel per alios Magistratibus schedulas dabant, quibus palam fiebat sibi nullimodè fas esse Diis immolare; ne tamen sive bonorum direptione, sive suppliciis vexarentur, certam pecuniæ summam exsolvebant. Præstat de his S. Cyprianum audire *Epist. 52. ad Antonianum* — Quæ inclementia est, & quam „ acerba duritia libellaticos cum his, qui „ sacrificaverunt jungere? Quando is, cui „ libellus acceptus est, dicat: Ego prius „ legeram, & Episcopo tractante cogno„ veram non sacrificandum Idolis, nec si„ mulacra servum Dei adorare debere, & „ idcircò ne facerem, quod non licebat, „ cum occasio libelli fuisset oblata, ad Ma„ gistratum veni, vel alio eunte mandavi, „ Christianum me esse, sacrificare mihi non „ licere, ad aras Diaboli me venire non „ posse, dare me ob hoc præmium, ne quod „ non licet, faciam —

Libellatici quinam dicti.

15 Genus alterum Libellaticorum erat, eorum videlicet Lapsorum, qui, ut ad Ecclesiam redirent, ad carceres, ubi Christi Confessores ad Martyrium deputati detinebantur, qui & Martyres nuncupabantur, accedebant eos exorantes, ut libellos ad Antistites dirigerent, supplicationum instar, quibus Lapsos commandarent, ut Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem erga ipsos temperarent, mitiùsque agerent cum ipsis; cumque ab Episcopis maximus Martyribus deferretur honor, ad eorum preces quibusdam Lapsis partem aliquam satisfactionis, & Pœnitentiæ relaxabant, ùt legitur apud Tertullianum *lib. ad Martyres*, quos sic alloquitur — Pacem quidam in Ecclesia non ha„ bentes a Martyribus in carcere exorare „ consueverunt. Et ideo eam etiam prop„ terea in vobis habere, & fovere, & cu„ stodire debetis, ut si fortè, & aliis præ„ stare possitis — Prædicti libelli modo dicebantur pacis, quia per ipsos cum Ecclesia Lapsi reconciliabantur, modo Indulgentiarum, quia onus Pœnitentiæ relaxabatur, modò Martyrum, quia eorum postulationes deferebant.

Martyres libellos pacis dabant Lapsis.

16 Verùm in hujuscemodi libellis abusus quandoque irrepere visi sunt, quia a Martyribus nimia facilitate, nullâve prævià meritorum discussione concedebantur, de his conqueritur S. Cyprianus *Epist. 15. ad Clerum Romanum* — Item cum comperissem „ eos, qui sacrilegis contactibus manus „ suas, atque ora maculassent, vel nefan„ dis libellis nihilominus conscientiam pol„ luissent, exambire ad Martyres passim, „ Confessores quoque importuna, & gra„ tiosa deprecatione corrumpere, ut sine ul„ lo discrimine, atque examine singulorum „ darentur quotidie libellorum millia con„ tra Evangelii legem, literas feci, qui„ bus Martyres, & Confessores consilio „ meo, quantum possem, ad Dominica „ præcepta revocarem — Conqueritur etiam Sanctus Cyprianus, quia Martyres ipsi pacem dabant, cum hoc munus ad Episcopos spectaret, & libellos sine designatione Personæ donabantur; de primo agit *Epist. 23. ad Clerum Romanum* — Quæ res „ majorem nobis conflat invidiam, ut nos „ cum singulorum causas audire, & excu„ tere cœperimus, videamus multis negare, „ quod se nunc jactant a Martyribus, & „ Confessoribus accepisse — De secundo *Epist. 11. ad Martyres* — Sed & illud ad di„ ligentiam vestram redigere, & emenda„ re debetis, ut nominatim designatis eos, „ quibus pacem dare desideratis. Audio „ enim quibusdam sic libellos fieri, ut di„ catur: Communicet ille cum suis; quod „ nunquam omninò a Martyribus factum „ est, ut incerta, & cæca petitio invidiam „ nobis postmodum cumulet. Latè enim „ patet, cum dicitur: ille cum suis: & „ possunt nobis viceni, & triceni, & am„ plius offerri, qui propinqui, & affines, „ & liberti, ac domestici esse asseverentur „ ejus, qui accepit libellum; Et ideo pe„ to, ut eos, quos ipsi videtis, quos nostis,

„ quo-

Libellorum abusus.

„ quorum pœnitentiam satisfactioni proximam conspicitis, designetis nominatim libello -- Ne igitur talia sequerentur, Diaconi ad carceres mittebantur, ut eorum desideria exciperent, suisque dirigerent desideriis. Sanctus Cyprianus *Epist.* 11. *ad Martyres*.

17 Ex S. Cypriano mox relato patet etiam abusus ex parte postulantium libellos, vel quia importunis precibus illos extorquebant a Martyribus, vel quia vitiosa Personarum acceptione pro parentibus, aliisque impetrabant. Detestatur quoque S. Martyr eos, qui sacrilega nundinatione obtentos a Martyribus libellos aliis dabant, damnat insuper *cit. Ep.* 23. eos, qui propria manu libellos pacis exarabant nomine alicujus Martyria, asserentes hoc ab ipso, dum viveret, in mandatis habuisse, vel exscripsisse, quia ille literas ignorabat -- Lucianus non tantum Paulo adhuc in carcere posito, nomine illius libellos manu sua scriptos passim dedit, sed & post ejus excessum, eadem facere sub ejus nomine perseveravit, dicens hoc sibi ab illo mandatum, nesciens Domino magis, quam conservo obtemperandum. Aurelii quoque adolescentis tormenta perpessi nomine libelli multi dati sunt, ejusdem Luciani manu scripti, quod literas ille non nosset --

18 Hinc comperrom est Martyres dedisse quidem libellos pacis, sed ad Episcopos spectare tum eosdem libellos, tum merita expostulantium pacem exquirere, expropter Martyres pacem, seu cum Fidelibus communicationem dabant intercedendo, non absolvendo; Quo sensu loquitur Celerinus *Epist. ad Lucianum*, quando ipsum rogat, ut ab eo, qui primùm Martyrio fuerit coronatus, pro sororibus suis intercedat -- Rogo itaque Domine, & peto, ut cæteris Collegis tuis, Fratribus tuis, meis Dominis referas, & ab eis petas, ut quicumque prior vestrûm coronatus fuerit, istis Sororibus nostris Numeriæ, & Candidæ tale peccatum remittant -- Intercedendo, videlicet, apud Episcopos, non eas absolvendo, ut idemmet Celerinus de Sororibus scribit -- Quare jam causâ auditâ, præceperunt eas Præpositi tantisper sic esse, donec Episcopus constituatur -- Præter hoc Libelli ad Episcopos dirigebantur, & ipsi iis, qui libellos offerebant, communicatorias literas dabant; Et ne error aliquis irreperet, Illiberitanum Concilium statuit *Can.* 25., ut Confessoris nomen tolleretur -- Omnis qui attulerit literas Confessorias, sublato nomine Confessoris, eo quod sub nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriæ dandæ sunt ei litteræ -- Martyres dicebantur etiam Confessores propter Fidei confessionem. Ita porrò Episcopis reconciliandi

Soli Episcopi Lapsos recõciliabant.

munus competebat, ut nisi lethali urgente infirmitate, ipsisque absentibus nequaquam possent Presbyteri, aut Diaconi Lapsos Ecclesiæ reconciliare. Propter idem mortis discrimen reconciliari poterant Lapsi ante sedatam persecutionem, vel ante peractam pœnitentiam. Sic notat Sanctus Cyprianus *Epist.* 14. *ad suum Clerum* -- Ut qui libellum „ a Martyribus acceperunt, & auxilio eorum adjuvari apud Dominum delictis suis possunt, si premi infirmitate aliqua, & periculo cœperint, Exomologesi facta, & manu eis a vobis in Pœnitentiam imposita, cum pace a Martyribus sibi promissa ad Dominum remittantur -- Et *Epist.* 29. *ad Clerum Romanum* -- Postquam ad vos literas feci de quorundam perspecta temeritate, qui pœnitentiam agere, & Deo satisfacere detrectant, literas ad me fecerunt, pacem non dandam sibi postulantes, sed quasi jam datam sibi vindicantes -- Extra casum itaque necessitatis non nisi sedata persecutione, peractâ pœnitentiâ, immo & post Martyrum obitum Lapsis impertiebatur reconciliatio; Hocque cautum est, ne reconciliati iterum laberentur, aut pax illius concederetur inulta, qui inchoato martyrio a fide postmodum defecissent.

19 Quoniam verò Lapsorum causa diversa erat, ideo, Deciana urgente persecutione, decretum est, ut sacrificati non nisi post plenam satisfactionem ad communionem reciperentur, Libellatici verò excipiebantur non alia imposita satisfactione præter eam, quam fervente persecutione, ex Christiano more subjerant. Sic scribit Sanctus Cyprianus ad Antonianum -- Et ideo placuit, Frater charissime, examinatis causis singulorum, Libellaticos interim suscipi, sacrificatis in exitu subveniri -- Et in eadem *Epist.* -- Ne tu existimes, sicut quibusdam videtur, Libellaticos cum sacrificatis æquari oportere, quando inter ipsos etiam, qui sacrificaverint, & conditio frequenter, & causa diversa sit -- His prænotatis ut exactior de Canonicis satisfactionibus habeatur notitia, inquirere opus est, qui nam Libellatici censendi sint a Fide defecisse, ex propter priusquam de antiqua Pœnitentium disciplina sermo habeatur sequentes subnectimus Controversias.

CONTROVERSIA I.

§. I.

AN LIBELLATICI PRIMI GENERIS INTER LAPSOS SINT RECENSENDI.

20 Libellatici, qui primi generis nuncupantur, hi sunt, qui urgente persecutione libellos Magistratibus offerebant, quibus profitebantur se Christum negare, utvis fidem interiùs retinerent; de his igitur dicendum est nullatenus a mortali crimine excusari posse, eaque propter meritò inter Lapsos recenseri.

PROB. I. Illud prorsus illicitum est, per quod homo reprobatur a Deo; Atqui per exteriorem Fidei abnegationem, quæ in schedulis Libellaticorum inserebatur, a Deo reprobatur homo; dicente Christo Matt. 10. *Qui autem negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum coram Patre meo, qui in Cælis*

 est.

est . Neque enim dixit coram Deo , aut in corda , sed *coram hominibus* ; Unde dicebat Sanctus Thomas in hunc locum -- Elidit „ errorem cujusdem , qui dicebat non esse „ necessarium confiteri fidem , nisi coram Deo in corda , non autem ore coram ho„ minibus , quod hic patet falsum -- Et Sanctus Ramigius apud eundem Angelicum *in Catena Aurea* -- Ne ergo aliquis putaret , „ se absque oris confessione posse salvari , „ non solùm ait , qui me confessus fuerit „ coram hominibus , & iterum addit , qui „ autem negaverit me coram hominibus -- Porrò Libellatici Deum coram hominibus abnegabant : ergo . Idem versat argumentum Apostolus 2. ad Timoth. 2. vers. 12. *Si negaverimus , & ille negabit nos , si non credimus ; ille fidelis permanet , negare seipsum non potest* . Exteriorem negationem ab interna Fide distinguit, illamque reprobat ; Hoc exponens laudatus Angelicus ait -- Du„ pliciter autem peccare potest aliquis con„ tra Fidem , primò exteriùs negando , se„ cundò interiùs eam deponendo ; quan„ tum ad primum dicit , si negaverimus „ scilicet coram aliis , ipse negabit nos in „ judicio --

Confessio Fidei ore , & corde .

21 PROB. II. Quoties urget præceptum Fidem exteriùs confitendi , confessionis omissio est lethale peccatum , juxta Apostolum ad Rom. 10. *Corde enim creditur ad justitiam , ore autem confessio fit ad salutem* ; Atqui ubi contra Catholicam Religionem publica potestate promulgatur edictum , atque interrogatio intervenit , ùt in casu Libellaticorum , præceptum urget exteriùs fidem confitendi : ergo exterior ejusdem negatio , qualis erat in libellis expressa, a lethali noxe immunis nullimodè censenda est . Plura habet hac de re Tertullianus *lib. de fuga in Persecutione cap.* 12. , & 13. , ubi inter cætera -- Negatio est etiam Martyrii recusatio . „ Christianus pecuniâ salvus est , & in hus „ nummos habet , ne patiatur , dum ad„ versus Deum erit dives --

Fides confitenda persecutionis tempore .

22 PROB. III. Actio , quæ Corporis, sanguinisque Christi participationem excludit, dubio-procul graviter peccaminosa est ; Sed Libellaticorum abnegatio hujusmodi est : ergo . Argumentum habemus ex Apostolo 1. ad Corinth. 10. *Nolo autem vos fieri socios Dæmoniorum : Non potestis Calicem Domini bibere, & calicem Dæmoniorum : non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ Dæmoniorum* . Porrò qui exteriùs Christum negat , bibit Dæmoniorum calicem , ea propter fieri nequit, quod interiori fide Domini calicem bibat . Qui exteriùs sive verbo, sive scripto Gentium Religionem profitetur, Dæmoniorum socius , eorumque mensæ particeps est : per interiorem igitur Catholicæ Fidei professionem Domini mensam participare non potest . Et sanè propalam dicit Apostolus eos , qui Idolothyta comedebant , utvis interiùs Christi Fidem servarent, æternæ subjacere damnationi ; Atqui exterior Christi abnegatio æquiparatur manducationi oblatorum idolis : ergo ; Unde benè dicebat Cyprianus *lib. de Lapsis* -- Quomodo po„ test esse cum Christo , qui ad Christum „ pertinere, aut erubescit , aut metuit ? --

A 23 PROB. IV. Mendacium est ab intrinseco malum , adeoque prohibitum sive naturali lege , cum mutuam hominum societatem evertat , sive divinâ, cum Scriptura illud ubique detestetur . Sap. 1. *Os , quod mentitur , occidit animam* . Proverb. 12. *Abominatio Domini est lingua mendacii* . Ps. 5. *Perdes omnes , qui loquuntur mendacium* ; Atqui Libellatici mendaces erant : Etenim Mendacium est contra mentem ire, hoc est, ùt notat Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. unum corde sentire , & aliud ore proferre ; Unde Augustinus *de Mend. cap.* 3. dicebat -- „ Ille mentitur , qui aliud habet in animo , „ & aliud verbis , vel quibuslibet significa-
B „ tionibus enunciat -- *Et in Enchirid. c.*22.-- „ Is , qui mentitur , contra id, quod animo „ sentit , loquitur , voluntate fallendi , & „ utique verba propterea instituta sunt, non „ per quæ se invicem homines fallant , sed „ per quæ quisque in alterius notitiam co„ gitationes suas proferat . Verbis ergo uti „ ad fallaciam , non ad quod instituta sunt „ peccatum est -- Pro comperto autem est Libellaticos unum corde sensisse , aliud ore protulisse, suosque libellos ordinasse , ut Magistratus deciperentur : ergo mentiebantur . Cumque mendacium in materia gravi , ùt in casu, sit mortale crimen , planè fit ipsos
C graviter deliquisse .

Libellatici mentiebantur .

24 PROB. V. Fortior in nova , quam in veteri lege urget obligatio non simulandi fidem; sed in veteri lege illicita meritò censebatur simulatio , ùt legere est de Eleazaro 2. Machab. 6., qui ad effugienda supplicia, quæ Antiochus minabatur, rogatus , ut vetitas porcinas carnes comederet ; *Respondit citò , dicens , præmitti se velle in infernum . Non enim ætati nostræ dignum est , inquit , fingere , ut multi adolescentium arbitrantes Eleazarum nonaginta annorum transisse ad vitam alienigenarum: Et ipsi propter meam simulationem . . . . decipiantur* : ergo illicita quoque erit simulatio
D in nova lege ; Atqui Libellatici simulatores erant , ùt ex se patet : ergo .

Simulatio illicita .

25 PROB. VI. Patres rem hanc dilucidè versant , & potissimùm Tertullianus , S. Cyprianus , & S. Augustinus . Horum primus *lib. de Pænit. cap.*5. habet -- Sed ajunt „ quidam , satis Deum habere , si corde „ & animo suscipiatur , licet actu minus „ fiat . Itaque se salvo metu , & fide pec„ care, hoc est , salva castitate matrimonia „ violare , salva pietate parenti venenum „ temperare . Sic ergo èt ipsi salvâ veniâ „ in gehennam detrudentur , dum salvo „ metu peccant -- Secundus *lib. de Lapsis* --
E „ Nec sibi , quo minus agant Pœnitentiam „ blandiantur , qui etsi nefandis sacrificiis „ manus non contaminaverunt , libellis ta„ men conscientiam polluerunt : Et illa „ professio denegantis, contestatio est Chri„ stiani , quod fuerat abnegantis ; fecisse „ se dixit , quicquid alius faciendo commi„ sit . Christus in præceptis suis dicit ; Qui „ confusus me fuerit , confundetur eum „ Filius hominis . Et Christianum se putat, „ qui Christianus esse confunditur , aut ve„ retur ? -- Alter demùm plura habet *lib. contra Mendacium , ad Consentium cap.* 2. , ubi contra Priscillianistas corda retinendam veri-

Priscillianistarum Heresis .

veritatem, ore verò falsum proferri posse contaadentes acriter invebir.

§. II.

OPPOSITA DILUUNTUR ARGUMENTA.

PLura hìc possemus Advarsantium momenta afferre, sive ax facto Jehu, siva Naaman Syro, sive aa Maira Fratrum Machabæorum, & similium; quoniam verò facilis apud Eapositures pater responsio, ideo ad alia accedimus.

26 OB. I. Si Libellaticorum solertia haud liaita censenda asset, mortis periculo aspositi fuissent, qui illà utebaotur; Atqui hoc injustum videtur, cum Deus, qui taurorum, aut bircorum sanguine non delectatur, hominum sanguinem aaquireret, quod crudelitatem sapit: ergo.

Gnostici reprobabant Martyrium.

RESP. Huia argumento, quod Gnosticis solanne erat, pluribus respondet Tertollianus lib. qui inscribitur *Scorpiacum adversus Gnosticos*, biuc *cap.* 2., *&* 3. desomit argumentum necessitatis Martyrii ea divino præcepro Idolulatriam verante; si enim instaute Tyrannu mortem minitanil, ut quis thus Idolis offerret, si Martyrium non licerer, deberet ille Dæmonibus sacrificare, ut necem effugeret, & allatis Martyrum eaemplis siva Jeremiæ lapidati, siva Esaiæ secati, sive Zachariæ trucidari intar Templum, & Altare subdir -- Et utiqua qui spiritu Dei „ agebantur, ab ipso in Martyria dirige„ bautur -- Hoc spiritu agebantur quoque in nova lege non solùm Apostoli, quibus dictum est Matth. 5. *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam &c.*, sed cæteri quoque Christi fidelas eadam adstricti sacramento, ùt idem notar Tertullianus *c. p.* 9. Urget deinde Gnosticos ax 1. *Joan.* 3., ubi præcipitur animas ponere pro fratribus -- „ Quod si pro fratribus, *inquit*, quantò „ magis pro Domiuu moriendum docet? -- Alibi sæpè idem probat. Ejusdam labii est Sanctus Cyprianus *in lib. de Exhortatione Martyrii*, *& Epist.* 34. -- Vari, & spiritales Dei militas, dum Diabolum Christi „ confessione prosternuut, palmas a Domi„ ui, & coronas illustri passione meruerunt -- Propalam igitur fit Martyrium laudabile essa, nea crudelitatis nota ullatenus Deo aonvenit, qui atiam propriu Filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidir. Non delectatur quidem taurorum, aut bircorum sanguine, quia legis sacrificia murtoa jam suur, verùm delactarur da hominum Martyriu, cum per ipsum Idololatriæ peccatum evitatur, & beatitudinis coroua promeretur.

27 OB. II. Ille æternam promeretur beatitudinem, qui *loquitur veritatem in corde suo*. Psal. 14., & qui veritatem in ore suo haber, cum Catholicos alloquitur, dicente Apostolo ad Ephes. 4. *Deponentes mendacium, loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo, quoniam sumus invicem membra*; Atqui Libellatici & veritatem in corde loquebantur, nec illam cum Catbolicis negabant: ergo.

Solvit argumentum S. Augustinus *libro contra Mendacium c.* 2. dicens sententiam hanc Sanctos Martyres eahonorare. Sapientiùs etenim egissent, si Persecutoribus non confiterentur se Christianos esse, ne eos sua confessione facerent homicidas. Cæterùm Evangelicam veritatem loqui debet homo non solùm Catbolicis, sed etiam Ethnicis, cum jusserit Christus Gentibus etiam prædicaare.

Etiam Gentibus prædicādum.

28 OB. III. Catholica veritas thesauro abscoodito in agro, aut pretiosæ margaritæ comparatur, Marrb. 13., quæ canibus, & porcis non sunt axpunendæ: Matth. 7. *Nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas vostras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus suis, & conversi dirumpant vos*; Atqui per canes, & porcos designantur Infideles: ergo ania ipsos non ast veritas aperienda; & tunc maximè cum Infideles ii sunt, qui nos dirumpara possunt occidendo: argo Libellatici benè poterant prædictis schedulis occultare fidem, sicque irridare Tyrannos.

RESP. Solenne est Hæreticis hoc abuti testimonio, quod communiter de Sacramentis explicatur, quatenus indignis danda non sunt, ùt eo loci elucidat S. Thomas: Verùm cum juata literam Thesaurus, & Margarita Christianam quoque doctrinam significent, ideo diaendum ast aliud esse veritatem occultare, aliod falsum diaere, primùm sæpè licet, dicente Scriptura, Eccles. 32. *Ubi non est auditus, non effundas sermonem*: Prov. 24. *Totum spiritum suum profert stultus. Sapiens differt, & servat in posterum.* Secundùm verò nusquam approbandum; ea propter egragiè dicebat Augustinus *lib. contra Mendacium cap.* 2. -- Redarguenda sunt „ ista non imitauda, nec in aa malo dabe„ mus Priscillianistarum esse participes, in „ quo cæteris Hæreticis convincomur esse „ pejores; ipsi enim soli, vel saltam maxi„ mè reperiuntur, ad occultandam suam, „ quam putant veritatam, dogmatizare „ mendacium, atque hoc tam magnum ma„ lum ideo justum aaistimara, quia dicunt „ in corde retinendom esse, quod verum „ est, ore autem ad alianos proferre fal„ sum oullum asse peccatum -- Libellatici porrò falsum dicebant, scriptoque Christum negabant.

Veritas reticeri potest, sed nusquam falsum loqui.

29 OB. IV. Ad effugiendam mortem Canonici Scriptoris locutionem imitari haud illiaitum censeudum ast; sed aliquando Scriptor Canonicus alieno ore falsa dogmata profert: Ergo ad servandam vitam licuit Libellaticis schedularum voce falsam Religionem profiteri. Argumentum habetur Ecclesiast. 3. ubi Canonicus ore Voluptuosi negat Animæ immortalitatem, ut tamen ore proprio loqui videatur. *Idcirco unus interitus est hominis, & jumentorum, & aqua utriusque conditio: sicut moritur homo, sicut illa moriuntur: similiter spirant omnia, & nihil habet homo jumento amplius: cuncta subjacent vanitati, & omnia pergunt ad unum locum. De terra facta sunt, & in terram pariter revertuntur. Quis novit, si spiritus filiorum Adam ascendat sursum, & si spiritus jumentorum descendat deorsum? Et deprehendi nihil esse*

melius,

melius, quam lætari hominem in opere suo, & hanc esse partem illius: quis enim eum adducet, ut post se futura cognoscat? . . .

RESP. Insipienter in meridie nox quæritur. Sacrum eloquium fons est salutis; salutarem semper exhibet sapientiæ aquam, sed in venenum vertitur illis, qui nolunt intelligere ut benè agant. Certum est, quod Sacra Scriptura plures, & diversas inducit personas loquentes, modò bonorum, modò malorum, nunc Subditorum, nunc Prælatorum; unde error facilè ebibitur, si quod dicitur in persona unius, de altera intelligatur; ea propter non est voluntariè interpretanda, sed sub duce Patrum intelligenda. Eo igitur loco loquitur in persona Voluptuosi, qui, ut pleno ventre sensibilibus divitiis indulgeat, de animæ immortalitate dubitat. Cæterum Canonicus Scriptor mox laudatus animæ immortalitatem apertè docet, dum Cap. 6. ait: *Quid habet amplius Sapiens stulto, & quid pauper, nisi ut pergat illuc, ubi est vita?*

Scripturæ intelligentia ex Patribus.

30 OB. V. Licuit B. Paulo servata Christi Fide Judaismum simulare, ut Judæos salvaret, ut ipse fatetur 1. Corinth. 9. *Et factus sum Judæis tamquam Judæus, ut Judæos lucrarer: Iis qui sub lege sunt, quasi sub lege essem (cum ipse non essem sub lege) ut eos, qui sub lege erant lucrifacerem.* Ergo licuit Libellaticis Christianæ Religionis negationem simulare pro corporis fortunæque bonis servandis; Si enim ob spirituale bonum falsæ Religionis simulatio licita est, cur non licet pro tuenda vita?

RESP. Solvit argumentum S. Augustinus satis eruditè Epistola 9. in ea gravissima Controversia de simulatione Legalium, quam habebat cum S. Hieronymo. Talia enim dicebat Paulus compassione misericordiæ, non simulatione fallaciæ, fit enim tamquam ægrotus, qui ægroto ministrat, non cum se febres habere mentitur, sed cum animo condolentis cogitat, quemadmodum sibi ministrari vellet, si ipsi ægrotaret. Non ergo Judaicos ritus exercebat, vel Ethnicos, sed spiritus affectu se attemperabat conditionibus personarum, ut eis veritatem efficaciùs inspiraret; Hocque satis innotescit ex his, quæ subdit: Factus sum infirmus infirmis, ut infirmos lucrifacerem. Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos . . . Sanè non mentientis astu, sed compatientis affectu dicta esse pro comperto est.

Omnibus compatiendum.

31 OB. VI. Illegitimè interroganti negari potest veritas; Unde de vero crimine accusatus negare illud potest si Judex illegitimè interrogat. Sed Tyrannorum Ministri jus non habent de Fide Catholicos interrogandi: ergo Libellatici poterant illis negare exteriùs veritatem: illud enim edictum ut sacrificarent Idolis speciem sapit interrogationis.

RESP. Pro clara argumenti solutione aliqua præmittenda sunt. I. Verba, & quæcumque signa internorum conceptuum manifestativa in humana societate juxta communem sensum, non verò ex privata intelligentia accipienda sunt. Ales. *lib.* 2. *cap.* 1. *Topic.* habet — In quæstione duo incidunt „ peccata, quæ exponenda sunt. Peccatur „ enim, aut mentiendo, aut discedendo a „ verbis, quæ imposita sunt rebus, peccant qui res minus usitatis, & tritis nominibus appellant — Et 2. *Topicor. c.* 1. dicitur — Quod nominibus utendum est, ut „ plures utuntur — D. Thomas *lib.* 1. Posteriorum *lect.* 4. ait — Significatio nominis „ accipienda est ab eo, quod intendunt „ communiter loquentes per id nomen significare —

II. Veritas locutionis est conformitas verborum loquentis cum mentis conceptu; & veritas locutionis ordinatur ad manifestandum sensum mentis; qui est necessarius ad conservationem humani convictus.

III. Veritas, & veracitas non consistit in loquendo juxta jus interrogantis; & ratio est evidens, quia veritas est distincta virtus a justitia, adeoque necesse est illam in proprio genere compleri, non autem per differentiam alicujus virtutis constitutivam, jus verò legitimæ interrogationis ad justitiam spectat. Deinde veracitas plus se extendit quam justitia; nam deservit pro civili locutione necessaria pro humano convictu, qui alia comprehendit præter justitiam, hinc mendacium, quod veritati opponitur, dividitur in jocosum, officiosum, & perniciosum, materia justitiæ ipsa quidem veritatem petit, sed veritas a jure justitiæ non constituitur. Jus justitiæ est jus legale, jus veritatis est morale; quod autem veracitas aliqualiter sit ad alterum, generica ratio est, aliis virtutibus a justitia distinctis conveniens.

IV. Quilibet jus habet ne decipiatur, hoc naturæ lumen dictat; ea propter jus civile actionem admittit in judicio contra dolosum, ac fallacem, etiam in illis, ad quæ deceptus jus non habebat. Quamvis enim Petrus possit Paulo aliquid denegare, nequit tamen malum afferre: Sic veritatem tacere potest, sed nequit ei dicere falsitatem. Itaque & si interrogatus possit aliquando non loqui, ex suppositione tamen, quod vult respondere, tenetur non fallere per mendacium; aliàs petenti piscem daretur serpens, & petenti ovum porrigeretur scorpio, reclamante Christi doctrina *Luc.* 11.

V. Qui Religionem Catholicam persequitur Christum persequitur juxta illud *Saule, Saule quid me persequeris?* quapropter omnis Christiani cultus professor tenetur illi pro viribus causam agere. His positis responsio ad argumentum, quod plurimos fallit, in aperto est. Poterant quidem Libellatici audito Tyrannorum edicto non se manifestare, non exhibere libellos propriæ professionis, donec individualiter advocarentur, sed non poterant falsum illis exhibere, & alienam Religionem mentiri. Tenebantur etiam pro ea defendenda mori; quod si certamen subire timebant, vel opus non erat, non poterant Religionem prodere, & injuriam ei facere mentiendo.

Quandoque Fidem confiteri non tenemur.

32 OB. VII. Christus Discipulis illegitimè interrogantibus de die Judicii se illam nescire respondit, cum tamen apprimè nosceret: ergo importunè petentibus Tyrannorum Ministris ut Christiani Idola colerent, potuerunt Libellatici per schedulas illos eludere.

RESP.

RESP. Ephesina Synodus Anathematismo IV. affirmat, quod Filius Dei fuisset mentitus si per impossibile id, quod sciebat, se nescire dixisset; sed ideo veraciter se nescire dixit, propter formam servi, quam gerebat, & secundùm hanc nesciebat, nisi quatenus Pater revelabat. In Libellaticis autem non dabatur duplex natura, sed una tantùm, per quam unicè Deum colebant; ac proindè non poterant penes unam naturam Deum colere, & secundùm aliam illum negare. *Ubi una natura unus loquendi modus.* Ubi advertere oportet in eodem homine dari posse munus duplicis personæ v. g. Medici, Judicis, Mercatoris, & similium; & aliquando loqui posse in persona Medici, taliter quod præscindat, & abstrahat a munere alterius personæ, sed nunquam mentiri potest, aut falsum dicere, quia veracitas ad omnia personæ munera se extendit: Ex quo poterant fortè Libellatici præcisivas, secus negativas Christianæ Religionis schedulas exhibere.

33 OB. VIII. Omnis Christi actio est nostrarum instructiva; Sed Christus simulationem exercuit unum interiùs retinens, aliud exteriùs exhibens. Nam Marci 16. narratur apparitio Christi excitati a mortuis facta duobus Discipulis euntibus in Castellum, & dicitur v. 12. *Ostensus est in alia effigie euntibus in villam*, & Lucæ 24. eadem super re subditur: *Et appropinquaverunt Castello, quò ibant: & ipse se finxit longiùs ire* . . . Ergo Libellatici licitè poterant exteriùs se se Ethnicos exhibere.

RESP. Quæcumque Ignatius, Irænæus, Tertullianus, Epiphanius, aliique Patres adversus Basilidem dogmatizantem Filium Dei non veram, sed phantasticam carnem assumpsisse asserunt, accommodari possunt ad repellendam blasphemiam hanc, videlicet, simulationem a Christo Domino exercitam: sed non præstat in his immorari. Ex propter pluribus omissis solutionibus dicendum est illam immutationem fuisse ex parte Corporis Christi activè, non autem subjectivè; Hoc est ex parte Christi nulla erat immutatio, sed veram suam retinebat speciem, efficacia tamen Corporis gloriosi species immutabat ipsum sub altera effigie repræsentando, quomodo Christi apparitiones in Eucharistia fiunt sub forma pueri integris permanentibus speciebus, nullaque facta ex parte Sacramenti immutatione: nec inde deceptio aliqua habetur: quia non omnis fictio mendacium est, sed illa tantum, quæ nihil significat; cum verò fictio ad aliquam veram significationem ordinatur, non est fallacia, & mendacium, sed figura veritatis; aliàs quæcumque figuratè dicuntur a Sapientibus, mendacia essent. Illa porrò immutatio speciei ordinabatur ad reducendos Apostolos ad videndam veram Christi effigiem, & ad confirmandam divinæ Resurrectionis fidem, ut accidit in Sacramento Panis; interim sub illa specie sensum Scripturarum, quæ erant de ipso Christo, Discipulos docuit.

Eodem modo solvitur illud Lucæ: *Et ipse se finxit longius ire* . . . Verùm alia occurrit facilis solutio. Communi namque intelligentiæ fingere significat componere. Christus itaque res taliter composuit, ut progredi videretur nisi fuisset a Discipulis rogatus: Ex se itaque dispositionem ulteriùs progrediendi elegit; quoniam verò se rogandum a Discipulis novit, decrevit iter non prosequi: unde nulla fictio, sed naturalis peregrinantium, eisque familiaris dispositio intercessit.

34 OB. IX. Apostolorum Principibus Petro, & Paulo falsam licuit Religionem simulare: ergo fas quoque fuit Libellaticis schedulas simulatoriè profitentes Ethnicam Religionem exhibere. Assumptum declaratur. Petrus Antiochiæ Judaicas simulavit cæremonias, ubi cum Gentibus priùs comedit, deindè adventantibus Jerosolymis Hebræis, ne ipsi offenderentur, a Gentibus recessit, & cum Judæis conversabatur, & comedebat. Paulus verò circumcidit Timotheum, & votum Nazaræorum explevit Jerosolymis. Demùm ex conventione facta simulatè Paulus Petrum reprehendit, & in faciem restitit. *Ad Gal.* 2.

RESP. Argumentum hoc gravissimam illam continet Controversiam, quæ Augustinum inter, & Hieronymum ferventer versata est. Propugnabat Hieronymus conventionem fuisse Pauli correptionem, adeoque simulatam, & simulatè Petrum, & Paulum Judaicas cæremonias exercuisse: Ex *Augustini, & Hieronymi contentio.* adverso Augustinus sinceram fuisse correptionem ab octava Epistola usque ad vigesimam defendebat. In suas partes proferebat Hieronymus antiquos, & magni nominis Patres, Origenem, videlicet, Didimum, Appollinarem, Alexandrum, Eusebium Emissenum, Theodorum Heracleotem, Joannem Chrysostomum; Ex his quatuor primos excipiebat Augustinus *Epist.* 19. *cap.* 5. utporè ab eodem Hieronymo hæresi nota inustos, aliis verò Cyprianum opponebat, Ambrosium, ipsumque Paulum, cæteris autem honorem deferens se illos ita legere quatenus, vel Sacris Scripturis, vel rationi conformia scriberent.

Sancti Augustini sententia, quæ sinceræ nititur veritati ostenditur I. ex eodem Apostolo Paulo 1. ad Gal. sub initio Epistolæ habet Apostolus: *Quæ autem scribo vobis ecce coram Deo, quia non mentior* . . . Sed Paulus *Petrus verè a Paulo reprehensus.* scribit se restitisse Petro in faciem coram omnibus, quia reprehensibilis erat: si ergo verè reprehensibilis erat, verè, & non fictè illum reprehendit Paulus; ergo ibi nulla simulatio.

II. Si semel in Sacra Scriptura mendacium reperitur, tota ejus dignitas corruit, & auctoritas, omnia ubique divina eloquia nobis dubia essent; Sed simulata correptio a B. Hieronymo descripta officiosum est mendacium: ergo in Sacra Scriptura admitti nequit: adeoque satiùs est dicere Petrum fuisse reprehensibilem, quam Paulum fuisse officiosè mentitum.

III. Apostolus fatetur se esse dispensatorem mysteriorum Dei, hoc est veritatis, & utique fidelem a Deo electum, sed non esset fidelis dispensator si mentiretur dispensando; ergo certam nobis exhibet veritatis fidem, non autem officiosam falsitatem simulatione contectam.

IV. Cum aliqui Pauli Epistolis detraherent,

hærent, Petrus illarum suscepit defensionem, & scriptas per sapientiam ipsi datam confessus est, addiditque in eis aliqua esse difficilia, quæ Hæretici depravant, quod sanè dicere non posset, nisi eas legisset, adeoque legit etiam, ubi ipse redarguitur, atque reprehensibilis dicitur: sed nisi id verum fuisset, non diceret Petrus illas sapienter enarratas: ergo vera fuit reprehensio. Retiocinium est Sancti Gregorii Magni *Homil. in Ezechielem*, ubi ait Petrum primum extitisse in humilitate, sicut primus erat in dignitate.

V. S. Cyprianus *Epist. 71. ad Quintum* asserit Petrum, supra quem ædificata erat Ecclesia, patienter sustinendo Pauli reprehensionem, nec eum despiciendo, primatum objiciendo, concordiæ, & patientiæ exemplum præbuisse; Atqui si simulata fuisset objurgatio, cum hæc nullam præbeat patientiæ occasionem, nullum foret patientiæ documentum: ergo.

35 DICES I. Si vera fuisset objurgatio Pauli, Petrus peccati reus esset dicendus: sed hoc repugnat dono confirmationis: ergo.

RESP. Sanctus Thomas *in Commentariis Epist. ad Galatas* 2. dicit Petrum venialiter peccasse propter indiscretionem, quam habuit nimis inhærendo parti Judæorum; Veniale porrò peccatum non repugnat dono Confirmationis, cum etiam de Apostolis dicat B. Joann. Si dixerimus, quod peccatum non habemus, veritas in nobis non est.

36 DICES II. Non potuit ex animo Paulus Petrum redarguisse, cum & ipse Judaicas cæremonias exercuerit circumcidendo Timotheum, se purificando, & caput more Nazaræorum tondendo; simulata proinde non sincera objurgatio est dicenda.

RESP. In sententia conveniebant Petrus, & Paulus, discrepabant solùm in executione, quia Petrus ita Judaicas cæremonias exercebat, ut suo exemplo scandali occasio esset; secus Paulus, quia solùm coram Judæis peragebat, & eo quidem momento, ut Judaicas cæremonias non esse eodem modo damnabiles ostenderet, sicut Idololatriam Gentilium; Videatur Augustinus *Epist.* 19., ubi argumentum hoc egregiè versat.

37 DICES III. Nec Petrus, nec Paulus sincero poterant animo cæremonias Judaicas observare, cum vacuas, mortuas, immo mortiferas judicarent, atque prædicarent ipso Paulo attestante cap. 5. ad Galat. *Si circumcidamini, Christus nihil vobis prodest* . . . adeoque sincera non fuit objurgatio.

RESP. Quamvis Judaicæ cæremoniæ post Christi passionem essent antiquatæ, non erant tamen statim mortiferæ, nisi his, qui illas ut ad salutem necessarias observarent, secus pro illis, qui solummodo propter consuetudinem solemnitatis amplectabantur: sensim abrogari fas erat crescente prædicatione veræ Fidei, cujus erant umbræ, quâ firmatâ evaserant mortiferæ: debuerunt paulatim desinere, ne illæ propheticæ significationis observationes repudiari viderentur tanquam Dæmonum sacrilegia a posteris detestanda; sed erant sepeliendæ cum honore tanquam expletæ figuræ; Posita autem certitudine veritatis non erant ulterius protrahendæ, ne vel crederentur nondum completæ, vel simul ad salutem necessariæ, adeoque nunc mortiferæ effectæ sunt, & illicitæ. Sic Augustinus *laudata Epist* 19.

Itaque sub illo initio cæremoniæ Judaicæ nec bonæ erant, quia gratiam non conferebant; nec malæ, quia a Deo fuerant datæ; & ex hoc motivo nec Petrus erat reprehensibilis, nec Paulus, nec alii Apostoli; erat itaque Petrus reprehensibilis, quia minus circumspectè eas observabat, ex quo periculum scandali oriebatur infirmis. Videndus D. Thomas 1. 2. *q.* 103. *art.* 4.

38 Ultimum argumentum pro nostra conclusione est ipsamet B. Hieronymi auctoritas; nam B. Augustino consensisse ostendit *lib.* 1. *Dialog. adversus Pelagianos cap.* 8., ubi ostendere volens nullum Episcopum irreprehensibilem esse, nullumque immunem a sorde, alia inter exempla producit hoc de Beato Petro reprehenso ab Apostolo Paulo, & Augustinus sibi adhæsisse Hieronymum *Epist. 260. ad Oceanum* testetur.

Hieronymus consentit Augustino.

39 OB. X. Martyrum plerique, quos veneratur Ecclesia, falsam exteriùs professi sunt Religionem. Apud Surium 9. Januarii habemus Sanctum Julianum, qui se velle Diis sacrificare finxit, ut oratione omnia Idola comminueret, eorumque Sacerdotes perderet; Imperator jussit exornari Templum; Quo facto Julianum admonuit tempus Diis sacrificandi adesse, cui S. Martyr ait -- Advoca Sacerdotes omnes, ut cognoscant, quale Sacrificium afferamus, Deos omnes adduci jube . . . Ut omnibus in unum convenientibus Diis vestris immolemus . . . Id quidem facere non piget; nam ideo semper distulimus, & in hoc Templo mirabili magnum Sacrificium cunctis cernentibus immolaremus --

Apud eundem Surium in vita S. Blasii 3. Februarii comprehensæ a Præside septem Mulieres laudati Martyris sanguinem colligentes, adhortatæ ad sacrificandum Idolis, responderunt -- Si vis ò Præses, ut Diis tuis sacrificemus, eamus prope lacum, & tu quidem mitte Deos tuos in Saccum, & eus plumbo obsigna; ut autem cum abluerimus vultus nostros in lacu, accedemus, & eis sacrificabimus. Hic lætatus Præses, ad eas adduxit Deos suos; illæ autem, cum eos accepissent, dejecerunt, & demerserunt in profundo lacus --

Apud Sanctum Elogium Martyrem *in Præfatione lib.* 1. *Memorialis Sanctorum*, Monachus Isaac nomine in hæc verba Judicem est allocutus -- Vellem Judex, cultor Mahumetanæ fidei strenuus fieri, si modo tu non differas ordinem, rationemque ejus mihi exponere --

Serm. 69. apud Beatum Ambrosium refert Sanctus Maximus Sanctum Eusebium Vercellensem Antistitem simulando Arianismum scidisse cartam, in qua S. Dionysius Martyr, contra Sanctam Athanasium Arianis favens subscripserat -- Ità Eusebius Hæreticis Hæreticum se esse mentitus est, ut de Hæresi filium liberaret: dixit enim se

„ se consentire perfidiæ, hoc sibi placere, „ quod illis; sed quod sibi filium Dionysium in subscribendo præponerent, „ graviter se moveri —

RESP. Non est hujus loci rem hanc ex professo versare, ea propter, præmissis aliquibus solutionibus, brevi calamo absolvemus. Prima igitur est Sanctos illos venialiter officioso mendacio peccasse. Verùm solutio non arridet. Quis enim credet Viros Sanctissimos eo tempore venialiter peccasse, quo Spiritu Sancto repleti heroicum dilectionis actum moliebantur, & alias materia, circa quam mentiti fuissent, est gravissima; siquidem circa falsum cultum, quem exteriùs profitebantur; & in casu S. Juliani mille Sacerdotes Idolorum ceciderunt occisi, & S. Maximus fatetur S. Eusebium prudenter egisse, quod cum veniali peccato non componitur.

Secunda solutio ob ignorantiam invincibilem excusat, cum nondum quæstio de simulato mendacio eliquata esset, quod Augustini temporibus evenit; Sed rejicitur solutio, quia ignorantia invincibilis de mendacio dari non posse videtur, quæ si in aliquibus rudioribus contingat, nullatenus in sapientioribus admitti potest. Equidem invincibilem ignorantiam circa mendacium in S. Episcopo Eusebio fingere nemo unus est, qui indecorum nimis esse non dicat.

Tertia dicit, ea peracta esse ex speciali Dei impulsu, ùt dicitur de Virginibus, quæ se præfocaverunt, ne virginitatis florem perderent. Hoc tamen voluntariè dictum pro comperto est, quia Spiritus Sanctus ad id movere nequit, quod est ab intrinseco malum, & a Deo essentialiter indispensabile, quale est mendacium, nec qualecumque, sed in materia superstitiosi cultus: Secus est in casu occisionis, in quo Deus dispensare potest, cum vitæ, & mortis sit Dominus; & privata etiam hominis occisio, aliquando licita est, sicut patet ex jure rectæ sui defensionis.

Quarta docet nullum ibi fuisse infidelitatis peccatum, quia actu non est aliquis infidelis, si tantummodo promittat se Diis sacrificaturum, dummodo in corde aliter sentiat. Sed hæc nihil evincit, nam verba promissoria in communi sensu accipiuntur pro actuali proposito sacrificandi, & tanquam infideles censentur, qui similia proferunt; proindeque quidquid sit, an actu sint propriè Infideles; falsæ Religionis cultores meritò reputantur.

Quare doctrina Augustini recolenda est, atque retinenda, quam sequentibus complectemur. I. Datur in locutione humana deceptio passiva, sine activa ex parte dicentis, ùt cum quis verè, & candidè secundùm communes regulas loquitur, & audiens vel ex mala animi affectione, vel ex opposita, falsave intelligentia aliter percipit, quo modo datur scandalum passivum, sine activo, ùt in sanationibus, quas Christus Sabbato peragebat, ob quas Pharisæi oblatrabant.

II. In communi, & vulgari loquendi modo dantur quidem naturalis rethoricæ tropi, quas figuram admirationis, exclamationis, suspensionis, interrogationis, Ironiæ, & hujusmodi Sapientes vocant. In tropicis locutionibus illud sæpè accidit, quod remanet aliquantulum suspensus sensus, & Oratoris mens, nec plena habetur significatio, nisi toto expleto discursu: Hinc fit, quod, qui intempestivè judicant, decipiuntur, unum pro alio interpretantes.

III. In hisce casibus passiva deceptio ob momentum aliquod grave, rerumque conditioni congruum permitti potest: quomodo Christus Pharisæorum scandalum permissum legimus, ab infirmorum curatione die Sabbati non cessans. Prædictis tamen ita utendum est, ut exterior sermo mendacium non sapiat, & figurata locutio adverti possit.

Itaque in laudatis Sanctorum exemplis Ironica intercessit locutio ex adjacentibus circumstantiis satis cognoscibilis. Quoniam verò Tyranni, eorumque Ministri æstu passionum obnubilati erant, ad propriam verborum significationem non attendebant, immò verba juxta propria desideria detorquebant: Sicut Pharisæi sanctissima Christi opera criminabantur, quamvis ejusdem Sanctitas luce clarior fulgeret. Hinc ad singula non descendimus, cum ex præjactis regulis, atque ex historico contextu veritas appareat.

CONTROVERSIA II.

§. I.

AN LIBELLATICI SECUNDI GENERIS A PECCATO IMMUNES FUERUNT.

40 Libellaticos secundi generis eos dicimus, qui ne a Tyrannorum Ministris vexarentur, oblatâ pecuniâ ab iisdem libellus redemptionis obtinebant, in ipsis tamen schedulis profitendo sibi Christum negare, vel Diis sacrificare nequaquam licere: De istis quæritur, an id licitè fecerint, & a Catholicis persecutionis tempore ad praxim deduci possit. Tertullianus *lib. de fuga ad Fabium cap.* 12., *&* 13. nullatenus licere acriter propugnat, atque Libellaticos gravissimi criminis reos constituit. Verùm dicendum est Libellaticos secundi generis a peccato immunes fuisse.

Ostenditur I. Conclusio. Nedum licet, sed aliquando est in præcepto fuga in persecutione: ergo ab eadem licitum est pretio se redimere. Antecedens habetur. Matth. 10. 23. *Cum autem persequentur vos in Civitate ista fugite in aliam*. Et quidem tempore persecutionis pro fide, dixerat enim. *Et eritis odio omnibus propter nomen meum*. Porrò præcitata verba continere præceptum docent Patres. Sanctus Cyprianus *lib. de Lapsis num.* 43. — „ Ideo Dominus in persecutione secedere, „ & fugere mandavit, atque ut id fieret & „ docuit, & fecit — Sanctus Petrus Chrysologus *Serm.* 151. — Martyr comprehensus „ debet tenere constantiam, non compre-

„ hensus debet fugere persequentem — Nazianzenus *Orat.* 20. — Lex Martyrii hæc est, „ ut nec nos ultrò ad certamen accedamus —. Julius Primus in Rescripto ad Orientales pro Athanasio — Igitur de fuga „ super quam Athanasium reprehenditis, „ non benè agitis, cum ipse Dominus „ mandatum hoc nobis dederit — Nec pro veritate desunt exempla 3. *Reg.* 19. Elias Achabi, & Jezabelis persecutionem aufugit. *Act.* 8. facta persecutione magna Jerosolymis dispersi sunt omnes in Regiones Judææ. Ex his clarè evincitur consequentia. Siquidem fugere a morte, & ab illa se per pecuniam redimere æquiparari pro comperto est. Notandum tamen argumentum procedere quando nec specialis fidei causa, nec Dei honor, aut proximi necessitas, vel peculiaris Spiritus Sancti inspiratio publicam exposcit confessionem.

Fuga æquiparatur redemptioni per pecuniam.

42 PROB. II. Imitari fas est, quæ laudabilis sanctitatis Christiani in Ecclesiæ primordiis peregerunt; Sed tunc temporis pecuniariæ redemptionis occurrunt exempla *Act.* 17. Jason Paulum, & Silam a gravissima commotione Thessalonicæ Civitatis per Judæos excitata redemit, occurrente populo ad domum Jasonis, Paulus expetebatur perducendus ad Præsidem, & ad Principes Magistratus, qui *Accepta satisfactione a Jasone, & a cæteris dimiserunt eos*. Nomine satisfactionis Petrus Alexandrinus *Can.* 12. pecuniarium intelligit donum, & quidam volunt, quod Jason seipsum dederit in fidejussorem, quod in casu, & re nostra a pecuniæ oblatione non differt.

42 PROB. III. Inter laudabiles pecuniæ usus meritò censetur redemptio a vexatione Potentum, attestante Sancto Spiritu, Proverb. 13. vers. 8. *Redemptio animæ viri, divitiæ suæ*, a qua vexatione pauper se nequit eripere; Atqui Libellatici donaria offerebant, ut Potentum vexationem, eamque injustam averterent: ergo laudabiliter utebantur pecuniâ. Porrò ad vexationis naturam perinde est, quod sit in materia Religionis, aut alterius ordinis; nam ipsius essentia in eo sita est, quod alius opprimatur.

Pecunia ad redimendam vexationem utilis.

43 PROB. IV. Apud Ecclesiastem 7. æquiparatur Sapientia, & pecunia: *Sicut enim protegit sapientia, sic protegit pecunia*. Sed Sapientiæ artificium pro redimenda vexatione in causa Fidei laudabiliter a Viris Sanctis usurpatur, de quo Sanctus Paulus 2 Corinth. 11. ait: *Damasci Præpositus Gentis Aretæ Regis custodiebat Civitatem Damascenorum, ut me comprehenderet, & per fenestram in sporta dimissus sum per murum, & sic effugi manus ejus*. Ubi Augustinus *Tract.* 46. *in Joann.* — „ Sic dimissus est, ut manus persequentis „ evaderet — Hinc S. Thomas *in Comment. in Matth.* 10. notat duplicem laudabilem fugam, humilitatis unam, qua Saul fugiebat, ne in Regem eligeretur, perseverantiæ alteram, qua homo a periculis se subtrahit, & de hac subdit — Et sic Apostolus hic fu„ git manus Præpositi — Ergo pariter laudabilis erit pecuniæ usus ad vexationem in causa Fidei redimendam, aliàs non sic protegeret pecunia, sicut sapientia.

Pecunia sicut sapientia ad protectionem.

44 PROB. V. Quod Christus Caput Ecclesiæ fecit in membrorum instructionem, laudabiliter a nobis exercetur; sed Christus exemit se, & redemit a persecutione Judæorum, juxta illud Joan. 7. *Post hæc autem ambulabat Jesus in Galilæam, non enim volebat in Judæam ambulare, quia quærebant Judæi eum interficere*. Ubi Augustinus — Quando ergo „ latuit ut homo non potentiam perdidisse „ putandus est, sed exemplum infirmitati „ præbuisse — Egregiè inde explicat id pro nobis fecisse; & Angelicus Doctor — „ Voluit Dominus ad consolationem no„ stram hoc in se præcessisse ostendere — Hoc idem declaratur Joann. 11. per illa verba: *Jesus ergo jam non in palam ambulabat apud Judæos, sed abiit in Regionem*, ubi Origenes — Hæc, & similia scripta fuisse „ censeo, volente Jesu nos advertere, ne „ iracundius, ac inconsideratius insiliamus „ in certamen mortis pro veritate testimo„ nium præbituri — S. Thomas ibi — Sed „ hoc fecit non propter defectum potentiæ, „ sed ut exemplum Discipulis demonstra„ ret — Igitur Christianus optimè potentiâ pecuniæ uti poterit ad effugiendam persecutionis violentiam, sicut naturæ viribus ad fugam.

Christus nostrum exemplar.

45 PROB. VI. Honesta est actio ad prudentiæ dictamen regulata: Sed dictamen prudentiæ est, non se committere certamini, in quo incertus potest esse exitus; juxta illud Proverb. 14. *Astutus considerat gressus suos, stultus transilit, & confidit*. Certamen autem imminentis persecutionis gravissimum est, in quo Sanctissimi defecerunt, prudentialiter itaque se gesserunt Libellatici munerum oblatione ab eo se eripiendo, & se, suaque in tutò constituendo. Unde Origenes *in Comment. Joan. c.* 31. dicebat — Honestum quidem est, si incide„ rit certamen, confessionem non differre; „ at non minùs quam hoc honestum est tali, „ tantæque tentationi occasionem non da„ re — Et hoc consonat Regulæ ab Apostolo constitutæ 1 Corinth. 10. v. 12. *Qui se existimat stare, videat, ne cadat*.

Actio a prudentia regulanda.

46 PROB. VII. Ideo non licuit Libellaticis illa nummaria redemptio, quia est virtualis negatio fidei; Sed hoc est falsum; est enim virtualis potiùs confessio fidei: timens enim ne in certamine deficiat, periculum declinat: Deinde dans pecuniam, vel fugiens patitur pro fide in bonis suis, quam si negare vellet, non fugeret, aut bona sua Tyrannis donaret: ergo. Ex propter benè dicebat Cyprianus *Lib. de Lapsis* — Primus victoriæ titulus, Genti„ lium manibus apprehensum, Dominum „ confiteri, secundus ad gloriam gradus „ est causa successione subtractum, Domi„ no reservari —

Virtualis Fidei confessio quæ.

§. II.

§. I I.

SOLVUNTUR TERTULLIANI ARGUMENTA.

47 **O**B. I. Tertollianos *Lib. de Fuga in Persecutione cap. V.* -- Certus es
„ te negaturum, si non fugeris,
„ aut incertus? Si enim certus, jam nega-
„ sti, quia præsumendo te negaturum id
„ despopondidisti .... Si verò incertus es,
„ cur non es æqualitate incerti metus inter
„ utrumque eventus, etiam confiteri te
„ posse præsumis? -- Ergo Libellatici pe-
cuniam offerando Christum negabant.

RESP. cum Naziazeno *Orat.* 20. --
„ Lex Martyrii est, ne nos ultrò ad certa-
„ men accedamus, hoc enim temerarii, ac
„ præcipitis est animi -- D. Thomas *in*
cap. 11. *Jo.* -- Quia valde præsumptuosum
„ est, periculis se ingerere propter incapa-
„ ricotiam propriæ virtutis, quæ quando-
„ que fragilis invenitur, & propter futuri
„ eventus incertitudinem -- Itaque pruden-
ter causam suam agit, qui conscius humanæ
fragilitatis certamen fugit, vel nummo re-
dimit.

Fugiendum potius, quam Fidē negare.

48 OB. II. *Ibidem* -- Aut in nobis est
„ utrumque, aut totum in Deo, si in nobis
„ est confiteri, & negare, cur non id præ-
„ sumimus, quod est melius, idest confes-
„ suros nos ... Si verò in Deo totum est,
„ cur non totum relinquimus arbitrio ejus?
„ agnoscentes virtutem, & potestatem,
„ quod possit nos in medio populo conver-
„ santes obumbrare -- ergo.

RESP. cum S. Petro Chrysologo *Serm.*
152. totum esse Dei, ex quo sic concludit --
„ De Martyrio ergo debemus totum Deo.
„ Nil nobis vincere Diabolum &c. -- D.
Thomas 2. *Cor.* 11. *Lec.* 6. -- Quandiu adest
„ humanum auxilium, homo non debet
„ confugere ad auxilium divinum, quia
„ hoc esset tentare Deum, sed debet illo
„ uti auxilio, quantum potest, Apostolo
„ autem nondum deerat humanum auxi-
„ lium -- Humanum auxilium fuga est, &
pecunia.

Martyr totū Deo debet.

49 OB. III. *Ibid.* -- Ego quod meum est
„ facio; non discedo. Deus si voluerit,
„ ipse me proteget. Hoc potiùs nostrum
„ est stare sub Dei arbitrio, quam fugere
„ sub nostro .... Quid aliud voluit Do-
„ minus nobis demonstrare hoc documento,
„ quam fugiendum non esse, quia nihil fu-
„ ga prosit, si Deus nolit --

RESP. cum S. Athanasio *Apologia de*
fuga sua -- Sancti ... qui ut homines igna-
„ ri erant temporis sibi a divina providen-
„ tia constituti, ac proinde minimè sese
„ insidiatoribus ingerebant, cum non igno-
„ rarent, id quod scriptum est in manibus
„ Dei esse sortes hominum -- Prodest ita-
que fuga, donec divina voluntas innote-
scat.

Fuga quando capienda.

50 OB. IV. *Cap.* 12. -- Certè, &
„ hujus timiditatis consilium est, quod ti-
„ mes, redimis: ergo fugis. Pedibus ste-
tisti, cucurristi nummis. Hoc ipsum quod
„ stetisti ex redemptione, fugisti --

RESP. cum D. Cypriano *de Lapsis*
n. 43. -- Nam cum corona de Dei digna-
„ tione descendat, nec possit accipi, nisi
„ fuerit hora sumendi, quisquis in Christo
„ manens interim cedit, non fidem negat,
„ sed tempus expectat: qui autem cum non
„ secederet, cecidit, negaturus remansit --
Non est igitur consilium timiditatis, sed
prudentiæ.

Fuga ex defamine prudentia.

51 OB. V. *Ibid.* -- Ut autem redimas
„ hominem tuum nummis, quem sanguine
„ suo redemit Christus, quam indignum
„ Deo dispositionis ejus ... Quis est nunc,
„ qui adversus illum reluctetur? Immò de-
„ pretiat, & mercedem ejus, tam magno
„ comparatam, pretiosissimo scilicet san-
„ guine, commaculat? Jam ergo melius
„ fugere, quam fieri viliorem, si non tan-
„ tùm sibi constabit homo, quanti constitit
„ Domino --

RESP. cum D. Athanasio *Apolog. de*
fuga sua -- Nec David in spelunca se exhi-
„ buit Sauli; nec filii Prophetarum ingres-
„ serunt se Achabi; Id enim erat facere
„ contra Dei præceptum cum in Scripturis
„ habeatur, Non tentabis Dominum Deum
„ tuum -- Non ergo dispositioni Dei resistit
illa redemptio; nec pretium sanguinis Chri-
sti commaculat, nec viliorem efficit mer-
cedem; immo appretiat, quia ne pereat,
custodire satagit. Habemus thesaurum hunc
in vasibus fictilibus, quæ facilè frangun-
tur, ideò periculis subtrahenda sunt, ne
illis fractis thesaurus sanguinis Christi de-
perdatur.

Prudenter timendum de nostra infirmitate.

52 OB. VI. *Ibid.* -- Non aliter & Simon
„ facere tentavit, cum pecuniam Apostolis
„ obtulit pro Spiritu Christi. Audiet ergo,
„ & iste, qui se redimens, Christi spiritum
„ redemit: Pecunia tua tecum sit in inte-
„ ritum, quoniam gratiam Dei pretio con-
„ sequendam putasti --

Simonis perfidia.

RESP. Simon gratiam miraculorum
emere pecuniâ voluit: Christianus, qui
militi offert pecuniam, non redimit Christi
Spiritum, sed vexationem, ne in duro cer-
tamine constitutus Christi Spiritum per-
dat.

53 OB. VII. *Ibid.* -- Cum das, ni-
„ qua ne tradaris, voluisti. Non traditus
„ autem, traduci habebas? Ergo dum no-
„ lendo tradi, non vis traduci, nolendo
„ negasti, quod te esse traduci noluisti --

RESP. cum Nazianzeno *Orat.* 10. --
„ Ne provocemus sive nostrarum animarum
„ metu, sive ut iis consulatur, qui peri-
„ culum nobis inferunt -- Utique Libella-
ticus delatori dat pecuniam ne tradatur, ne
traducatur, sed in hoc ipso confitetur, quod
est, scilicet, Christianus, quia certamen
declinat, ne in certamine deficiat, Chri-
stumque neget.

Christus fugâ non negatur.

54 OB. VIII. *Ibid.* -- Apud unum si
„ fortè confessus es, ergo & apud plures
„ nolendo confiteri, negasti. Ipsa falsus
„ judicabit hominem excidisse, dum eva-
„ dit: Excidit ergo, qui maluit evasisse.
„ Negatio est enim, martyrii recusatio --

RESP. Tunc præceptum confessionis
fidei urget, quando multitudo scandalizatur;

Fides quando confitenda.

 & tunc

& tunc redemptio illicita est, ubi a multitudine pro negatione fidei accipitur. Regulariter tamen ita non est; Vel enim multitudo novit illum esse Christianum, & ne cogatur Idolis sacrificare, pecuniam militi offerre, & tunc nulla subest scandali occasio. Vel ignorat esse Christianum, & jam nescit, quo da ea detur pecunia; adeoque nullum spiritualis ruinæ inest periculum. Recusatio autem Martyrii opportunum expectando tempus non est fidei negatio, ut ex Patribus visum est.

55 OB. IX. *Ibid.* -- Si non possumus „ Deo servire, & Mammonæ, possumus „ & a Deo redimi, & Mammona? Quis „ enim magis serviat Mammonæ, quam „ quem Mammonas redimit? --

RESP. Tunc Mammonæ servitur, cum in Mammone constituitur ultimus finis, qui autem Mammonâ utitur tamquam medio ad redimendam vexationem, ne Deum perdat, non constituit ultimum finem in Mammona, sed in Deo, cujus fidem periclitari non patitur.

56 OB. X. *Ibid.* -- Postremò quæ exempla „ uteris in redemptione traditionis? „ Apostoli tractantes, persecutionibus agitari, quando se pecuniâ liberarunt? . . . „ Paulus quidem, cum Felix Præses pecunias accepturum se pro eo a Discipulis „ sperasset, de quo & ipse in secreto tractavit cum ipso, neque ipse pro se, neque „ Discipuli pro eo numeraverunt --

RESP. Juxta Tertulliani sententiam seb initio *cap.* 10. Eadem est ratio de fuga, & Redemptione pecuniaria, & hæc duo conponunt in numero -- Porrò, qui quærit an „ persecutio fugienda sit, sequentem quoque „ jam prospiciat necesse est: an si fugienda „ non est, redimenda certè sit. Ultrò igitur, & de hoc tibi suggeram definiens „ persecutionem, quam constat non esse „ fugiendam, proinde nec redimendam. „ Pretium interest, certam sicut fuga redemptio gratuita est, ita redemptio nummaria fuga est -- Cum ergo de fuga in

Christiani a Persecutoribus quandoq; sese eripuerunt.

Christi Discipulis exempla suppetant, qui post S. Stephani passionem, exortâ in Ecclesia persecutione, dispersi sunt; & in Apostolis, qui occiso ab Herode Jacobo Apostolo, in diversas abiere Provincias, & pariter in Paulo, qui fuit in Sporta dimissus, jam planè fit nos æquivalens Redemptionis exemplum habere. Quod Paulus Felici non obtulerit pecuniam, nec ipsi Discipuli, non ideò factum, quia non liceret, sed quia jam tempus advenerat Romam navigandi ad Evangelizandum, de quo Paulus revelationem habuerat.

57 OB. XI. *Ibid.* -- Oportet enim quomodo Christus animam suam posuit pro „ nobis, ita fieri pro eo, & a nobis, nec „ tantùm pro ipso, immò etiam pro fratribus propter ipsum. Quod Joannes docens, non & fratribus numerandum, sed „ moriendum potius pronunciavit --

RESP. Præceptum pro Christo, fratribusque moriendi esse affirmativum, non jam semper, sed certo tempore, & loco obligans nisi in præparatione animi; unde quandoque se a nece licet subtrahere.

58 OB. XII. *Ibid.* -- Ab apice Regnorum, & Imperiorum utique a Deo „ dispositum statum, in cujus manu cor „ Regis, tantò quotidiè ærario augendo „ prospiciuntur, nec unquam usque adhuc „ ex Christianis tale aliquid prospectum „ est, sub aliquam Redemptionem capitis, „ & sectæ redigendis, cum tantæ multitudinis nemini ignotæ fructus ingens „ meti posset --

RESP. Habeit Ecclesia ærarium pro levandis pauperum necessitatibus, inter quas una est Potentum vexatio, ad quam tollendam potuit Ecclesia pecuniam offerre, nunc annui census colliguntur pro Captivis redimendis apud Turcas, ubi angustiis vexati sæpè deficiunt Catholici. Redemptio inter opera Misericordiæ connumeratur: Secta, hoc est, Religio Catholica non redimitur, sed vexatio persequentium evertitur, ne Religionis fides periculo exponatur.

Redemptio opus Misericordia.

59 OB. XIII. *Ibid.* -- Non decet Christum pecuniâ constare. Quomodo & „ Martyria fieri possent in gloriam Domini, si tributo licentiam sectæ compensaremus? --

RESP. Christus pro se, & Petro tributum dare jussit, ut scandalum auferret: Licebit quoque pro Christo pecuniam dare, hoc est, ne in Christum peccent Christiani, & ut Christum negandi periculum suæ fragilitatis conscii evitent, ut ex Patribus vidimus. Tunc Martyria in Dei gloriam cedunt cum debitis circumstantiis tolerantur. Imprudenter se illis committere ad hæresim Circumcellionum reducitur, de qua August. *de Hæresibus cap.* 69., *& Epist.* 50., quos Philastrius vocat Circuitores.

Periculum evitandum.

60 OB. XIV. *Ibid.* -- Reddite, quæ „ sunt Cæsaris Cæsari? Miles me, vel delator, vel inimicus concutit, nihil Cæsari exigens, immò contra faciens, cum „ Christianum legibus humanis reum mercede dimittit. Alius est denarius, quem „ Cæsari debeo, qui ad eum pertinet, de „ quo tunc agebatur, tributarius a tributariis scilicet, non a liberis debitus --

RESP. Cæsar utique, dum Christianos persequitur, non ipsorum pecunias, sed Deorum cultum exposcit, & Miles, ne Christianum prodat, pecuniam accipiens Principis mandata non exequitur; Verùm cum injusta exigat Cæsar, jure Christianus militi munus offerendo vexationem repellere quit.

Vexatio repelli potest.

61 OB. XV. *Ibid.* -- Aut quomodo „ reddam, quæ sunt Dei Deo? Utique proinde imaginem, & monetam ipsius inscriptam nomine ejus, idest, hominem „ Christianum? Quid autem Deo debeo, „ sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, „ quem pro me filius fudit ipsius? Quod „ si Deo quidem hominem, & sanguinem „ meum debeo, nunc verò in eo sum tempore, ut quod Deo debeo, expostulas; „ utique fraudem Deo facio, id agens, ne „ quod debeo solvam --

RESP. Hominem Christianum esse monetam Dei, ipsique debitam, sed non semper. Debet Christianus homo sanguinem

guinem suum dare Deo, sed tempore convenienti. Dum fugit, vel se redimit, non intendit negare debitum Deo, sed disponere prudenter solutionem. Quando Cæsar suo edicto expostulat Diis immolationem, debitus est sanguis Christianus Deo, si Fidei causa periclitetur, quæ non urget quamdiù generalis adhuc de Fide est interrogatio, & nondum individualiter Christianus traductus est; interea fugâ, vel munere sese subducere fas est.

Fidei confessio non semper urget.

62 OB. XVI. *ex cap.* 13. -- Sed & omni petenti me dabo in causâ eleemosynæ, non in concussuræ: Petenti, inquit. Porrò qui concutit, non petit, non eleemosynam expectat, qui non miserendus, sed timendus venit. Dabo igitur misericordiæ, non timiditatis meæ nomine, ubi qui accepit Deum honorat --

RESP. Eo loci Scriptura de elargitione eleemosynæ loquitur, & hic genuinus sensus est, nihilotamen minus sufficienter non solvit Tertullianus objectionem; aliis siquidem titulis petenti dare licet pecuniam. Petenti minando domus meæ combustionem, honestè pecuniam dabo: sic militi traductionem minando, ne fidem meam dubio exponam certamini, munus exhibebo; nec timiditatis nomine dabo, sed prudentiæ.

Pecuniâ redimitur vexatio.

63 OB. XVII. *Ibid.* -- Sed inimicitiæ alios habent titulos. Non tamen dixit traditorem, aut persecutorem, aut concussorem. Nam huic quanto magis carbones acervabo super caput, si non me redimero? --

RESP. Traditor, & persecutor inimicus est. Si non me redemero, carbones coacervabo super Concussoris caput non solummodo positionis, sed etiam gravioris culpæ, quia delictum, quod interiùs concepit, complebit; unde & mei, suique causâ meliorandâ pecuniam impertior.

64 OB. XVIII. *Ibid.* -- Proinde inquit: qui tibi tunicam sustulerit, vel etiam pallium concede. Ad eum pertinet, qui rem, non qui fidem meam eripere quæsierit. Concedam, & pallium non minanti traditionem; Si minatus fuerit, etiam tunicam reposcam. Omnium jam nunc Dominicarum suæ sunt, & causæ, & regulæ termini, non infinitum, nec ad omnia spectant. Atque adeo qui omni petenti dari jubet, ipse signum petentibus non dat. Alioquin si omnibus passim petentibus dandum putas, tu mihi videtis, non dico vinum febricitanti, sed etiam venenum, aut gladium mortem desideranti daturus --

RESP. Tunicam petenti prudenter conceditur & pallium, ut vita indemnis servetur. Petit quidem fidem Persecutor, sed ne fidem prodam, pecuniam substituo. Concedimus divinas pronunciationes terminos habere. Concedimus nec venenum febricitanti, nec gladium desideranti mortem dandum esse: sed dicimus dari pecuniam militi, ne venenum porrigat, hoc est, ne certamini, in quo victoria dubia esse potest, Christianus Fidem exponat.

Vita servatur pecuniâ.

65 OB. XIX. -- Facite autem vobis amicos de Mammona, quomodo intelligendum sit, parabola præmissa se docuit, ad populum Judaicum dictum . . . Quamvis nunc puta aliam interpretationem parabolæ, & sententiæ istius, dum sciat verisimile non esse, ut Concussores nostri in amicitiam redacti per Mammonam recipiant tunc nos in tabernacula æterna --

RESP. Certò certiùs Christi effatum aliud significat; verè quoque asseritur, quod in æterna tabernacula nos non recipiunt Concussores muneribus acceptis: nihilominus dictum illud non incongruè ad rem nostram deservire potest; Siquidem etsi non recipiant nos in æterna tabernacula, tamen nos ab eo certamine eximunt, in quo ab æternis tabernaculis excludi possumus. Perperam igitur Tertullianus hujusmodi Libellaticos criminatur. Nunc cætera Adversantium momenta expendamus.

§ III.

RELIQUA DILUUNTUR ARGUMENTA.

66 OB. XX. Nequit esse vera doctrina, cui apertè Patres refragantur; atqui Patres criminosos declarant Libellaticos; ergo nullatenus sunt a crimine immunes. Major propositio ostenditur. Sanctus Cyprianus descriptis istius generis Libellaticis *Epist.* 52. *ad Antonianum cap.* 4. habet -- Nunc tamen etiam iste, qui libello maculatus est, posteàquam nobis admonentibus didicit, nec hoc se facere debuisse, & si manus pura sit, & os ejus feralis cibi contagia nulla polluerint, conscientiam tamen ejus esse pollutam: Flet auditis nobis, & lamentatur, & quod deliquerit, nunc admonetur; & non tam crimine, quam errore deceptus, quod jam de cætero instructus, & paratus sit, contestatur -- Hic loquitur Sanctus Martyr de his, qui errore decepti erant, non crimine; primi autem generis Libellatici erant crimine maculati, exteriùs falsam Religionem simulantes; de aliis tamen dicit conscientiam habuisse pollutam.

RESP. Difficile sanè argumentum, cui tamen respondent Eruditi Beatum Cyprianum non loqui in illa periodo de secundi generis Libellaticis, quos ita describit, ut declaret omninò innocuos, sed de aliis, quos notos supponit ei, cui scribit; Si reos illos supponeret, asserere nequaquam posset manu non esse maculatos; illa siquidem muneris oblatio esset vitiosa. Ad alios itaque alludit, qui licet innocui ab externo Idolorum cultu, erant tamen conscientiâ maculati, quia exteriùs falsam simulabant Religionem; cumque falsò crederent id licere, ideo eos vocat errore potiùs deceptos, quam crimine.

Cyprianus Libellaticos quosdã damnat.

Interpretatio hujusmodi vim habet ex his, quæ *Lib. de Lapsis* habet -- Nec sibi quo minus agant pœnitentiam blandiantur, qui & si nefandis sacrificiis manus non contaminaverunt, libellis tamen con-

„ conscientiam polluerunt, & illa professio „ denegantis, contestatio est Christiani, „ quod fuerat abnuentis: fortasse dixit, „ quidquid alios faciendo commisit. Cumque „ scriptum sit non potestis duobus Dominis „ servire, servivit seculari Domino, „ obtemperavit ejus edicto, magis obedivit „ humano imperio, quam Deo -- Notanda sunt illa verba: *Illa professio denegantis*, quæ certè exteriorem negationem in libellis expressam satis innuunt, sicut & sententia: *Fecisse dixit, quidquid alios faciendo commisit* Libellos indicant, quibus Libellaticus se Diis sacrificare fatebatur; quod clariùs patet dum dicit, *Obtemperavit ejus edicto*. Etenim præcipienti numinibus sacrificium, Libellaticus dicit se eos colere. Hæc quidem Libellaticis, de quibus sermo recurrit, convenire non possunt.

67 DICES I. Loquitur de his Cyprianus, qui non jam exteriùs, sed in corde peccaverunt -- Videt ille corda, & pecto„ ra singulorum, & judicaturus est non „ tantùm de factis, sed & de verbis, & „ de cogitationibus nostris -- Sed Libellatici primi generis exteriùs peccabant falsam simulantes Religionem; secus alii: ergo.

RESP. Cyprianus ea dixit ad refellendam excusationem, quam producebant Libellatici, cur id fecerint -- Viderit an „ timore, vel dedecore, vel crimine apud „ homines publicaverit, quod admisit -- Et hanc excusationem nullam esse dicit, quia scriptum est: *Imperfectum meum viderunt oculi tui*; quo pariter momento utitur immediatè eos ad pœnitentiam adhortando, qui nec sacrificaverant, nec dederunt libellos, sed hæc facere cogitaverant, quia Deus non irridetur, utpotè scrutatur cordium. Libellatici secundi nec timore, nec dedecore ducebantur, sed artificiosè vexationem redimebant.

Deus corda scrutatur.

68 DICES II. Ratio, qua concludit pro factis, vel verbis, vel cogitationibus militat pro omnibus Libellaticis, hujusmodi enim est -- Qui me confessus fuerit, confi„ tebitur eum Filius hominis. Christianum „ se putat, qui Christianus esse confundi„ tur, aut veretur? Quomodo potest esse „ cum Christo, qui ad Christum pertinere „ erubescit, aut metuit -- Omnes porrò Libellatici confiteri Christum metuunt: ergo.

RESP. Clarissimè ad Libellaticos secundos ratio prædicta non pertinet, de his siquidem ad Antonianum dixit, eos & coram Episcopo, & in oblatis libellis fateri se Christianos esse, sibi Diis sacrificare non licere. Quod si quis ex istis in corde suo erubescebant Christum sequi, gravissimo utique coinquinati erant crimine; sed hoc aliis vitio verti neutiquam debebat, qui prudentià duce ea utebantur solertià; sicut fuga in persecutione non est in crimine, nisi quis fugeret, quia Christi esse erubescebat.

69 DICES III. Descriptis Libellaticis secundis ad Antonianum subdit -- Et ideo „ placuit, Frater charissime, examinatis „ causis singulorum, Libellaticos interim „ admitti, sacrificatis in exitu subvenire, „ quia Exomologesis apud inferos non est -- Ubi integrâ non peractâ pœnitentiâ Libellaticos vult admitti, secus sacrificatos, nisi in mortis discrimine constituti.

RESP. S. Cyprianus vel loquitur de Libellaticis primi generis simulantibus Christianæ Religionis negationem, qui minori pœna digni ducebantur, quam sacrificati; vel de illis, qui Libellos quoscumque offerebant, sed ad Christum pertinere erubescebant.

Christū erubescere non debemus.

70 DICES IV. S. Cyprianus ejusdem labii est cum Romana Ecclesia; Sed hæc reprobat Libellaticos secundi generis: ergo. Min. habetur ex Epist. Cleri Romani ad B. Cyprianum, quæ inter Epist. S. Martyris est 31. -- Hoc nos non falsò dicere su„ periores nostræ literæ probaverunt, in „ quibus vobis sententiam nostram dilucida „ expositione protulimus adversus eos, qui „ se ipsos infideles illicita nefariorum li„ bellorum professione prodiderant; quasi „ evasuri irretientes illos Diaboli laqueos „ viderentur, quo non minus, quam si ad „ nefarias aras accessissent, hoc ipso, quod „ contestati fuerant, tenerentur --

RESP. Hoc testimonium contra nos neutiquam urget, qui satis clarè de Libellaticis primi generis sermonem habet, qui profitebantur se infideles, dum exteriùs Christianam Religionem ejurabant; Isti contestati sunt exteriùs se Diis sacrificare, & ideo cum illis meritò recensentur, qui ad nefarias aras accesserunt, proindeque eodem Diaboli laqueo cum illis tenentur.

Qui Libellatici æquiparentur sacrificatis.

71 OB. XXI. Ex Concilio Illiberitano Can. 3. habetur -- Item Flamines, qui „ non immolaverint, sed munus tantùm „ dederint, eo quod se a funestis abstinue„ rint Sacrificiis, placuit in fine præstari „ eis Communionem, facta tamen legitima „ pœnitentia. Item ipsi si post pœnitentiam „ fuerint mœchati, placuit ulterius eis non „ esse dandam Communionem, ne lusisse „ de Dominica Communione videantur -- Sed in Flaminibus dantibus munus intelliguntur Libellatici secundi generis, ut fert Eruditorum sententia: ergo.

RESP. Canon iste propter sui obscuritatem Interpretes, & Eruditos in diversas traxit opiniones, in quibus referendis non injucunda eruditio occurrit, sed summis labiis a nobis degustanda. Prima igitur opinio vult Canonem agere de Libellaticis secundi generis; Sed propter dicta in resolutione nostra non ignobiles Eruditi falsam adjudicant; quibus addendum, quod Canon exprimit præcisè Flamines, idest Sacerdotes Idolorum ad fidem conversos (Apud Gentes enim Sacerdotes Flamines dicebantur) vel etiam per extensionem comprehendere voluit Sacerdotes ab initio Christianos; Libellatici autem non erant solummodo Sacerdotes.

Flamines qui dicebantur.

Secunda opinio sustinet Concilium loqui de his, qui munera in honorem Idolorum exhibebant, quod munus duplicis erat generis, scilicet per modum sumptus, & per modum eleemosynæ: per modum sumptus, quando portio aliqua pecuniæ pro sumptibus faciendis circa Idolorum sacrificia, vel

vel fanu persolvebatur, quod ad crimen Idololatriæ spectare docet Tertullianus *lib. de Idololat. cap.* 11., & 16., ubi eodem crimine maculantur, qui etsi pecuniam non offerrent, aliquod tamen propriæ artis opus præstabant. Ad Festa Ethnicorum oleum, lucernamve deferre illicitum esse declarat *Canon.* 70. Apostolorum.

Munus verò per modum eleemosynæ impertiebatur in stipem Idolo, cum deferrebatur per circuitum. Etenim solemne erat Gentibus singulis mensibus deferre per Pagos, & Urbes, per vicos, & Plateas simulacra Idolorum, pecunias, aliaque pro illorum cultu expostulantes: Solebant autem Sacerdotes deferre Idolum super humeros. De hoc more, alios inter, agunt Tertullianus in Apollogetico *cap.* 13., & 42., Justinus Martyr *Lib. de Monarchia*, Clemens Alexandrinus *Orat. ad Gentes*: Hanc ob causam Martyrium subierunt Sanctæ Justa, & Roffina Sorores: Istæ piæ mulieres vasa fictilia vendebant Hispalis in Hispania, ut lucrum in Pauperum subsidium impenderent, & Martyrum Christianorum; Contigit autem quadam die per eum locum, ubi vasa vendebant, Ethnicas Mulieres Hispalenses pertransire circumferentes Solambonem Deam, istæ a piis Sororibus pro turpi Idolo stipem petierunt; negaverunt illæ profitentes se vero Deo, non autem inanibus Diis cultum offerre; Ethnicæ indignatæ Idolum projecerunt in vasa, eaque fregerunt; ex adverso Justa, & Ruffina arrepto Simulacro comminuerunt, ob hoc ab Idolorum Ministris comprehensæ pro Christi Fide crudeliter ad mortem usque excruciatæ Martyrii coronâ condecoratæ fuerunt.

Gentiles Idola circumferebant.

Tertia demum opinio docet sub muneris nomine intelligi scænas, ludos, atque spectacula. Supponit namque ex Tertulliano *de Spectac. cap.* 12., & *ultimo*, & ex aliis præclaris monumentis antiquitatis ad Flamines pertinuisse aperire ludos; Ex istis aliqui ex ambitione ad hæc officia promovebantur; alii ex necessitate illa exercebant, cum essent munia patrimonialia, quæ etiam a Christianis quibusdam suo ordine, & vice in Provinciis peragebantur. Sine Idolo, & sine sacrificio nullus edebatur ludus; hinc & homicidia, & turpitudines perpetrabantur. Hanc esse Canonis Illiberitani mentem veriùs existimant Auctores tertiæ opinionis, quatenus adiicit istis Flaminibus amplius deidem non esse communionem, si ulterius, præter crimen aperiendi, & præsidendi ludis, mœchati fuerint. Non igitur Canon Libellaticos secundi generis afficit.

72 OB. XXII. Non possumus Libellaticos hujusmodi laudabiles credere, nisi Martyres, eosque plurimos damnemus; ex siquidem ducimur fundamento, quod non liceat ultrò se Martyrio offerre; hinc licet fuga, & Redemptio vexationis: Constat autem ex traditione innumeros ultrò, & sponte sese obtulisse martyrio. Martyrologium Romanum quosdam refert sub die 20., & 30. Augusti; sub 22. Septembris, & sub 9 Octobris, & alibi. Eusebius *lib.* 8. *c.* 5., Sozomenus *lib.* 6. *cap.* 18., Baronius sub anno 362., & 814., & 110., & 118., & 852., aliique plures.

RESP. Molestum sanè videri potest argumentum, quod ut plures veneretur ùt Martyres, Libellaticos reos efficere contendit; Verùm hæc inter non paucos cogitur accusare Martyres, aliosque pietate insignes, eos omnes scilicet, qui fugam arripuerunt, & latibulis latitarunt; Sana tamen doctrina utrosque salvat, & veneratur. Sine causa se ultrò Martyrio offerre illicitum adjudicant Patres, ex causa laudabili deprædicant. Quales porrò justæ sint causæ, breviter subjiciendum est.

Quando se Martyrio exponi quis debet.

Prima causa per se est Dei honor; ubi fidei hostes adversus Catholicam Religionem debachantur, sacra irrident mysteria, sanctam doctrinam subsanant, Dei nomen coram nobis blasphemant, deturpant imagines, Sacramenta contumeliis profanant, & similia patrant, ex quibus Dei honor conculcatur, fideique veritas periclitatur; Tunc confessio fidei utilis est, vel necessaria; qua de re D. Thomas 2. 2. *q.* 3. *art.* 2.

Secunda causa per se est utilitas proximis impendenda: Ubi rudes instruendi, confirmandi nutantes, dejecti erigendi, catervatim abnegantes retinendi, crudelitate persequentium periclitantes sublevandi. Exemplum affert Baronius in S. Sebastiano, Nazianzenus in Marco Arethusio Episcopo. Ad hanc causam pertinet, ubi plures a fide sponte deficiunt, ob quod Ethnici glorientur, tunc & publicè increpare desertores, & publicè fidem prædicere Catholicis etiam cum periculo vitæ licet. Doctrinam, & exempla profert Sanctus Petrus Alexandrinus *Can.* 11. *de Lapsis*, S. Eulogius *lib.* 2. *Memorialis Sanctorum cap.* 15.

Periclitantibus in fide subveniendū.

Tertia causa est erga seipsum charitas. Cum scilicet, nisi ultrò provocet hostem Christianus, a fide ipse deficiet; quo motivo plures Catholici in hostes insilierunt. Apud Sanctum Petrum Alexandrinum *Can. mox laudato*. Ad hanc reducitur scandali, & honoris Dei reparatio, ùt cum post abnegatam publicè fidem Christianus ad se reversus, se præsentet Tyranno, & Christum palam profitetur. Doctrinam, & exempla producit Sanctus Petrus Alexandrinus *Can.* 8. *de Lapsis*, B. Cyprianus *lib. de Lapsis in fine*. Hùc facit doctrina S. Augustini *Epist.* 137. *cap.* 2. Licere videlicet in medium prosilire, ubi plebs aliqua, vel sacra familia laceratur ab infidelibus, & irridetur, bonique nominis odor deperditur.

Quarta causa est legitima Principis potestas, quæ facultatem impertitur fana Gentilium evertendi, confringendi Idola, Catholica erigendi Templa, quod innuit Augustinus *Ser.* 6. *de verbis Domini cap.* 11. Hùc reduci potest momentum aliud, ne alii Fideles pro me vexentur, possum sponte Tyranno me sistere, Paulo docente *Act.* 19.

Quinta causa est Sancti Spiritus motio, qua singulariter acti Filii Dei ad heroica prosiliunt, juxta communem Patrum doctrinam. Ea propter laudabiliter plures Martyres irruerunt in fana Gentilium, Idola dejecerunt, Aras incenderunt: quorum plura suppetunt exempla in Martyrologio r

Eo-

Eodem acti Spiritu alii flammis ultrò sese tradiderunt, ùt Ecclesiasticæ tabulæ acta referunt apud Eusebium *lib. 6. cap. 34.*, & apud Augustinum *lib. 1. de Civit. Dei cap. 26.*

Ad ultroneū Martyrium, quæ præ-requirantur.

Ut quis tamen ultroneè possit se Martyrio exponere, tria requiruntur; scilicet, bonæ vitæ dispositio, ùt docet Augustinus *Serm. 32. de Sanctis*, nisi Spiritus ille, qui ubi vult, spirat, alia dictet, ùt dicit laudatus Doctor *lib. 3. de Civit. cap. 7.* Finis primarius sit Dei gloria, fidei exaltatio, Proximorum salus, boni effectùs ex confessione sperentur, nullusque pravus timeatur effectus; Propterea publicus Ecclesiæ Minister Populo apprimè necessarius, spontè se tradere Martyrio nequit: Prædicta si non observentur, periculum subest in Circumcellionum labendi errorem, qui ùt scripsit Augustinus *Epist. 50.* ad hoc solùm veniebant, ut integris Idolis, ipsi perimerentur: a viatoribus expetabant occidi, a Judicibus feriri extorquebant.

In Fidei confessione usque ad mortem perseverantia, signum est motionem ex Deo fuisse, ex quo Ecclesia hos tanquam Martyres veneratur, & colit. Si quis tamen a Fide in tormentis deficiat, si prædicta fuerint servata, non indè meritò colligitur motionem a Deo non esse; quia non omne, quod a Deo est, incorruptibile perseverat; alioquin corruptibiles Creaturæ non essent a Deo, quod inter Manichæorum errores recensetur, & illi, qui semel a Deo gratiam accepissent, amplius non peccarent, nec gratiam amitterent, quod est Hæreticum. D. Thomas 2. 2. *quæst. ult. art. ult. ad 1.*

Quæ a Deo sunt, deperdi possunt.

Ex huc usque perpensis non infimæ notæ Theologi justam propugnant causam sese ultrò offerrendi Martyrio, ipsam esse actualem persecutionem, dummodò ex ultronea oblatione majora non sequantur mala, sævior nempe persecutio, periculum lapsus, Fideliumque scandalum; Unde persona, qua sublata, fides inferiorum periclitatur, non potest se offerre; hujusmodi sunt Pastores, & Evangelici Prædicatores. Sententiæ suæ rationem reddunt; Licitum est Martyrio se offerre, quoties gloria Dei, Fideique utilitas adest; atqui sæviente persecutione ex ultronea sui oblatione, seu publica fidei confessione semper Dei gloria, ejusdemque fidei utilitas adest. Etenim illa constantia præclarissimum est Divinæ Fidei testimonium: Christi persecutor confunditur: videtque ultroneè confitentium magnanimitatem de aliquorum lapsu nequaquam gloriari potest. Magna quoque intercedit fidei utilitas, cum roborentur infirmi, Infideles tantam fortitudinem mirati sæpè trahuntur ad fidem: quandoque Apostatæ ad pœnitentiam avocantur: quandoque etiam pax Ecclesiæ redditur, ùt notat Sanctus Jo. Chrysostomus *Ser. de Sanctis Juventino, & Maximo*.

Persecutio justam suppetit causam Martyrii.

73 Quod si quis dicat scriptum esse Matth. 7. *Nolite dare Sanctum canibus*, & Matth. 10. *Cum vos persequentur in Civitate ista, fugite in aliam*. Respondent primum tenere ubi ex confessione nulla consurgit fidei utilitas, nullus Dei honos, cujus oppositum verificatur Tyranno actu persequente; aliud verò dicunt sub præcepto urgere I. Apostolos nimirum Ecclesiæ propagandæ necessarios. Tertullianus *de fuga in Persecutione*, Chrysostomus *Homil. 35. in Matth.*, Hieronymus *in Matth.* 10. II. Perutiles viros ad Catholicam tuendam fidem adversus hostes, ad Fideles confirmandos, ad Sacramenta administranda, ad consilia, & exhortationes præbendas. *August. Epist.* 150. III. Ubi unus tantùm exquiritur ad necem, sicut in casu Pauli, & D. Athanasii. Augustinus *ibid.* IV. Infirmos animi ad fortiter sustinenda supplicia; non enim est tentandus Deus. August. *T. 6. lib. 22. contra Faustum cap. 36.* V. Ubi ex confessione periculum oriri potest magis irritandi Tyrannum, & crudeliùs sæviendi in Catholicos; sicut ubi nulla est fidei utilitas, ùt si ab occulto Hæretico timeat Fidelis necem, veneno, aut simili medio. S. Eulogius *lib. 2. Memorialis Sanctorum*. Extra hos casus fugam dicunt esse licitam, sed non præceptam; quare laudabiliter egisse eos prædicant, qui fugerunt propter fines sibi propositos, pariterque laudabiliter egisse, qui se spontè obtulerunt; nec temeritatis, & tentationis Dei accusandos esse, si juxta prædicta hostem provocaverunt; nec occasionem ruinæ Tyrannis dedisse, quia illud erat scandalum passivum ex pura malitia, quod justa de causa permitti potest.

Quando fugiendum a persecutione.

74 Quod si iterum objiciatur *Can. 60.* Illiberitani Concilii, qui ait — Si quis Idola
„ fregerit, & ibidem fuerit occisus, qua-
„ tenus in Evangelio scriptum non est,
„ nec invenitur ab Apostolis unquam fa-
„ ctum, placuit in numero eum non reci-
„ pi Martyrum — Respondent I. Canonem agere de Circumcellionibus, qui ausu temerario, & vana ostentatione Martyrii prosiliebant, & evertebant Idola, ut occiderentur; Verùm solutio nullius est roboris, quia hoc stultorum genus in sola Africa vigebat, ad Donatistas enim spectabat. Ideo respondent II. Canonem ad pauperes quosdam ordinarii Christianos, vel etiam alieno ære gravatos ad illud solvendum impares, vel necessariis ad victum carentes, qui ut alerentur in Carceribus, sive ut a vexatione solvendi debita liberarentur, irruebant in Idola, quo facinore salvi fieri putabant: De iis enim mentionem facit Mensurius Carthaginensis Episcopus Epist. ad Secundum Tigisitanum. Morem fuisse alendi Christi Confessores testatur Tertullianus *ad Martyres*, Cyprianus *Epist. 37.*, & Patres Concilii Carthaginensis IV. *Can. 43.*, ubi hoc pietatis opus præscribunt. Sed neque hæc solutio mentem Concilii assequitur; publicum enim fidei bonum promovere, non privatos aliquos minùs rectè ambulantes coercere intendebat. Quare loquitur Concilium de irruentibus in Idola, illaque confringentibus in præjudicium publicæ causæ, hoc est, fidei, quod tunc accidebat, cum ob illa facinora Gentiles crudeliùs in Christianos sævirent; Optabant enim nascentis Ecclesiæ Patres, ut Christiani superstitionibus Ethnicorum virtutibus modestiæ, patientiæ, humilitatis sese opponerent, ut non

vi

vi Dæmonum delubra everterent, sed pietate, & Religione deturbarent, quo pacto Religionis propagatio soli Deo tribuitur, & fidei virtus admirabilior efficitur, & venerantur. S. Augustinus *Ser. 6. de verbis Domini cap. 11.* regulam statuit circa Idola diruenda, scilicet ut non fiat, quandiù Pagani sub ditione nostra non fuerint, nec statim ac sub nostra potestate sunt, sed priùs ab illorum cordibus, deinde ab eorum agris, & domibus amovendum est Idolum. Itaque si aliqua commotio, & odium in Paganis, etiam si nobis subditis, adversus fidem timeatur, permitti potest, donec prudentia salubrius consilium suggerat. Advertendum quoque est Canonem hunc non declarare frangentes Idola Martyres non esse, sed honoribus Martyrum non esse colendos, quo tamen non obstante decreto, plures Catholici laudabiliter Idola fregerunt, quos Ecclesia albo Martyrum adscripsit.

75 Opponi ulteriùs posset Decretum Mensurii Carthaginensis Episcopi, qui eos honorari tanquam Martyres vetuit, qui sese persecutoribus offerebant, & ultrò dicebant se Scripturas habere, quas non traderent, a quibus has nemo quæsierat: Cujus Epistola lecta fuit in Collatione cum Donatistis diei tertiæ *cap. 13.* apud Augustinum *To. 7. in Breviculo Collationum*. Magnæ autem auctoritatis est Mensurii Constitutio; cum enim esset Africanæ Ecclesiæ Primas, ipsius erat Martyres, Martyrumque honores in sua ditione decernere. Cui respondent I. Epistolam Mensurii dubiæ fidei esse utpotè a Donatistis productam, Christianos tamen haud fuisse sollicitos illius falsitatem palam facere, cum sive falsa, sive vera foret, causæ, quæ agebatur, non officeret. Respondent II. Ad cautelam Decretum illud statutum fuisse a Mensurio; cum enim error, & stultitia Circumcellionum vigeret, ne in illam inciderent Catholici, statuit Christianos spontè se offerentes Tyrannis non esse honorandos.

76 Si tandem opponatur Sanctorum Patrum auctoritas, quæ affirmat Martyrium non cadere sub merito, eosque Fidelibus generalem declarasse legem, ne ultrò se offerant Persecutoribus. *Resp.* ad primum non cadere Martyrium sub merito *de Condigno*, secus *de Congruo*; unde laudabiliter fugiunt, qui se indignos existimant; & laudabiliter neci se tradunt, qui charitate fervent. Ad secundum dicunt aliqui Patres turbam, & plebem, in qua simplices, & ignorantes, timidique plurimi existunt, adeoque lapsus, & imprudentiæ periculum subest. Ideo generalem legem ferunt, sub qua tamen non comprehendunt ferventes Spiritu, de quibus Cyprianus *Epist. 26.* -- Hostes jam non tantùm non
„ perhorrescimus, sed provocamus --

CONTROVERSIA III.

§. I.

AN DIACONI ABSENTIBUS PRESBYTERIS, ET EPISCOPIS IN ARTICULO NECESSITATIS SACRAMENTALITER LIBELLATICOS TERTII GENERIS ABSOLVERINT.

IN Synopsi indicavimus munus Diaconorum fuisse Martyrum Carceres lustrare, eosque spiritualiter animai, & temporaliter solari, ad ipsos quoque pertinebat lapsos in articulo mortis constitutos, qui habebant Martyrum libellus, in pace dimittere quoties Episcopus, & Presbyteri aberant. Lex ista Eruditos movit ad inquirendum, num in eo casu Diaconi Lapsos absolverent sacramentaliter. Controversia non ad Historicos tantùm, sed ad Polemicos spectat utpotè tangens dogma de Sacramenti Pœnitentiæ Ministro, quem suo loco solummodo Sacerdotem diximus; nihilotamen minus aliquid hìc subnectere fas est, tum ut antiquæ disciplinæ circa Lapsos qualitas explicetur, tum quia Joannes Morinus Vir non ignobilis eruditionis plura urget, quibus abuti possunt Acatholici adversus veritatem de Ministro Sacramenti Pœnitentiæ. Non immorabimur in fundamentis positivis, cum nihil novi possit addi iis, quæ eo loci protulimus, sed labor totus erit in diluendis breviter objectis. *Diaconi Martyrum Carceres visitabant.*

77 Dicendum Diaconos nullatenus sacramentaliter absolvisse Lapsos. Ostenditur demonstrativè. Illud nullatenus concessum est Diaconis, & licuit ad valorem Sacramenti, quod ex divina institutione solis Sacerdotibus fuit collatum: Sed ex divina institutione potestas absolvendi sacramentaliter solis Sacerdotibus fuit collata: Ergo Diaconi nusquam potuerunt Lapsos absolvere sacramentaliter. Illatio est evidens, si minor propositio declaretur, quæ constat tum quia est definita in Lateranensi IV. *Can. I.*, & in Trident. *Sess. 14. cap. 6.*, tum quia *Matth. 16.*, & 18. potestas Clavium, ad quam pertinet absolutio sacramentalis, solis collata est Apostolis, eorumque successoribus, qui Episcopi, & Presbyteri sunt, non autem Diaconi: tum quia *Joan. 20.* Auctoritas remissiva peccatorum a Christo commissa est solis Sacerdotibus, ut constans Traditio docet: His pondus additur, quia in veteri lege solummodò Sacerdotibus mandatum erat judicare de Lepra, atque ad ipsos misit Christus Leprosos ab ipso sanatos. Demum quia potestas in mysticum Christi Corpus oritur ex potestate in Corpus reale Christi. Hæc delibasse sufficiat. Alibi enim veritatem hanc enucleavimus. *Potestas absolvendi Sacerdotibus collata.*

Ee §. II.

§. II.

ADVERSA SOLVUNTUR ARGUMENTA.

78 OB. I. In Hierarchico ordine juris divini Diaconus cum Sacerdotibus, & Episcopis recensetur, & in pluribus Canonibus Apostolicis simul ponuntur Episcopus, Presbyter, & Diaconus: Non repugnat ergo juri divino, quod servato ordine Diaconus sacramentaliter absolvat.

Diaconus est de Ecclesiastica Hierarchia.

RESP. Quod jure divino Diaconus ad Hierarchiam Ecclesiasticam spectat, sed negatur ei convenire, ubi deficit Sacerdos, potestas absolvendi sacramentaliter, quia gradus quilibet sua habet munia, quæ alteri inferiori communicari nequaquam possunt.

79 OB. II. Cui in Sacra Ordinatione Spiritus Sanctus confertur, convenit Sacramentaliter absolvere: dicente Joann. 20. *Accipite Spiritum Sanctum: Quorum remiseritis peccata &c.* Sed Diacono confertur Spiritus Sanctus, ut ex verbis formæ ab Episcopo ordinante prolatæ videre est: ergo.

Spiritus Sanctus datur ad plura munera.

RESP. Dari quidem Diaconis Spiritum Sanctum per Sacræ Ordinationis formam, ad quem verò finem colligendum est ex verbis ipsis, quæ profert Episcopus manus imponens, & sunt -- Accipe Spiritum Sanctum ad robur, & ad resistendum Diabolo, & tentationibus ejus in nomine Domini -- Apud Joannem verò Spiritus Sanctus expressè cullatus legitur ad relaxanda crimina, ea propter diversimodè a Diacono accipitur.

80 OB. III. Ministerium reconciliationis, quod vocatur ministerium Dei, etiam per sacramentalem absolutionem exercetur; Sed hoc committitur Diacono, & idem Episcopus, dum manus imponit orans dicit -- Emitte in eos Domine Spiritum Sanctum, quo in opus ministerii tui fideliter exequendi septiformis gratiæ tuæ munere roborentur: ergo.

RESP. Ministerium reconciliationis, non idem est, ac Ministerium Dei; Illud equidem est ministerium Dei, sed non omne ministerium Dei est ministerium reconciliationis; quare ex quo ministerium Diaconi sit Dei ministerium, non inde infertur esse ministerium reconciliationis, adeoque potestatis absolvendi a peccatis.

81 OB. IV. Seculo III. solenne erat Diacono Lapsos, Episcopo, & Presbytero absentibus, sacramentaliter absolvere, ut abundè testatur Cyprianus *Epist.* 13. *ad Carthagin. Presbyteros, & Diaconos* -- Quoniam tamen video facultatem veniendi ad vos nondum esse: & jam æstatem cœpisse, quod tempus infirmitatibus assiduis, & gravibus infestat, occurrendum puto Fratribus nostris, ut qui Libellos a Martyribus acceperunt, & prærogativa eorum apud Deum adjuvari possunt, si incommodo aliquo, & infirmitatis periculo occupati fuerint, non expectata præsentia nostra apud Presbyterum quemcumque præsentem, vel si Presbyter repertus non fuerit, & urgere exitus cœperit, apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui, ut manu ejus in pœnitentiam imposita, veniant ad Dominum cum pace, quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt -- Ex quibus gravissimæ instantiæ colliguntur evincentes Diaconum tunc temporis absolvisse sacramentaliter.

Prima continetur in illis verbis -- Occurrendum puto Fratribus nostris -- Id concedit Diacono, quod est necessarium ad succurrendum moribundo: sed moribundo semper omnia est necessaria absolutio sacramentalis, qua peccata dimittuntur: Secundam exhibent illa verba -- Ut qui Libellos a Martyribus acceperunt -- Isti non erant ullo excommunicationis vinculo præpediti; cum essent ab Ecclesia inter Pœnitentes adscripti; adeoque manus impositio, de qua mentionem facit, non potest intelligi de absolutione a Canonica Censura, sed de sacramentali a peccatis: Tertiam produnt illa -- Vel si Presbyter repertus non fuerit -- Totum id concedit Diacono Presbytero absente, quod concedit Presbytero præsenti, ipso Episcopo absente: Innegabiliter autem Presbytero concedit absolvere sacramentaliter, ergo & Diacono. Quartam dant illa -- Apud Diaconum quoque Exomologesim facere delicti sui possint -- Nomen Exomologesis venit sacramentalis confessio in sensu traditionis; aliàs si ad alium sensum liceret nomen hoc detorquere, argumentum a traditione firmatum pro usu auricularis confessionis adversus Sectarios infirmabitur. Quintam indicant sequentia -- Ut manu ejus in pœnitentiam imposita -- Manus impositio in pœnitentiam est Sacramentalis absolutio ex Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 76., ubi agens de absolutione Phrænetici morti proximi, ipsum dicit absolvi posse, si ante postulaverit -- Dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam, & si continuò creditur moriturus, reconcilietur per manus impositionem, & infundatur ori ejus Eucharistia -- Sexta habetur, dum ait -- Veniant ad Dominum cum pace -- Hic pacem dare significat in phrasi Cypriani, sicut constat *Epist.* 54. ad Cornelium Papam, admittere ad Eucharistiam; Atqui non dabatur Eucharistia nisi præmissa Sacramentali absolutione: ergo concedit Diacono posse sacramentaliter absolvere. Septima demum ex illis -- Quam dari Martyres literis ad nos factis desideraverunt -- Dubio-procul Martyres Sacramentalem dari absolutionem postulabant.

RESP. Argumentum multum quidem urgeret, nisi Sanctus Cyprianus is esset, qui Sacerdotibus claves pœnitentiæ tribueret, aut nisi ejusdem labii esset cum prioribus Conciliis Carthaginensibus, quæ ministerium reconciliationis Presbyteris adscribunt. Non loquitur igitur Sanctus Martyr eo loci de Sacramentali absolutione; Etenim apprime noverat, quæ Sacerdotibus, Epi-

Episcopisva conveniunt, aliis nequaquam esse communia. Itaque de his omnibus sermonem instituit Cyprianus, quæ circa pœnitentes morti proximos peragebantur, & in sui absentia a Sacerdote, & Diacono ea per distributionem accommodam exerceri concedit, quæ ipse præsens faceret. Hinc Eucharistiæ dispensationem absente Presbytero, permittit Diacono; & tamen casu, quo absente Sacerdote nulla Hostia consecrata in promptu habeatur, ipsi consecrandi copiam non facit.

Diaconi opera circa Morituros.

Hinc ad primam dicimus equidem velle Cyprianum meliori modo provideri Moribundis, variùm per possibilia, & congrua media: Sacramentalis absolutio maximè exoptanda, atque dum haberi potest summè necessaria, secus ubi debitus Minister deficit: Tunc enim sola contritione habetur salus, & ad hanc excitandam, fovendamque Diaconorum opera plurimum prodesse potest.

Ad II. Conceditur loqui Cyprianum de Lapsis pœnitentibus excommunicatione nullatenus ligatis, sed non inde rectè colligas loqui de impositione manus sacramentaliter absolvente, quæ Sacerdotali characteri essentialis est; sed de alia, quæ non Sacerdotibus convenire potest, ùt mox explicabitur.

Ad III. S. Martyr Diaconum parem facit cum Presbytero, quoad illas cæremonias, & ritus, qui sub jurisdictione cadunt, non autem ea, quæ sunt primariæ lineæ characteris; Ea propter sicut nec Presbyter in eo casu posset Confirmationis Sacramentum conferre, si illo careret Moribundus, nec Diaconus Hostiam consecrare valeret, si nulla consecrata reperiretur, ita neque ea concessione a Cypriano facta sacramentaliter absolvere posset.

Ad IV. Utique Exomologesis nomine intelligit Cyprianus sacramentalem confessionem, sed ex parte Pœnitentis, quæ quatenus est de se sufficiens fit ad Sacramentum, & deficiente Ministro ad contritionem excitandam peropportuna est; non autem de auriculari confessione per absolutionem completa sermonem instituit; Nam illam impertire haud poterat Diaconus; De hujusmodi incompletæ confessionis usu, infra dicetur.

Ad V. Impositio manus in pœnitentiam duo includebat, prolationem scilicet absolutionis, atque deprecativam orationem, qua Minister Deum rogabat, ut veniam daret Pœnitenti. Cyprianus concedit Diacono imponere manus in pœnitentiam quantum ad secundum munus, secus quatenus ad primum: concedit etiam manus imponere, quatenus erat cæremoniale signum receptivum Pœnitentis ad reliquorum Fidelium communionem.

Ad VI. Non inficiamur asserere ibi Cyprianum de Eucharistia loqui, quæ nisi prævia Sacramentali absolutione Pœnitentibus non concedebatur; Ceterum ubi deficiebat Confessarii copia, sacra Synaxis largiebatur his, qui vera contritionis signa dabant, quod abundè comprobat Senis Serapionis exemplum, cui in agone constituto Presbyter, qui accedere non poterat, Eucharistiam per puerum misit, ùt legere est apud Eusebium *Lib. 6. Historiæ cap. 36.*

Ad VII. Utique Martyres dari absolutionem Sacramentalem postulabant; sed divina servata institutione; Eorum enim petitio non erat in prævaricationem, & abusum, quapropter subintelligebant ubi, & quando aderat Minister.

82 OB. V. Primitivæ Ecclesiæ disciplina credidit in Diacono potestatem absolvendi sacramentaliter in articulo necessitatis. Legitur enim *Can. 32.* Illiberitani Concilii -- Apud Presbyterum, si quis gravi „ lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit „ agere pœnitentiam non debere, sed potiùs „ apud Episcopum, urgente tamen infirmi- „ tate, necesse est Presbyterum Communio- „ nem præstare debere, & Diaconum, si „ ei jusserit Sacerdos -- Dabatur autem Communio media absolutione sacramentali.

RESP. Si laudatus Canon Communionis nomine Eucharistiam intelligat, non urget argumentum; Etenim dispensatio Corporis, & Sanguinis Domini munus est Diaconi, quod licitè exercet, quoties ei a Presbytero demandatur; ad quam sumendam non est necessariò præmittenda sacramentalis absolutio, ùt mox diximus. Si verò nomine Communionis Synodus externam intelligat reconciliationem, per quam ad Sacramentorum participationem Pœnitentes admittebantur, nulla quoque subest difficultas: Cum enim hæc sit actus solius jurisdictionis, Diacono committi potest. Quidam volunt, quod Canon copulet Diaconum cum Presbytero, atque sensum reddat: Presbyter debet, urgente necessitate, præstare Communionem, & secum assumere Diaconum potest, qui simul manus imponat cæremoniales; alludit enim ad praxim solemnis absolutionis lapsorum, de qua sæpè Cyprianus, in qua Episcopus absolvens sacramentaliter secum adhibebat Presbyteros manus simul imponentes, non quidem absolutorias, sed cæremoniales.

Impositio manus cæremonialis.

De cæremoniali pariter manus impositione loquitur Canon secundus Concilii Toletani primi, ubi præscribit Diaconis, qui ex Pœnitentibus ordinati erant, ut maneant inter Subdiaconos, & manus non imponant; Vult enim hujusmodi Diaconos non posse uti privilegio imponendi manus solenniter super Baptizatos, deprecatorias super Pœnitentes, reconciliatorias simul cum Episcopo, vel Presbytero super Lapsos, sanatorias super infirmos, & in similibus Ecclesiasticis ritibus.

83 OB. VI. Consuetudo erat, & octavi Seculi constitutio, quod Diaconi sacramentaliter absolverent, quod evincitur I. auctoritate Flacci Alcuini in ordine Romano *Cap. de reliquis totius anni officiis in IV. Feria Quadrag.* ubi -- Si autem necessitas „ evenerit, & Presbyter non fuerit præ- „ sens, Diaconus suscipiat Pœnitentem, ac „ det sanctam Communionem -- II. Testimonio Adriani I. *in Synopsi Canonum ad 2. Ancyranum* -- Idem de Diaconibus fiat, si „ similiter peccaverint, sic ut dignè pœni- „ tentibus parcere possint -- Accedit ex

 Se-

Seculo X. auctoritas Stephani Æduensis Cap. 8. *de Ordinatione Diaconorum* — In quibusdam habeor vicem Sacerdotis, ut in ministerio Baptizandi, Communicandi, delicta pœnitentium misericorditer suscipiendi —

RESP. Nullimodè ex præcitatis colligitur in Diaconis potestas sacramentaliter absolvendi. Illis siquidem Seculis pro comperto erat Claves ad solos majores, vel minores pertinere Sacerdotes, Alcuini auctoritas rem planè probat — Hoc sunt Episcopi, vel Presbyteri, quibus Claves Regni Cœlestis traditæ sunt: sic nec judicia ista alias usurpare debet — Ea propter illa pœnitentis susceptio non erat sacramentalis, sed probatio quædam, qua explorabatur pœnitentis resipiscentia, & ferebatur judicium de dignis pœnitentiæ fructibus: Erat itaque approbatio pro suscipienda Eucharistia, quam ipsimet Diaconi dabant. Ad II. Verbum *parcere* non accipitur activè, ita quod aliis veniam, seu remissionem peccatorum donare possent; sed passivè quatenus ipsis peccatoribus, & verè pœnitentibus remissio dari possit: Si quis autem contendat activè esse accipiendum, tunc non stat pro sacramentali absolutione, sed in quantum temporalem pœnam, quam secundum Canones ulterius sustinere debuisset pœnitens condonabat; Eodem modo, & sensu loquitur Æduensis, apud quem suscipere delicta pœnitentium stat pro audire confessionem auricularem pœnitentis indulgendo, non quidem forma sacramentali, sed super ipsum orando, & admittendo ad Communionem.

Diaconi probabant Pœnitentes.

84 OB. VII. Consona disciplina Seculi XII., & XIII. sustinet posse Diaconum sacramentaliter absolvere; Ostenditur I. Decreto Eboracensis Concilii sub 1194. quod habet — Decrevimus etiam, ut non nisi summa, & gravi urgente necessitate Diaconus baptizet, vel Corpus Christi, cuiquam eroget, vel pœnitentiam confitenti imponat: ut juxta paternorum tenorem Canonum huic ordini Sacerdotali proprie convenire decrevit antiquitas — II. Statuto Londinicensis Concilii sub anno 1200. — Non liceat Diaconibus, vel pœnitentias dare nisi duplici necessitate, v. g. quia Sacerdos non potest, vel absens, vel stultè non vult, & mors imminet puero, vel ægro — III. Synodali statuto Parisiensi 56. sub Odone de Soliaco, qui obiit anno 1208. — Item prohibetur districtè, ne Diaconi ullo modo audiant confessiones, nisi in arctissima necessitate: Claves enim non habent, nec possunt absolvere —

RESP. Concedimus hæc statuta loqui de Confessione propriè tali ex parte pœnitentis, quæ illis Seculis erat in usu (immò apud aliquos credebatur necessaria) ut fieret, deficiente copia Confessarii in articulo mortis, Diacono, & etiam laico, ut Moribundus ex parte sua adimpleret legem: tum ut contritio excitaretur: tum ut Æger magis juvaretur. Fundebat Diaconus preces nomine Ecclesiæ, ut illis motus Deus & interiorem dispositionem largiretur, & Sacramenti effectum donaret. Non erat tamen Sacramentum, quia defectu Clavium Diaconus non dabat absolutionem; dicebatur tamen vulgariter sacramentalis, quo pacto sacramentale vocamus signum Crucis, tonsionem pectoris &c. In hoc sensu explicantur quoque Canones *Cum aliquis 11. q. 2. C. Placuit fin. 50. Dist. Cap. Furas 2. de Furtis* in illis verbis Presbytero, vel Diacono confessi fuerint.

Antiquitus etiam Laicis peccata manifestabantur.

CONTROVERSIA IV.

§. I.

AN OMNIA MORTALIA PECCATA PUBLICÆ PŒNITENTIÆ LEGIBUS ANTIQUA ECCLESIÆ DISCIPLINA SUBJICERET.

Expeditis his, quæ ad Libellaticos spectabant, jam ad examen descendimus praxis, & doctrinæ, quæ primis Ecclesiæ temporibus circa publicas Lapsorum pœnitentias erat in usu. Quoniam verò sæpè mentio occurrit graduum, & Stationum pœnitentialium, brevem eorum notionem præmittere opportunum est.

§ II.

SYNOPSIS HISTORICA

DE PUBLICÆ PŒNITENTIÆ GRADIBUS.

85 Quatuor erant primis Ecclesiæ Seculis publicæ pœnitentiæ gradus, videlicet, Fletus, Auditio, Substractio, & Consistentia, quibus peculiaris Templi situs respondebat: ad cujus intelligentiam placet subostendere Ecclesiarum eorum temporum structuram, cujus satis excellens exemplar nostra S. Pancratii Basilica exhibet.

Pœnitentiæ gradus.

Igitur pro re nata in Basilicis propter amplitudinem, populique confluentiam sic nuncupatis considerabantur Vestibulum, Gremium, Narthex, Ambon, & Sanctuarium. Vestibulum dicebant porticus humilioris situs a tecto Ecclesiæ distinctus, atque brevioribus columnis sufultus, ut videre est in Basilica Sancti Laurentii extra muros. Gremium illud erat, quod vocamus navim, hanc dividebat vel tabulatum, vel quid aliud a foribus usque ad Sanctuarium, locum constituens distinctum, ubi feminæ a viris sejunctæ morabantur; Hinc inde sua occurrebat janua; ei quæ hominibus patebat, præsidebant Clerici Ostiarii, ei verò, quæ Mulieribus Diaconissæ: In illis spatiis ordines Pœnitentium statim describendi, & participantium Fidelium distribuebantur, ita quod ex parte fœminarum ultimam stationem occuparent Virgines proximius ad Sanctuarium, ex parte virorum Monachi, quo tempore propriis carebant Ecclesiis, & conveniebant cum Populo.

Situs de[illegible] in Basilicis.

Nar-

Narthex erat divisorium quoddam tabularum immediatè post ingressum Ecclesiæ, & statio secunda Pœnitentium erat, ùt mox dicetur, & Ferula quoque nuncupabatur, denominatione accepta a severitate, cui Pœnitentes subjiciebantur.

86 Ambon erat situs quidam altior intermedius navi, & Sanctuario continens unum, vel duo pulpita. Quibusdam in Ecclesiis Ambon conjungitur immediatè cum Choro, sicut videre est in Ecclesia S. Clementis Martyris in Monte Celio, & Sanctorum Nerei, & Achillei, quam restauravit Cardinalis Baronius adhortatoria posita Inscriptione ad Titolares, ut in exemplar antiquitatis structuram illam conservare apprimè studeant. Aliis autem in Basilicis Ambon distinguitur a Choro, sicut in nostra apparet, sicut in ea S. Laurentii in Agro Verano, & alibi. Ex Ambone Lectores Clerici sacros Codices legebant, &

Ambon describitur.

præordinati habebant sermones ad Populum; Diaconus in Solemniis Missarum sacrum canebat Evangelium; Minores Clerici Psalmos recitabant; Ex eodem loco Episcoporum edicta evulgabantur, Excommunicati denunciabantur, & Dypticæ recitabantur, hinc ad columnam uni ex Pulpitis innixam affigebantur, sicut in nostra Basilica constat.

87 Ecclesiasticæ Dypticæ quædam erant tabulæ, seu chartæ, in quibus quædam singularium Personarum descripta erant nomina, pro quibus post communes pro Fidelibus, speciales fundebantur preces. Porrò Personæ singulariter signatæ erat Summus Pontifex, Episcopus proprius, & Patriarcha, atque illi Episcopi, & Præsules, qui mutuis officiis gratificabantur: Imperator, Reges, insignesque Ecclesiæ Benefactores; & illi, qui ad rem sacram munera obtulerunt, quod tamen sublatum legimus, cum inde vanitatis auram plures capiarent; Inscribebantur pariter insigniores ex Defunctis, quos inter Ecclesiæ Fundator recensebatur, cujus perpetua fiebat commemoratio. Consuetudinis ejus plura sunt monumenta. Dionysius *lib. 3. de Eccles. Hierarch.*, Cyprianus *Epist.* 10., Hieronymus *in Comment. in* 18. *Ezechielis*, Innocentius I. *ad Decentium*. Gregorius I. *lib.* 2. *Epist.* 37. *ad Constantium Mediolani Episcopum*; Canon 19. Concilii Emeritensis. Nomina etiam eorum, qui pœnitentiam expleverant in iis reponebantur. Deserviebant Dypticæ ad discriminandum a Catholicis Hæreticos, cum enim inter primarias Ecclesias essent Communicatoriæ, ubi aliquis Episcopus, vel Patriarcha in hæresim lapsus erat, nomen ipsius ex Dypticis eradebatur, & cum revertebatur, reponebatur, & per Diaconum simul cum aliis recitabatur. Hujus consuetudinis plura sunt monumenta, quæ non vacat expendere.

Dypticæ declarantur.

88 Sanctuarium denique erat locus eminentior, quibusdam gradibus ab Ecclesiæ corpore elevatior, & hæc est pars sacratior: In illius medio erat Altare primarium sub Tabernaculo, cujus fornix quatuor columnis fulciebatur, ad quod Sacerdos, dum sacra peragebat, stabat versa ad Populum facie, sicut nostra Basilica, & plures aliæ in Urbe demonstrant. In Sanctuario hinc inde dispositæ collocabantur geminæ Mensæ, quarum una, scilicet, quæ ad levam, deserviebat pro sacris vasibus, pro pane ad Sacrificium deputato, atque his, quæ pro Agapis faciendis post Synaxim necessariæ erant. Hæc porrò Mensa a Græcis dicebatur Propositionis: In altera, quæ ad dexteram, sacræ reponebantur vestes. In interiori circuitu ad modum Chori deposita erant pro Sacerdotibus loca, & in medio altior Episcopalis Sedes, ex qua Episcopus Populum aspicere poterat; Ex ea namque non solebat Episcopus ad Populum habere Concionem, sed alia mobilis super altiorem Altaris gradum e regione navis adornabatur Sedes; In ea verò, quæ immobilis extabat Romanus Pontifex sermocinabatur, ùt Sanctus Gregorius in nostra, & SS. Nerei, & Achillei Basilica. Diversis nominibus appellatum est Sanctuarium, videlicet Secretarium, Tribunal, Sancta Sanctorum. Alia plura subdi possent, quæ in Ecclesiarum structuris præcipuè apud Græcos reperiebantur, verùm ad rem nostram prædicta abundant.

Sanctuarium quod.

89 Itaque primus Pœnitentium gradus, scilicet Fletus, seu Flentium statio in Templi vestibulo erat sub portica, seu sub dio: De hac Sanctus Basilius ad Amphilochium *Can.* 56. ubi de Homicida ait — Debet quatuor annis deflere, stans extra fores Oratorii — Concilium Ancyranum *Can.* 17. nulla facta mentione Flentium, ait — Eos, qui rationis expertia animantia injerunt, & qui leprosi sunt, vel fuerunt, jussit Sancta Synodus inter Hyemantes orare — Sic versio Gentiani Herveti habet — Qui enim sub arcu consisterent, nihilominus sub Dio orare dicebantur, quatenus vestibulum illud erat a dorso apertum, & immediatè aperto respondebat Cœlo, atque hyemalem aeris intemperiem patiebantur — Dionysius Exiguus, aliique pro Hyemantibus intelligunt Energumenos. Alii verò illos volunt descriptos Hyemantes, qui erant orantes absolutè sub dio extra arcum deservientem fletui, de hac Tertullianus *lib. de Pudicitia cap.* 4. Ubi de quibusdam pœnitentibus ait — Omni Ecclesiæ tecto submovemus —

Situs Pœnitentium.

Induebant porrò Flentes pullatam vestem, cilicio, cinereque conspersi, neglectu capillitio, totoque corpore ad excitandam pietatem composito, adventantibus Fidelibus ad solemnia ad eorum pedes advoluti se reos confitebantur, ipsorumque preces apud Deum, apud Episcopum, apud Clerum expostulabant. Hujus disciplinæ exemplum habes summa dignum laude apud Hieronymum *Epist.* 30. ad Oceanum de Fabiola Matrona Romana, quæ adultero Marito dimisso, cum alio ex divinæ legis ignorantia nupsit, permissionem Imperialium legum scienter secuta. De illa cerimonia vestis lugubris, cineris aspersionis, de quibus mentio in Scripturis, videnda est laudati Hieronymi *in* 3. *Caput Lamentationum* explicatio.

Habitus Flentium.

Flentes insuper a publicis arcebantur precibus; unde nec Episcopi eis imponebant manus,

manus, ne Fideles cum ipsis orabant: arcebantur a perceptione sacræ lectionis publicæ, & Concionis, ea propter extra fores relegabantur: Minor, vel major erat Flentium statio justa criminum gravitatem, fervoremque Pœnitentium.

Statio Auditorum.

90 Secunda statio, scilicet Auditionis, (ad quam Flentes, absque aliqua peculiari cæremonia, completo tempore per Canones definito, nisi intuitu fervoris Episcopus indulgeret, transibant) erat in Narthece, in qua cum ipsis degebant Ethnici, Judæi, Hæretici, Schismatici, & Cathecumeni primi ordinis; Tres Catechumenoram ordines vide apud Nat. Alex. *Sec. III. Disp. VIII. art. 2.*

Cum prænotatis igitur audientes usque ad Missam Catechumenorum, hoc est usque ad Offertorium Missæ solennis stabant; quapropter Lectioni sacræ, Sermonibus, & Catechismo aderant, sed tanquam adhuc indignis non imponebat manus Episcopus, nec orabat. De hac statione Gregorius Neocæsariensis *Can II. Epist. Canonica* habet -- „ Audiens post Scripturas, & doctrinam „ ejiciatur, & precatione indignus cen„ festur —

Subtractorũ locus.

91 Statio tertia, scilicet Subtractionis, erat Narthecem inter & Ambonem: Subtracti dicebantur, quia genuflexi permanebant, & super eos Sacerdos orando manus imponebat, ex quo Subjecti etiam appellati sunt, hos Latini absolutè Pœnitentes nominabant; istis enim jejunia, & gravia onera, durique labores injungebantur. Ante Sacrificii oblationem è Templo exire debebant. De hoc Pœnitentium gradu loquitur Laodicenum Concilium *Can.* 19.

Consistentium commoratio.

92 Quartus gradus, scilicet Consistentium erat quasi ex latere ab Ambone versus Sanctuarium. Consistentes dicti, quia non ejiciebantur sicut prædicti; sed ad finem usque Missæ in Ecclesia perseverabant, adeoque Fidelibus in oratione communicabant; Eorum tamen munera ad Altare non offerebantur, quia de Altaris Sacrificio participes haud esse poterant. Omnes hosce gradus brevibus complectitur Sanctus Basilius Epist. Canon. ad Amphilochium *Can.* 22.-- „ Oportet autem eos anno primo a precibus „ expelli, & ipso deflere ad fores Eccle„ siæ; Secundo autem ad auditionem ad„ mitti; tertio admitti ad pœnitentiam: „ quarto ad congregationem cum Populo „ abstinentes ab oblatione --

Cinerum impositio unde originem habuit.

93 Sub Quadragesimæ initio publica ab Episcopo imponebatur pœnitentia, quæ per impositionem Cilicii, & Cineris incipiebat, unde mos emanavit Cineres super Fidelium capita imponendi, ineunte quadragesimali tempore. Qui verò pœnitentiæ gradus compleverat feria V. in Cœna Domini solenni ritu reconciliabatur.

94 Utvis hujusmodi pœnitentiales gradus firmis constituti essent legibus, attamen ab Episcopo, spectata contritione, Pœnitentiumque fervore, ab inferiori gradu, medio prætermisso, ad superiorem ascensus concedi poterat, ut planè evincitur ex *Can.* 12. Nicæni Concilii, ubi sine Subtractione ad consistentiam quosdam admitti posse decernit. His breviter expositis.

95 Inquirimus, an antiqua Ecclesiæ disciplina omnia lethalia crimina publicæ olim subjiceret pœnitentiæ. Circa difficultatem hanc diversimodè sentiunt Eruditi. Ceterum dicendum est non omnia mortalia crimina publica olim expiari pœnitentia. Solet probari conclusio Tertulliani auctoritate, qui libro de Pudicitia *cap.* 5., *&* 12. quoad publicam pœnitentiam tria solum peccata enumerat, Idololatriam nempe, Mœchiam, & Homicidium; rigidissima quoque Illiberitani Concilii disciplina, quæ in suis Canonibus tria tantùm illa genera complectitur; & quæ ad illa reducuntur; unde Canonibus 73. 74. 75. pœnis gravissimis subjicit Delatores, & falsos testes, etiam in levioribus causis, quæ per Leges Imperiales non erant capitales; quia revocantur ad Homicidium, aut quatenus accusatis mortem inferunt, aut ex odio proficiscuntur, quod facit homicidam affectu, juxta illud 1. Joan. 3. *Omnis, qui odit fratrem homicida est.*

Quæ crimina subjecta publicæ Pœnitentiæ.

Idem potest evinci Constitutionibus Concilii Ancyrani, quod suis Canonibus priorum Seculorum disciplinam complectens Idololatriam, Mœchiam, & Homicidium cum eorundem speciebus publicè mulctat; & quamvis *Can.* 23. subjiciat quinquennio pœnitentiæ Divinationes, & Ariolos introducentes in domos ad aliquid inquirendum, ideo est, quia Divinationem Idololatriæ affinem Patres existimaverunt, ob quod nunc hujusmodi personæ ad sacræ Inquisitionis Tribunal sunt denunciandæ. Pari Œconomia *Can.* 75. Illiberitanus perpetuæ pœnitentiæ subjicit eos, qui Sacerdotes, & sacros Ministros accusant, quia licet corporali morte non plectantur, tamen canonica morte puniantur, scilicet depositione, & privatione graduum, quæ species quædam mortis a Patribus appellatur, de qua ait Optatus Milevitanus *lib.* 2. contra Parmenianum ad Donatistas, qui deponebant Sacerdotes deficientes ab Ecclesia ad suam Sectam — Vos vivum facitis homicidium. „ Quid prodest, quia vivunt homines, & „ occisi sunt honore a vobis? -- His argumentis utuntur Eruditi, & quidem sapienter, sed quoniam videri possunt negativa, ipsis in suo robore permanentibus, alia subdimus.

Malum desideriorum publicè non puniebatur.

96 Ostenditur itaque I. Peccatum deliberatum adversus nonum Decalogi præceptum dubio-procul est lethale, sed hoc publicâ pœnitentiâ non expiabatur declarante Canone IV. Concilii Neocæsariensis -- Si „ quis mulierem concupiscens proposuerit „ cum ea concubere, & cogitatio ejus non „ pervenerit ad effectum, apparet quod gra„ tia Dei liberatus est -- Non quidem ab onere satisfaciendi Deo; ergo ab onere publicæ pœnitentiæ, cui aliàs Luxuriæ species Concilium subjicit; Cumque dicat absolutè *Liberatus est* haud extorquendus est Canon de exemptione a parte tantùm pœnitentiæ, exteriori videlicet peccato, debitæ.

97 PROB. II. Præclaro testimonio, atque doctrina S. Gregorii Nysseni Epistola Ca-

Canonica ad Letojum Mitylenes Episcopum. Convitium, Maledictum ex ira proficiens, Avaritia, Usura, Furtum etsi occultum sunt peccata lethalia: Sed hæc crimina laudati Doctoris ævo publica non purgabantur pœnitentia; nam apertè de his Patres nullam statuisse pœnam publicam affirmat.

Plura crimina, sec publica mulcta.

Audiamus quid de convitio, & maledictu ad rem nostram scribat *Can.* 5. -- Cum „ autem multa sint, quæ per iram fiunt „ peccata., & omnis generis mala, placuit „ omnibus nostris Patribus, in aliis quidem „ non nimium subtiliter agere, nec nimium „ in eo studii, operæque ponere, ut omnia, „ quæ ex ira nascerentur delicta curarent, „ quamvis scriptura non solùm ictum, „ sed etiam omne convitium, vel maledi-„ ctum, & si quid aliud ejusmodi ira efficit, sed solam cædis cautionem suis pœnis „ introduxerunt -- De aliis verò *Can.* 6. habet -- Altera autem Idololatriæ species (sic „ enim divinus Apostolus avaritiam appel-„ lat) nescio quomodo absque alia pœnæ „ medela a Patribus prætermissa sit . . . Di-„ vinus autem Apostolus eam non solùm Ido-„ lolatriam, sed etiam omnium malorum ra-„ dicem pronunciavit; & tamen hæc morbi „ species inconsiderata, & absque alia ejus „ cura prætermissa est, quo fit, ut hic „ morbus valdè in Ecclesia redundet -- Hinc prosequitur ostendere, nec fœnus, nec usuram, nec furtum publicâ mulctata fuisse pœnitentiâ.

Utque res clariùs elucescat placet Synopsim contextus subdere. Peccata a Patribus publicis pœnitentiis expianda repetit ex tribus Animæ facultatibus, ratione scilicet, concupiscentiâ, & irâ. Sub ratione comprehendit Idololatriam, prout amplectitur etiam Judaismum, Manichæismum, Præstigiatores, Divinos, purgationes per Dæmones, quia isti supponuntur fidem abnegasse; Primis autem solùm in morte conceditur Eucharistia. Hæc habentur *Can.* 2., & 3. Prædictis adjunctum esse Sacrilegium docet *Can.* 8.

Sub Concupiscentia comprehendit Fornicarios, & Adulteros: pro illis *Can.* 4. docet statutum esse novennium pœnitentiæ scilicet tres annos pro qualibet statione, Fletus nempe, Auditionis, & Substractionis: eadem pœnâ declarat puniendos esse Sepulchrorum effossores, eo quod hoc delictum propter violata Defunctorum corpora computatur inter crimina fornicatia *Can.* 7. Adulteris verò, aliisque generibus impuritatum maculatis duplicari tempus ostendit *cit. Can.* 4. Minori pœnâ quam Adulterium, punitur Sacrilegium, ut docet *Can.* 8.

Can. 5. sub Ira comprehendit Homicidium, pro quo novennium in singulis primis Stationibus decretum esse dicit: Homicidio adjungit furtum violentum, quia Prædo etiam homicidii ope utitur ad furandum. *Can.* 6. Cum ergo hæc sola crimina doceat a Patribus publicæ fore subjecta pœnæ, jam planè fit non omnia mortalia publicis satisfactionibus fuisse purgata.

DICES. Nyssenum asserere nullam per Canones taxatam fuisse pœnam, non tamen negat arbitrio Episcopi publicè mulctatos fuisse delinquentes. Verùm solutio arbitraria est, & a contextu prorsus aliena. Etenim I. dicit avaritiam absque ulla pœnæ medela fuisse a Patribus prætermissam: Arbitraria verò pœna est aliqua medela. II. Ex hoc, inquit, avaritiæ morbum redundasse in Ecclesia. Porrò si imposita fuisset pœna publica arbitraria, jam non ita facilè avaritia vires acquisivisset. III. Quoniam a Patribus illa sunt prætermissa, asserit sufficere publica doctrinæ ratione declarare, quomodo sint curanda; descendit deinde docere modum, & nullam publicam pœnam injungit, sed solùm dicit, esse avellendas affectiones avaritiæ, restituendum esse ablatum, & si quis non habet, quod restituat, laboret manibus, & lucretur, undè tribuat; peccatum suum Sacerdoti aperiat per confessionem, & abstineat imposterum; Non est ergo fundamentum pro interpretatione adhibita ab alterius sententiæ Patronis. Subdimus tamen Nyssenum avaritiam sua speciali provisione subjecisse Canonibus.

98 PROB. III. Usura, & raptus sive violentus, sive non, sunt lethalia crimina: Atqui ista Sancti Basilii temporibus non purgabantur publica satisfactione, nam *Can.* 14. Epist. ad Amphilochium habet -- „ Qui usuras accepit, si injustum lucrum „ in pauperes consumere voluerit, & ab „ avaritiæ morbo deinceps liberari, ad „ Sacerdotium admitti potest -- In Hispania Usurarii pœnitentiæ publicæ subjiciebantur, si in eo scelere diù perseverarent ex *Can.* 20. Illiberitani Concilii, quod probat non unam fuisse omnium Ecclesiarum disciplinam. De raptu violento *Can.* 30. laud. Basilius ait -- De his, qui rapiunt, Canonem quidem antiquum non habemus, „ sed propriam sententiam proferimus; ut „ ipsi, & qui cum eis rapiunt, tribus annis „ sint extra orationes: quod autem violen-„ ter non fit, nulli est pœnæ obnoxium, „ quando nec furtum, nec stuprum rem „ præcesserit -- In hoc Canone tria habet Sanctus Doctor. Primum fatetur, quod usque ad ea tempora non erat statuta pœna publica pro violento raptu: Secundum, ipse statuit publicam trium annorum mulctam pro raptu violento. Tertium, raptum non violentum nulli publicæ subjicit pœnæ. *Can.* 13. statuit pœnitentiam trium annorum Militibus, qui strenuè pugnantes sanguinem effundunt, pro quo nihil per priùs erat statutum. *Can.* 80. pro Polygamia annum unum Fletus, & tres Substractionis decernit, cum antea sine publica vindicta perpetraretur. Cumque nullum publicæ arbitrariæ pœnæ mentionem faciat, planè sequitur nullâ absolutè ea crimina puniri.

Circa publicas pœnitentias aliquot Ecclesiarum discrimen.

99 PROB. IV. Hæresis, in qua quis nutritur, & illa in quam quis ex quadam veluti violentia, & necessitate labitur, a lethali noxa non excusatur; Sed crimen hujusmodi publicæ pœnitentiæ non subdebatur; De primo enim habet Laodicenum Concilium *Can.* 7. -- De his, quæ ab Hæ-„ reticis convertuntur, idest Novatianis, „ aut Photinianis, Thessaradecatitis, sive „ bap-

„ baptizati sint illi, sive Catechumeni, non „ ante suscipiantur, quam omnes hæreses anathematizent, & præcipuè illam, „ qua detinebantur: & tunc demum hi, „ qui apud eos dicebantur fideles, nostræ „ doceantur Fidei Symbolum; & uncti sacro Chrismate, sic mysteriis communicent sacrosanctis — Loquitur Concilium de hæresibus, in quibus aliquis natus est, non de illis, in quas labitur ex Catholicis: Nullam illis pœnitentiam publicam esse impositam declarat; Dicere verò, quod illa Chrismatis unctio sit species quædam pœnitentiæ publicæ est terminis abuti; nunquam enim susceptio Sacramenti, vel cæremoniæ completivæ Sacramenti fuit species publicæ satisfactionis, cum potiùs ad honorem spectet; Ea autem unctio, vel est Sacramentum Confirmationis, quod aliqui ex nominatis Hæreticis non admittebant, vel est unctio verticalis, quæ est cæremonia Baptismatis, quam alii omittebant.

Discrimen inter Hæreticos.

De altero habet Athanasius Epistola ad Rufinianum, & refertur actione I. Concilii VII. Œcumenici — Non modo Ministris, qui per Græciam passim habitant, „ verùm etiam in Galliis, & Hispania „ communi decreto placuit, ut & hic, & „ ubique gentium, quicumque lapsi fuissent proprio arbitrio, & antesignani „ fuissent impietatis, si resipiscerent; „ ignoscendum quidem illis, verùm non „ restituendos in Cleri numerum. Qui „ verò non authores, sed necessitate, & „ violentia compulsi fuissent, visum est illis quidem ignoscendum, & in Cleri locum esse restituendos — Aliquam hæresim „ non fuisse publicis Pœnitentium satisfactionibus subjectam constat ex facto, quod narratur apud Joannem Climacum *Scala gradu 15*.

100 PROB. V. Ex S. Leone *Epist.* 92. ad Rusticum Narbonensem Episcopum, qui declarat simplicem comestionem Idolothytorum non subjici publicæ disciplinæ — Qui „ convivio solo Gentilium, & escis immolatitiis usi sunt, possunt jejuniis, & manus impositione purgari: ut deinceps ab „ Idolothytis abstinentes, Sacramentorum „ Christi possint esse participes. Si autem „ aut Idola adoravere, aut homicidiis, vel „ fornicationibus contaminati sunt ad Communionem eos, nisi per pœnitentiam publicam, non oportet admitti —

101 PROB. VI. Commessationes, & ebrietates in Ecclesia sunt gravia peccata Sacrilegii per B. Augustinum *Epist.* 64. ad Aurelium Episcopum, sed per eundem hæc crimina publicæ pœnitentiæ non erant subjecta, & ideo ad remedium ponendum exoptat Concilium; & adhortatur Aurelium, ut studeat illos abusus eradicare — Non „ asperè, non duriter, non modo imperioso ista tolluntur; magis docendo, quam „ jubendo; magis monendo, quam minando — Sed de mente Augustini in solutione argumentorum.

§. III.

SOLVUNTUR ADVERSÆ OPINIONIS ARGUMENTA.

102 OB. I. Nullum est peccatum mortale, quod non committatur carne, vel spiritu, facto, aut voluntate, sed omne peccatum hisce modis commissum publicæ pœnitentiæ subjiciebatur juxtà Tertulliani dicentis *lib. de Pœnit. c.* 4. — „ Omnibus ergo delictis, seu carne, seu „ spiritu, seu facto, seu voluntate commissis, qui pœnam per judicium destinavit, idem & veniam spopondit — Ibi verò loqui de pœnitentia publica constat ex *cap.* 8., *& seqq.*

RESP. Eo loci non loquitur Tertullianus de pœnitentia publica, sed loquitur de pœnitentia, quæ est virtus, scilicet de ea, quam præcipit Deus, ùt contextus illius quarti capitis manifestum facit: pœnitentia autem, quæ est virtus importat peccati detestationem præscindendo a modis. De pœnitentia publica pro peccatis commissis post Baptismum incipit agere solùm *cap.* 7. De commissis verò ante Baptismi susceptionem agit *cap.* 6.

Pœnitentiæ virtuti omnia peccata subduntur.

103 OB. II. Juxta Sancti Cypriani phrasim omne mortale peccatum a tribus capitalibus Idololatriæ, Mœchiæ, & Homicidii distinctum dicitur peccatum minus; sed de minoribus peccatis publicam dicit agendam esse pœnitentiam, *Epist.* 10. — „ Nam cum in minoribus peccatis agant „ peccatores pœnitentiam justo tempore, & „ secundum disciplinæ ordinem ad Exomologesim veniant, & per manus impositionem Episcopi, & Cleri jus communicationis accipiant — ergo.

RESP. Concedendo pro minoribus peccatis non intelligere Sanctum Martyrem peccata venialia, quæ gravibus adeo pœnis non purgabantur; negatur tamen de omni mortali loqui. Etenim secundum phrasim Patrum, & Theologorum peccata majora ea nuncupantur, quæ primæ tabulæ præceptis contrariantur, minora verò, quæ opponuntur præceptis secundæ tabulæ; Cumque homicidium, Mœchia opponatur secundæ tabulæ, Idololatria primæ, illa duo priora genera cum hoc tertio comparando minora vocat, & declarat publicæ esse subjecta pœnitentiæ, proindeque multò magis Idololatriæ crimen.

Peccata mortalia diversæ gravitatis.

104 OB. III. Peccatum omne, vel est hominis baptizati, vel non baptizati: & hominis baptizati non est nisi vel veniale, vel mortale: rursus in Ecclesia Dei non est nisi triplex pro peccatis remedium, scilicet Baptismus pro commissis a nondum renatis, Oratio cum eleemosyna pro venialibus Fidelium, & humilitas majoris pœnitentiæ pro lethalibus Regeneratorum: Sed humilitas majoris pœnitentiæ est pœnitentia publica: ergo omnia peccata pœnitentiâ publicâ sunt expianda, immò expiata fuere primis Ecclesiæ Seculis, quæ hæc tria tantam reme-

remedia agnoscebant. Totam hoc pluries firmatum habemus apud Augustinum I. *In Lib. de Symbolo ad Catechumenos cap.* 7., & 8. ubi illa tria recensita remedia sic distributa clarissimè recenset, concludens -- Ergo tribus modis dimittuntur peccata in Ecclesia, in Baptismate, in Oratione, in humilitate majoris pœnitentiæ --

II. In *Lib.* 50. *Homiliarum Homilia* 27. ubi triplicem eandem distinguit pœnitentiam, atque distribuit; & de tertia dicit -- Restat pœnitentiæ tertium genus. Est Pœnitentia gravior, atque luctuosior, in qua propriè vocantur in Ecclesia Pœnitentes, etiam remoti a Sacramento Altaris participandi, ne accipiendo indignè judicium sibi manducent, & bibant. Illa verò pœnitentia luctuosa est, grave vulnus est; Adulterium fortè commissum est, fortè homicidium, fortè aliquod sacrilegium. Gravis res, grave vulnus, lethale, mortiferum, sed omnipotens Medicus --

III. In *eodem libro Homil.* 50. similiter recolligit triplicem illam pœnitentiam ablutivam per Baptismum; humilitativæ emundationis a rugis venialibus, pro toto vitæ tempore, sanativam a maculis peccatorum, quæ excludunt a Regno -- Tertia actio est pœnitentiæ, quæ pro illis peccatis subeunda est, quæ legis Decalogus continet, & de quibus Apostolus ait, quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt -- Et has tres pœnitentiæ species satis Ecclesiæ innotescere dicit.

IV. *Epist.* 108. *ad Seleucianum*, item distinguit pœnitentiam in eam, quam agunt homines ante Baptismum, quam agunt homines de commissis post Baptismum, & quam agunt justi pro culpis quotidianis, de secunda ait -- Agunt etiam homines pœnitentiam, si post Baptismum ita peccaverint, ut excommunicari, & postea reconciliari mereantur; sicut agunt in omnibus Ecclesiis illi, qui propriè Pœnitentes appellantur --

V. In *Enchiridio cap.* 64. Omne peccatum mortale vocat crimen -- Neque enim, quia peccatum est omne crimen, ideo crimen est etiam omne peccatum. Itaque Sanctorum hominum vitam, quandiu in hac morte vivitur, invenire posse dicimus sine crimine: peccatum si dixerimus, quoniam non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est -- Atqui omne crimen disciplina illorum temporum subjiciebat publicæ pœnitentiæ: ergo. Itaque instauratur argumentum sub hac forma. Per Augustinum pro gravibus noxis post regenerationis lavacrum non aliud datur remedium nisi tertia Pœnitentia, sed tertia Pœnitentia est publica, quia est luctuosa, est in humilitate majoris Pœnitentiæ; quia hanc agunt Excommunicati, qui verè Pœnitentes dicuntur, & qui per disciplinam Ecclesiasticam separantur a Communione Corporis Christi; quia hanc agunt Homicidæ, & Adulteri: ergo omne peccatum grave contra Decalogi præcepta, omne peccatum, quod excludit a Regno publicâ purgabatur Pœnitentiâ.

RESP. Argumentum istud existimatum est ab Eruditis difficillimum, & in eo triumphant Patroni partis adversæ, quo pressi quidam ex Eruditis, quibus adhæremus, olim tenuerunt omnia peccata subjecta fuisse publicæ Pœnitentiæ, licet postea oppositum senserint. Negamus igitur S. Augustinum prædictam sententiam sustinere. Præter ea, quæ superius citata sunt in conclusionis probatione; mens ejus clarè habetur in Enchiridio *cap.* 80. ubi apertè docet dari suis temporibus quædam peccata excludentia a Regno usitata, & communia propter quæ Episcopus non audet Laicum excommunicare, vel Clericum deponere. Hæc profectò non subjiciebantur publicæ Pœnitentiæ; & *lib. de Fide, & Operibus cap.* 26. grave peccatum dividit in illud, quod publicâ pœnitentiâ purgatur, & in illud quod privatâ; & hæc duo manifestè distinguit a venialibus, de quibus tertio loco agit -- Nisi essent quædam ita gravia, ut etiam excommunicatione plectenda sint, non diceret Apostolus: Congregatis vobis, & meo spiritu (judicavi) tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.... Item nisi essent quædam, non ea humilitate pœnitentiæ sananda, qualis in Ecclesia datur eis, qui propriè Pœnitentes vocantur, sed quibusdam correptionum medicamentis, non diceret ipse Dominus: Corripe eum inter te, & ipsum solum, & si te audierit, lucratus es Fratrem tuum. Postremò nisi essent quædam, sine quibus hæc vita non agitur, non quotidianam medelam poneret in Oratione, quam docuit, ut dicamus: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris -- Porrò nemo unus est, qui non videat, peccata quæ fraternæ correptioni subdantur, gravia esse, maximè cum de levibus, seu venialibus quotidianam subdit medelam ex Dominica Oratione.

Augustini mens dilucidatur.

Ea propter ultrò concedimus primam divisionem de peccatis, concedimus etiam secundam de remediis, ita tamen ut divisio non intelligatur de specie, ut ajunt, athoma, sed subalterna; Et sanè sicut dubio-procul originale deletur non solùm per Baptismum fluminis, sed per Baptismum quoque sanguinis, & flaminis, & venialia non tantùm extinguuntur per Dominicam Orationem, sed etiam per eleemosynam, & aquæ lustralis aspersionem, ita mortalia, & publicâ, & privatâ pœnitentiâ expiantur; graviora quidem secundùm Canonicas Sanctiones, cætera verò per sacerdotale judicium.

Nunc ad primum ex *lib. de Symbolo*, meritò dicitur Sanctum Doctorem de publica pœnitentia loqui: Etenim instruit Catechumenos per illa, quæ ipsis erant notiora, quæque quotidie occurrebant. Fuit siquidem quovis tempore Ecclesiæ studium paulatim Catechumenos erudiendi, & per notiora ad minus nota viam sternere. Nec absre publicæ pœnitentiæ exemplum Catechumenis adducitur. Luctuosa namque aliorum pœna salutarem incutiebat timorem, ne & ipsi post Baptismum peccarent.

Ceterum Augustinus dum ibi graviora solummodo crimina exponit, satis indicat alia peccata publica non egere pœnitentiâ -- Illi „ enim quos videtis agere pœnitentiam, „ scelera commiserunt, aut adulteria, aut „ aliqua facta immania: Inde agunt pœni„ tentiam --

Ad II. *Homil.* 27. Non quodlibet peccatum mortale subjicit publicæ pœnitentiæ, sed gravissima tantùm, clara sunt verba -- „ Illa verò luctuosa pœnitentia est, grave „ vulnus est, Adulterium fortè commissum „ est, fortè homicidium, fortè aliquod sa„ crilegium. Gravis res, grave vulnus, „ lethale, mortiferum; sed omnipotens Medicus -- Deindè apertè per verba immediatè subsequentia declarat, non quælibet peccata sic puniri, sed ea, quæ exteriùs sunt consummata -- Jam post suggestionem „ facti, & delectationem, consensionem, „ & perpetrationem, quasi quatriduanus „ mortuus putet -- Adeoque interiora peccata non pertinebant ad publicam pœnitentiam.

Interiora peccata ad publicam non spectabant pœnitentiam.

Ad III. *Homil.* 50. Ibi Augustinus redarguit quosdam parvipendentes pœnitentiam, & venditantes sola fide Christi homines salvos fieri. Hinc gradum facit ad explicandum qualiter debeat peccator conscientiam suam a gravibus peccatis emondare, erigendo nempè apud se ipsum Tribunal, & seipsum separando a sacra Eucharistia; postmodum detestando peccata, & subjiciendo clavibus ea animi dispositione publicam acceptandi pœnitentiam, si gravitas circumstantiæ exigat -- „ A Præpositis Sacramentorum accipiat sa„ tisfactionis suæ modum; ut in offerendo „ sacrificio cordis contribulati devotus, & „ supplex, id tamen agat, quod non so„ lùm illi prosit ad recipiendam salutem, „ sed etiam ceteris ad exemplum; ut si pec„ catum ejus non solùm in gravi ejus malo, „ sed etiam in tanto scandalo est aliorum; „ atque expedire utilitati Ecclesiæ videtur „ Antistiti, in notitia multorum, vel etiam „ totius plebis, agere pœnitentiam non re„ cusat, non resistat, non lethali, & mor„ tiferæ plagæ, per pudorem addat tumo„ rem -- Hæc habet in *Enchiridio cap.* 65. ubi ea tantùm peccata subjicit pœnitentiæ, per quæ homo separatur a corpore Christi mystico per excommunicationem, ut coram Ecclesia notus fiat per exteriorem pœnitentiam dolor in corde occultus, aliàs sufficiens ad remissionem.

Ad IV. Ex *Epist.* 108. In ea epistola agit contra quemdam, qui se dicebat Novatianum, & negabat post Baptismum dari pœnitentiam, & Apostolos dedisse pro pœnitentia Baptismum: Asserebat Augustinus, & quidem egregiè primò eam phantasiam a Fidei Catholicæ regula, & a doctrina Christi, & Apostolorum esse prorsus alienam. Secundò ostendit in Ecclesia agi pœnitentiam ante Baptismum, eo planè modo quo prædicaverunt Apostoli, adducto *Act.* 2. testimonio. Tertiò demonstrat in Ecclesia agi pœnitentiam de peccatis post Baptismum commissis, digito disciplinam omnium Ecclesiarum circa publicè pœnitentes designans: quod exemplum erat aptissimum, tum quia Hæreticis notissimum, tum quia cum publica pœnitentia sit de gravioribus peccatis, aptius erat ad revincendos Novatianos, qui potissimè dogmatizabant pro gravioribus criminibus remissionem non dari.

Ad V. ex *Enchiridio*. Apud B. Augustinum non omne peccatum grave est crimen, quamvis crimen dici posset relatè ad veniale. Crimen dicitur peccatum gravioris ordinis, & hoc est, quod canonicum dicitur, & canonicâ pœnitentiâ expiatur. Videatur B. Augustinus *Tract.* 41. *in Joan.*, & Sanctus Thomas *in cap.* 1. *ad Titum Lec.* 2. Tempore B. Augustini plerique Ecclesiarum Præsules docebant tantùm illa tria capitalia Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam publicâ pœnitentiâ sananda esse; quam opinionem nec approbat, nec reprobat *Cap.* 19. *de Fide, & Operibus*, eam fortè improbasset, si discussionem suscepisset, non quidem ad omnia, sed ad alia etiam ejusdem gravitatis illam extendendo disciplinam.

105 OB. IV. Peccatum contradistinctum a veniali, mortale est: sed omnia peccata a levi contradistincta publicâ expianda erant pœnitentiâ: ergo omne mortale ei subjiciebatur. Ostenditur assumptum testimonio S. Cæsarii Arelatensis, qui *Homil. I.* posita distinctione levium delictorum, quæ quotidiana Oratione delentur, pro aliis publicam expostulat pœnitentiam -- Hæc & „ hujusmodi commissa expiari penitus com„ muni, & mediocri licet secreta satisfa„ ctione non possunt -- Et *Homil.* 8. præmissa eadem distinctione minutorum, & capitalium criminum, de his habet -- Pro „ capitalibus verò criminibus non hoc so„ lùm sufficit, sed addendæ sunt lacry„ mæ . . . pœnitentiam etiam publicè agen„ tes -- Porrò ad avaritiam, superbiam, invidiam, iracundiam, ebrietatem capitalia crimina extendit.

RESP. S. Cæsarius *in Homil. I.* nullatenus docet omne lethale expiandum publicâ pœnitentiâ: unde sub nomine levium delictorum non intelligit sola venialia, sed peccata etiam mortalia comparativè levia, quod ex eo evincitur, quia in his exempla proponit, in quibus non accidunt sola venialia -- Si in aliqua reprehensibili voluntate, „ in sermone si oculo peccavit, aut corde „ verborum, & cogitationum maculæ -- Et aliàs subdit non sola oratione, sed *privata compunctione* tergenda esse, ea videlicet, quæ in secreta exercentur confessione apud Sacerdotem; vocat nihilominus illa quotidianas maculas, quia & his comprehenduntur venialia, & frequentius committuntur illa lethalia. Deinde apertè declarat graviora solummodo peccata luctuosæ addicta esse pœnitentiæ subdens -- Sed graves causæ gra„ viores, & acriores publicas causas requi„ runt; ut qui cum plurimorum afflictione „ se perdidit, simili modo cum plurimorum „ ædificatione se redimat -- Quo sensu intelligenda veniunt, quæ scribit *Homil.* 8., in qua etiam loqui videtur non ex aliqua lege, sed ex libera electione, dum dicit -- Ultrò „ nos ipsos a communione Ecclesiæ remo„ ventes --

Quædam mortalia levia comparatè.

„ ventes — Non de omnibus loqui insuper indicat illa locutio — Superbiam, Invidiam, „ Avaritiam, Iracundiam si longo tempore „ teneatur; Ebrietatem, si assidua sit, & „ Detractionem — Si ergo illa peccata assidua non sint, nec longo tempore radicata, sunt excepta. Exemplificat verò in istis, ut convellat erroneam quorundam opinionem dicentium illa peccata non æterno, sed Purgatorio igne expiari, abutentes doctrina Apost. 1. ad Corinth. 3. *Si quis superædificaverit &c.*

106 OB. V. Qui non agnoscit nisi duplex peccatorum genus, veniale scilicet, & mortale, hocque publicâ docet expiandum pœnitentiâ in cilicio, apertè fatetur omnia lethalia esse subjecta publicæ pœnitentiæ; sed hoc sentit Sanctus Eligius *Homil.* 8., *&* *Homil.* 13. ergo.

RESP. S. Eligius *Homil.* 1. duo distinguit genera mortalium, primi generis sunt quædam specialiter gravia, & publica satisfactione emendari docet, & de iis agit, dum publicos alloquitur reconciliatos pœnitentes, quibus remedium contra venialia præscribit, utique credens, quod in gravia non debeant amplius labi: Secundi generis sunt alia quædam minoris malitiæ, lethalia tamen, & ideo sacrilegam efficiunt Eucharistiæ sumptionem, & hæc sananda esse privatâ sacramentali pœnitentiâ docet, dum instructis Pœnitentibus ad Populum se convertit. Similiter dum alloquitur Populum *Homil.* 8. dari supponit Fideles gravibus irretitos laqueis, hosque adhortatur ad privatæ compunctionis, & sacramentalis confessionis pœnitentiam; deindè conversus ad publicè Pœnitentes suasorium sermonem ad ipsos dirigit, ex quo propalam fit nolle omnia peccata publicis esse expianda satisfactionibus.

107 OB. VI. Peccata propter quæ homines separantur ab Ecclesia obnoxia sunt publicæ pœnitentiæ, sed hujusmodi sunt — „ Homicidia, Adulteria, Fornicationes, „ Sacrilegia, Rapinæ, Falsa testimonia, „ Superbia, Invidia, Avaritia, diutina „ Iracundia, Ebrietas assidua — teste S. Fulberto Carnotensi Episcopo *Ser.* 2. Ergo omnia peccata mortalia publicæ pœnitentiæ subjecta sunt.

RESP. S. Fulbertus in illa enumeratione cum distributione intelligendus est, quatenus vult aliqua ex his criminibus exteriùs ab Ecclesia separare, inquantum publicæ obnoxia sunt satisfactioni; alia verò interiùs sejungere, solummodo gratiam auferendo, & hæc privatâ pœnitentiâ expianda sunt; Arbitrariam porrò non esse hujusmodi explicationem ex eo evincitur, quod hujus rei judicium Confessario remittit — Quapropter necessarium est in primis crimini „ finem dari; deindè verò commissa delere per „ pœnitentiam, per eleemosynam, per ora„ tionem. Modum pœnitentiæ vobis con„ stituent Sacerdotes — Deinde in Breviculo duplici pœnitentiarum, quod habet in Bibliotheca Patrum, publicam imponit pœnitentiam aliquibus tantùm criminibus, ut Homicidio, Matilasinni, Mœchiæ, Divinationi, & hujusmodi.

108 OB. VII. Omnia lethalia post Baptismum submittit Gennadius publico luctui *Lib. de Ecclesiasticis Dogmatibus cap.* 53. ergo.

RESP. Gennadius hoc docet solùm hortando — Hortor prius pœnitentiâ pu„ blicâ satisfacere — Ceterum ipsi in aperto est privatâ pœnitentiâ quædam peccata dilui — Sed & secreta satisfactione solvi „ mortalia crimina non negamus —

CONTROVERSIA V.

§. I.

AN OCCULTA CRIMINA PRIORIBUS ECCLESIÆ SECULIS PUBLICÆ SUBJECTA ESSENT PŒNITENTIÆ.

NE terminorum æquivocatio obscuritatem gignat, notandum aliquid occultum esse posse dupliciter, vel essentialiter, vel non essentialiter. Essentialiter occultum meritò censetur actus simpliciter interior: non essentialiter tale est actus externus nulli extraneo cognitus. Quæstio potissimùm circa hosce posteriores actus versatur. Rursus externus actus pluribus dignosci potest, utpotè multò spectante Populo exercitus, tuncque dicitur publicus notorietate facti: reputatur verò publicus publicitate difamationis, cum actus coram paucis, iisque ignotis peragitur. Potest similiter quis aliquid egisse, undè per sufficientes, & determinatos testes est accusatus, denunciatus, & inquisitus, illudque dici solet publicum notorietate juris. Si verò desit denunciatio, atque testium depositio, quia scientes nolunt denunciare, nec periculum subest, quod accusare velint, id dicas in actu occultum, etsi radicaliter publicum, eo quod per sufficientem depositionem criminari quit. De occultis itaque criminibus, quæ vel per se, vel aliter innotuere, seu innotescere potuerunt præsens instituitur Controversia.

Aliquid occultum dupliciter.

109 Notandum insuper posse quempiam occultum crimen Episcopo, aut Sacerdoti revelare, ultrò sese publicæ luctuosæ pœnitentiæ submittendo. Et in hoc sensu nemo unus renuit admittere publicam satisfactionem pro occulto delicto; ea propter devolvitur inquisitio ad legem, an videlicet lex fuerit condita, quæ abscondita crimina Confitentibus publicam mulctam injungendam esse decreverit.

110 Dicendum itaque occulta peccata, canonicâ Ecclesiæ disciplinâ, publicis subjecta non fuisse pœnitentiis.

PROB. 1. Juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 14 *cap.* 5. Secreta Confessio, proindeque sacramentale sigillum, uso Sanctæ Ecclesiæ ab initio ad hæc usque tempora approbante, divini juris meritò creditur; Atqui impositio publicæ pœnitentiæ pro occultis delictis hujusmodi sigilli violatio est, non quidem verbo, sed facto, & saltem in genere; notum quippe tunc erat, & nunc quoque est gravem pœnitentiam, publicamq.

Publica Pœnitentia est quædam peccati revelatio.

 non

non nisi pro gravissimis imponi delictis: ergo nullimodè credendum est Ecclesiam occulta crimina publicis pœnitentiis subjecisse.

111 DICES. Ex publica Pœnitentia certum de gravitate criminum judicium nemo unus efformare poterat. Mos quippe fuit apud probatæ vitæ homines publicos pœnitentiæ gradus percurrere pietatis causâ: ergo sacramentale sigillum nequaquam infringebatur.

RESP. Pauci admodum ab Adversariis enumerantur, qui Innocentes inter publicos Pœnitentes fuerint adscripti. Duos refert P. Natalis Alex. *Sec. III. Disp. 6. Quæst. 2 Art. 1. Prop. 1.* Wambam, videlicet Hispaniarum Regem, & Gaudentium Valeriensem Episcopum, quorum pietas omnibus perspecta erat, ea propter nulla de perpetrato crimine suboriri poterat suspicio. Quod sanè aliter in nostro casu eveniret. Immo si plures hujusmodi publicam peregissent pœnitentiam, nulla delinquentibus verecundia oborieretur, nec ad effugiendam publicæ humiliationis notam a criminibus retraherentur Fideles; quod aliàs potissimùm intendebatur. Quod si dicatur Pœnitentes, dum a Fidelibus preces expostulabant, insimul delicta sua enunciasse, jam planè fit debuisse crimina esse notoria: Hoc innuit Sanctus Basilius *Epist. ad Amphilochium Can. 56.* -- Debet quatuor annis flere stans „ extra fores Oratorii, & Fideles ingre- „ dientes rogans, ut pro eo precentur, „ suam iniquitatem enuncians -- Suam dicit iniquitatem, ne intelligatur de generali Confessione, qua quis se peccatorem fatetur; & clariùs Sanctus Hieronymus *Epist. 30. ad Oceanum* de Pœnitente Fabiola loquens ait -- Aperuit cunctis vulnus suum, & de- „ colorem in corpore cicatricem flens Ro- „ ma conspexit --

Pœnitentes peccata narrabant.

112 PROB. II. A veritate equidem alienum est, quod circa publicas pœnitentias Ecclesia oppositam constituerit disciplinam ordini per se a Christo præscripto; sed Christus palam docuit occultum peccatum publicâ mulctâ non esse puniendum, nisi dum privata correctio non prosit. Matth. 18. *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum inter te, & ipsum solum .... Quod si non audierit, dic Ecclesiæ:* ergo.

Correctio fraterna quando urget.

113 DICES. Per publicam pœnitentiam solummodo divulgabatur peccati emendatio, & pœna in vindictam patrati sceleris libenter acceptata, quod sanè honorificum est, & laudabile.

RESP. Tridentinum *Sessione laudata* de Confessione habet -- Nec satis consultè hu- „ mana aliqua lege præciperetur, ut deli- „ cta præsertim secreta publicâ essent Con- „ fessione aperienda -- Et tamen publica criminis declaratio ob humilitatis bonum facta, nec non animo divinam compensandi offensam actus valdè laudabilis, multùmque salutaris est, ùt Concilium fatetur: Licet ergo publica pœnitentia libenter acceptata esset laudabilis, non inde rectè colligitur pro occultis delictis præcipi potuisse.

114 PROB. III. ex SS. PP. Origenes *Hom. 2. in Psal. 37.* exponens modum faciendi Exomologesim de commissis peccatis præscribit diligenti studio quærendum esse Medicum, qui sanare, & mederi noverit, cujus consilium Pœnitens debet amplecti, deinde subdit -- Si intellexerit, & prævi- „ derit tale esse languorem tuum, qui in „ conventu totius Ecclesiæ exponi debeat, „ & curari, ex quo fortassis & cæteri ædi- „ ficari poterunt, & tu ipse facilè sanari, „ multa hoc deliberatione, & satis perito „ illius Medici consilio procurandum est -- Porrò si publica pœnitentia pro occultis fuisset ab Ecclesia taxata, jam non multa deliberatione opus fuisset ad dignoscendum, an talis imponenda esset satisfactio, an hoc in Ecclesiæ ædificationem verteretur, & hujusmodi. S. Gregorius Nyssenus apertiùs in rem nostram loquitur in Epistola Canonica ad Letojum, in qua publicæ Pœnitentiæ Canones describit, sic ait *Can. 6.* -- Qui au- „ tem latenti ablatione sibi alienum usur- „ pat, deinde per enunciationem peccatum „ suum Sacerdoti aperuerit, vitii studio „ in contrarium mutato ægritudinem cura- „ bit --

Cautè taxanda publica pœnitentia.

115 Nec juvat dicere ex præcitatis non satis colligi alia occulta crimina, puta, Idololatriam, Homicidium, & Mœchiam a publica pœnitentia esse excepta. Non, inquam, hoc juvat asserere: Etenim furtum publicum inter crimina subjecta Canonicis pœnis ab eodem Nysseno ibidem describitur; ea propter sicut furtum publicè punitur, quando publicum est, secus quando occultum, ita & alia crimina simili punienda sunt disciplina, quando publica, non quando secreta.

116 Eadem doctrinæ veritas evincitur ex Innocentio I. in Epist. ad Exuperium Episcopum Tolosanum *cap. 4.* Quærenti enim cur adulteris viris sacra Communio non denegatur, benè verò mulieribus eodem crimine pollutis, respondet -- Super hoc Chri- „ stiana Religio adulterium in utroque sexu „ pari ratione condemnat, sed viros suos „ mulieres non facilè de adulterio accusant, „ & non habent latentia peccata vindictam; „ Viri autem liberiùs uxores adulteras „ apud Sacerdotes deferre consueverunt, „ & ideo mulieribus, prodito earum cri- „ mine, communio denegatur, virorum „ autem latente commisso non facilè quis- „ quam ex suspicionibus abstinetur -- Ergo occultum adulterium absque onere publicam subeundi pœnitentiam.

Adulterium quando publicè punitû.

117 DICES. Publicâ pœnitentiâ secretò imponebatur, atque occulti Adulteri a Communione arcebantur, quamvis ad illam exteriori sententia cogi non possent. Porrò hoc sensisse Innocentium ex *Epist. 2.* ad Victricium Rothomagensem Episcopum c. 12. palam fit. Interrogaverat Victricius Pontificem de modo injungendæ Pœnitentiæ Monialibus, quæ occultè corruptæ fuerant, an scilicet Corruptoris mors esset expectanda, cui rescribit Pontifex -- Item, quæ „ Christo spiritaliter nupserunt, & velari „ a Sacerdote meruerunt, si postea vel pu- „ blicè nupserint, vel se clanculò corru- „ perint, non eas admittendas esse ad agen- „ dam pœnitentiam, nisi is, cui se junxe-

„ rant,

Google

„ tatur, de seculo recesserit — Si ergo qui se clanculò corruperit, subire debet pœnitentiam, sicut & qui incestuosè publicè nupserat, jam in aperto est publicam mulctam utrique peccato esse taxatam.

RESP. Si Pontificis responsio ad Exuperium intelligenda esset de publica pœnitentia secretò imposita, jam Innocentius interrogationi Episcopi non fecisset satis. Sciscitabatur namque, quomodo se gereret circa Pœnitentes; ea propter si pro occultis criminibus injungenda fuisset secretò pœnitentia publicè exequenda, hoc declarare debuisset, adeoque respondere, publica adulteria, latâ palam sententiâ, publicâ puniantur pœnitentiâ, occulta verò publicam subeant pœnam, secretò tamen impositam. Cum autem nil simile legatur, compertum esse debet solummodo publica delicta publicâ mulctari satisfactione. Quod ex fine ejusdem *cap.* 4. clariùs innotescit, dum rationem discriminis prædicti assignat dicens — Cum ergo par causa sit, interdum „ probatione cessante, vindictæ ratio con„ quiescit — Pro occulto crimine nulla adest probatio, adeoque nulla publica vindicta. Nec contra nos urget responsio ad Victricium; Etenim de duobus Pontificem interpellavit Episcopus; quomodo puniendæ Moniales, quæ publico, sacrilegoque matrimonio alteri nupserint, & quæ non jam clanculò ab alio corruptæ fuerint, ùt quidam interpretantur, sed quæ *se clanculò corruperint*; & Pontifex totus in reprobando damnato concubitu asserit *non eas admittendas esse ad agendam pœnitentiam, nisi is, cui se junxerant, de seculo recesserit*. Equidem, quæ se clanculò corruperant, alteri non junxerunt: ergo publica pœnitentia sacrilegè nuptas afficit, non alias privatè corruptas. Nihil autem respondendo circa has, satis indicat, non quidem eâdem publicâ pœnâ esse puniendas, sed alia privata, utvis tamen crimini proportionata.

218 His accedit doctrina S. Augustini *Serm. 16. de verbis Domini* — Sunt homines „ adulteri in domibus suis, in secreto pec„ cant, aliquando nobis produntur ab Uxo„ ribus suis plerumque zelantibus, aliquan„ do maritorum salutem quærentibus. Nos „ non prodimus in palam, sed in secreto „ arguimus; ubi contigit malum, ibi moria„ tur — Nemo unus est, qui nesciat adulterium inter crimina publicæ subjecta pœnitentiæ recensati, & tamen si secretum sit, publica non imponitur mulcta. *Nos non prodimus palam*, dicit Sanctus Doctor, non jam per hoc, quod crimen occultaret; Etenim nec publica crimina in Confessione revelata Antistites manifestabant, sed dicebantur palam prodita per publicam impositam pœnitentiam; Quia igitur hanc non imponebat secreto Adultero, dicit Augustinus ipsum crimen palam non manifestare. Subdit *in secreto arguimus, ubi contigit malum, ibi moriatur*, & quidem non solùm quoad reatum culpæ, sed etiam quoad reatum pœnæ; aliàs non ibi moreretur malum, ubi perpetratum est, sed per multum temporis superesset, toto videlicet tempore stationum Pœnitentialium. Eandem sententiam propugnat S. Doctor *Hom.* 50., ubi non damnat ad publicam pœnitentiam, nisi eum — Cu„ jus peccatum non solùm in gravi ejus „ malo, sed etiam in scandalo est aliorum — Unde ex mente S. Doctoris, si quis in clauso cubiculo thus Idolis cremasset, publicâ non debuisset mulctari pœnâ.

Crimẽ occultum secretò corripiendũ.

219 PROB. postremò Conclusio ex Concilio Carthaginensi III. *Can.* 32. — Cu„ juscumque Pœnitentis publicum, & vul„ gatissimum crimen est, quod universa „ Ecclesia noverit ante Absidem (*idest in* „ *patenti Fidelibus loco*) manus ei impona„ tur — Ergo solummodo propter vulgatissima crimina publica subeunda erat Pœnitentia.

220 Nec obest, si dicas, Canonem loqui de solemniori pœnitentia, quæ non nisi pro vulgatissimo delicto injungebatur. Non obest, inquam; Nam si solemnior pœnitentia est de vulgatissimo crimine, minus solemnis erit de peccato minus avulgato, publico tamen, & nulla demum publica de occulto.

§. I I.

OPPOSITA MOMENTA DISSOLVUNTUR.

221 OB. I. Primitivæ Ecclesiæ disciplina publicæ Pœnitentiæ occulta peccata subjiciebat; ea propter Canones hac de re legimus apud Gregorium Thaumaturgum in sua Canonica Epistola. Is igitur *Can.* 8. occultum furtum publicis pœnis mulctat. Eos autem, qui alienas „ domos invadere ausi fuerint, si accusati „ quidem convicti fuerint, nec auditione „ dignos existimare. Sin autem seipsos „ enunciaverint, & reddiderint, in eorum „ qui convertuntur, ordinem substerni — Et *Can.* 9. de illis agens, qui in agro, vel in ædibus ea, quæ a Barbaris relicta sunt, invenerint, habet — Eos autem, qui in „ campo aliquid invenerunt, vel in suis „ ædibus a Barbaris relictum, si accusati „ quidem convicti fuerunt, sint similiter in „ iis, qui substernuntur. Sin autem se„ ipsos enunciaverint, & reddiderint, etiam „ precibus digni habeantur — His consonat Basilius *Can.* 61. — Qui furatus est, si „ ex se quidem pœnitentiâ motus seipsum „ accusaverit, anno a sola Sacramentorum „ Communione arcebitur, sin autem con„ victus fuerit, duobus annis; Tempus „ verò illi ad substractionem dividetur, & „ ad consistentiam, & tunc Communione „ dignus habeatur — Et *Can.* 34. de Uxoribus adulteris ait — Adulterio pollutas mu„ lieres, & confitentes ob pietatem, vel „ quomodocumque convictas publicare qui„ dem Patres nostri prohibuerunt, ne con„ victis mortis causam præbeamus: Eas au„ tem stare sine communione jusserunt, do„ nec impleretur tempus pœnitentiæ — Omnia prædicta, ùt videre est, inter occulta crimina jure enumerantur; Illud quippe occultum est, quod sola Rei manifestatione

digno-

dignoscitur, eaque propter palam fit primitùs abscondita delicta publicæ subjecta fuisse pœnitentiæ.

RESP. Præcitati casus, utvis videantur occulti, non tamen ii sunt, qui verè sint tales: Etenim furtum, quod publicæ subditur pœnitentiæ, illud est, de quo Reus accusari, atque per Testes convinci potest; In utroque siquidem Gregorii Canone habetur: *Si accusati quidem convicti fuerint*, & in illis Basilii: *Sin autem convictus fuerit. Vel quomodocumque convictus . . . Ne convictio mortis causam præbeant*. Ac proinde de illis criminibus sermo est, quæ secum scandalum habent, quæ, ùt supra vidimus, S. Augustinus Canonicis subjicit pœnis. Quare non urget argumentum; Nam nostram Conclusionem de illis criminibus intellectam volumus, quæ verè occulta sunt. Mitiùs tamen cum Reo agebatur, quando spontè se accusabat præveniens Delatores, ita ut pœna non injungebatur singulos Pœnitentiæ gradus percurrendi, sed ab Eucharistia solummodo arcebatur. Quæ disciplina nunc quoque apud Sanctæ Inquisitionis Tribunal servatur.

Spontè comparentes minus puniuntur.

122 OB. II. Ancyranum Concilium sub anno 314. celebrato habet *Can.* 20. -- „ De Mulieribus, quæ fornicantur, & partus suos necant, vel quæ agunt secum, „ ut utero conceptos excutiant, antiqua „ quædam definitio usque ad exitum vitæ „ eas ab Ecclesia removet: Humanius ali- „ quid nunc definimus, ut eis decem an- „ norum tempus, secundùm præfixos gra- „ dus Pœnitentiæ largiamur -- *Can.* 21. -- „ Qui voluntariè homicidium fecerint, Pœ- „ nitentiæ quidem jugiter se submittant: „ Perfectionem verò circa vitæ exitum con- „ sequantur -- Et *Can.* 15. de peccato Bestialitatis -- Quotquot ante vigesimum an- „ num tale crimen commiserint quindecim „ annis exactis in pœnitentia, communio- „ nem mereantur Orationum -- Atqui crimina, quibus publicæ pœnitentiæ onera Concilium imponit, sunt occultissima, aliàs si publica fuissent, Imperiales leges gladio animadvertissent: ergo.

RESP. Laudati Concilii Patres meritò supponunt hujusmodi scelera esse quidem cum scandalo, utvis non omnino publico, sed aliqualiter noto; Evenire etenim solet, mulierculam apud suam viciniam malè audiri, quamvis apud reliquos de Civitate benè oleat. Nec aliter intelligere possumus Ancyranos Canones, nisi dicere velimus contraria ad naturales regulas, & Christi decrevisse, quæ bonæ Fidelium opinioni consulendum esse præscribunt. Nec arbitraria est solutio; Nam præter mox dicta certum est secundùm Ecclesiasticæ disciplinæ regulas graviùs puniri publica crimina, quam minus publica, & tamen in Canone primo loco objecto Concilium dicit antiquos Patres pro illis Mulieribus totum vitæ tempus pro pœnitentia definivisse, propterea clarè apparet non loqui de peccato occulto. Quæ enim major pœna excogitari potest illâ, quæ per integrum vitæ cursum perdurat? vel quæ pœna ab Ecclesia injungenda, si de muliere fornicaria palam constaret filios suos enecasse?

Major pœna pro peccato magis noto.

123 OB. III. S. Leo Epistola 92. Rustico Narbonensi inscripta *cap. ult.* habet -- „ Si qui Idola adoraverunt, aut homicidiis, „ aut fornicationibus contaminati sunt, ad „ communionem eos, nisi per pœnitentiam „ publicam non oportet admitti -- Atqui prædicta crimina fuisse publica dici nequaquam potest, aliàs homicidia capitali supplicio vindicata fuissent: ergo occulta fuisse meritò dicendum venit.

RESP. Sanctus Leo de iis criminibus scribit, quæ scandali notam secum habebant, & taliter innotescebant, ut Rei accusari, atque de crimine convinci potuissent, non pacto respondetur ad objecta ex Epist. 80. ad Campaniæ Episcopos, ubi, reprobata occultorum criminum confessione, innuere videtur ex secreta publicas iisdem criminibus injungi pœnas. Nec probatio urget. Nam etsi homicidæ ultimo essent supplicio digni, attamen non semper ad forum laicale devolvebantur, ùt sæpè in notoriis delictis videre est, si Delatores desint, aut Testes idonei. Nisi dicere velimus civilibus legibus factum fuisse satis, eo ipso quod gravibus, publicisque pœnis delinquentes fuerint subjecti: Illa etenim disciplinæ severitas apprimè deserviebat tum ad satisfactoriam pœnam, tum ad aliorum terrorem.

Peccata cum scandalo non sunt occulta.

124 OB. IV. Pœnitentia, qua Pœnitens a Communione arcetur, quæque a fletibus totius Populi exposcitur, publica est; Sed Sanctus Ambrosius *lib. 2. de Pœnit. c. 16.* huic occulta crimina subjicit -- Si quis igi- „ tur occulta crimina habens propter Chri- „ stum tamen studiosè pœnitentiam egerit: „ quomodo isthic recipit, si ei Communio „ non refunditur? Volo veniam reus spe- „ ret, petat cum lacrymis, petat cum „ Populi totius fletibus, ut ignoscatur ob- „ secret: & cum secundò, & tertiò dilata „ fuerit ejus Communio, credat remissiùs „ se supplicasse -- ergo.

RESP. S. Ambrosium ibi non loqui de publica pœnitentia, sive ex motivo illius doctrinæ, sive ex ipso textu clarè evincitur. Motivum igitur S. Doctoris erat revincere Novatianos prædicantes peragendam esse pœnitentiam, sed hac peractâ reconciliationem esse denegandam -- Frustra dicitis, „ vos prædicare pœnitentiam, qui fructum „ pœnitentiæ tollitis -- Porrò Novatiani dari negabant reconciliationem sive per publicam, sive per privatam pœnitentiam, unde laudata Doctrina non est determinatè de publica pœnitentia. Textus similiter rem declarat, cum dicit, *Et cum secundò, & tertiò dilata fuerit ejus communio, credat remissiùs se supplicasse*. Hoc sanè contra publicæ pœnitentiæ regulas erat, quibus præscribebatur semel tantùm postulari posse Communionem, peracto, scilicet, toto pœnitentiæ cursu. Dum igitur Delinquentem hortatur, ut *petat cum lacrymis*, intelligi debet in ordine ad Sacerdotem, sicut dum ait, *petat cum populi totius fletibus*, significat, quod simul cum aliis in Ecclesia oret, suamque ad Deum orationem dirigat, Populi fletus, precesque illi offerendo; Ceterum S. Antistitem nobis favere satis colligitur ex enarratione *in Psal.* 37. -- Et tu ergo, qui

„ pro-

„ peopofuifti fatisfacere pro delictis Domi-
„ no Deo tuo, illi foli interiora corde re-
„ purga — ideft, privata Confeffione Deo
facta in Sacerdote, & privatâ mulctâ im-
pofitâ: colligitur quoque ea ejufdem praxi
in hujus Sacramenti adminiftratione, quam
„ Sanctus Paulinus refert — Caufas autem
„ criminum, quas illi confitebantur, nulli
„ nifi Domino foli, apud quem intercedebat,
„ loquebatur, bonum relinquens exemplum
„ pofteris Sacerdotibus, ut interceffores
„ apud Deum fint, magis quam accufato-
„ res apud Homines — Hic planè conftat
loqui de occultis peccatis, quæ fecretò cu-
rabat facramentalem excipiens Confeffionem.
Non erat itaque S. Ambrofius apud homines
accufator, onere, & publicæ pœnitentiæ ru-
bore reum manifeftando.

Occulti criminis occulti remedium.

125 OB. V. S. Gregorius Nyffenus *Can.* 4., qui eft de Fornicatoribus, clarè pu-
blicis pœnis occulta crimina fubjicit — Eft
„ autem quædam differentia in ratione pœ-
„ nitentiæ in iis, qui voluptate ejufmodi
„ peccarunt. Qui enim ex feipfo ad fua
„ proferenda peccata impulfus eft, eo quod
„ fua fponte occultorum accufator effe vo-
„ luerit, ut qui jam affectioni medicinam
„ adhibere cœperit, & fignum mutationis
„ in id, quod eft melius, oftenderit, in
„ mitioribus pœnis verfatur. Qui autem in
„ malo deprehenfus eft &c. — Quid clariùs
ad probandam antiquæ Ecclefiæ difciplinam
circa occulta crimina?

Verùm Sanctum Epifcopum pro nobis
ftare compertum eft. Siquidem in laudata
auctoritate afferit puniendos effe mitioribus
pœnis, qui occultè peccaverunt, alias gra-
viores affignando pro notis criminibus: En
Fornicatorum, qui deprehenfi, atque con-
victi fuerunt, pœna — Eft ergo Canon ejuf-
„ modi, ut qui in fornicatione polluti funt,
„ in tribus quidem annis ab Oratione om-
„ ninò expellantur; in tribus autem fint
„ folius auditionis participes &c. — Porrò
fi pœnæ in hoc Canone defcriptæ affignantur
tam pro publicis, quam pro occultis forni-
catoribus, ubi probabunt Adverfarii mi-
tiores pœnas pro occultis, duriores pro
convictis?

Difcrimen inter publicam & privatam Fornicationem.

126 OB. VI. S. Auguftinus *Homil. ult. ex* 50. agens de publica pœnitentia apertè
fatetur illi fubeffe occulta crimina — Nemo
„ arbitretur, Fratres, propterea fe confi-
„ lium falutiferæ hujus debere Pœnitentiæ
„ contemnere, quia multos fortè advertit,
„ & novit ad facra Altaris accedere, quo-
„ rum talia crimina non ignorat. Multi
„ enim corriguntur ùt Petrus, multi tole-
„ rantur ùt Judas, multi nefciuntur, donec
„ veniat Dominus, qui illuminet abfcondi-
„ ta tenebrarum, & manifeftet confilia
„ cordium. Nam plerique propterea no-
„ lunt alios accufare, dum fe per illos cu-
„ piunt excufare. Plerique autem boni
„ Chriftiani propterea tacent, & fufferunt
„ aliorum peccata, quæ noverunt, quia
„ documentis fæpè deferuntur, & ea, quæ
„ ipfi fciunt, Judicibus Ecclefiafticis pro-
„ bare non poffunt. Quamvis enim vera
„ fint quædam, non tamen Judici facilè
„ credenda funt, nifi certis indiciis de-
„ monftrentur — Ex his planè fit peccata,
quæ Epifcopo delata, & probata erant,
publicæ fubjecta effe mulctæ, addit tamen —
„ Nos verò a Communione prohibere quem-
„ quam non poffumus, quamvis hæc prohi-
„ bitio nondum fit mortalis, fed medicina-
„ lis, nifi aut fponte confeffum, aut in
„ aliquo five feculari, five Ecclefiaftico ju-
„ dicio nominatum, atque convictum —
Hic palam loquitur de occultis criminibus
fponte confeffis, quæ utique aliis non in-
notefcebant: ergo.

RESP. Si præfentem S. Auguftini do-
ctrinam, cum alia, quam fupra ex eadem *Hom.* n. 118. retulimus, conferamus, dubio-procul
apparabit ipfum a fententia noftra non re-
cedere. Ibi etenim docet ad publicam pœ-
nitentiam haud fufficere grave delictum, fed
infuper gravitatem criminis cum fcandalo
conjungi debere. Porrò, quæ mox fuere
objecta claram habent intelligentiam. Nam
primò dicit quædam crimina punita juxta
Ecclefiafticæ difciplinæ rigorem, fed quæ
a Complicibus, aut ab aliis Epifcopo delata
fuiffent; hæcque publica effe ex fe patet,
cum probari debuiffent; plures fiquidem
probationum defectu hanc delationem omit-
tebant. Si quis autem peccator, qui folidu
probationum documenta de crimine convin-
ci nequiret, adeoque neque puniri, fponte
peccata fua confiteretur, Epifcopus publi-
cam injungebat pœnitentiam; Ipfius namque
Rei confeffio fat erat, ut publicè mulctare-
tur delictum, quod licet aliàs effet publicum,
defectu tamen probationum in ipfum Epi-
fcopus animadvertere non poterat. Hanc
porrò effe S. Auguftini mentem colligas ex
Burchardo Epifcopo Wormatienfi, qui *lib.* 19. fuæ Collectionis agens *de Pœnit. cap.* 36.,
qui eft *De inceftis occultis commiffis* notans in
margine Auguftinum ait — Si quis inceftum
„ occultè commiferit, & Sacerdoti occultè
„ confeffionem egerit, indicetur ei reme-
„ dium canonicum, quod fubire debuiffet,
„ fi ejus facinus publicatum fuiffet. Verùm,
„ quia latet commiffum, detur ei a Sacer-
„ dote confilium, ut faluti animæ fuæ pro
„ occulta pœnitentia proficiat, hoc eft, ut
„ veraciter ex corde fe graviter deliquiffe
„ confiteatur, & per jejunia, & eleemofy-
„ nas, vigiliafque ad facras Orationes cum
„ lacrymis fe purgare contendat — En oc-
cultum inceftum occultè mulctatum. Ven.
Beda Auguftianæ doctrinæ apprimè ftudio-
fus *lib. de Remediis Peccatorum* de pœnitentiis
peccatis imponendis loquens dicit — Non
„ omnibus ergo in una eademque libra pen-
„ fandum eft, licet in uno conftringantur
„ vitio — Hinc defcendens ad denotanda
crimina, quæ diversâ librâ funt penfanda,
affert tanquam diverfimodè punienda occul-
ta, ac publica crimina. Laudati igitur Au-
ctores, qui Auguftini fenfa benè intellexiffe
meritò cenfendi funt, fi diverfam, immo
occultam mulctam pro occultis delictis in-
jungendam effe decernunt, jam planè appa-
ret ejufdem effe fententiæ Auguftinum, a
quo talia excerpta fuere.

Auguftinus occulta crimina publicè non punit.

CON-

CONTROVERSIA VI.

§. I.

AN CLERICI MAJORES PRIMIS ECCLESIÆ SECULIS AD PUBLICAS PŒNITENTIAS DAMNARENTUR.

127 CUm S. Isidorus, qui anno 596. in Hispalensi Ecclesia sedere cœpit, *lib. 2. de Ecclesiasticis Officiis* scripserit post Baptismum Deum substituisse Pœnitentiæ remedium, subdens -- Honorum dumtaxat dignitate servata, ita ut a Sacerdotibus, & Levitis, Deo tantùm teste, fiat; a cæteris verò adstante coram Deo solemniter Sacerdote -- Difficultas suboritur, num disciplinæ publicæ pœnitentiæ Lapsi, qui de Ecclesiastico essent ordine, subjicerentur.

128 Pro hujus rei dilucidatione Majores Clerici a Minoribus sunt distinguendi. Illi tres Ecclesiasticæ Hierarchiæ Ordines constituunt, videlicet, Episcopatum, Presbyteratum, & Diaconatum, isti alios gradus a Tonsuratis usque ad Subdiaconos complectuntur. Temporum quoque ratio habenda est. Nam post Seculum III. Majoribus Clericis Ecclesia publicam non imponebat Pœnitentiam, sic statutum legimus in *Can. 2.* Carthaginensis Concilii habiti anno 398. -- Si quando Presbyteri, vel Diaconi, in aliqua graviore culpa convicti fuerint, qua eos a ministerio necesse fuerit removeri, non eis manus tanquam Pœnitentibus, vel tanquam Fidelibus Laicis imponatur -- Et S. Leo, qui Seculo V. floruit, ad Rusticum Narbonensem scribens ait *c. 2.* -- Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in Diaconi gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem, remedium accipiant pœnitendi --

Post Seculum III. Majoribus Clericis publica non injungebatur mulcta.

129 Minores Clerici quovis tempore publicis Pœnitentiis addicebantur, teste Felice III. *Epist. 7.* -- De Clericis autem, & Monachis, aut puellis Dei, aut Secularibus servari præcipimus hunc tenorem, quem Nicæna Synodus circa eos, qui lapsi sunt, vel fuerint, servandum esse constituit, ut scilicet .... tribus annis inter Audientes sint &c. -- His positis deveniendo ad propositam Controversiam.

Minores Clerici quovis tempore subdebantur publicæ disciplinæ.

130 Dicimus Majores Clerici tribus primis Ecclesiæ Seculis ad publicas Pœnitentias damnabantur.

PROB. I. Canones Apostolici priorum Seculorum disciplinam accuratè referunt; Sed laudati Canones publicæ Pœnitentiæ Majores Clericos deputant: Legitur enim *Can. 30.* -- Si quis Episcopus Secularibus Principibus usus, per eos Ecclesiam adeptus sit, deponatur, & segregetur, & omnes, qui illi communicant -- Porrò dubio-procul segregatio nil aliud est, quam ad publicam pœnitentiam deputatio; Etenim quoties Laicus dicitur segregatus, toties intelligitur ad Pœnitentiales stationes deputatus. Nec aliter illorum temporum disciplina intelligi potest, cum ex iisdem Canonibus *Can. 25.* depositionis pœna a segregatione distingueretur -- Episcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui in fornicatione, aut perjurio, aut furto captus est, deponatur, non tamen Communione privetur --

Prioribus Seculis quilibet pœnitentiæ publicæ addicebatur.

Segregabantur publice Pœnitentes.

131 PROB. II. tum ex Concilio Neocæsariensi, tum Illiberitano. Primum statuit *Can. 1.* -- Presbyter, si Uxorem duxerit, ordine suo moveatur. Si autem fornicatus fuerit, & adulterium commiserit, penitus extrudatur, & ad pœnitentiam deducatur -- Ad pœnitentiam utique publicam, cum extra Ecclesiam Delinquentem expellendum esse decernat. Secundum *Can. 76.* ad publicam pœnam deputat Criminosum ad Diaconatum assumptum -- Si quis Diaconum se permiserit ordinari, & postea fuerit in crimine detectus mortis, quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit, eum, actâ legitimâ pœnitentiâ, post triennium accipere communionem; quod si alius eum detexerit, post quinquennium, actâ pœnitentiâ, accipere Communionem laicam debere. -- Hæc autem publicam significare pœnitentiam clariùs patet, quam quod probari debeat.

Diaconus mortis reus quâ pœnâ plectendus.

132 PROB. III. ex S. Cypriano tum ex *Epist. 52.* ad Antonianum, tum ex 59. ad Fidum. Etenim cum Antonianus conquereretur Sanctum Cornelium ad Communionem recepisse, atque Sacerdotali honori Trophimum, qui a fide defecerat, nullâ peractâ pœnitentiâ, restituisse, sequentia scripsit S. Martyr -- Quoniam cum Trophimo pars maxima plebis abscesserat, redeunte nunc ad Ecclesiam Trophimo, & satisfaciente, & pœnitentiâ deprecationis errorem pristinum confitente, & Fraternitatem, quam nuper abstraxerat, cum plena humilitate, & satisfactione revocante, auditæ sunt ejus preces .... Tractatu ergo illic cum Collegis plurimis habito, susceptus est Trophimus, pro quo satisfaciebat fratrum reditus, & restituta multorum salus. Sic tamen admissus est Trophimus, ut Laicus communicet, non secundùm quod ad te malignorum literæ pertulerunt, quasi locum Sacerdotii usurpet -- Excepit igitur Sanctus Cornelius redeuntem Trophimum non peractis publicæ pœnitentiæ gradibus ob Ecclesiæ bonum, quod obvenerat ex ipsius conversione, quæ aliorum Lapsorum resipiscentiam secum traxerat, non illum tamen ad sacerdotalia munia admisit, quod sanè validum pro re nostra argumentum est. Inanis equidem fuisset Antoniani querela Pontificem videlicet Trophimo nimium indulsisse, dum a publica mulcta ipsum absolvit, si tunc temporis non vigeret disciplina, etiam Majores Clericos non recipi post Lapsum, nisi publicâ persolutâ pœnitentiâ. Justam quidem querimoniam *cit. Epist.* ad Fidum habet Sanctus Cyprianus adversus Therapium Episcopum, qui non persolutâ integrè pœnitentiâ absque urgenti

causa

Google

causa Victorem Presbyterum ad Communionem recepit, cum aliter in Africano Concilio cautum esset. Porrò si Presbyteri, aliique Majores de Clero hujusmodi pœnis haud essent deputati, malè redargutus fuisset Therapius, qui Victori non completo satisfactionis tempore pacem donavit.

§. II.

SOLVUNTUR ADVERSA.

133 OB. I. Donatus in Schisma prolapsus a S. Melchiade cum 18. Episcopis in Romano Concilio congregatis damnatus fuit -- Quia confessus sit „ (ut inquit Optatus Milevitanus *lib.* 1.) „ se rebaptizasse, & Episcopis lapsis manum imposuisse, quod ab Ecclesia alienum „ est -- Sed manus impositio erat cæremonia, quæ circa publicos Pœnitentes exercebatur: ergo damnatus jure fuit, eo quod Episcopos publicæ subjecisset Pœnitentiæ: ergo tunc temporis nec disciplina, nec lex Majores Clericos publicæ mulctæ deputabant.

Manuum impositio reconciliatoria, & consecratoria.

RESP. Haud reprobatus fuit Donatus, quia Majores Clericos publicâ mulctasset pœnâ, sed cum in eo versaretur errore Baptismum, sacramque Ordinationem esse Sacramenta iterabilia, maximè cum ab Hæreticis essent collata, ideo Episcopis Lapsis iterum ad sacra ministeria inaugurare contendebat; ea propter illa manuum impositio non erat reconciliatoria, sed consecratoria, quæ meritò a Patribus fuit reprobata.

134 INSTABIS. Optatus exprobat Donatistis, quod Episcopos, Sacerdotes, & Diaconos publicæ addixerint Pœnitentiæ, sic enim habet *lib.* 2. *circa finem* -- A vobis „ occisi sunt in honoribus Sacerdotes. Mul„ tis notum est, & probatum persecutionis „ tempore Episcopos aliquos inertiâ a Con„ fessione nominis Dei delapsos thurificasse, „ & tamen nullus eorum, qui evaserunt, aut „ manum Lapsis imposuit, aut ut genua „ figerent, imperavit; & facitis vos hodie „ post unitatem, quod a nullo factum est „ post thurificationem --

Seculo IV. circa Majores Clericos disciplina.

RESP. Cum temporibus Optati, qui medio IV. Seculo florebat, jam desiisset disciplina publicæ Pœnitentiæ subjiciendi Majores Clericos, ideo exprobat Donatistas, qui tali pœna adjecerant Episcopos, aliosque, qui aliàs falsò inter Lapsos recensebant. (Etenim hi erant, qui temporibus Constantii ex Donati Hæresi ad Catholicam unitatem redierant, nisi sub Juliano Imperatore iterum defecerint) Hujus rei veritas in aperto est, cum dicat Thurificatos etiam ex Episcopali ordine nullâ impositâ mulctâ fuisse receptos, ex quo rectè colligit neque alios publicè fuisse damnandos.

135 OB. II. Quod prioribus Seculis Ecclesiastica disciplina exercuit, nequaquam adversus Apostolicam Traditionem dici posset; Sed Majores Clericos ad publicam pœnitentiam demandare pugnat cum Apostolica Traditione, dicente Sancto Leone *Epist.* 92. -- Alienum est a consuetudine Eccle„ siastica, ut qui in Presbyterali honore, „ aut Diaconii gradu fuerint consecrati, ii „ pro crimine aliquo suo, per manus im„ positionem, remedium accipiant pœni„ tendi, quod sine dubio ex Apostolica „ Traditione descendit, secundum quod „ scriptum est: Sacerdos si peccaverit, „ quis orabit pro eo? -- ergo.

Traditio Apostolica latè sumitur.

RESP. S. Pontifex Apostolicam Traditionem in lata quadam significatione usurpat, prout scilicet idem est, ac Ecclesiastica consuetudo longo tempore firmata, quo pacto loquitur S. Hieronymus *Epist.* 28. ad Lucinium -- Unaquæque Provincia abundet „ in sensu suo, & præcepta Majorum leges „ Apostolicas arbitretur --

136 OB. III. Carthaginense Concilium an. 398. celebratum *Can.* 3. præcipit, ut Sacerdotes, & Diaconi in grave crimen prolapsi in aliquo Monasterio pœnitentiam agant, & eis non imponantur manus tanquam Pœnitentibus, vel tanquam Fidelibus Laicis: Sed hujusmodi Concilium ab Eruditis inter ea recensetur, quæ primis Ecclesiæ Seculis celebrata fuere: ergo.

IV. Seculo delinquentes Clerici in Monasterio recludebantur.

RESP. Laudatum Concilium utique inter priora reponitur, verùm eo tempore in Ecclesia jam cœperat desinere prior disciplina publicam imponendi Majoribus Clericis Pœnitentiam, & alia subrogata fuerat detrudendi Delinquentes in Monasterium ad debitam subeundam pœnam: De hac agit S. Hieronymus *Epist.* 48. ad Sabinianum -- Hortatus sum ut ageres pœniten„ tiam, & in cilicio, & cinere volutare„ ris, ut solitudinem peteres, ut vivares „ in Monasterio, ut Dei Misericordiam „ jugibus lacrymis implorares -- Sabinianus Diaconus erat, qui pluribus corruptis Virginibus aliam Deo sacram e Monasterio ad stuprum, fugamque sollicitaverat; & clarius Toletanum Concilium IV. habitum an. 673. *Can.* 29. -- Si Episcopus, aut Pres„ byter, aut Diaconus, aut quilibet ex „ ordine Clericorum Magos, aut Aruspi„ ces, aut Ariolos, aut certè Augures, vel „ sortilegos, vel eos, qui profitentur artem „ magicam consulere fuerit deprehensus, ab „ honore dignitatis suæ depositus, Mona„ sterii pœnam excipiat, ibique perpetuæ „ pœnitentiæ deditus, scelus admissum sa„ crilegii luat --

137 OB. IV. Poterant Sacerdotes, seu Clerici Majores publicæ subjici Pœnitentiæ, si ipsimet voluntariè, & ultroneè illam expostulabant: ergo nulla lex, aut consuetudo Majores Clericos ad publicam deputabat Pœnitentiam. Primum habetur ex Concilio Arausicano I. *Can.* 4. ubi dicitur -- Pœni„ tentiam desiderantibus Clericis non ne„ gandam -- Idemque legitur in Concilio „ Arelatensi II.

Ultrò petentibus quandoque concedebatur publica Pœnitentia.

RESP. Cum Arausicanum celebratum fuerit anno 441., & Arelatense 457. jam illa prior disciplina desierat; nihilotamen minus ultrò volentibus publicam subire Pœnitentiam concedebatur, si hoc ad Plebis ædificationem opportunum fore credebatur. Ceterum post III. Seculum delinquentibus ex Majoribus Clericis privata injungebatur Pœnitentia, quo pacto explicatur Felicis III.

sententia ex *Epist. 7.* eccerpta, ubi videtur Episcopos, & Presbyteros, qui in errorem Rebaptizantium prolapsi erant, Pœnitentiæ daputare. Quod claré evincitur tum es contestu, ubi asserit -- Quam rem diligen„ tiùs explorare, vel facere probatissimi „ Sacerdotis cura debebit -- Porrò si sermo esset de publica Pœnitentie sedula hojusmodi diligentia frustra adhiberetur, cum pœnæ jam essent decretæ, tum es quo Leo Megnus Felici præcessit, quo tempore, ùt vidimus supre in Obiect. II., non amplius vigebat disciplina Majores Clericos publicæ Pœnitentiæ demandandi.

Asseri solet pro Adversantibus quoddam Origenis proloquium, videlicet -- Si „ Pœnitentie Episcopis imponeretur, non „ esset Pœnitentia, sed injuria -- Verùm cum Eruditi contendant nullibi dictum illum apud Origenem adinveniri, nihili faciendum est.

CONTROVERSIA VII.

§. I.

AN PRIORUM SECULORUM DISCIPLINA OB QUÆDAM ATROCIA CRIMINA ALIQUIBUS QUANDOQUE SACRAMENTALEM ABSOLUTIONEM DENEGAVERIT.

138 HUjusmodi Controversia gravissima æquè, ac perutilis est, cum apprimè deserviat ad veritatem firmandam de virtute, & Sacramenti Pœnitentiæ necessitate adversus Novatianos, & Montanistas. Contendant itaque antiquæ Eruditionis scrutatores Sacramentalem absolutionem in vitæ esitu prioribus Ecclesiæ Seculis negatam fuisse ecis Idololatriæ, Homicidii, & Mœchiæ, utvis sinceræ conversionis signa innuerint.

139 Dicendum tamen Lapsis propter atrocia quædam crimina haud extitisse Ecclesiæ disciplinam denegandi sacramentalem absolutionem in esitu vitæ.

PROB. I. A veritate alienum meritò videri potest Ecclesiam adversus divinas promissiones disciplinam condidisse, ne ipsam dicamus bonis, quæ Supremus Pater largitus est, filios suos privasse; Sed nil solennius in Scripturis est, quam Deum, quibuscumque, & quovis tempore Pœnitentibus veniam promittere, immo omnes, & quoscumque peccatores ad Pœnitentiam vocare, ùt ed unum omnes compecinm habent: ergo nullatenus dicendum est Ecclesiam hujusmodi promissiones, Deique vocationem irritas fecisse disciplinam instituendo denegandi sacramentalem absolutionem in pœnam atrocium delictorum, cum Deus promissam veniam absolutioni alligaverit.

Deus veniam peccantibus elargitur mediâ absolutione.

140 PROB. II. Nequaquam credendum est Ecclesiam Instituisse disciplinam, quæ cum recto usu potestatie sibi a Deo concessæ non cohæreat; Atqui disciplina, de qua in præsenti, non cohæret cum recto usu potestatis Ecclesiæ e Deo concessæ; Illa quippe, teste Apostolo, non in destructionem, sed in ædificationem impertita est. Porrò disciplina denegans quibusdam criminibus absolutionem in destructionem fuisset, cum delinquentes ad desperationem edigeret: ergo.

Potestas Ecclesiæ in ædificationem.

141 PROB. III. Ecclesia masimè sollicite semper fuit servandi consuetudines Apostolorum esemplis firmatas; Sed Apostoli Lapsis in Mœchiam, atque Homicidium absolutionis beneficium concessere; Unde de B. Paulo habetur 2. ad Corinth. 2. ipsum pessimo incestuoso indulsisse, & de B. Joanne Evangelista apud Eusebium *lib. 3. cap. 17.* referentem Clementem Alexandrinum constat reconciliasse Juvenem latrociniis, cædibusq. deditum -- Senem (*idest Apostolum Joannem,* „ *qui ad ipsum inquirendum processerat*) ad se „ advenientem complectitur, fletu ac mœ„ rore, quoad poterat, pro culpa satisfecit; „ & dextra sola occultata, lacrymarum un„ da secondò baptizatur. Apostolus cara, & „ constanti asseveratione ei se a Servatore „ veniam, & remissionem peccatorum pre„ cibus suis impetraturum pollicetur, atque „ ad genua accidens, ipsam manum dexte„ ram, tanquam aquâ pœnitentiæ ablu„ tam, purgatamque osculatus, illum ad „ Ecclesiam reducit -- Hinc prosequitur enarrans prædictum Juvenem Ecclesiæ ministerio ab Apostolo depositum fuisse, quod sanè non evenisset, nisi prius sacramentali fuisset absolutione donatus. Si ergo talia reconciliationis esempla præ oculis habuit Ecclesia, quonam pacto dicendum est ab illis eodem ferè tempore recessisse?

Homicida a S. Joan. reconciliatus.

142 PROB. IV. Es Patrum testimonio. S. Irenæus *lib. 1. de Heresibus cap. 9.* refert constupratas Mulieres a Marco Hæresiarca, præmissâ Exomologesi, ab Ecclesia fuisse eeceptas, & Eusebius *lib. 6. Histor. cap. 36.* es S. Dionysio Alesandrino in Epistola ad Fabium refert Serapionem, qui persecutionis tempore Idolis sacrificaverat, morti proximum misisse puerum, ut Presbyterum, qui sacramentalem absolutionem elargiretur, vocaret, qui morbo ét ipse vexatus cum ad senem accedere non posset, puero Eucharisticum Sacramentum dedit præcipiens, ut madefactum in os senis infunderet, quod ab illo Presbytero peractum esse affirmat Dionysius -- Quoniam autem „ quidem mandatum dabetur, ut qui jam „ essent vitâ emigraturi Sanctorum My„ steriorum (dummodo peterent, & vel „ maximè si antea, dum integra valetudine „ erant, supplices petivissent) participes „ fierent: sicque cum pace dimissi, & bona „ spe confirmati, ex hac luce decederent -- Ergo nulli denegabatur sacramentalis absolutio.

Seculo III. morituri reconciliabantur.

143 Ex his claré rejicitur quorundam sententia volentis quidem Seculo I., & II. usque ad medium nulli sceleri post Baptismum commisso veniam denegari, sed a medio II. Seculo alicubi saltem Idololatras, Homicidas, & Mœchos inabsolutos relinqui. Rejicitur inquam; Etenim S. Dionysius ab ann. 248. usque 265. Alesandrinam rexit Ecclesiam, & aliàs jure dicendum est hanc Orientalium fuisse disciplinam; ipse siqui-

Orientalium disciplina.

ſiquidem taliter eorundem upiniones adoptabat, ut cum Cypriano, Africanis Epiſcopis, cæteriſque Orientalibus Hæreticos rebaptizandos eſſe ſenſerit, qua de re Epiſtolas dedit ad Sixtum Pontificem, teſte Euſebio *lib. 7. cap.* 8. De Occidentalibus dicetur infra, ubi de Romano Clero erit ſermo: ergo ſignum eſt non ſolùm primo, & ſecundo inchoato Seculo, ſed ſequentibus etiam ſuiſſe Eccleſiam omnes Delinquentes ad Pœnlieutiam recipere.

144 Nec momenti eſt ſi dicatur Serapionem legitimâ Pœnitentiâ fuiſſe perfunctum; Porrò hujuſmodi Delinquentibus nuſquam denegatam fuiſſe ſacramentalem abſolutionem. Non, inquam, momentoſa eſt hujuſmodi reſponſio, ſiquidem apud eundem Euſebium de laudato Serapion legitur -- „ Hic ſepenumero in Eccleſia denuò recipi „ ſupplex poſtulabat: ſed nemo, quia Idoiis ſacrificaſſet, ejus poſtulationi aliquando auſcultavit -- Non igitur Pœnitentiæ gradus Serapion compleverat, propter quod abſolutionis capax evaſiſſet, ſed quia nuſquam petentibus ſaltem in vitæ exitu abſolutio denegata fuit.

Etiam inexpletâ Pœnitentiâ abſolutio conceſſa.

145 PROB. V. Concilium Ancyranum circa annum 314. celebratum *Can.* 15. coinquinatis turpiſſimo beſtialitatis crimine in exitu Communionis gratiam indulget -- „ Ad exitum vitæ Communionis gratiam „ conſequantur -- Et *Can.* 21. de Homicidis habetur -- Qui voluntariè homicidium fe„ cerint, pœnitentiæ quidem jugiter ſe „ ſubmittant; perfectionem verò circa „ exitum vitæ conſequantur -- Perfectio autem erat Eucharistica communio: eo igitur Seculo diſciplina non vigebat negandæ abſolutionis propter criminum atrocitatem.

146 PROB VI. ex *Can.* 13. Nicœni Concilii -- De his verò, qui ad vitæ exitum veniunt, etiam nunc antiqua lex ſervabitur, ita ut ſi quis egreditur è corpore ultimo, & maximè neceſſario Viatico minimè privetur, quod ſi deſperatus, & conſequutus Communionem, oblationiſque particeps factus iterum convaleſcit, ſit inter eos, qui Communionem orationis tantummodo conſequatur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu poſito, & poſcenti ſibi Euchariſtiæ gratiam tribui, Epiſcopus, poſtquam probaverit, ex oblatione dare debebit -- His Patres declarant, quænam Eccleſiæ fuerit diſciplina in mortis articulo circa Pœnitentes, affirmantque juxta antiquæ legis obſervationem abſolvendos eſſe, dum ſtatuunt Euchariſtiâ eſſe donandos. Unde Cabaſſutius in Nota Eccleſiaſtica Sec. IV. probat tum ex laudato Canone, tum ex Patribus, & Concilio Valentino nemini etiam peccatori pœnitenti denegandam eſſe in extremis vitæ Communionem ſacri Viatici, quod equidem præmiſſa ſacramentali abſolutione intelligendum eſt.

Nicœni PP. antiquam diſciplinam firmant.

147 PROB. VII. Romanus Clerus, vacante Apoſtolica Sede, ad S. Cyprianum *Epiſt.* 2. fatetur circa Lapſos ante Pontificis creationem nihil eſſe innovandum, ſed fiduciario decreto pro articulo neceſſitatis declaravit dandam eſſe in exitu abſolutionem iis, qui pœnitentiæ ſigna dederint; ſi ergo abſque ulla innovatione decernit denegandam non eſſe veniam, jam planè fit etiam apud Occidentales diſciplinam non extitiſſe ob criminum atrocitatem denegantem abſolutionem; Romano Clero conſenſit Cyprianus, qui *Epiſt.* 52. ad Antonianum pluribus Scripturæ teſtimoniis haud denegandam eſſe, ſed abſolutionem largiendam Lapſis propalam docet -- Præcludere eſt, atque abſcindere iter doloris, ac pœnitendi viam, „ ut cum in Scripturis Dominus Deus re„ vertentibus ad ſe, & pœnitentibus blandia„ tur, noſtra duritia, & crudelitate, dum „ fructus pœnitentiæ intercipitur, pœnitentia ipſa tollatur. Quod ſi invenimus a „ pœnitentia agenda neminem debere pro„ hiberi, & deprecantibus Domini miſericordiam ſecundum quod ille miſericors „ eſt, & pius, per Sacerdotes ejus pacem „ poſſe concedi; admittendus eſt plangen„ tium gemitus, & pœnitentiæ fructus do„ lentibus non negandus; & quia apud inferos confeſſio non eſt, nec Exomologeſis „ illic fieri poteſt, qui ex toto corde pœni„ tuerint, & rogaverint, in Eccleſiam de„ bent interim ſuſcipi, & in ipſa Domino re„ ſervari, qui ad Eccleſiam ſuam venturus „ de illis utique, quos in ea intus invene„ rit, judicabit --

Crudeliter denegatur lapſis abſolutio.

148 Demum pluribus prætermiſſis probatur ex Tridentino *Seſſ.* 14. *cap.* 7. ubi declarans ex jure divino ab Eccleſia atrociora quædam crimina reſervari poſſe, utiliterque a Sanctis Patribus factum aſſeverans, poſtmodum concludit -- Veruntamen piè admodum, „ ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in „ Eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, ut „ nulla ſit reſervatio in articulo mortis -- Dicit in Eccleſia Dei ſemper cuſtoditum: ergo nunquam ob atrociora delicta abſolutio negata fuit, aliàs in mortis articulo aliqua reſervatio fuiſſet cuſtodita.

149 Hic porrò non recurrit Cardinalis Bonæ animadverſio *lib.* 1. *rerum Liturgicarum cap.* 18. relata a P. Natali Alex. *Sec. III. Diſſert* 10. *Quæſt. unica Scholion.* 2. *in reſponſione ad cenſoriam obſervationem*, propugnante nedum publicam, ſed privatam quoque denegatam pœnitentiam iis, qui actâ publicè pœnitentiâ in eadem, vel nova crimina relabebantur, ob quæ ſecundùm Eccleſiæ leges denuò pœnitentiæ gradus percurrere deberent. Cum enim Religioſi Cenſores totam Concluſionem cum ſuis probationibus expungendam dixerint, reſpondet laudatus Natalis -- Attendant quæſo Religioſi Cenſo„ res ad præclaram illam doctiſſimi Cardi„ nalis Bonæ animadverſionem. De Sacris „ Eccleſiæ ritibus, eorumque veneranda „ antiquitate illi procul-dubio malè meren„ tur, qui priſcos mores præſentis temporis „ conſuetudine metientes, omnino veterem „ diſciplinam ad hujus ævi praxim expen„ dunt, ea perſuaſione decepti, quod nihil „ unquam ab iis caſibus diverſum fuerit, „ quos a Parentibus, & Præceptoribus di„ dicerunt, & quibus ab infantia aſſueve„ runt &c. -- Hæc, inquam, animadverſio non recurrit in præſenti; ſiquidem laudatum Tridentinum aſſeveranter affirmat ſemper in

Eadem quovis tempore diſciplina quoad abſolutionem.

Ecclesia Dei fuisse custoditam, ut nulla essent crimina, ob quæ in mortis articulo absolutio deneganda esset; si semper ergo veneranda antiquitas eandem, ac nunc servavit disciplinam.

§. II.

OPPOSITA MOMENTA DISSOLVUNTUR.

150 OB. I. Seculo IV. an. circiter 314. Arelatense Concilium *Can. ult.* ob quædam crimina in extitu vitæ sacramentalem absolutionem pœnitentibus denegavit — De his, qui apostatant, „ & nunquam se ad Ecclesiam repræsentant, „ ne quidem pœnitentiam agere quærunt, „ & postea infirmitate correpti petunt com„ munionem, placuit eis non dandam com„ munionem, nisi revaluerint, & egerint „ fructus dignos pœnitentiæ — Hoc autem Concilium universale fuit, utriusque Ecclesiæ, ut docet Augustinus *lib. 2. de Baptismo cap. 9.*, & *Epist.* 162., & Episcoporum concursus ex diversis mundi partibus suadet: itaque tunc temporis sacramentalis absolutio denegabatur.

RESP. Utrùm Concilium illud, de quo loquitur Augustinus, fuerit Arelatense, ut Joannes Launoius propugnat, sive Nicænum ut probabilius alii, attamen ad Canonem mox citatum non incongruè dici posset, ipsum non jam sacramentalem absolutionem, sed Eucharisticam Communionem Delinquentibus denegare. Verùm clariùs resolvitur objectum dicendo, ibidem supponi infirmum in malo perseverare, neque sufficientia seriæ conversionis signa dare, ea propter Patres ad hoc denotandum describunt ægrotum hujusmodi nunquam ad Ecclesiam se præsentasse, neque pœnitentiam agere quæsivisse, quod sanè manifestam innuit contumaciam. Porrò certò certiùs, qui hujusmodi sunt, absolutionis incapaces meritò censentur.

Contumaces haud absolvendi.

151 OB. II. Innocentius I. loquens de disciplina priorum temporum testatur habituali Mœchiæ peccato commaculatis denegatam fuisse in obitu absolutionem; Cum enim Exuperius Episcopus Tolosanus expostulasset — Quid de his observari oporteat, „ qui post Baptismum omni tempore incon„ tinentiæ, & voluptatibus dediti, in ex„ tremo fine vitæ suæ pœnitentiam simul, „ & reconciliationem communionis expo„ scunt — Respondit Pontifex — De his „ observatio prior, durior; posterior, in„ terveniente misericordia, inclinatior est: „ Nam consuetudo prior tenuit, ut conce„ deretur eis pœnitentia, sed communio „ negaretur. Nam cum illis temporibus „ crebræ persecutiones essent, ne commu„ nionis concessa facilitas, homines de re„ conciliatione securos, non revocaret a „ lapsu, negata meritò communio est, con„ cessâ pœnitentiâ, ne totum penitus ne„ garetur, & duriorem remissionem fecit „ temporis ratio; Sed postquam Dominus „ noster pacem Ecclesiis reddidit, jam de„ pulso terrore communionem dare abeun„ tibus placuit, & propter Domini miseri„ cordiam, quasi viaticum profecturis, & „ ne Novatiani Heretici negantis veniam „ asperitatem, & duritiam subsequi videa„ mur; Tribuetur ergo cum pœnitentia ex„ trema communio, ut homines hujusmodi, „ vel in supremis suis, permittente Salvatore „ nostro, a perpetuo exitio vindicentur — Sed ex vulgati Eruditorum frasi communionis nomine sacramentalis absolutio intelligitur: ergo planum est disciplinam extitisse sacramentalem negandi absolutionem.

RESP. Si quis Communionis nomine eam exteriorem intelligere velit cærimoniam, qua Pœnitentes ad communicationem cum Ecclesia recipiebantur, nullam Innocentii auctoritas difficultatem ingereret; quoniam verò Adversantibus voluntarium videtur effugium, ideo ex intrinsecis textus dicimus ex præcitatis optimè colligi non jam negatam, sed concessam sacramentalem absolutionem. Et primò quidem dum dicitur — „ Consuetudo prior tenuit, ut concedere„ tur eis pœnitentia — Et quidem non illa, quæ per exteriora opera pœnalia exercetur, vel per gradus pœnitentiales, cum utraque in extremis constituto sit impossibilis; nec ea, quæ per interiores contritionis actus peragitur, quia hæc ab Ecclesia non conceditur, sed, Deo inspirante, independenter ab Ecclesiæ concessione habetur, ideoque vel excommunicati conteri possunt: ergo erit illa, quæ importat sacramentalem absolutionem: cum alia excogitari non possit pœnitentia, quæ ab Ecclesia largiatur. II. Illa pœnitentia vel vera erat, vel non; si non erat vera: ergo Ecclesia moribundum illudebat; quod impium esset; si vera: ergo cum sacramentali absolutione concedebatur; quia vera pœnitentia ad peccatorum remissionem disponit, quæ per se clavibus est alligata. III. Vel illa pœnitentia concedebatur obeuntibus, ut salvarentur, vel non; hoc secundum sapit blasphemiam: ergo illud primum; Atqui pœnitentia salutaris, quæ ab Ecclesia conceditur, alia non est, quam sacramentalis absolutio: ergo. IV. Illa pœnitentia dici nequit aliena a Christi institutione; sed pœnitentia a Christo instituta complectitur sacramentalem absolutionem: ergo. V. Ex S. Cypriano *Epist.* 54. Novatiani est pœnitentia, quæ lacrymas, fletus, gemitusque concedit, fructus verò pœnitentiæ, qui est peccati remissio per sacramentalem absolutionem donata, denegat.

Innocentius non favet Adversantibus.

Nec prætereundum est Pontificem asserere concessam pœnitentiam, *ne totum denegaretur*, videlicet, ne ad omnia Sacramenta aditus intercluderetur, ea propter unum concedebatur, scilicet Sacramentum absolutionis; & sanè, Sacramentali absolutione denegata, totum negatum est peccatori, cum æterna salus juxta ordinariæ legis dispositionem ab ea dependeat. Dicit quoque Pontifex *duriorem remissionem fecit temporis ratio*, non ait, nullam fecit, sed duriorem; nullam porrò fecisset Ecclesia, quantùm ad ipsam spectat, negata absolutione sacramentali.

Addas velim in prælaudata auctoritate Com-

Communionem ibi ufurpari pro Euchariftica fumptione, cum illam vocet Viaticum profecturis, quod alio fanè vocabulo non appellatur Euchariftia; in pofteriori verò difciplina benigniùs actum eft, cum non folùm abfolutio fuerit conceffa, fed etiam Euchariftica fumptio: ergo cum in priori dicatur denegatam Communionem de Euchariftica intelligi debet.

152 DICES I. Pœnitentia, quæ illis temporibus concedebatur, erat abfolutio ab Excommunicatione, quâ fublatâ precum, quas Fideles fundebant, capaces reddebantur Pœnitentes.

Abfolutio ab excommunicatione malè dicitur Pœnitentia.

RESP. Equidem non nifi impropriè abfolutio ab Excommunicatione nuncuparetur pœnitentia: Verùm efto res ita fe habeat; abfolutio ab Excommunicatione eft remotio, feu ablatio impedimenti ufus facramentalis abfolutionis; unde fi ab illa abfolvebantur delinquentes, id fanè erat, ut inde facramentali donarentur abfolutione. Et revera etiam per Adverfarios abfolvebantur ab Excommunicatione, ut fpem veniæ coram Deo haberent; venia autem, quæ fpem hujufmodi fundaret, obtinere poterant, etfi eis abfolutio ab Excommunicatione elargita non fuiffet; contritio namque interior etiam Excommunicatum ab Ecclefia juftificat. Dein. Si Ecclefia abfolvens ab Excommunicatione intendebat concedere moribundo fpem veniæ a Deo obtinendæ, cur negabat media, quibus Deus veniam alligavit? Pro comperto eft hanc Deum facramentali abfolutioni alligaffe. Declaratum namque habemus per Tridentinum in lege nova contritionem non juftificare nifi in voto fufcipiendi Pœnitentiæ Sacramentum; quo igitur pacto Innocentius credere potuit Ecclefiam conceffiffe contritionem ùt juftificativam, & Sacramentum, vi cujus contritio juftificat, denegaffe? Vigebat itaque citata Sancti Cypriani regula -- A pœnitentia agenda neminem debere prohiberi, & deprecantibus atque exorantibus Dei mifericordiam, fecundum quod ille mifericors, & pius eft, per Sacerdotes ejus pacem poffe concedi, admittendus eft plangentium gemitus, & pœnitentiæ fructus dolentibus non negandus --

153 DICES II. Contextus fuadet Innocentium loqui de facramentali abfolutione, quod pluribus oftenditur. I. Priorem Ecclefiæ difciplinam duriorem vocat; fi verò fola Euchariftica fumptio denegata effet, nequaquam durior difciplina diceretur, cum hac quoque tempeftate abfolutio facramentalis a Communione feparetur. II. Prioris difciplinæ rationem afferens Pontifex inquit, -- *Communionis conceffa facilitas, homines de reconciliatione fecuros non revocaret a lapfu*: ergo illa Communio erat reconciliativa, adeoque non erat Euchariftica fumptio; hæc enim non eft reconciliativa. III. Affirmat duriorem pœnitentiam feciffe temporis rationem, agens inde de pofteriori difciplina illam dicit conceffam Communionem, quæ a perpetuo exitio vindicaret; fumptio autem Euchariftica non vindicat a perpetuo exitio; nomine itaque Communionis facramentalis abfolutio intelligitur. IV. Afferit fuis temporibus conceffam Communionem, ne Novatiani Hæretici duritiem fubfequi videamur; Duritics verò Novatiani negabat veniam, ideft abfolutionem. V. Ea demum ætate abfolutio non feparabatur a Communione, fi hæc denegabatur, denegabatur & illa.

RESP. Ex adductis momentis non evincitur intentum. Et I. quidem non urget; Etenim denegationem Euchariftiæ moribundo illam petenti equis non videt meritò inter duriffimas pœnas computari? Eft fiquidem Sacramentum hoc fummæ dignitatis, fummæque utilitatis, & durior adhuc pœna erat illa denegatio, cum tunc temporis maximi facerent Fideles Euchariftica Communionem. Quod autem nunc etiam quandoque in quibufdam Provinciis capitaliter damnatis denegetur abfolutio, ùt de Gallia, & Hifpania teftatur Juenimus *De fubjecto Euchariftiæ quæft. 6. cap.* 4. non tam eft in pœnam rei, quam in venerationem Sacramenti -- Cum plerumque capite (ait laudatus Auctor) plectantur eadem die, qua latum eft condemnationis decretum, Sacro Chrifti Corpori irrogaretur injuria, quippe quod hominis rei corpus, in quod intraffet, cum omni dedecore, & ignominia tortoria manu tractandum fit --

Denegatio Euchariftia graviffima pœna.

Non II. quia illa reconciliatio primariò ad facramentalem abfolutionem fpectat, completivè ad Euchariftiam Communionem, quæ & gratiam auget, & reatum temporalis pœnæ delet; ea propter illa Communionis denegatio apprimè deferviebat ad retrahendam Fideles a peccatis, illis præcipuè temporibus, quibus ipfi Euchariftiam beneficium altiùs perpendebant, denegatio autem abfolutionis ad defperationem potius impellebat, & ad lapfum provocabat, cum peccatoribus gravioribus criminibus irretitis nulla reconciliationis fpes fupereffet.

Completa habetur reconciliatio per Euchariftiã.

Non III. quia Euchariftica Communio infimul cum facramentali abfolutione a perpetuo vindicat exitio, quæ connexio fatis innuitur, dum dicitur -- Tribuetur ergo cum pœnitentia extrema Communio -- quæ eft Viaticum humanæ peregrinationis.

Non IV. quia Novatiani durities utrumque negabat, abfolutionem nempe, & Euchariftiam; Hinc prior difciplina, ne totum negaret, unum ex illis duobus Sacramentis dabat, pofterior verò, ut ex toto Novatianæ perfidiæ opponeretur, dabat utrumque.

Non V. quia illa duo non funt ad convertentiam; fine abfolutione peccatori non datur Euchariftica Communio, fed abfolutio impertitur fine Communione, ùt praxis in Gallia circa damnatos ad mortem firmat.

154 OB. III. Ecclefiaftica illa difciplina, quæ ftatuit quofdam peccatores a folo Deo veniam fperare debere, apertè facramentalem denegat abfolutionem; Atqui difciplinam hujufmodi defcribit Concilium Valentinum fub anno 374. *Can.* 3. -- Circa eorum verò Perfonas, qui fa poft unum, & Sanctum Lavacrum vel profanis facrificiis Dæmonum, vel Incefta lavatione pol-

„ pollucit, eam censuræ formam esse servandam, ut iis juxta Synodum Nicænam satisfactionis quidem aditus non negetur, nec infelicibus lacrymis, vel solatii janua desperatione claudatur. Acturi verò pœnitentiam usque in diem mortis, non sine spe tamen remissionis, quam ab eo plenè sperare debebant, qui ejus largitatem, & solus obtinet, & tam dives misericordiæ est, ne nemo desperet: Deus enim mortem non fecit, nec lætatur in perditione vivorum — En luce clariùs soli Deo reservata venia, & a solo Deo speranda remissio.

RESP. Ex eodem Canone Cabassutius *loco supra laudato* non solùm colligit dandam esse pœnitentibus in exitu vitæ absolutionem, sed etiam sacram Synaxim — „ Nemini etiam peccatori pœnitenti denegandam in extremis vitæ Communionem sacri Viatici tradit Innocentius I. Epist. 3. ad Exuperium Tolosanum Episcopum *cap.* 2., & Concilium I. Valentinum an. 374 *Can.* 3. allegato isto Nicæno Canone decernit quemcumque peccatorem nedum expleto pœnitentiæ tempora, si mortis urget discrimen reconciliari: sic tamen ut si postmodum convalescat, pœnitentiæ canonica tempora prosequatur — Et sanè Concilium aliquod beneficium hujusmodi pœnitentibus concedere intendit *ne solatii janua desperatione claudatur*. Porrò quodnam beneficii genus est illud concedere, quod dare, aut auferre non est in potestate Ecclesiæ? Estne sub Ecclesiæ facultate largiri, vel non largiri eam pœnitentiam, & veniam, quam solus Deus concedit, quamque dives misericordia omnibus pœnitentibus promittit, & donat? Nemo unus hoc dicet. Concilium igitur satisfactionis aditum concedens, spemque fovens remissionis a Deo consequendæ sacramentalem non denegat absolutionem, quam Deus ut ordinarium medium relaxandi peccata constituit; cum hoc tamen rectè dicitur a Deo plenè sperandam esse remissionem, cum ipse sit, qui contritionem largitur, atque per Sacramenta remissionem operatur. Nec aliter sensisse Concilium in aperto est, dum dicit omnia peragenda circa hosce delinquentes *juxta Synodum Nicænam*, quæ dubio-procul Canone supracitato obituris sacramentalem concedit absolutionem, & non quibusdam tantùm, ut innuit Juenin *Quæst.* 9. *cap.* 4. *art.* 2., sed *generaliter omni cuilibet in exitu posito, & poscenti sibi Communionis gratiam tribui . . . . debebit*, & idemmet affert ex interpretatione Dionysii Exigui.

Valentinum Concil. perperam intellectum.

155 OB. IV. Concilium Illiberitanum per suos omni ævo venerabiles Canones primitivæ Ecclesiæ disciplinam referens quibusdam atrocioribus criminibus sacramentalem denegat absolutionem: ergo hac pœna quandoque Ecclesia pœnitentes mulctabat. Antecedens palam fit excurrentibus ejusdem Canones. *Can.* 1. *de Sacrificante Idolis* habet — Placuit, nec in fine eam Communionem accipere — *Can.* 6. *De Interficiente alterum maleficio* — Nec in fine impartiendam esse illi Communionem — *Can.* 63. *De Adultera absente Marito* — Neque in fine dandam esse Communionem — Similia passim de aliis criminibus; Sed Communionis denegatio est sacramentalis absolutionis ablatio: ergo.

Quidam argumento huic faciunt satis dicendo Communionis nomine Concilium intelligere cæremonialem exteriorem reconciliationem, secus privatam, quæ sacramentalem importat absolutionem, jusque tribuit Eucharisticæ sumptioni. Solutio hujusmodi facilè negotio non reprobabitur. Verùm audiamus quid hac de re scripserit Cabassutius *Notitia Ecclesiastica Sæc. III. ad Concilium Illiberitanum* — An verò in his, aliisque Canonibus privatio Communionis in fine vitæ sit intelligenda de solius Eucharistiæ privatione, an verò significet etiam reconciliationis, seu absolutionis exclusionem, disputatio inter doctos ventilatur. Vox enim Communio utriusque significationis est capax. Bellarminus, qui existimat Illiberitanum Concilium fuisse non Orthodoxorum, sed Novatianorum, ideoque, ut damnabile rejiciendum, non dubitat esse intelligendum de absolutionis interdictione, cum ipsorum hæresis esset, Ecclesiam nec debere, nec posse absolutionem lapsis in quædam graviora crimina quantumcumque pœnitentibus impertiri. Alii verò non eousque processerunt, ut censuerint horum Canonum auctores fuisse Novatianos, nec istam ab Ecclesia esse amovendam potestatem, qui erat Novatianorum, & Cataphrygum error, sed tamen conducibilius judicasse si certis quibusdam occurrentiis illam exercere recusarent, juxta Apostoli effatum 1. Corinth. 6. *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt*. Ita sentiunt Albaspinæus, & Jacobus Sirmondus, atque ita senserat Dionysius Petavius in suis ad Epiphanium annotationibus, sed postmodum mutavit sententiam, nec nisi de privatione Eucharistiæ censuit intelligendos Canones istos, in suis ad Synesium observationibus, quod idem censuerat Cardinalis Baronius, & Ferdinandus Mendoza illos ad solius Eucharistiæ receptionem restringentes —

Illiberitani Canones explicantur.

Porrò hanc intelligentiam habere laudati Concilii Canones propalam fit, si attendamus ad alios Canones, quibus delinquentes Communione privantur, quod de absolutione non verificatur; *Can.* 3. denegatur Flaminibus relabentibus in Mœchiæ peccatum Communio — Ne lusisse de Dominica Communione videantur — Dominica Communio non est absolutio, sed Eucharistica sumptio, ut patet; aliàs verò hoc crimen inter ea recenseri deberet, per quæ etiam in extremis deberet denegari per Adversarios sacramentalis absolutio. *Can.* 47. de Conjugatis, qui contra promissionem in mortis periculo datam iterum Mœchiâ coinquinantur, dicitur — Placuit ulterius non ludere eos de Communione pacis — Communio, quæ luditur, est Eucharistica; hinc alii Codices legunt *de Communione pacis*. *Can.* 54. de Parentibus frangentibus fidem sponsalium a filiis legitur — Triennii tempore abstineant se a Communione —

Com-

Communio autem, a qua quis se abstinet, est Eucharistica; nullus enim dicit abstinere se ab absolutione.

156 Dicit tamen Juenines -- Synodus „ Eliberitana celebrata est, antequam No„ vatiani prodiissent; At ante Novatiano„ rum tempora quoties lapsi donabantur „ absolutione, non Eucharistia reficieban„ tur -- Ex quo colligit, negata Eucharistica Communione, negatam quoque fuisse absolutionem.

Verùm ipse fatetur Canonem 37. ejusdem Concilii loqui de Eucharistica Communione -- Antiqui Canones nullibi exprimunt „ Communionem Eucharisticam per hanc „ vocem *Communio* simpliciter prolatam, nisi „ id postulet subjecta materia, ùt videre „ est in Canone 37. -- Porrò Canon est hujusmodi -- Prohibendum etiam ne lucer„ nas hi publicè accendant. Si facere con„ tra interdictum voluerint, abstineant a „ Communione -- Quonam pacto, ùt mox dictum est, qui a sacramentali absolutione reicitur, dicitur abstinere ab absolutione, vel a remissione peccatorum. Frasis sanè hujusmodi nec apud antiquos, nec apud recentiores in usu est: ergo falsum est sacramentalem absolutionem nullâ temporis morâ sejungi ab Eucharistia. Nec urgent auctoritates, quas ex S. Cypriano affert; nam Sanctus Martyr loquitur de publica reconciliatione, de qua in præsenti non est sermo.

157 OB. V. Tertullianus fatetur suis temporibus Canonum severitatem negationis sacramentalem absolutionem Mœchis a S. Zephyrino relaxatam fuisse: ergo prioribus Ecclesiæ seculis vigebat negandæ absolutionis disciplina, quæ posterioribus circa alia crimina perduravit, cum Pontifex Mœchiam solummodo exceperit. Igitur Tertullianus *de Pudicitia cap.* 5. scribit -- Pompam „ quandam atque suggestum aspicio Mœ„ chiæ, hinc ducatum Idololatriæ antece„ dentis, hinc comitatum homicidii inse„ quentis. Inter duos apices facinorum „ eminentissimos sine dubio digna consedit, „ & per medium eorum, quasi vacantem „ locum pari criminis auctoritate comple„ vit. Quis eam talibus latebris inclusam, „ talibus costis circumfultam a cohæren„ tiam corpore divellet? De vicinorum cri„ minum nexu, de propinquorum scelerum „ amplexu, ut solam eam feceronit ad pœ„ nitentiæ fructum . . . . Quod agis molis„ sime, & humanissima disciplina: Aut „ omnibus eis esse debebis; Beati enim pa„ cifici. Aut si non omnibus, nostra esse. Ido„ lolatram quidem, & homicidam semel „ damnas, Mœchiam verò de medio excipis? „ Idololatræ successorem, homicidæ antecessorem utriusq. collegam. Personæ acceptatio „ est, miserabiliores pœnitentias reliquisti -- Idem clariùs innuit *c.* 9. -- Hinc est, quod „ neque Idololatriæ, neque sanguini pax ab „ Ecclesiis redditur -- Nec prætereunda, quæ Ecclesiasticæ disciplinæ propugnator scribit *cap.* 1. -- Audio edictum esse propo„ situm, & quidem peremptorium, Ponti„ fex scilicet Maximus Episcopus Episcopo„ rum dicit: Ego & Mœchiæ, & fornica„ tionis delicta, pœnitentia functis dimit„ to. O edictum, cui adscribi non poterit „ bonum factum, & ubi proponetur libe„ ralitas ista! Ibidem opinor in ipsis libi„ dinum januis, sub ipsis libidinum titulis. „ Illic ejusmodi pœnitentia promulganda est, „ ubi delinquentia ista versabitur. Ibi legen„ da est venia, quo cum spe ejus intrabitur. „ Sed hoc in Ecclesia legitur, & in Ecclesia „ pronunciatur, & virgo est. Absit, absit „ a Sponsa Christi tale præconium. Illa, „ quæ vera est, quæ pudica, quæ sancta, „ carebit etiam aurium macula. Non habet, „ quibus hoc repromittat; & si habuerit, non „ repromittit; quoniam & terrenum Dei „ Templum citiùs spelunca Latronum ap„ pellari potuit a Domino, quam Mœcho„ rum, & Fornicatorum -- Si ergo laudatus Pontifex Zephyrinus circa annum 217. Mœchiam a severitate disciplinæ subtraxit, in aperto est Idololatras, & Homicidas subjectos fuisse; ea propter quibusdam criminibus prior Ecclesiæ disciplina denegavit absolutionem.

Communiter respondetur argumento Tertullianum imponere, & disciplinam illam affigere Ecclesiæ, ut Montani errores factus est ipse Montanista propugnaret.

Verùm adversæ sententiæ Patroni Tertulliano injuriam fieri inclamant; neque enim a Patribus fuit de hoc crimine notatus, nec tantæ levitatis criminari potest, & aliàs Eruditi omnes circa antiquam Traditionem Tertulliani testimonium maximi faciunt.

Sed velint, nolint, vel eam solutionem approbare debent Adversarii, vel fateri Tertullianum, haud loqui de disciplina sacramentalem absolutionem deneganti, sed de alia, quæ absolutionem quidem impertiebatur, appositis tamen severioribus, & durioribus conditionibus, quas nonnihil Zephyrinus circa Mœchos relaxavit, non verò circa alia graviora crimina, quod fortè probabilius est.

Cæterùm prioris solutionis veritas evincitur I. Tertullianus *lib. de Pudicitia* sub initio testatur se sententiam mutasse, quam Catholicus defenderat -- Est igitur, & hic „ adversus Psychicos titulus, adversus mea „ quoque sententiæ retrò penes illos socie„ tatem, quo magis hoc mihi in notam „ levitatis objectent -- Atqui Catholicus *lib. de Pœnitentia* asserit omnia peccata, & tria capitalia prædicta esse remissibilia per Ecclesiam, & insuper ab ea remitti; unde *cap.* 8. Scripturarum momentis peccatores sive Mœchos, sive Idololatras spe veniæ, nec non reconciliationis ab Ecclesia dandæ ad pœnitentiam invitat -- Stuprum, & Ido„ lolytorum esum Thyatirenis exprobat . . . „ & tamen omnes ad pœnitentiam commo„ net, sub comminationibus quidem. Non „ comminaretur autem pœnitenti, si non igno„ sceret pœnitenti -- Ergo Tertulliani ævo non extabat disciplina denegandæ absolutionis.

Tertulliani sententia dilucidatur.

II. Eodem *lib. de Pudicitia cap.* 3. Catholicorum adversus Montanistas ratiocinium proponit, cujus summa tribus propositionibus complectitur, videlicet -- Omnis „ criminis pœnitentia agenda est -- Omni pœni-

„ pœniiauti danda eſt venia, alioquin pœ-
„ uitcutia iuoiilis foret: Venia illius con-
„ cedendæ poteſtas eſt penes Eccleſiam --
ergo hujuſmodi arat Eccleſiæ doctrina, & praxis; ea propter nequaquam in Eccleſia vigebat prætenſa diſciplina denegandæ abſolutioois: Si enim extitiſſet facili negotio Catholicorum argumentum diſſolviſſet Tertullianus eam allegando, nec illi opos fuiſſet diverticula perquirere, ut ab hac objectione ſeſe extricaret.

Quare momentum ea Tertulliano emendicatum non urget, vel quia de aliqua alia loquitur diſciplina, vel jam fide deſtitutus ſuo errori favere volens traditionem illam Catholicis affinxit; Nam ùt inquit Natalis Alex. *Sec. III. Diſſert.* 2. *art. unico* -- Tertul-
„ liano, in iis, quæ res Montani ſpectant,
„ fidem adhibendam non eſſe, cum profeſ-
„ ſus fuerit Montaniſta. Nam ſolemne fuit
„ Hæreticis errores ſuos Pontificibus affin-
„ gere, ut eorum nomine, & auctoritate
„ ſe tuerentur, & Fidelibus fucam facerent --
Forſan igitur Tertullianus, ut planam viam ſterneret errori ſuo deneganti Eccleſiæ poteſtatem quædam graviora crimina relaxandi, Zephyrinum coarguit de conceſſa Mœchis indulgentia, quaſi quod Eccleſia ipſa aliter ſentiret. Nec valet a Patribus hac de re non fuiſſe notatum; quia ſat eſt ipſam Hæreticum dixiſſe, nec eidem levitatis injuria irrogatur, cum & ipſe noverit, & teſtatam reliquit ſuæ de levitate propter ſententiæ, fideique mutationem redarguendum. Nec mirandum virum optimi ingenii argumentum emendicaſſe ex facto, cujus falſitas omnibus comperta fuiſſet; Etenim in libro adverſus Praxeam *cap.* 1. teſtatur eundem Zephyrinum Montani, Priſcæ Maximillæ prophetias approbaſſe, cum aliàs Pontificis fides ſatis innoteſcere poterat. Neque inde ipſius teſtimonium circa alia ad Traditionem ſpectantia infirmatur, quoties contradictoria non affert; Hic porrò contra ſeipſum loquitur, adeoque ſibi fidem adimit. Argumentum verò, quod adverſus Zephyrini Decretum affert, non eſt Tertulliano dignum. Non enim polluitur Eccleſia peccatorum emundatione, nec delinquentium ad pœnitentiam, & reconciliationem receptione.

158 OB. VI. Clerus Romanus fiduciario prius, deinde Cornelio ad Pontificatum aſſumpto, reſolutorio decreto ſtatuit, ut Lapſis habentibus Martyrum libellos, urgente mortis exitu, pax concederetur, & thurificatis in extremis provideretur; ſic legitur *Epiſt.* 2. ad Cyprianum, & Cypriani *Epiſt.* 43. Sed niſi præextitiſſet diſciplina denegandæ abſolutionis fruſtraneum fuiſſet utrinſque Decretum, ùt in aperto eſt. Addas talem œconomiam elegiſſe Eccleſiam, ùt medium duo inter extrema, Novatianorum ſcilicet, qui omnibus pacem negabant, & quorundam Presbyterorum, qui omnibus dabant; ea propter tale eligi debuit medium, ut aliquibus concederetur, denegaretur aliis.

RESP. Œconomia illa laudabilis fuit, quoniam verò non tangit ſubſtantiam abſolutionis, ſed circumſtantias inferri nequit in Africana, aut Romana Eccleſia extitiſſe diſciplinam negandæ abſolutionis. Novatiani Lapſis pœnitentiam concedebant, ſed negabant pacem ab Eccleſia, immo eidem poteſtatem dandi pacem nequaquam convenire affirmabant; Quidam verò Presbyteri pacem impertiebantur, ſed etiam non pœnitentibus, & Libellatici contendebant abſque ulla pœnitentia pacem ſibi dandam. Quare proviſorium decretum ſtatuit, nihil eſſe innovandum, donec novus Pontifex inauguraretur; Verùm inſtante mortis articulo pax concederetur, nivis nondum peractâ, aut inceptâ pœnitentiâ, dummodo converſionis ſigna haberentur; & hoc idem peremptorium Cornelii decretum firmavit: *Abuſus abſolvendi Lapſos.* Propterea illorum decretorum occaſio non inde ſumenda eſt, ex diſciplina denegandæ abſolutionis, ſed ex errore opinantium Sanctos Martyres dando pacis libellos abſolutè, & immediatè, nulla præmiſſa ſatisfactione, voluiſſe indulgentiam conferre, quo ducti errore Presbyteri illi temerè pacem largiebantur, ùt Sanctus Cyprianus Epiſt. 55 ad ipſoſmet Presbyteros datâ affirmat, & Epiſtola 52. ad Antonianum, & 54. ad Corneliam, in quibus & factum, & præſens reſponſio habetur. Vide ſupra Probat. V.

159 OB. VII. S. Cyprianus teſtatur Prædeceſſores ſuos abſolutionem aliquando quorundam atrocium criminum reis etiam in obitu denegaſſe, ùt videre eſt Epiſt. 52. ad Antonianum, ubi habet -- Et quidem
„ apud Anteceſſores noſtros quidem de Epi-
„ ſcopis illhic in Provincia noſtra, dandam
„ pacem Mœchis non putaverunt, & in
„ totum pœnitentiæ locum contra adulteria
„ clauſerunt, non tamen a Coepiſcoporum
„ ſuorum Collegio receſſerunt, aut Eccle-
„ ſiæ unitatem vel duritiæ, vel cenſuræ ſuæ
„ obſtinatione ruperunt, ut quia apud alios
„ adulteris pax dabatur, qui non dabat,
„ de Eccleſia ſepararetur, manente concor-
„ diæ vinculo, & perſeverante Catholicæ
„ Eccleſiæ individuo Sacramento, actum
„ ſuum diſponit, & dirigit unuſquiſque
„ Epiſcopus, rationem propoſiti ſui Domi-
„ no redditurus -- Ex hoc teſtimonio clarè evincitur in aliqua Provincia negatam fuiſſe abſolutionem, quam in eadem Epiſtola quibuſdam illam poſtulantibus in morte negandam eſſe Sanctus Martyr affirmat, quia nequaquam -- Dignus eſt in morte accipere
„ ſolatium, qui ſe non cogitavit eſſe mori-
„ turum --

RESP. Non inficiamur admittere quoſdam abſolutionem quandoque denegaſſe, ſed hi privato errore decepti erant, quia Novatianis duriores non ſolùm pœnitentiæ fructum negabant, ſed *in totum pœnitentiæ locum contra adulteria clauſerunt*; quod ſanè ex loquendi modo Sancti Martyris colligi videtur, quatenus ait ipſos a Collegio Coepiſcoporum non receſſiſſe, nec ab unitate Eccleſiæ, quaſi dicat duritiam illam ab Eccleſia ſeparationem meruiſſe, ſed toleratos fuiſſe. Neque inde inferre licet in aliqua Provincia hanc invaluiſſe diſciplinam non abſolvendi quoſdam Delinquentes: Etenim S. Cyprianus in ea erat ſententia rebaptizandos ab Hæreticis baptizatos, eo potiſſimùm momento, quia Prædeceſſor ſuus hoc fece-

fecerat, & ab ipso consuetudinem desumptam testabatur, & tamen doctrina hujusmodi falsa erat, nec proinde dici poterat laudabilem fuisse consuetudinem, utvis eam secutus fuerit laudatus Martyr salva pace, & Ecclesiæ unitate: Pari igitur ratione stare poterat, aliquos Episcopos errasse sacramentalem quandoque denegando absolutionem, quin ab Ecclesia fuerint separati, nec tamen dici potest alicubi rationabilem viguisse consuetudinem atrocioribus criminibus denegandi absolutionem.

Quod verò a Patronis opinionis adversæ sæpè repetitur, id videlicet antiquitùs Decretum non errore, sed rigore disciplinæ, non evincit; Nam quod agitur contra Christi institutionem, non rigor, sed error censendus est. Porrò Christus non solùm Ecclesiæ claves dedit pro omni solvendo crimine, sed eas exerceri voluit circa quodcunque peccatum, quoties pœniteret criminosus; ea propter ob criminum atrocitatem Pœnitentibus negare usum Clavium est illos injustè privare beneficio a Christo promisso, atque præcepto.

Denegatio absolutionis contra Christi præceptum.

Nec juvat afferre Galliæ disciplinam denegandi capitali supplicio damnatis absolutionem, ad annum usque 1396., quo Carolus VI. IV. Nonas Februarii id abrogavit edicto Parisiis dato, Cleri, Procerumque precibus sonueas: Etenim lex hujusmodi, quæ tantum civilis erat, nusquam ab Ecclesia fuit approbata. Clarus namque, qui hoc noverat Regem pro abrogatione exoravit.

Ad ultimum ex Sancto Cypriano respondetur ipsum loqui de illis, qui in mortis periculo ita remissionem exposcunt, ut sinceræ contritionis signa non exhibeant. En Doctoris textus — Idcircò, Frater charissime, pœnitentiam non agentes, nec dolorem delictorum suorum toto corde, & manifesta lamentationis suæ professione testantes, prohibendo omnino censuimus a spe communicationis, & pacis, si in infirmitate, atque in periculo cœperint deprecari, quia rogare illos non delicti pœnitentia, sed morbi urgentis admonitio compellit; nec dignus est in morte accipere solatium, qui se non cogitavit esse moriturum — His apertè S. Cyprianus supponit in illis veram non dari pœnitentiam, proindeque si quis in mortis periculo postulans veræ contritionis signa exhibuisset, absolutus a Sancto Cypriano fuisset. Meritò itaque dicendum est, nusquam verè extitisse disciplinam, quæ Ecclesiæ universæ tribui debeat, sacramentalem absolutionem in vitæ exitu denegandi propter quædam atrociora crimina, aliàs adversus ipsam Cœlestini Papæ increpatio, quæ Epistola 2. ad Episcopos Provinciæ Viennensis, & Narbonensis *cap.* 2. legitur, urgeret — Agnovimus pœnitentiam morientibus denegari, nec illorum desideriis annui, qui obitus sui tempore hoc animæ suæ cupiunt remedio subveniri: Horremus, Fratres, fateor tantæ impietatis posse aliquem reperiri, ut de Dei pietate desperet, quasi non possit ad se quovis tempore concurrenti succurrere, & periclitantem sub onere peccatorum hominem, pondere, quo se expedire desiderat, liberare. Quid hoc, rogo, aliud est, quam morienti mortem addere, ejusque animam sua crudelitate, ne absoluta esse possit, occidere? Cum Deus ad absolvendum paratissimus, invitans ad pœnitentiam, sic promittat: Peccator, inquiens, quacunque die conversus fuerit, peccata ejus non imputabuntur ei: Et iterùm: Nolo mortem peccatoris, sed tantùm ut convertatur, & vivat. Perdidisset latro præmium in Cruce ad Christi dexteram pendens, si illum unius horæ pœnitentia non juvisset.

Cœlestini Papæ justa increpatio.

CONTROVERSIA VIII.

§. I.

AN POST PRIMAM PŒNITENTIAM IN EADEM, VEL SIMILIA CRIMINA RELAPSIS PRIORUM SECULORUM DISCIPLINA SECUNDAM PŒNITENTIAM CONCEDERET.

160 Pœnitentia genus quoddam est plures sub se continens species, ea propter ne terminorum obscuritas confusionem gignat, brevi calamo explicantur termini.

Non instituitur sermo in præsenti de speciebus interioris Pœnitentiæ, sed exterioris, & quidem de illis, in quibus Sacerdotale munus intercedit. Porrò secundum antiquorum Canonum regulas tres recensentur, de quibus S. Raymundus de Pennafort insignis Pœnitentiæ Minister agit *lib. 3. Summæ cap. de Pœnit., & remiss. §. 6.* Alia igitùr est solemnis, alia publica, privata alia. Solemnis ea est, quæ sub initio Quadragesimæ fit cum solemnitate, quæ refertur *dist.* 50. Dicitur quoque solemnis ottis impropriè, cum aliquis invitus ad agendam pœnitentiam in Monasterium detruditur. *Dist.* 50. *Si illa*. Hæc solummodo ab Episcopo, vel de ejusdem mandato a Sacerdote, & pro publico, & vulgatissimo crimine injungi debet.

Pœnitentia solemnis quæ.

161 Publica quandoque nuncupatur illa eadem pœnitentia, quæ modò ut solemnis fuit descripta, quia publicè fit; Verùm in proprietate publica dicitur, quæ absque præcedenti solemnitate fit in facie Ecclesiæ, ut quando injungitur peregrinatio cum determinato habitu, & hanc Sacerdos quilibet imponere potest, nisi alicubi opposita vigeret disciplina; Non tamen injungi debet Clerico nisi deposito, nec nisi pro manifesto, enormique delicto. *De Pœnit. dist. 6. Sacerdos*.

Publica pœnitentia quando injungenda.

162 Privata tandem ea est, quæ communiter exercetur per occultam auricularem Confessionem, secretamque absolutionem cum salutaris pœnitentiæ impositione, quæ cum satis innotescat, ulteriori non indiget explicatione.

Viri de Eruditione optimè meriti, ut Petavius in notis ad Sanctum Epiphanium

ber. 59., Albaspinæus Episcopus Aurelianensis *Observationum lib. 2. observat. 6.*, Morinus *De Administratione Sacr. Pœnitentiæ lib. 5. cap. 29.*, Natalis ab Alex. *Sec. III. Dissert. X. quæst. unica*, Thomasinus *de Ecclesiastica Disciplina* docent Relapsis peractâ publicè pœnitentiâ denegatam fuisse tam publicam, quam privatam pœnitentiam, excepto mortis articulo.

163 Dicendum tamen Relapsis peractâ publicè pœnitentiâ secretam pœnitentiam haud denegatam fuisse.

PROB. I. Nequaquam censendum est piam Matrem Ecclesiam, ejusdemque Ministros pro Christo legatione fungentes disciplinam instituisse, naturæ Sacramenti Pœnitentiæ, atque Christi mandato oppositam instituisse. Atqui hujus Sacramenti institutio, ejusque natura est, ut sacramentalis absolutio sit iterabilis, ut Catholicum dogma propugnat, & Christus Petro præcepit, ut fratri peccanti septuagies septies dimitteret: ergo nullimodè censendum est, antiquam Ecclesiæ disciplinam Relapsis quibuscumque verè resipiscentibus denegasse iteratam secretam pœnitentiam atque absolutionem.

Pœnitentiæ Sacramentū iterabile.

Videamus argumentum in Tridentino *Sess. 14. cap. 2.* de Sacramenti Pœnitentiæ institutione, ubi contra Novatianos declarata potestate absolvendi a peccatis habet — „ Ut per Sacerdotum sententiam non semel, „ sed quoties ab admissis peccatis ad ipsum „ (*Tribunal Pœnitentiæ*) Pœnitentes confugerent, possent liberari — Et *Can. 6.* — Si „ quis negaverit confessionem sacramentalem „ vel institutam, vel ad salutem necessariam „ esse jure divino, aut dixerit modum secretè „ confitendi soli Sacerdoti; quem Ecclesia „ Catholica ab initio semper observavit, & „ observat, alienum esse ab institutione, & „ mandato Christi, & inventum esse humanum; anathema sit — Hic canonicè declarat Sacramentum hoc a Christo institutum, ut toties quoties confugerint pœnitentes secretò confitentes, absolvantur, hinc asserit hac de re Christi mandatum, quod ab Ecclesia observari affirmat, semperque ab initio observatum non jam secundùm humanam, verùm secundùm divinam institutionem modum secretò confitendi: ergo quovis tempore viguit disciplina, ut secreta pœnitentia iteraretur sive circa eadem, sive similia, in quæ labebantur, crimina, etsi de illis jam publicam peregissent pœnitentiam: ergo oppositam disciplinam nequaquam datam fuisse in Ecclesia meritò asserendum est.

164 PROB. II. Sacerdotes in pœnitentiali ministerio se habent velut prudentes Medici, ut Tridentinum, & Patres declarant; Sed nulla est sive lex, sive consuetudo in corporalibus denegans iteratam curationem pro sanatis vulneribus, quamvis iisdem iterum humanum corpus sauciètur: ergo nulla fuit disciplina instituta, quæ Relapsis in eadem, vel similia crimina iteratam denegaverit secretam saltem pœnitentiam. Argumentum desumitur ex Tertulliano *lib. de Pœnit. cap. 7., & 8.*, ubi de Lapsis post susceptum regenerationis lavacrum habet — Verùm non statim succidendus, aut subruendus est animus desperatione, si secundæ pœnitentiæ debitor fuerit. Pigeat sanè peccare rursus, sed rursus pœnitere non pigeat.... iteratæ valetudini, iteranda medicina est —

Vulnus iteratum iterum sanari potest.

165 PROB. III. Temporibus Origenis hujusmodi disciplina non extabat; Sed adversæ opinionis Patroni contendunt eo tempore denegatam prædictis Pœnitentibus absolutionem: ergo. Assumptum habetur *Hom. 15. in cap. 25. Levit.* — in gravioribus „ criminibus semel tantùm, vel rarò pœnitentiæ conceditur locus. Ista verò communia, quæ frequenter incurrimus, semper pœnitentiam recipiunt, & sine intermissione redimuntur — Porrò hujusmodi communia delicta nequaquam venialia sunt, sed mortalia, licet non capitalia, ut ex præcedentibus in aperto est — Si vos aliqua culpa mortalis invenerit, quæ non in crimine mortali, non in blasphemia Fidei, quæ muro Ecclesiastici, & Apostolici dogmatis cincta est, sed vel in sermonibus, vel in morum vitio consistat, hoc est vendidisse domum, quæ in agro est, vel vico, cui murus non est: hæc ergo venditio, hujusmodi culpa semper reparari potest, nec aliquando tibi interdicitur de commissis hujusmodi pœnitentiam gerere — Ecce communibus istis mortalibus peccatis solemnis pœnitentia non imponebatur, secreta tamen solutio semper, hoc est, frequenter a Sacerdote injungitur. Atrocibus verò semel solemnis indicitur, & rarò secreta absolutio, quia cautè Relabentium in capitalia crimina contritio expendenda est.

Graviora verò relaxanda.

166 DICES in Origene verba illa *vel rarò* non inveniri; & sanè si adessent contrariarentur analogiæ, quam assumit: Etenim applicat textum *Levitici cap. 25. v. 29., & 30.*, ubi lex traditur rurales, & urbanas domus vendendi, & redimendi; illæ pluries redimi poterant, istæ semel, ex scilicet anno venditionis; Domibus illis gravia communia peccata comparat, istis atrocia, & capitalia, quare hæc semel tantùm redimi possunt, ut allegoria salvetur; cumque alia peccata expiabilia dicat sæpè per privatam pœnitentiam, jam planè fit graviora privatâ pœnitentiâ iterum curari non posse.

RESP. In communibus Codicibus verba illa *vel rarò* apertè leguntur, nec allegoriæ contrariantur. Siquidem urbana domus etsi non posset elapso anni curriculo amplius redimi, poterat tamen inter eundem annum pluries redimi; Si enim Judæus primo anni mense urbanam domum vendidisset, & redimisset tertio, hinc quarto iterum vendidisset; iterumque decimo repetiisset, multoties redemptio facta esset, nec lex violata.

Explicatur Origenes.

Alii respondent, & quidem ad mentem Origenis, qui in urbana domo muro cincta domum non manufactum in Cœlis, quam per charitatem consequimur, intelligit, respondent, inquam, laudatum Auctorem pro gravioribus criminibus omnia peccata, quæ charitatem tollunt, intellexisse, & hæc affirmata non esse redimibilia nisi semel, hoc est,

est, intra annum hujus vitæ; undè optimè salvetur analogia cum urbanæ domus redemptione spatio unius anni facienda; pro communibus autem peccatis intellexisse veniales nosas, quæ & in hoc, & in alio seculo redimi possunt, nec pro eis interdicitur pœnitentiam agere in hoc seculo per satisfactionem, & in alio per satispassionem. Nec illa locutio *si nos aliqua culpa mortalis invenerit* officit, non enim mortalem dicit, quia spiritualem afferat mortem, sed quia humana est, & ex nostra corrupta mortalitate nascitur; ideoque communia nuncupat, quia in ea frequenter labimur, cum septies cadat justus.

Verùm esto non essent præcitata verba vel verò, cum dicit *In gravioribus criminibus semel tantùm pœnitentiæ conceditur locus*, loquitur de pœnitentia legali, de solenni videlicet statuta per Ecclesiasticam legem, & certis quibusdam formulis decreta; Et in hoc quoque sensu allegoria subsistit; siquidem pro urbanæ domus redemptione aderat positivus redemptionis modus per legem decretus, pro redemptione verò ruralis domus, nullus; adeoque apprimè colligitur graviora crimina semel tantùm solenni pœnitentiæ esse capiabilia, pluties autem secretâ.

167 PROB. IV. S. Joan. Chrysostomi ævo, quod ad severioris disciplinæ tempora revocetur, non dabatur lex illa iteratam secretam pœnitentiam denegandi; Nam Magister Sententiarum *lib. 4. dist. 14.* refert Chrysostomum *Hom. 20. in Epist. ad Hebr.* sic explicantem Apostoli verba: *Voluntariè peccantibus nobis* — Sciendum quod hic quidem „ caugunt, horum verborum occasione „ Pœnitentiam auferentes, quasi per pœni- „ tentiam non valeat Peccator post lapsum „ resurgere secundò, & tertiò, & dein- „ ceps. Verùm etiam in hoc Pœnitentiam „ non excludit, nec propitiationem, quæ „ sæpè fit per Pœnitentiam, sed secundùm „ Baptismum, & hostiam — Concedebatur ergo post publicam pœnitentiam secreta sacramentalis reconciliatio.

Chrysostomi auctoritas.

168 DICES I. Illius disciplinæ severitas in Oriente aliqualiter fuerat imminuta per Nectarium, qui Pœnitentiarium abstulit; Porrò Chrysostomus Nectario successit, eaque propter ejus testimonium non urget.

Attamen hujusmodi responsio, dum ad factum Nectarii recurrit, argumentum firmat; Nihil enim de secreta pœnitentia, & absolutione a Deo instituta, atque ab Ecclesia exercita immutavit Nectarius; quod apud Adversarios in confesso est, cum adversus auricularem Confessionem factum illud urgetur ab Hæreticis; sed vel publicæ disciplinæ rigorem lenivit, vel singularem illum modum imponendi pœnitentias, & delinquentes inquirendi, deferendique ad Præsules crimina abrogavit, quare Chrysostomi auctoritas pro iterata absolutione firma persistit.

Nectarius quid circa Pœnitentiam mutavit.

169 DICES II. Nec in Græco Codice, nec in Latina Versione verba illa in argumento laudata inveniuntur: ergo.

Verùm injuriam Magistro Sententiarum irrogaret, qui vellet talia affinxisse Chrysostomo, nec verisimile est falsâ auctoritate veritatem comprobare studuisse, & aliàs hanc esse Chrysostomi mentem evincitur ex ipsimet auctoritate, quam legunt Adversarii, & est responsio ad Objectionem, quam S. Doctor sibi proponit ex laudata Apostoli textu desumptam — Quid ergo dicemus utrisque? Quod hic non tollit pœnitentiam, „ nec eam, quæ per pœnitentiam fit, pla- „ cationem; neque expellit, sed dejicit per „ desperationem, eum qui est lapsus (non „ enim est adeo inimicus nostræ salutis) „ sed secundum lavacrum tantùm aufert: „ Non enim dixit; Non est amplius Pœni- „ tentia, neque est amplius remissio: Sed „ non est amplius hostia, hoc est, non est „ amplius crux secunda: hoc enim vocat „ hostiam — Itaque iteratò peccantibus datur pœnitentia, datur salus, non datur desperatio, quæ sanè ex denegata secreta pœnitentia facili negotio esset pertimescenda.

170 DICES III. Chrysostomus hac de re accusatus fuit, prout ex Photio refert Baronius ad annum 403. S. Doctoris hostes accusatione facta ipsum loquentem efferunt — „ Si iterum peccas pœnitentiam facito; & „ quoties peccaveris, accede ad me, & ego „ curabo — Porrò si disciplina denegandæ iteratæ absolutionis non viguisset, minimè ausi fuissent ipsum coram Episcopis de hoc accusare.

RESP. Accusatus quidem fuit Chrysostomus, sed ab infensissimis hostibus, qui vitio vertebant, quæ juxta Christi mandatum peragebat. Patet itaque ex relata accusatione ipsum criminatum fuisse non de iterata absolutione, sed de nimia proclivitate ad absolvendum indiscriminatim. *Quoties peccaveris, accede ad me, & ego curabo*; quasi dicat, sive constet de sincera conversione, sive non, ego crimina quæcunque absolvam. Paternam ergo Charitatem erga lapsos, quam prudenter exercebat, ejus inimici carpebant pro nimia, & imprudenti facilitate.

171 PROB. V. Decreto Siricii Papæ, quem suum volunt Adversarii, Epist. 7. ad Himerium Episcopum Tarraconensem consulentem Apostolicam Sedem, quomodo se gerere deberet circa eos — Qui actâ pœni- „ tentiâ tanquam canes, ac sues ad vomi- „ tus pristinos, & ad volutabra redeuntes... „ & inhibitos iterum appetiverunt concubi- „ tus — cui respondet Pontifex — De qui- „ bus, quia jam suffugium non habent pœ- „ nitendi, id duximus decernendum, ut „ sola intra Ecclesiam Fidelibus Oratione „ jungantur, Sacræ Mysteriorum celebrita- „ ti, quamvis non mereantur, intersint, „ a Dominicæ autem Mensæ convivio se- „ gregentur, & hac saltem distinctione „ correpti, & ipsi in sua se errata casti- „ gent, & aliis exemplum tribuant, qua- „ tenus ab obscœnis cupiditatibus retrahan- „ tur. Quibus tamen (quoniam carnali „ fragilitate ceciderunt) viatico munere, „ cum ad Dominum cœperint proficisci per „ Communionis gratiam volumus subveni- „ ri. Quam formam & circa mulieres, quæ „ se post pœnitentiam talibus pollutionibus „ devinxerunt, servandam esse censemus — In his manifestè conceditur in mortis arti-

Suffugium in protestatione ubi iteratæ pœnitentiæ impositiones.

culo viaticum, alio verò tempore genus quoddam privatæ, & semipublicæ pœnitentiæ, denegato solummodo suffugio pœnitentiæ ùt publicæ, qua sua errata castigarent, & emendarent. Quare duplicis pœnitentiæ usus erat, ordinariæ videlicet, & singularis, pariterque mos duplicis absolutionis, nempe minimæ, & magnæ; prima Relapsis dabatur decursu vitæ, quando eos ex corde pœnitebat, quibus privatim absoluta Eucharistica sumptio denegabatur, secunda verò in mortis articulo animo contritis, quibus aliquali exteriori cæremonia sacramentaliter absolutis Eucharistia concedebatur.

172 PROB. VI. Disciplinæ severitas erroneæ Novatianorum praxi favere videtur; Sed non est credibile de Ecclesia, quæ semper hæreticæ pravitati sese opponere consuevit: ergo non extitit disciplina denegandæ pœnitentiæ erga Relapsos. Et sanè Novatianorum error in suis primordiis propugnabat quædam graviora delicta non esse per Ecclesiam solubilia, quod postmodum ad alia crimina fuit extensus affirmans a solo Deo esse remittenda: ut ergo Ecclesia sese Hæreticis opponeret, non solùm docere debuit ipsam habere potestatem pro absolvendo quocunque crimine, sed èt frequenter eâdem uti potestate absolvendo Pœnitentes, & quidem iteratò prolabentes, ne suspicari possent Hæretici Ecclesiam non habere potestatem iterata dimittendi peccata. Hanc porrò fuisse Ecclesiæ praxim sese opponendi Hæreticis tam doctrinâ, tum opere vidimus Montani temporibus; etenim cum hic plura induxerit Quadragesimalia jejunia, Ecclesia constans præscripta jejuniorum tempora servavit; cum Africani dogmatizaverint ab Hæreticis baptizatos rebaptizandos esse, nihil illa immutavit, similia passim occurrunt in Ecclesiasticis monumentis ad nostra usque tempora, quibus practico usu pravis Lutheranorum, Calvinistarumque dogmatibus contrariatur; Propugnantibus illis necessariam utriusque Eucharisticæ speciei sumptionem, hæc unam tantummodo largitur, furentibus illis in Sanctarum imaginum cultum, velut in Ethnicam superstitionem, hæc illarum venerationem adauget; quapropter nullimodè credendum est ab hac laudabili consuetudine recessisse, vigente Novatianorum Hæresi.

Ecclesiæ mos impugnandi Hæreses.

Nec momenti est dicere cum Augustino *Epist.* 50. -- Non desperatione indulgen-
„ tiæ, sed rigore factum est disciplinæ.
„ Alioquin contra claves Ecclesiæ datas di-
„ sputabitur, de quibus dictum est; Quæ
„ solveritis super terram, soluta erunt in
„ Cœlo -- Etenim Sanctus Doctor ibi loquitur de rigore publicæ pœnitentiæ, nos verò loquimur de peccatorum remissione, de absolutione ad æternam salutem necessaria, de qua solicita est Mater Ecclesia, quæ non lætatur in morte filiorum, proindeque ejus severitas ad denegandam iteratam absolutionem nequaquam extenditur.

173 PROB. VII. ex D. Thoma, qui expressè docet Pœnitentiæ Sacramentum esse iterabile, quod efficaciter probat, ùt videre est 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 4. *q.* 3., & oppositam erroneam dicit, ex adverso solennem pœnitentiam non esse iterandam affirmat *q.* 2. *art.* 5. propter tria, I. ne ex iteratione vilescat, quæ ratio desumpta videtur ex Augustino *Epist.* 54., & ex Decretis *dist.* 50. cap. *Quamvis*. II. Propter significationem, quia est figura expulsionis hominis a Paradiso, quæ semel tantùm facta est, & eruitur ex eadem *dist.* cap. *Quadragesima*.
III. -- Quia solennizatio est quasi quædam
„ Professio perpetuò pœnitentiam conser-
„ vandi, & ideo iteratio solennitati resi-
„ stit: si tamen postmodum peccaverit, non
„ clauditur ei locus pœnitentiæ: sed pœni-
„ tentia solennis iterum ei injungenda non
„ est --

Publicæ Pœnitentiæ quid significat.

174 Hujusmodi clara doctrina nequaquam eluditur dicendo loqui S. Doctorem de Pœnitentia secundùm se, deque consuetudine suorum temporum; nam propalam sermonem habet de usu, & praxi Ecclesiæ priorum Seculorum, ex quibus momenta, & Canones profert, quod maximè evincitur ex argumentis, quæ sibi objicit, & ex resolutione Quæstiunculæ 3. subsequentis, quam ex antiquis monumentis componit. Ceterum argumentorum solutione clariùs hujus rei veritas clarescet.

§. II.

ADVERSÆ PARTIS MOMENTA DISSOLVUNTUR.

175 OB. I. Tertulliani ævo semel peractâ pœnitentiâ iteratò non absolvebantur Prolabentes, sic legitur *lib. de Pœnit. cap.* 7. -- Hæc igitur ve-
„ nena ejus prævidens Deus, clausâ licet
„ ignoscentiæ januâ, & intinctionis serâ
„ obstructâ, aliquid adhuc permisit pate-
„ re. Collocavit in vestibulo Pœnitentiam
„ secundam, quæ pulsantibus patefaciat,
„ sed jam semel, quia jam secundò, sed
„ amplius nunquam, quia proximè frustra.
„ Non enim & hoc semel satis est? -- Infra idem repetit: ergo.

RESP. Tertullianus de publica Pœnitentia sermonem habet, ùt optimè ex contextu colligit Pamelius in adnotationibus. Ceterum privatæ pœnitentiæ iterationem ipsam non denegare delinquentibus supra ostendimus Prob. II., & evincunt exempla quæ ex Apocalypsi profert, & ex Evangelio; Pastor enim, qui primò amissam ovem invenit, si iterum illam amittat, iterum quærit, idem dicas de Muliere, quæ drachma deperdit.

176 DICES. Rationes, quas Tertullianus affert, non solùm publicam, sed secretam quoque pœnitentiam expugnant. Prima est, quod amplius Relapso ad excusationem non deservit ignorantia de gravitate peccati. Secunda, quod cum primam pœnitentiam cœpit peragere, id ex Dei timore fecit, relabens verò Dei timorem penitus extinxisse videtur. Tertia, quod in Relapso datur ingrati animi vitium, Numinisque contemptus. Quarta, quod iteratò peccans favens Diabolo judicium profert contra Deum Optimum Maximum. Damum Pœnitentiam

nitentiam comparat Baptismo, qui nec privatim iteratur.

RESP. Momenta prædicta primò valent ad probandum Deum nequaquam Relapsis remissurum peccata, ac proinde concludendum esset, nec a Deo iteratam veniam fore sperandam, quod sanè gravius est Novatianorum errore: Si autem hoc non probant, ùt ipsemet Tertullianus *cap.* 8. fatetur, qui in spem erigit quemcumque lapsum -- Deus „ scilicet, tam Pater nemo, tam pius nemo: Is ergo te Filium suum, etsi acceptum ab eo prodegeris, etsi nudus rediens, recipiet, quia rediisti, magisque „ de regressu tuo, quam de alterius sobrietate lætabitur -- Si igitur hoc non probant, neque probabunt iteratam veniam ab Ecclesia non dari; Etenim Deus, lege ordinaria, peccata dimittit per Ecclesiæ claves, quas tanquam instrumenta ad remittenda peccata instituit. Paritas autem Baptismi cum Pœnitentia verificatur de solemni, quæ, ùt vidimus ex S. Thoma, propter speciales significationes iterari non debet, aliàs si absolutè intelligenda foret, probaret Pœnitentiæ Sacramentum non esse iterabile, quod est Hæreticum.

Dei bonitas ad ignoscendum.

177 OB. II. Ætate Clementis Alexandrini iterata Pœnitentia non erat in usu, id ipso fatente *lib.* 2. *Stromatum* -- Dedit ergo „ cum sit multæ misericordiæ, iis etiam, qui „ fide in aliquod peccatum incidunt, secundam pœnitentiam, quam si quis tentatus „ fuerit post vocationem, coactus, & callidè circumventus, unam adhuc non pœnitendam acceperit pœnitentiam. Voluntariè enim peccantibus nobis &c. . . . . „ Est enim rursus meditatio peccatorum, sæpè pœnitere, & ad facilem mutationem „ aptitudo ex defectu exercitationis. Apparet ergo, sed non est Pœnitentia, sæpè „ petere veniam de iis, quæ sæpè peccamus -- ergo Deus providit quidem peccantibus post Baptismum secundæ pœnitentiæ remedium, sed semel duntaxat ab Ecclesia concedi significat.

RESP. Si argumentum concluderet, equidem probaret neque apud Deum dari iteratam veniam, nec Sacramentum Pœnitentiæ secundùm se esse iterabile, ad quod evincendum Hæretici testum Apostoli a Clemente relato assumunt; ea propter vel Adversarii fateri debent præcitatam auctoritatem non jam de privata a Christo instituta, sed de publica, solemnique Pœnitentia esse intelligendam. Unam quidem ipsam appellat unitate remedii, quatenus pro Relabentibus tertium Sacramentum non est institutum, non autem unam unitate excludente iterationem.

Una est Pœnitentia unitate remedii.

178 OB. III. S. Ambrosius eam disciplinam iterandi secretam pœnitentiam pro gravioribus criminibus non agnovit; dicit enim *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10. -- Meritò re„ prehenduntur, qui sæpius agendam Pœ„ nitentiam putant, quia luxuriantur in „ Christo. Nam si verè agerent Pœniten„ tiam, iterandam postea non putarent; „ quia sicut unum Baptisma, ita una Pœni„ tentia, quæ tamèn publicè agitur. Nam „ quotidiani nos debet pœnitere peccati; „ sed hæc delictorum leviorum est, illa „ graviorum -- Ecce pœnitentiam, quam levioribus concedit, gravioribus denegat Sanctus Doctor; levioribus porrò conceditur privata, adeoque gravioribus denegatur; & *cap. ult.* idem Ambrosius dicit satiùs esse differre Pœnitentiam, cum exercere quis pœnitentiæ opera nequit ea planè ratione -- „ Ne in ipsa Pœnitentia fiat, quod postea „ indigeat Pœnitentiâ: quæ si semel fuerit „ usurpata, nec jure celebrata, nec prio„ ris fructum obtinet, & aufert usum po„ sterioris -- Si autem privata Pœnitentia concessa fuisset, frustra illas minas intentasset, cum per privatam prioris fructus obtineretur.

RESP. Luce clariùs est S. Ambrosium de publica Exomologesi sermonem habere; Agit enim de illa Pœnitentia, *quæ publicè agitur*, hancque negat pro gravioribus, non autem privatam, & in hunc sensum Sanctus Thomas 3. *p. q.* 84. *art.* 10. *ad* 2. Sanctum Ambrosium intellexit -- Ambrosius loquitur „ de Pœnitentia solemni, quæ in Ecclesia „ non iteratur -- In secundo pariter textu clarè loquitur de publica Pœnitentia, cum ait *nec jure celebrata*, idest secundùm Ecclesiasticæ disciplinæ leges. Hæc porrò non esse iterabilem dicit, cujus fructus adæquatè non habetur per privatam: Plurima enim bona ex publica oriuntur, quæ nequit parere secreta Pœnitentia, ùt major humilitas, Fidelium Orationes, & hujusmodi.

179 OB. IV. Florente Augustino ex Ecclesiæ usu Prolapsis secreta Pœnitentia non concedebatur, quod evidenter colligitur ex *Epist.* 54 ad Macedonium. Quæsierat iste ab Augustino, an ex Religione orta esset Episcoporum consuetudo apud Judices intercedendi, ne rei, qui sæpiùs in capitalia crimina lapsi erant, ad mortis supplicium deputarentur, cum aliàs Ecclesia unam duntaxat Lapsis post Baptismum Pœnitentiam concederet. Porrò Macedonius vir aliàs prudentissimus ineptè Augustinum sic interrogasset, si semel ea non viguisset disciplina denegandi Prolapsis iteratam Pœnitentiam, & S. Augustinus facilè sese ab hac interrogatione expedisset respondendo debere Antistites Ecclesiæ pietatem imitari, quæ secundò, tertiò, & deinceps Prolapsis largitur pœnitentiam. Verùm nihil tale legitur in Augustino; Immo inter respondendum Prolapsum sic loquentem in medium statuit -- Aut date mihi eundem iterum „ pœnitendi locum, aut desperatum me „ permittite, ut faciam, quidquid libue„ rit -- Sed frustra induxisset Augustinus hominem talia proferentem, si iteratæ secretæ pœnitentiæ locus superesset, sicut absre ipsum reum postulantem referret, cum sibi opera bona ad æternam vitam essent profutura, si jam per Ecclesiam potuisset reconciliari. Quod fortiùs urgetur, ex quo Sanctus Doctor ipsum divinæ Misericordiæ commendat, nulla privatæ pœnitentiæ facta mentione.

RESP. Augustinum de publica pœnitentia loqui in aperto est. Contextus litem dirimat. Dicit igitur -- In tantum autem „ hominum aliquando iniquitas progreditur, „ ut etiam post actam pœnitentiam, post

„ Alta-

„ Altaris reconciliationem vel similia, vel „ graviora committant, & tamen Deus „ facit etiam super tales oriri Solem „ suum, nec minus tribuit, quam ante „ tribuebat largissima munera vitæ, ac sa„ lutis; Et quamvis eis in Ecclesia locus „ humillimæ Pœnitentiæ non concedatur, „ Deus tamen super eos suæ patientiæ non „ obliviscitur — Hanc auctoritatem referens Joeninus *de Pœnit. quæst. 9. cap. 1. art. 2. §. 2.* ad probandum veterem Ecclesiam per absolutionem solemnem non dimisisse peccata, quæ quis post Pœnitentiam publicè peractam admisisse, ait — Humillimæ Pœnitentiæ no„ mine Augustinus publicam intelligit, seu „ eam, propter quam (ut ipse ait) quidam „ propriè in Ecclesia pœnitentes dicuntur: „ Ait verò eam humillimam Pœnitentiam „ non iterari in Ecclesia — Ceterum Sanctus Doctor iteratam privatam Pœnitentiam satis apertè concedit, dum asserit Deum misereri, & largissima sua munera vitæ, & salutis iis tribuere, qui prolabuntur; unde approbat medium illud, quod a Deo institutum fuit pro peccatorum remissione, tribunal nempe secretæ absolutionis, quod cum Tribunali divinæ Misericordiæ non discriminatur. Deinde hanc ibidem regulam statuit S. Augustinus — Quod si iniquis, & „ scelestis ille parcendo, eisque vitam, sa„ lutemque largiendo etiam plerisque eorum, „ quos novit non acturos pœnitentiam, ta„ men exhibet patientiam, quantò magis „ nos in eos, qui correctionem promittunt, „ & utrum faciant, quod promittunt, in„ certi sumus, misericordes esse debemus, „ ut rigorem vestrum pro eis intercedendo „ flectamus, pro quibus & Dominum, „ quem nihil de moribus eorum etiam fu„ turis latet, non tamen imprudenter, quia „ hoc ipse præcepit, oramus? — Misereri ergo debent Sacerdotes Lapsis, & Relapsis, sicut iteratò miseretur Deus, atque super illos orare, quia Deus ipse mandavit; atqui mandavit quoque non solùm septies, sed septuagies septies pœnitentiam impertiri petentibus: ergo.

Augustini sententia.

Nec addacta momenta quidquam probant: Etenim meritò suspicari poterat Macedonius, num illa consuetudo intercedendi pro reis ex Religione orta esset, atque argere argumentum, ex quo publica, licet non privata denegaretur Pœnitentia. Siquidem non minus deservire poterat ad Populorum ædificationem iterata publica Pœnitentia, quam publicam reorum supplicium; Sed hoc non obstante pro istis intercedebat Ecclesia, illis verò publicam denegabat absolutionem: ergo meritò dubitare poterat, an talis disciplina ex Religione esset: Porrò cum hoc argumento privatam pœnitentiam componi posse in aperto est. Poterat equidem Augustinus uno verbo solvere quæstionem distinguendo publicam inter, & privatam Pœnitentiam; sed fusiori calamo respondet Macedonio, illam tamen eandem distinctionem eloquentiori doctrina exponendo. Inducit quidem Relapsum tali modo loquentem, ut inde respondendo veritatem firmet, docendo privatam dari pœnitentiam dum asserit dari apud Deum iteratam misericordiam, atque hujusmodi bona opera valere ad vitam æternam, quæ sine pœnitentia consequi nequaquam potest. Remittit quoque hujuscemodi delinquentes divinæ Misericordiæ, verùm hoc ipso ad Pœnitentiæ tribunal, quod Deus in Ecclesia constituit, dirigit, ac proinde paratum ipsis subsidium privatæ pœnitentiæ altissimo non premit silentio, sed implicitè declarat, cum misericordiam Dei commendat. Nostris quoque temporibus solemne est Evangelicis Ministris divinam Misericordiam prædicare, veniamque sperandam esse de quocunque crimine ferventer suadere, quin de Pœnitentiæ Sacramento verbum habeant, sed non in hoc criminandi sunt, cum illud subintelligant, propter illud ineluctabile principium, quod hoc Sacramentum ordinarium est tribunal remissionis peccatorum a Deo in lege nova institutum.

180 OB. V. Momenta Patrum iteratam publicam Pœnitentiam negantium urgent æquo pede pro secreta. Etenim non admittunt iterari publicam Pœnitentiam, tum ne facilitas veniæ sit fomes quidam, atque incitamentum delinquendi, tum ne repetita venia vilescat: ergo utraque iterari nequit.

RESP. Christus objectioni facit satis, ubi respondet operario conquerenti, quod omnes pares fecisset mercedem retribuendo eandem, sive tertia, sive nona, sive undecima hora vocatis, *Nunquid tu nequam es, quia ego bonus sum?* cui consonat Tertulliani sententia *lib. de Pœnit. cap. 7.*, ubi docet Lapsis post Baptismum superesse secundam tabulam salutis — Piget secundæ, immo jam „ ultimæ spei subtexere mentionem: ne re„ tractantes de residuo auxilio pœnitendi, „ spatium adhuc delinquendi demonstrare „ videamur. Absit, ut aliquis ita interpre„ tetur, quasi eo sibi etiam nunc pateat ad „ delinquendum, quia patet ad pœniten„ dum, & redundantia clementiæ cœlestis, „ libidinem faciat humanæ temeritatis. Ne„ mo idcircò deterior sit, quia Deus melior „ est, toties delinquendo, quoties ignosci„ tur — Hoc ratiocinium pro Relapsis valere clarè patet. Nec iterata secreta absolutio incitamentum peccandi est, aut vilescit, quia nonnisi sincerè contritis, & cum oneribus gravia pœnitentiæ utvis secretò peragendæ. Cur autem publica non sit iteranda, habes ex supradictis ex D. Thoma.

Iterata Pœnitentia non est incitamentū ad peccandū.

181 OB. VI. Si secretæ Pœnitentiæ fuisset primis Ecclesiæ seculis disciplina, meliorem sortiti fuissent conditionem Relapsi, quam Lapsi; hi namque duriores subire debebant labores, secus Relapsi; Atqui hoc ab æquitate alienum videri meritò potest: ergo.

RESP. Relapsi, hi videlicet, qui actâ publicè Pœnitentiâ, in eadem vel nova crimina relabebantur, ob quæ agenda iterum esset publica Pœnitentia, dum ad secretam Pœnitentiam admittebantur, non erant sanè melioris conditionis præ Lapsis; illi siquidem ab Ecclesia publicorum bonorum, ac Sacerdotalium precum indigni reputabantur, atque tanquam canes ad vomitum reversi censebantur, quod velut quidam infamia

Relapsorum major pœna.

notæ

notæ character credebatur, aliàs nec ad secretam Pœnitentiam admittebantur, nisi Canonum pœnas secretò adimplevissent. Lapsi e contra ad publicam Pœnitentiam deputati Ecclesiæ bonis fruebantur, atque Sacerdotum, totiusque Christiani cœtus orationibus adjuvabantur.

182 OB. VII. Concilium Toletanum III. iteratam Pœnitentiam absolutè reiicit; sed reiicit secundùm antiquorum Canonum statuta: ergo primis Ecclesiæ seculis nullimodè iterata Pœnitentia admittebatur. Canon XI. rem declarat -- Quoniam comperimus per quosdam Hispaniarum Ecclesias non secundùm Canonem, sed fœdissimè pro suis peccatis homines agere Pœnitentiam, ut quotiescunque peccare libuerit, toties a Presbytero se reconciliari expostulent, & ideo pro coercenda tam execrabili præsumptione, id a Sancto Concilio jubetur, ut secundùm formam Canonum antiquorum dentur Pœnitentiæ, hoc est, ut prius eum, quem sui pœnitet facti a Communione suspensum, faciat inter reliquos Pœnitentes ad manus impositionem crebrò recurrere: Expleto verò, qui ad priora vitia, vel infra Pœnitentiæ tempus, vel post reconciliationem relabuntur, secundùm priorum Canonum severitatem damnentur -- Sed priores Canones damnabant negando locum Pœnitentiæ, ùt videre est ex Epist. Innocentii I. ad Exuperium, ex Epist. Cypriani, & Cleri Romani, ex Concilio Illiberitano &c. ergo.

RESP. Duas continet partes Toletanus Canon, prima facilitatem absolvendi Lapsos toties quoties reprehendit, altera Relapsos priorum Canonum severitati subjicit, sed non explicat determinatè, quæ nam severitas esset. Circa primam partem nulla subest difficultas: Nimia siquidem facilitas absolvendi non explorato statu delinquentis circa sufficientem dispositionem non est juxta Christi institutionem, nec ad Fidelium utilitatem deservit. Circa secundam partem facilis est solutio; siquidem ùt usque modo dictum est, antiquorum Canonum severitas solùm denegavit solennem, non privatam iteratò Pœnitentiam. Sicut enim Deus non lætatur in morte Peccatorum, ita Ecclesia neminem vult perire. Videri potest Cardinalis de Aguirre in Commentariis hujus Canonis, ubi datam solutionem prumovet.

CONTROVERSIA IX.

§. I.

AN PRIOR ECCLESIÆ DISCIPLINA NON NISI PERACTA PŒNITENTIA SACRAMENTALEM LAPSIS IMPENDERIT ABSOLUTIONEM.

183 Controversiam hanc summè necessariam ducunt Eruditi, sive ut inde praxis habeatur administrandi Sacramentum Pœnitentiæ in utilitatem Fidelium, sive ad revincendos Sectarios, qui bona opera ad justificationem consequendam necessaria negant. Ut clariùs procedamus.

184 Notandum est duplicem extitisse Exomologesim; Præmittebatur una Pœnitentiæ peragendæ; Non enim Fideles ad Pœnitentiam admittebantur nisi ex Sacerdotis judicio. Id planè fiebat ex usu deputati Pœnitentiarii, qui Lapsorum crimina excipiebat, & pœnitentiæ opera injungebat; *Exomologesis duplex.* Disciplinam hanc in CP. Ecclesia abrogavit Nectarius, ùt legere est apud Socratem *lib. 5. Hist. cap.* 19., & ex Sozomeno *lib. 7. Hist. cap.* 16. -- Presbyterum itaque aliquem vitæ integritate quam maximè spectabilem, secretorum etiam tenacem, ac sapientem huic officio præfecerant: cum accedentes, qui peccarant, acta vitæ suæ confitebantur. Ille verò pro cujusque delicto, quid aut facere singulos, aut luere oporteret, interminatus absolvebat, ut a se ipsi commissorum pœnas exigerent -- Idem testatur Origenes *hom.* 2. *in Psal.* 37. -- Tantummodo circumspice diligentiùs, cui debeas confiteri peccatum tuum. Proba prius Medicum . . . Si intellexerit, & prævideris talem esse languorem tuum, qui in Conventu totius Ecclesiæ exponi debeat . . . multâ hoc deliberatione, & satis perito Medici illius consilio procurandum est -- Nec a doctrina hujusmodi discrepat S. Basilius *Can.* 34. -- Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque convictas publicare quidem Patres nostri prohibuerunt, ne convictis mortis causam præbeamus, eas autem stare sine Communione jusserunt, donec impleretur tempus Pœnitentiæ -- Ecce priùs crimen suum confitebantur delinquentes, postmodum publicæ demandabantur Pœnitentiæ, cujus gradus erat Consistentium. His consonat Tertullianus *de Pænit. cap.* 9. -- Satisfactio confessione disponitur, confessione pœnitentia nascitur, pœnitentiâ Deus mitigatur -- Tertullianus dubio-procul agit de Confessione facta Sacerdoti, nec non de publica Pœnitentia, & tamen satisfactioni confessionem præmitti docet. Habemus id quoque ex Eusebio *lib. 6. Hist. cap.* 27. de Philippo I. Christianorum Imperatore -- Fama est, ipsum (Christianus namque erat) cum precationem in die postremæ vigiliæ Paschatis unâ cum multitudine in Ecclesia particeps fieri vellet, non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum esse intrare, quam se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque pœnitentiam agentibus præstitutum occupabant, se sua sponte collocavisset: Episcopumque dixisse, cum non alia conditione, nisi istud faceret, propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa, aliquando ab ipso in Ecclesia receptum fore -- *Philippus I. Christianorũ Imperator.*

Ejusdem labii sunt Innocentius I. Epist. ad Decentium Eugubinum *cap.* 7., ubi agens de gravioribus criminibus ait -- Ceterum de pondere æstimando delictorum, Sacerdotis est judicare, ut attendat ad Confessionem Pœnitentis, & ad fletus, atque lacrymas corrigentis, ac tum jubere dimitti, „ cum

,, anm viderir congraam fatisfactionem -- Hic fatisfactionem præcedit confeſſio. Leo Magnus Epiſt. 91. ad Theodorum Forojulienſem, ubi de Lapſis poſt Baptiſmum habet -- Mediator enim Dei, & hominum homo ,, Chriſtus Jeſus hanc Præpoſitis Eccleſiæ ,, tradidit poteſtatem, ut & confitentibus ,, actionem pœnitentiæ darent, & eoſdem ,, ſalubri ſatisfactione purgatos, ad Com- ,, munionem Sacramentorum per januam ,, reconciliationis admitterent -- Pœnitentes peccata confitentur, & Sacerdotes pœnalia opera injungunt, quibus expletis ad Sacramentorum participationem eos admittunt. Alii Patres rem eandem propugnantes afferri poſſent, verùm prætitati ſufficiant.

185 Exomologeſis altera ad peractam pœnitentiam ſubſequebatur, & per eam Pœnitens Deo, & Eccleſiæ plenè reconciliabatur, atque mediis quibuſdam ſacris cæremoniis, & regulariter per Sacerdotalis manus impoſitionem ad Sacramentorum participationem potiſſimùm Euchariſtiæ admittebantur. De hac ſecunda Exomologeſi, & reconciliatione plures Canones in præcedentibus relati mentionem faciunt. Quæritur ergo, an Sacramentalis abſolutio diſpoſitiva ad Communionem, ſeu cum Euchariſticæ ſumptione conjuncta extra neceſſitatis articulum nondum peractâ pœnitentiâ daretur Lapſis.

186 Dicendum abſolutionem quorundam graviſſimorum criminum plenè reconciliativam paſſim non concedi, niſi integrâ peractâ pœnitentiâ.

PROB I. Doctrina, & exempla Apoſtolorum apprimè deſerviunt, ut primitivæ Eccleſiæ diſciplina dignoſcatur; Atqui Paulus Apoſtolus inceſtuoſum Corinthium publicæ traditum pœnitentiæ non niſi poſt expletum Pœnitentiæ annum abſolvit: Conſtat enim ex priori ad Corinthios ipſum damnaſſe, in altera verò, quam evoluto anno ad eoſdem ſcripſit, eidem pacem donaſſe: ergo temporibus Apoſtolorum completa abſolutio non dabatur niſi completâ Pœnitentiâ. Sanctus Joannes Evangeliſta Juvenem ab ipſo converſum, ſed inde prolapſum, factumque Prædonem a criminibus revocatum non abſolvit, niſi poſt multas preces, multaque jejunia, adeoque uno ſaltem, aut altero menſe poſt converſionem elapſo reconciliavit -- Neque prius, ut fertur, inde ,, diſceſſit, quam illum Eccleſiæ reſtituiſ- ,, ſet -- ut ait Euſebius *lib.* 3. *c.* 17.

187 PROB. II. ex celebri diſſidio Epiſcopos inter, & Lapſos, qui ſtatim ſibi dandam petebant reconciliationem, illis differendam uſquè ad plenam ſatisfactionem judicantibus. Audiatur Cyprianus *Epiſt.* 10. -- Cùm in minoribus peccatis agant ,, peccatores pœnitentiam juſto tempore, ,, & ſecundùm diſciplinæ ordinem ad Exo- ,, mologeſim veniant, & per manus impo- ,, ſitionem Epiſcopi, & Cleri, jus com- ,, municationis accipiant: nunc crudo tem- ,, pore ad communicationem admittuntur, ,, & offertur nomen eorum, & nondùm ,, pœnitentiâ actâ, nondùm Exomologeſi ,, facta, nondùm manu ejus ab Epiſcopo, ,, & Clero impoſitâ, Euchariſtia illis da- ,, tur -- Hunc Lapſorum abuſum defler laudatus Martyr *lib. de Lapſis* -- Temeritate ,, quorundam laxatur incauta communica- ,, tio .... A Diaboli aris revertentes ad ,, Sanctum Domini ſordidis, & infectis ,, nidore manibus accedunt: Mortiferos ,, Idolorum cibos adhùc penè ructantes, ,, exhalantibus nunc ſcelus ſuum faucibus, ,, & contagia funeſta redolentibus, Domini ,, Corpus invadunt. Ante expiata delicta, ,, ante Exomologeſim factam criminis, ante ,, purgatam conſcientiam Sacrificio, & manu ,, Sacerdotis, ante offenſam placatam indi- ,, gnantis Domini, & minantis, pacem putant ,, eſſe, quam quidam verbis fallacibus vendi- ,, tant -- Ad idem facit Epiſtola 59. ſuo, & Concilii nomine ſcripta ad Fidum, qui querimonias detulerat Cypriano, & 66. Epiſcopis Synodaliter congregatis adverſus Therapium Epiſcopum, qui Victori Preſbytero, antequam plenam pœnitentiam egiſſet, pacem dederat -- Qua res nos ſatis ,, movit, receſſum eſſe a Decreti noſtri au- ,, ctoritate, ut ante legitimum, & plenum ,, tempus ſatisfactionis, & ſine petitu, & ,, conſcientia plebis, nulla infirmitate ur- ,, gente, ac neceſſitate cogente, pax ei con- ,, cederetur: ſed librato apud nos diù con- ,, ſilio, ſatisfuit objurgare Therapium Col- ,, legam noſtrum, quod temerè hoc fecerit, ,, & inſtruxiſſe, ne quid tale de cætero fa- ,, ciat -- Habemus in his duo ad rem noſtram. Primum non datam fuiſſe pacem, nondum peractâ pœnitentiâ ex ſtatuta Canonum regula, ſecundùm eam reconciliationem jus ad Euchariſtiam tribuiſſe.

Reconciliatio jus dabat ad Euchariſtiā.

188 PROB III. teſtimonio S. Paciani Barcinonenſis Epiſcopi Epiſt. 1. ad Sympronianum Novatianum -- Scio Frater hanc ip- ,, ſam pœnitentiæ veniam non paſſim omni- ,, bus dari, nec antequam aut interrogatio ,, divinæ voluntatis, aut forſitan viſitatio ,, fuerit, relaxari, magno pondere, magno- ,, que libramine, poſt multos gemitus, effu- ,, ſionemque lacrymarum, poſt totius Ec- ,, cleſiæ preces, ita veniam veræ pœniten- ,, tiæ non negari, ut judicaturo Chriſto ,, nemo præjudicet -- Conſentit Paciano D. Ambroſius *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 9. -- ,, Nonnulli ideò petunt pœnitentiam, ne ,, ſtatim ſibi reddi communionem velint. ,, Hi non tam ſe ſolvere cupiunt, quàm ,, Sacerdotem ligare. Suam enim conſcien- ,, tiam non exuunt, Sacerdotis induunt --

189 PROB. IV. Reſponſione Innocentii I. ad Decentium Epiſcopum Eugubinum *Epiſt.* 1. *cap.* 7. -- De Pœnitentibus verò, ,, qui ſive ex gravioribus commiſſis, ſive ,, ex levioribus pœnitentiam gerunt, ſi nulla ,, interveniat ægritudo, quinta feria ante ,, Paſcha eis remittendum Romanæ Eccleſiæ ,, conſuetudo demonſtrat -- Conſonat Sanctus Leo I. Epiſt. 91. ad Theodorum Forojulienſem Epiſcopum -- Mediator Dei, ,, & hominum Homo Chriſtus Jeſus hanc ,, Præpoſitis Eccleſiæ dedit poteſtatem, ut ,, & confitentibus actionem pœnitentiæ da- ,, rent, & eoſdem ſalubri ſatisfactione pur- ,, gatos ad Communionem Sacramentorum ,, per januam reconciliationis admitterent --

Paſchæ tempore Lapſi reconciliati.

190 PROB.

190 PROB. V. Decreto Concilii Toletani III. *cap.* 11. in superiori Controversia Objectione ultima producto, ex quo ultima verba transcribimus — Expleto autem „ satisfactionis tempore, sicut Sacerdotalis „ contemplatio probaverit, eum Communioni restituat — Vim addit Synodus Romana sub Cornelio in peremptorio statuto circa Controversia Libellaticorum tertii generis, quibus data est indulgentia solùm in articulo mortis, nondum expletâ pœnitentiâ.

191 Dictum est passim non concedi completam reconciliationem nisi peractâ pœnitentiâ; nam præter mortis articulum, in quo Innocentius *loco mox laudato* præcipit dandam esse Pœnitentibus absolutionem, fiebat ubi periculum aderat, ne mœrore confecti Pœnitentes desperarent — Si quis in „ ægritudinem inciderit, atque usque ad „ desperationem devenerit, ei est ante tem„ pus Paschæ relaxandum — Concedebatur etiam absolutio, cum Pœnitentes in salutis æternæ discrimine versabantur: Nimirum cum urgebat timor, ne ex dilatione ad Gentiles, vel Hæreticos deficerent; ùt scribit S. Cyprianus Epist. 52. ad Antonianum — „ Si quis desperatione deficiat, durè ac cru„ deliter segregatus ad Gentiles se vias, & „ secularia opera convertat, vel ad Hære„ ticos, & Schismaticos rejectus ab Eccle„ sia transeat —

Instante Persecutione Lapsi reconciliabantur.

192 Instante Tyrannorum persecutione, ut Pœnitentes martyrio idonei efficerentur, reconciliabantur, ùt testatur laudatus Cyprianus Epist. 54. ad Cornelium — Ut quos „ excitamos, & hortamur ad prælium, non „ inermes, & nudos relinquamos, sed pro„ tectione Corporis, & Sanguinis Christi „ muniamus — Cumque nonnulli objicerent non esse accelerandam Lapsorum absolutionem propter Martyrium, quia proprio sanguine baptizantur, optimis argumentis ibidem demonstrat concedendam esse reconciliationem, qua disponi possint ad recipiendum Spiritum Sanctum ad subeundum Martyrium apprimè necessarium.

193 Pax quoque dabatur Lapsis, ubi post reditum ad Ecclesiam egregium aliquod facinus peragebant; Illud siquidem longioris pœnitentiæ loco erat. Hujuscemodi disciplina colligitur ex Epistola Caldonii Africani Episcopi ad S. Cyprianum in casu quorundam qui facti Pœnitentes, bonis omnibus expoliati, Dominum confessi fuerant.

194 Disciplinæ severitatem relaxabant Antistites, pacemque Lapsis donabant, ubi Schismatis periculum instabat — Nam & „ ipse Dominus cum servis suis volentibus „ colligere zizania, dixit: Sinite utraque „ crescere usque ad Messem: præmisit cau„ sam dicens: ne fortè cum vultis collige„ re zizania, eradicetis simul & triticum — Sic ait Augustinus *lib. 3. contra Epist. Parmeniani cap.* 2.

195 Tandem ante expletum tempus Lapsi reconciliationis indulgentiam obtinebant, cum maximum Ecclesiæ bonum Ecclesia sperabat: Expropter S. Cornelius Maximum Presbyterum ex Novatiano Schismate revertentem statim absolvit, quia, eo deficiente, grande Schismatis propugnaculum corruebat. Ita legitur in ejusdem Epistola ad S. Cyprianum.

§. II.

DISSOLVUNTUR ADVERSÆ PARTIS OBJECTA.

196 OB. I. Reconciliatio post actam pœnitentiam non erat sacramentalis, sed solummodo dispositiva ad Eucharistiæ sumptionem: ergo sacramentalis absolutio non impendebatur, peractâ pœnitentiâ. Assumptum ostenditur I. auctoritate S. Leonis Epist. sæpè laudata ad Theodorum — Eosdem salubri satisfactione „ purgatos ad Communionem Sacramentorum „ per januam reconciliationis admitterent — Janua reconciliationis post expletam pœnitentiam supponit justificationem, adeoque non est sacramentalis. II. Concilium Carthaginense IV. *Can.* 76. habet — Si continuò „ creditur moriturus, reconcilietur per ma„ nus impositionem, & infundatur ori ejus „ Eucharistia. Si supervixerit . . . subda„ tur statutis pœnitentiæ legibus, quandiù „ Sacerdos, qui pœnitentiam dedit proba„ verit — Et *Can.* 78. — Pœnitentes, qui „ in infirmitate Viaticum Eucharistiæ ac„ ceperint, non se credant absolutos sine „ manus impositione, si supervixerint — Ecce quod ultima manus impositio est purè canonica, cum jam concessam supponat Communionem. III. Concilium Arausicanum *Can.* 3. decernit — Qui recedunt de corpo„ re, pœnitentiâ acceptâ, placuit sine re„ conciliatoria manus impositione eis com„ municari. Quod morienti sufficit consolationi, secundùm definitiones Patrum, „ qui hujusmodi Communionem congruenter „ Viaticum nominarunt. Quod si supervi„ xerint, stent in ordine Pœnitentium, ut „ ostensis necessariis pœnitentiæ fructibus „ legitimam communionem cum reconcilia„ toria manus impositione percipiant — Quid clariùs ad evincendum illam esse solummodo canonicam reconciliationem, non verò sacramentalem. Ex quibus sic efformatur argumentum. Iisdem frasibus omnes Canones ad exprimendam reconciliationem dandam, peractâ pœnitentiâ, benè valentibus, atque ad illam explicandam, quæ ægrotis mortis articulum evadentibus conferebatur; Atqui hæc dubio-procul non erat sacramentalis; cum jam Eucharistica Communio concessa supponatur: ergo neque prima erat sacramentalis.

Quidam ex Eruditis primam propositionem negant; hinc ad auctoritatem S. Leonis dicunt ipsum supponere Pœnitentem coram Deo per contritionem absolutum, secus sacramentaliter; Ad Canones verò Conciliorum reponunt casum illum esse per accidens, quique a generali regula exorbitat. Verùm adhuc argumentum urget. Etenim solutio prima non valet; contextus siquidem aliter indicat. Quippe S. Leo ad præcitata verba præmisit potestatem a Christo

Sacerdotibus concessam, *ut & confitentibus actionem pœnitentiæ darent*, quod satis axprimit sacramentalem absolutionem non solùm in voto, sed in re. Nec solutio ad landatos Canones vim habet; Vis siquidem argumenti non in causalitate sita ast, sed in identitate modi loquendi.

Reconciliatio duplex.

Ea propter respondetur argumentum nostram firmara doctrinam. Admittimus siquidem cum Eruditis parvam seu minimam, & magnam seu maximam sacramentalem reconciliationam; prima verò simplicem importabat absolutionem a peccatis, sed absque jure ad sacram Eucharistiam; Porrò absolutio hujusmodi dantibus sinceræ conversionis, & contritionis signa, conferebatur ante aapletam satisfactionem, altera verò reconcillatio jus dabat ad sacram Synaxim, atque ad alia Sacramenta, nec non ad publica Ecclesiæ bona, quasdam insuper connotabat exteriores cæremonius coram Ecclesia. Hæc autem solummodo, peractâ pœnitentiâ, impertiebatur, atqua mortis periculum evadentibus dabatur. Nec ullum assignari potest inconveniens, ex quo de iisdem criminibus quis iteratò absolveretur eo planè tempore, quo rigidior florebat Ecclesiæ disciplina.

197 OB. II. Juxta Patrum regulam id semper cum Lapsis servavit Ecclesia, quod Deus misericorditer agere solet cum peccatoribus; Atqui Deus, posita contritione, statim peccata relaxat: ergo similiter Ecclesia: ergo vel non differebat absolutionem, donec perficeretur pœnitentia, vel reconciliatio hujusmodi non arat sacramentalis. Majorem propositionem comprobatam habemus ex Magno Gregorio *homil. 26. in Evangel.* -- Causæ ergo pensandæ sunt, & „ tunc ligandi, atque solvendi potestas „ exercenda. Videndum ast, quæ culpa, „ & quæ sit pœnitentia secuta post culpam, „ ut quos omnipotens Deus per compun„ ctionis gratiam visitat, illos Pastoris sen„ tentia absolvat -- Eandem tradit doctrinam S.Eligius *Hom. 4.* -- Quia vices Christi „ agimus, quos ille invisibiliter absolven„ do dignos sua reconciliationa judicat, nos „ invisibiliter reconciliando per officium „ nostri ministerii absolvimus -- Minor quoque propositio habetur ex Patribus, quos inter est Chrysostomus *Homil.* de S. Philogono -- Nec mihi quisquam dixerit; Vereor, „ habeo conscientiam peccatis oppletam, „ sarcinam circumfero gravissimam: sufficit „ enim horum quinque dierum tempus, si „ sobrius fueris, si attentus, si vigilaveris, „ ut multitudinem peccatorum reddas con„ tractiorem. Nec illud perpende, quod „ breva est tempus, sed illud considera, „ quod benignus est Dominus, quandoqui„ dem & Ninivitæ tridui spatio tantam iram „ Dei a se dapulerunt --, Ejusdem labii sunt cæteri Patres.

Respondent quidam Gregorium, & Eligium ad eum sensum locutos esse, quando peractæ Pœnitentiæ experimento vera conversio Sacerdotibus constiterit, tuncque Pœnitentes absolvendos, quos Deus statim ab aliata vera, & perfacta contritione, quæ aliquando bravi temporis mora haberi potest, jam absolverat, quod solummodo probat Chrysostomus; Ceterum cum Sacerdotes nonnisi per laboriosæ pœnitantiæ opera contritionis argumenta habeant, sacramentalis reconciliatio tantummodo post completam satisfactionem impertiebatur.

Verùm magis Patrum doctrinæ consonat distinctio duplicis absolutionis, unius quæ præcedit opera, eaque injungit, alterius, quæ ad opera subsequitur, jusque tribuit ad Eucharistiam. Remissionem peccatorum illicò concedit Deus, si vera adsit contritio, sibi tamen satisfieri per opera pœnalia exigit, absolvit Ecclesia, ubi prudenter judicat contritum Peccatorem, hioc opera injungit, quibus reatui temporalis pœnæ satisfiat.

Opera pœnalia post absolutionem.

198 DICES. Patres prævia exigunt opera, ut conversionis veritas, quæ hominibus occulta est, quandiù in corde manet, dignoscatur: Deus autem intuetur cor, nec temporis experimento indiget. Ea propter Augustinus *in Enchir. cap. 65.* habet -- In actio„ ne pœnitentiæ, ubi tale crimen commis„ sum est, ut is, qui commisit, a Christi „ etiam corpore separetur, non tam consi„ deranda ast mensura temporis, quam do„ loris. Cor enim contritum, & humilia„ tum Deus non despiciet. Verùm quia „ plerumque dolor alterius cordis occultua „ est alteri, neque in aliorum notitiam per „ verba, vel quæcunque alia signa procedit, „ cum sit coram illo, cui dicitur: Gemi„ tus meus a te non est absconditus, rectè „ constituuntur ab iis, qui Ecclesiæ præ„ sunt, tempora Pœnitentiæ, ut fiat etiam „ satis Ecclesiæ, in qua remittuntur pec„ cata --

Idem evincit responsio Ivonis Carnotensis Epist. 228. ad Goshérium Presbyterum sciscitantem, quomodo canonica illa sententia: *In quacunque hora ingemuerit peccator; salvus erit*, congruat Synodali Constitutioni, quæ confitentes sua crimina aliquandiù a Corporis, & Sanguinis Christi Communione suspendit; cui Sanctus Episcopus respondet -- Cum criminalis culpa „ delinquentem separat a capite, & a cor„ pore, rationis ordo hoc exigit, ut in„ ternus Judex tantò remittat celeriùs, „ quantò solus magis videt interiùs. Judex „ verò, qui tantùm videt in facie, usque „ adeo delinquentes sub peccati pœna deti„ neat, donec per manifestum pœniten„ tiæ fructum, qui sit Pœnitentis affe„ ctus intelligat. Per internum enim ge„ mitum satisfit interno Judici, & idcir„ co indilata datur ab eo interna remissio, „ cui manifesta est interna conversio; Ec„ clesia verò, quia occulta cordis ignorat, „ non solvit ligatum, licet suscitatum, nisi „ de monumento elatum, idest publica sa„ tisfactione purgatum. Hinc est, quod „ Ecclesia sua crimina confitentes a Sacra„ mentorum communione suspendit, & in „ cinere, & cilicio positos ab introitu Ec„ clesiarum statuto tempore excludit, ut per „ hoc experiatur, si jam sunt intus vivifi„ cati, cum fuerint longa pœnitentiæ ma„ ceratione probati. Si hæc attendat Fra„ ternitas tua, videbis non dissentire pro-

„ pheticam,

„ phericam, & Synodalem sententiam, cum „ illa deferat, quod suum est Capiti, & „ ista concedat, quod suum est corpori -- Quid luculentiùs ad declarandam nullam sacramentalem absolutionem datam fuisse, nisi expletâ Pœnitentiâ?

Prudens judicium de contritione absolutionem debet præcedere.

RESP. Doctrina hujusmodi apprimè probat, quod ultrò concedimus, Ecclesiam videlicet nemini sacramentalem largitam fuisse absolutionem etiam minimam, nisi prævia morali certitudine de vera, & sincera cordis contritione, quod & nunc servandum est. Primitivæ Ecclesiæ Sacerdotes Pœnitentis conversionem seriò explorabant; seriò & nunc investiganda est: illi ob dubiam Peccatoris conversionem primam absolutionem differebant; consimiliter stantibus iisdem incertis momentis est differenda: Deflebat Ecclesia nimium faciles Sacerdotes, idest minus cautos in causis disquirendis, ideoque a Patribus reprehendebantur, nunc quoque eodem vitio laborantes reprobantur.

Summa igitur difficultatis in eo versatur; num secundùm Ecclesiæ disciplinam publicæ Pœnitentiæ devoventem Peccatores una tantummodo sacramentalis absolutio iisdem sincerè Pœnitentibus concederetur, & quidem non nisi completâ pœnitentiâ. Duplicem fuisse concedimus, primamque dicimus opera præcessisse, alteram verò subsecutam, & per hanc jus acquiri ad Ecclesiasticam communionem, ad publicas preces, & oblationes: hujusmodi porrò distinctionem non enervant prædicta, non quidem auctoritas Augustini, qui illum pœnitentem minima absolutione nedum a Deo, sed ab Ecclesia absolutum supponit; *verùm quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri*, cui aliàs delinquentis emendatio vel ad ædificationem, vel ad tollendum scandalum innotescere debet, ideo publica injungenda sunt opera.

Ivonis responsio clarè supponit Pœnitentes fore confessos: *Hinc est, quod Ecclesia sua crimina confitentes*, proindeq; parva absolutione sacerdotaliter reconciliatos; & hac super re erat Gonherii interrogatio, qui reputabat conversum ad Deum ad Sacramentum Altaris statim esse admittendum, qui interrogandi modus certè supponit parvam absolutionem concessam fuisse; aliàs de hac primò interrogationem instituere debuisset.

Antiqua disciplina ordinata ad dignã Eucharistiæ sumptionem.

Res clarescet, si attendamus illius disciplinæ scopum, atque finem eum fuisse, ut condigna Eucharistiæ sumptio redderetur: Ecclesia namque ipsam ùt maximum Dei donum habebat, & meritò cum unio cum Christo sit consummatio, & finis Christiani hominis. Hoc nos docet Albaspinæus *lib. 2. Observationum, observ.* 22. Sumptionis Eucharistiæ mentionem facit Eligius *Hom.* 4. -- Ut ante nos dictum est a Patribus, cum „ tanta est plaga peccati, & impetus mor- „ bi, ut medicamenta Corporis, & San- „ guinis Domini differenda sint, auctoritate „ Antistitis debet se quippe ab Altari re- „ movere ad agendam pœnitentiam, & ea- „ dem auctoritate reconciliari -- Ultimatè videlicet ad Eucharistiam admittendo.

Hinc Concilium Ancyranum sub Silvestro an. 314. *Can.* 4. statuto stationariæ pœnitentiæ tempore subdit -- Et tunc ad per- „ fectionis gratiam pervenire -- Hoc est, ùt interpretatur Baronius, ad communionem Corporis Christi admitti. *Can* 5. -- Tertio anno sine oblatione communicent, ut perfe- „ ctionem assequantur -- idest Eucharistiam. Denique *Can.* 6. -- Et tunc demùm sex annis „ completis ad perfectionis gratiam conse- „ quantur -- scilicet Eucharistiam, qui loquendi modus illos ante injunctam pœnitentiam Pœnitentes fuisse reconciliatos manifestè præsupponit.

199 OB. III. Haud credendum est in primitiva Ecclesia disciplinam extitisse, quæ postmodum tanquam erronea ab Ecclesia erat proscribenda; Sed doctrina docens dandam non esse pœnitentiam nisi peractâ pœnitentiâ erat ab Ecclesia proscribenda, eamque Sixtus IV. Bulla XVII. reprobavit damnando propositionem Petri de Osma -- „ Non peractâ pœnitentiâ confitentes ab- „ solvi non debere -- ergo.

RESP. Laudatus Pontifex & jure, & meritò illam proscripsit propositionem, utpoteque propugnabat ordinem illum necessariò esse servandum, alteri favens errori, qui contendebat nullam esse necessitatem auricularis confessionis, ut peccatorum remissio haberetur, vim totam remissivam contritioni tribuendo. Toto autem Orbe primitivæ Ecclesiæ disciplina a falsa Petri de Osma doctrina distare pro comperto est, cum semper & confessionis necessitatem, & ejusdem efficaciam ad peccatorum remissionem docuerit. Volebat quidem haud necesse esse ex divina institutione absolutioni canonicam satisfactionem præmittere; quia tamen Patres expedire judicabant majori Fidelium bono, operum probationem exigebant. Ex propter Sixti declaratio nequaquam urget adversus illorum Seculorum disciplinam, neque adversus laudabilem Confessariorum praxim, qui quandoque absolutionem differunt, ut per pœnalium operum exercitia ad veram cordis contritionem Peccatores promoveant, cum ad Exomologesim absque sincera animi conversione accedunt. Adamus Olearius *lib.* 3. *Itineris Persici cap.* 30. ùt ocularis testis refert, Moscovitas ante Confessionem octo dierum spatio se jejunio macerare, nec famem nisi indurato pane saturare, acidoque potu sitim extinguere. Salubriori ratione aliquoties opportunum est inabsolutos ad tempus Pœnitentes dimittere, ut veram spiritus compunctionem concipiant.

Sixti IV. Constitutio explicatur.

200 OB. IV. Ecclesia, quæ Fideles, ùt pia Mater complectitur, absq; crudelitatis nota non poterat gravissima pœnarum onera, diùque sustinenda imponere, ut tandem absolutionem consequerentur. Non enim fructus inde colligebatur: Opera siquidem illa nimis laboriosa sive merito, sive vi satisfactiva, sive impetratione propriè dicta carebant, cum essent ab homine peccatore, adeoque mortua, & absque charitate: Nullatenus itaque credendum est illud disciplinæ genus differendi Sacramentalem absolutionem extitisse.

Sunt, qui respondeant eam disciplinam onerosam quidem, sed non sine fructu, quia

illa pœnalia opera ad veram conversionem, atque contritionem animum præparabant; & sæpesæpiùs, qui illos pœnitentiæ gradus percurrebant, media contritione erant justificati; unde eorum opera erant meritoria.

Verùm enim verò in eo tota lis versatur, quod Ecclesia tot annos pœnitentialium laborum injungeret, ut Pœnitentes ad veram contritionem disponerentur, cum posset imperfecta contritione motos absolvare. Porrò ipsos hujusmodi imperfectam contritionem, quæ apud Eruditos Oppositores pro sacramentali absolutione sufficit, habuisse ex pluribus satis, superque elucebat. Et sanè Pœnitentium fletus, gemitus, & suspiria, quibus reconciliari exposcebant, non ne certa imperfectæ contritionis signa esse pradeos quisquam judicare poterat? Cumque aliàs apud laudatos Oppositores contritio, quæ extra Sacramentum justificat, valdè intensa esse debeat, planè fit longo temporis spatio absque meriti, & satisfactionis fructu illa onera sustinuisse.

Quare dicimus objectionem evincere, quod sæpè diximus: Etenim optimè noscens Ecclesia sub attritione, vel imperfecta contritione fructuosam esse a peccatis absolutionem, dum Lapsos ad pœnitentiam deputabat illos parvâ, peractâ verò pœnitentiâ, magna donabat absolutione, quæ jus dabat ad Eucharistiam, & ad cætera supra memorata. Hujusmodi autem disciplina apprimè utilis erat; siquidem fructuosus erat Pœnitentium labor, erat Deo placens, & satisfactorius, gloriam illis promerebat, temporalis pœnæ reatum extinguebat, voluntatemque in proposito non peccandi firmabat; Non urget itaque objectio, cum nequaquam sit aliena ab Ecclesiæ pietate illa disciplina, quæ ad bonum filiorum maximè deserviebat.

Ecclesiæ disciplina Fidelibus utilis.

201 OB. V. Si parvam absolutionem injuncta Pœnitentia præsupponebat, jam hæc erat sacramentalis: ergo sacramentale sigillum si non verbis, saltem opera, violabatur: Hoc nullimodè credendum est: ergo.

Plures respondent nequaquam sigillum violatum fuisse, cum ex injuncta pœna determinatam, certumve peccatum nequaquam dignosci posset, atvis suspicio quædam suboriri posset de aliquo gravi crimine; quia aliquando unus pro alio satisfaciebat, & quandoque humilitatis causa Innocens pœnitentialia opera exercebat.

Attamen cum rara admodum sint hujusmodi exempla, & aliàs Pœnitentiales Canones, qui onera imponebant, facilè occurrerent, certò judicare quisquam poterat grave perpetratum crimen: Propterea dicimus ex parte Sacerdotis nullam adfuisse sacramentalis sigilli fractionem, quia Pœnitentes spontè illam mulctam subibant, & nonnisi Pœnitenti liberè acceptanti publicas illas pœnitentias, quas non pro occultis peccatis, sed pro publicis, ut Controv. V. vidimus, injungebat. Quod tamen intelligendum est de Pœnitentiis in Confessione impositis, non verò de illis, quæ pro publicis criminibus, judiciali quodam modo injungebantur.

Confessionis sigillum nusquam violandum.

CONTROVERSIA X.

§. I.

AN JUXTA PRIMITIVÆ ECCLESIÆ DISCIPLINAM PUBLICA PECCATORUM CONFESSIO AB ONERE PŒNITENTIÆ PUBLICÆ ESSET INDIVISA.

202 ANtiquæ disciplinæ Scrutatores inquirunt, num priorum Seculorum Canones publicam pœnitentiam insimul, & publicam peccatorum confessionem præscriberent. Spontè ab aliquibus propria promulgata fuisse delicta nemo unus est, qui dubitet, immo utiliter fieri mos laudandum Tridentinum apertè docet; ea propter res tota devolvitur ad institutam canonicam disciplinam. Eruditi, quibus studium est in severiorem partem Canones interpretari, absque hæsitatione propugnant eam aliquando extitisse disciplinam, quæ ad publicam gravium saltem peccatorum confessionem cogeret.

203 Dicendum tamen est nusquam disciplinam extitisse, quæ publicam peccatorum confessionem decreverit.

PROB. I. Tridentinum *Sess.* 14. sæpè testatur doctrinam de Pœnitentiæ Sacramento a Patribus collegisse, atque adoptasse; Atqui Concilium propalam docet *cap.* 5. haud congruum esse, Ecclesiastica lege, publicam peccatorum confessionem præcipere — „ Etiamsi Christus non vetuerit, quin ali„ quis in vindictam suorum scelerum, & „ sui humiliationem, cum ob aliorum exem„ plum, tum ob Ecclesiæ offensæ ædifica„ tionem delicta sua publicè confiteri pos„ sit: non est tamen hoc divino præcepto „ mandatum, nec satis consultè humana „ aliqua lege præciperetur, ut delicta præ„ sertim secreta, publica essent confessione „ aperienda — Nusquam ergo extitit disciplina, quæ publicam peccatorum Confessionem præciperet: Aliàs nequaquam asserere potuissent Tridentini Patres, *nec satis consultè humana aliqua lege præciperetur*, cum in primitiva Ecclesia lex hujusmodi jam data fuerit.

Publica confessio perperàm præcepta.

204 PROB. II. Ecclesiasticæ disciplinæ severitas eo tempora potissimùm floruit, quo publicis pœnitentiis Pœnitentiarius præerat; Sed tunc temporis nullus extitit usus publicæ Confessionis, immo oppositus, ut videre est apud Sozomenum *lib.* 7. *Hist. cap.* 16. asserentem eum esse debuisse — Integri„ tate vitæ maximè spectabilem, & secre„ torum tenacem, quia nimis odiosum vi„ sum fuit, quod Pœnitentes sua delicta, „ tanquam in Theatro, audiente Ecclesiæ „ multitudine, pronunciarent — His palam fit Patres noluisse aperiri peccata coram aliis; quippe quod odiosum nimis unus videbatur.

Secreti Confessione commendatum.

205 PROB. III. ex Decreto Leonis Papæ Epist. 80. ad Episcopos Campaniæ — „ Illam etiam contra Apostolicam regulam

„ præ-

,, præsumprionem, quam nuper aguovi a ,, quibusdam illicita usurpatione committi, ,, modis omnibus constituo submoveri (de ,, Pœnitentia videlicet, quæ ita a Fidelibus ,, postolatur) ne de singulorum peccatorum ,, genere, libellis scripta professio publicè ,, recitetur, cum reatus conscientiarum ,, sufficiat Sacerdotibus indicari Confessione ,, secreta. Quamvis enim plenitudo fidei ,, videatur esse laudabilis, quæ propter Dei ,, timorem apud homines erubescere non ,, veretur, tamen quia non omnium sunt ,, peccata, ut ea, quæ pœnitentiam poscunt, ,, non timeant publicaro, removeatur tam ,, improbabilis consuetudo, ne multi a ,, Pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut ,, erubescunt, aut metuunt inimicis sua ,, facta referari, quibus possunt legum con- ,, stitutione percelli. Sufficit enim illa con- ,, fessio, quæ primùm Deo offertur, tunc ,, etiam Sacerdoti, qui pro delictis Pœni- ,, tentium precator accedit; tunc enim ,, demum plures ad Pœnitentiam poterunt ,, provocari, si Populi auribus non publi- ,, cetur conscientia confitentis --

Fides confitenda, peccata occultãda.

Hoc testimonium nullimodè labefactari potest, si notes primò S. Pontificem asserere publicam occultorum peccatorum Confessionem *esse contra Apostolicam regulam*: ergo Ecclesia haud instituit disciplinam Apostolicæ regulæ oppositam. Secundò. S Leo illam vocat præsumptionem, atque illicitam usurpationem: non ergo a Sanctissimis Patribus dimanavit. Tertiò asserit hanc præsumptionem novam esse: *Quam nuper agnovimus*: itaque hujusmodi abusus, quem statim evellere conatus est, in primitiva Ecclesia non viguit. Quartò dicit abusum hunc *a quibusdam committi*: ergo a Canonibus non erat præceptus, sed a paucis vel ignaris, vel temerariis Presbyteris adinventus. Quintò eam vocat improbabilem consuetudinem; si autem per Canones, aut ex Patrum sententia fuisset inducta, potuisset ne ipsam improbabilem nuncupare? Non igitur ea mente Sancti Leonis usquam viguit talis disciplina.

206 DICES. S. Leo illarum criminum Confessionem reprobat, quæ per juris leges capitali sententia mulctabantur; Cum igitur quidam in Campania omnia indiscriminatim delicta publicè confitenda esse vellent, ideo meritò hos S. Pontifex redarguit.

Attamen voluntarium hujusmodi effugium facilè revincitur, tum ex generali locutione S. Pontificis, tum ex momentis, quæ affert. Bis testatur ad expiandos conscientiæ reatus secretam sufficere confessionem, eamque, quæ primùm fit Deo, cui nullius criminis datur exceptio. Reprobat dein illorum peccatorum manifestationem, quorum notitia erubescentiam gignit; Porrò homines de omni mortali crimine erubescunt. Agit quidem etiam de his, quæ inimicis suis reserata possunt legum constitutionibus percelli, verùm alia non excludit; quo enim pacto plures ad pœnitentiam provocari possent, si aliqua gravis noxa publicaretur? Secreta quidem cujusque criminis Confessio apprimè ad hoc deservire potest. Hæc igitur Sanctus Leo juxta Apostolicam regulam præcepit, oppositumque damnavit.

Publica peccatorum manifestatio reprobata.

207 PROB. IV. Chrysostomus Basilio, Nazianzeno, atque Nysseno coævus *hom. 21. ad Populum Antiochenum* in rem nostram apertè loquitur: Dum enim Fideles ad pœnitentiam adhortatur, ut faciliorem ad conversionem sternat viam, eo utitur momento -- Nec cogit in medium procedentes, ,, quæ peccavimus enarrare -- idest non datur lex aliqua, quæ ad publicam confessionem adigat, quod similiter *Hom. 5. De Incomprehensibili Dei natura* -- Neque enim te ,, in theatrum duco conservorum tuorum, ,, non hominibus detegere peccata cogo -- Perperam autem ad pœnitentiam mulceret Fideles motivo secretæ confessionis, si Canones publicam pœnitentiam, quæ illo ævo vigebat, præscribentes indivisim publicam peccati confessionem præcepissent.

Secreta Confessio aptior ad conversionem.

208 PROB. V. Temporibus S. Ambrosii, etvis publicæ pœnitentiæ disciplina floreret, praxis nulla erat publicæ Confessionis: Etenim Paulinus pium ejusdem Antistitis laborem in excipiendis Confessionibus describens ait -- Causas autem crimi- ,, num, quas illi confitebantur, nulli nisi ,, Domino soli, apud quem intercedebat, ,, loquebatur, bonum relinquens exemplum ,, posteris Sacerdotibus, ut intercessores ,, apud Deum magis fiat, quam accusato- ,, res apud homines -- Porrò quodnam bonum exemplum posteris commendasset, si publicæ confessionis disciplina fuisset? Enimverò laudabilis non est, quod sacris adversatur Ecclesiæ Canonibus, nec secretum illud, quo arctè peccata occultabat, sectatores demeruisset, si disciplina extitisset, qua Pœnitentes ad publicam Confessionem urgera tenerentur.

Lib. 2. de Pœnit. cap. 10. Indubiè ad publicam pœnitentiam eos adhortatur, quos ab ea acceptanda pudor deterrebat: ut hos suadeat, illud proponit argumentum, nullam, scilicet, causam adesse, cur publicè humiliari pudeat, cum Sacerdoti occultum peccatum revelando erubescentiam devicerint -- An pudeat Deo supplicare, quem ,, non lates, cum te non pudeat peccata ,, tua, homini, quem lates, confiteri -- Si autem publica confessio indivisa esset, inane equidem fuisset argumentum: Etenim longè major est pudor, qui in criminis confessione patitur, quam in tolerantia pœnæ. Eundem sensum præferunt sequentia -- Hoc ,, ergo in Ecclesia facere fastidis, ut Deo ,, supplices, ut patrocinium tibi ad Deum ,, obsecrandum sanctæ plebis requiras, ubi ,, nihil est, quod pudori esse debeat, nisi ,, non fateri, cum omnes simus peccatores, ,, ubi ille laudabilior, qui humilior -- Totus igitur pudor in eo situs est, ut quis Sacerdoti sua peccata sigillatim revelet, hoc posito nulla superest erubescentiæ causa. Nec publica pœnitentia est causa rationalis pudoris; quia omnes peccatores sumus. Quod si dicas haud arduum esse fateri se peccatorem tantummodo in genere, quod sanctissimi Viri facere non detractant, adjicimus arduum sanè esse se taliter peccatorem fateri iis circumstantiis, videlicet publicæ pœnitentiæ se subjiciendo; Quoniam verò major est secundùm se pudoris causa peccati confessio,

Secreta Confessio allicit ad pœnitentiam.

fessio, quæ omnes conscientiæ latebras manifestare debet, ideo optimè S. Doctor infert publicæ pœnitentiæ severitatem talem nequaquam ingerere posse pudorem, ut ab illa justè retrahat Pœnitentem, qui aliàs publicè mulctatur, non quidem pro occulto crimine, sed pro publico, de quo supra Controv. V. latè egimus.

209 PROB. VI. Concilium Toletanum IV. *Can.* 54. habet — Hi qui in discrimine constituti pœnitentiam accipiunt „ nulla manifesta scelera confitentes, sed „ tantùm se peccatores prædicantes, hujusmodi si revaluerint, possunt etiam pro „ morum probitate ad gradus Ecclesiasticos „ pervenire. Qui verò ita pœnitentiam accipiunt, ut aliquod mortale peccatum „ perpetrasse publicè fateantur, ad Clerum, „ vel ad honores Ecclesiasticos pervenire „ nullatenus poterunt, quia se confessione „ propria notaverunt — Hic pro comperto est absque determinata peccatorum confessione demandari consuevisse Lapsos ad publicam pœnitentiam; Cum verò in secunda Canonis parte dicitur Lapsos publicè fassos fuisse crimina, loquitur de spontanea confessione, vel judiciali patratorum criminum, & hi, qui sic confitebantur, si erant Laici, inter Clericos adscribi non poterant, si verò Clerici ab Ecclesiasticis honoribus repellebantur, quia infamiæ notâ inurebantur. Unde tria ex laudato Canone habemus. I. Quod publica confessio a publica pœnitentia non erat indivisa. II. Quod sat erat, ut quis inter Pœnitentes deputaretur, se peccatorem fateri. III. Quod specifica, & per testes probata peccatorum confessio infamiâ peccatores notabat, secus publica pœnitentia. Ex quo elucescit nusquam datam fuisse Ecclesiæ disciplinam peccatorum confessionem decernentem. Dabantur tamen judiciales processus, in quibus si accusati capitalia crimina fatebantur, velut infames censebantur.

Publica Confessio infamiâ nota.

210 Hìc notes velim perperam inferre Morinum occultas notas publicâ pœnitentiâ fuisse mulctatas, eo quod inter Pœnitentes adscribebantur Fideles, etsi crimina occulta confiterentur: Etenim, qui ad pœnitentiam deputabantur, vel confessi erant peccata publicitate divulgationis nota, vel quæ saltem cum scandalo aliquorum fuerunt perpetrata, verùm quia eorundem criminum publica non facta fuit confessio, ideo ab honoris gradu, quem obtinebant, non amovebantur.

211 PROB. VII. S. Basilius in Epist. Canonica ad Amphilochium *Can.* 34. habet — „ Adulterio pollutas mulieres, & confitentes ob pietatem, vel quomodocumque „ convictas, publicare quidem Patres nostri „ prohibuerunt, ne convictis mortis causam „ præbeamus: Eas autem stare sine communione jusserunt, donec impleretur tempus pœnitentiæ — In ordine Pœnitentium descriptas habemus hujusmodi Mulieres, sed insimul expressam publicæ Confessionis prohibitionem, proindeque a publica pœnitentia non erat indivisa publica peccatorum confessio.

Publicæ Confessio prohibita.

212 Nec dicas, cum exceptio firmet regulam in contrarium, inde colligi aliis in casibus publicæ confessionis disciplinam viguisse: Siquidem laud. Canon non jam exceptionem ponit, sed positivam habet prohibitionem unius casus propter specialia momenta. Porrò a positiva prohibitione unius casus peculiares habentis circumstantias haud valet illatio ad legem positivè præscribentem circa reliquos, sed solummodo sequitur de aliis non dari positivam prohibitionem, sed cuilibet licebat pro arbitrio agere; ea propter id unum inferri fas est, spontè, & liberè potuisse Fideles alia peccata confitari.

213 Si autem quæras, quænam specialia ratio Patres urgebat, ut hujus criminis manifestationem sedulò prohiberent? Respondetur id prudenti actum esse consilio, ne Mariti criminosas Uxores malè haberent; quo etiam momento singulis gradibus publicæ Pœnitentiæ non deputabantur, ne in ipsis de Adulterio saltem suspicio oriretur, ideoque ad Consistentium gradum demandabantur, cui etiam adscribebantur levioris culpæ maculati.

Consistentium gradus pro levioribus culpis.

§ II.

ADVERSANTIUM ARGUMENTA REFELLUNTUR.

214 OB. I. Carthaginense III. *Can.* 32. statuit, ut publica non infligeretur Pœnitentia — Nisi ob pu„ blicam, & vulgatissimum crimen, quod „ universa Ecclesia noverit — ergo publica peccatorum confessio ab exercitio publicæ pœnitentiæ indivisa erat.

RESP. Ex laudato Canone non inde colligitur publica criminum confessio, sed delicti notitia, habita quidem ab Ecclesia non jam ex Pœnitentis confessione, sed vel per Delatores, vel ex publica divulgatione.

215 OB. II. Heraclas Alexandrinus Episcopus ab hæresi, vel apostasia revertentes non sævit admittere nisi deprecantes, sed insimul sua crimina confitentes — Et li„ cet deprecarentur, non admisisse, quoad „ omnia, quæ ab adversariis audivissent, „ palam apud omnes essent eloculi, tumque „ eos recepisse — Sic apud Eusebium *lib.* 7. *Hist. cap.* 6.

RESP. Haud evincitur ex prædictis factam a Pœnitentibus de propriis criminibus confessionem, sed solummodo narrationem eorum, quæ ab Hæreticis audierant. Porrò palmare interest discrimen a narratione alieni criminis, cui nulla, ut in aperto est, subest erubescentia, a suorum peccatorum Confessione. Facilè equidem aliorum defectus, secus proprii describuntur. Optimo tamen consilio cautum erat, ut revertentes ad Ecclesiam, quæ ab Hæreticis audierant, in conspectu Populi referrent; Nam erudiebantur Fideles in Catholica veritate, & ipse Episcopus prava Hæreticorum dogmata reprobando Auditores docebat, ne a fraudibus aberrantium, & malignantium deciperentur. Nec aliud sanè

Aliena crimina tur publicata.

He-

Heraclas intendisse dicendum est, cum supervacaneum prorsus esset Pœnitentes, dum ad Ecclesiam revertebantur, suum crimen confiteri, quod jam publicitate facti, & diffamationis notum erat.

216 OB. III. Ex Cornelio Papa apud Eusebium *lib. 6. cap* 35. habemus plures ex Novati Schismate ad Ecclesiam revertentes publicè sua crimina fuisse confessos — Eo „ relicto ad Sanctam Ecclesiam reverterant, „ atque omnes ejus fallacias, & maleficia, „ quæ longo tempore intimo pectore obtexerant, multis præsentibus tum Episcopis, „ tum Presbyteris, tum Laicis quamplurimis palam ostendere, & cum lacrymis, „ & querelâ, cum dolore, & pœnitentiâ „ suam vicem deplorare coeperunt; quod „ subdolæ illius, & efferatæ bestiæ consilio „ ab Ecclesia etiam vel exiguum temporis „ spatium desciviissent —

Ibidem de uno ex tribus Episcopis, qui crapulâ oppressi Novatum consecrarunt Episcopum, idem Cornelius habet — Ex quibus „ Episcopis unus non longè post peccatum „ flebiliter lamentatus, & idem apertè confessus ad Ecclesiam revertit, quem Populo universo pro eo rogante, tandem ut „ Laicum in communionem recepimus —

Aliud suppetit exemplum ex eodem Eusebio *lib. 6. cap.* 8., ubi refertur, quod unus ex calumniatoribus Narcissi Jerosolymitanæ Ecclesiæ Præsulis repentina morte duorum sui sceleris sociorum perterritus — Palam „ inter omnes maleficia communiter a se, „ suisque sociis per fratrem contra Narcissum admissa confessus est, tantisque, & „ tam acerbis delicti pœnitens lamentis afflictus est, tantumque lacrymarum effundere non destitit, ut utrumque sibi oculum „ extinxerit — Vigebat ergo disciplina publicè confitendi peccata.

Publica Confessio laudabilis.

RESP. Prædicta exempla id probant, quod ultrò concedimus, videlicet laudabilem esse publicam peccatorum Confessionem spontè factam. Laudati Pœnitentes ii sunt, qui Deo movente ad Dominum reversi nullo impellente, aut consulente ob humilitatis bonum sua crimina confessi. Controversia autem agitatur, num disciplina extiterit publicam confessionem præscribens, quam si Pœnitentes non facerent, ab Episcopis ad Sacramenta non admitterentur, quod negatur.

217 OB. IV. Mulieres quædam a Marco Hæresiarcha non solùm libidinosè seductæ, sed hæresi infectæ ad Ecclesiam revertentes publicè sua crimina confessæ fuerunt — „ Hæ sæpissimè conversæ ad Ecclesiam Dei, „ confessæ sunt, & secundùm corpus exterminatas se ab eo velut cupidine, & „ inflammatas valdè illum dilexisse — Sic legitur apud S. Irenæum *lib. 1. adversus Hæreses cap.* 9. De alia quoque muliere ab eodem Marco, dum apud quemdam Diaconum hospitabatur, corruptâ idem Irenæus subdit — Nam cum esset uxor ejus speciosa, „ & sententiâ, & corpore corrupta esset a „ Mago isto, & secuta eum esset multo „ tempore, post deinde cum magno labore „ fratres eam convertissent, omne tempus „ in Exomologesi consummavit, plangens, „ & lamentans ob hanc, quam passa est ab „ hoc Mago corruptelam — ergo.

RESP. Ut argumentum evinceret, probandum esset has mulieres sua crimina fuisse confessas a Sacerdote monitæ, & jussæ a Confessario, cui eadem aperuerunt, sed aliter suadet facti narratio: illæ enim mulieres spontè suum crimen confessæ sunt, quod in aperto est, dum S. Irenæus dicit primas sæpissimè confessas, secundam omne tempus in Exomologesi consummasse; Porrò dubio-procul nusquam disciplina data fuit de publica iterata confessione; sicut igitur secunda, tertia, & sequentes confessiones spontaneæ fuerunt, ita etiam prima; Non enim primam inter, & secundam discrimen aliquod apponit Irenæus. Adde earum crimen publicum fuisse.

218 OB. V. Philippus I. inter Imperatores Christianus, cum in vigilia Paschæ participem fieri vellet in Ecclesia precationum cum toto Populo, jussus est a Romano Episcopo sua peccata publicè confiteri — „ Non prius ab Episcopo, qui tum Ecclesiæ præerat, permissum est intrare, quam „ se confessus fuisset, & inter eos, qui peccatorum vinculis adhuc tenebantur adstricti, locumque Pœnitentium agentibus „ præstitutum occupabant, se sua spontè collocavisset .... Imperatorem autem alacri „ animo, ac lubenti Episcopo morem gessisse .... memorant — Eusebius *lib. 6. cap.* 27.

RESP. Utvis quidam de historiæ veritate dubitent nihilominus minus dicimus Episcopum publicam præcepisse Confessionem, *propter multa delicta, quæ ab illo ferebantur admissa*: Cum igitur publica essent Imperatoris crimina, ad reparandum scandalum non solùm publica injuncta fuit pœnitentia, sed publica quoque confessio, quod absque gravi honoris discrimine fieri poterat, cum agerent de confessione peccatorum publica publicitate facti, & diffamationis. Hoc æquivalenter fieri præscribit Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 8., cum in præsenti Ecclesiæ statu, in quo pro certò nec Confessionis, nec publicæ pœnitentiæ usus viget, mandat Concubinarios *Excommunicatione feriendos esse, a qua non absolvantur, donec re ipsa admonitioni factæ paruerint*. Porrò dum isti a censura absolvi expostulant, opere saltem, si non verbo peccata sua, nempe concubinatum, fatentur. Et clariùs eadem *Sess. cap.* 8. *de Reformat.*

Peccata publica publicè quandoque confitenda.

219 OB. VI. Per plura Secula usus invaluit, ut Lapsi crimina etiam occulta publicè confiterentur; Hoc comprobatur auctoritate Tertull. *lib. de Pœnit. c.* 10., *&* 11.— „ Plerosque tamen hoc opus, ut publicationem sui, aut suffugere, aut de die in „ diem differre præsumo, pudoris magis memores, quam salutis: Velut illi, qui in „ partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conscientiam medentium „ vitant, & ita cum erubescentia sua pereant .... Certè periculum ejus tunc si „ fortè onerosum est, cum penes insultaturos in risiloquio consistit, ubi de alterius „ ruina alter attollitur, ubi prostrato superscenditur. Ceterùm inter fratres, „ atque

„ atque conservos, ubi communia spes, metus, gaudium, dolor, passio .... quid tua „ aliud, quam te opinaris? Quid consortes casuum tuorum, ut plausores fugis? „ Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere: condoleat universum, & ad remedium collaboret, necesse „ est &c. Grande sanè emolumentum verecundiæ occultatio delicti pollicetur; „ videlicet si quid humanæ notitiæ subduxerimus, proinde & Deum celabimus. „ Adeone existimatio hominum, & Dei conscientia comparantur? An melius est „ damnatum latere, quam palam absolvi? -- Tertull. loqui de Confessione pro comperto est, sed hanc publicam fuisse totus fermè contextus evincit. Etenim *publicationem suî. Si quid humanæ notitiæ subtraxerimus. Non potest corpus de unius membri vexatione lætum agere. Ceterum inter fratres*, & alia hujusmodi privatæ confessioni convenire nequeunt. Insuper talem confessionem fuisse de peccatis occultis patet ex paritate morborum corporis in partibus verecundioribus. S. Cyprianus Epist. 62. idem sentit, quatenus factum Pomponii Episcopi approbavit, qui Diaconum abstinere jussit, qui alios inter masculos, qui cum quibusdam Virginibus dormire consueverunt, inventus est. Illæ quidem confessæ sunt, & publicæ pœnitentiæ demandatæ, quamvis se non fuisse corruptas asseverarent.

RESP. Laudatum Tertulliani testimonium, quod a Doctoribus assumitur ad probandum adversus Sectarios auricularem confessionem, perperam adducitur ad publicam propugnandam. Duo igitur sunt, quæ a pœnitentia quosdam retrahit, delicti confessio, & executio pœnalis satisfactionis: Utrumque onus habet privata confessio; Et sanè plerique valdè erubescunt etiam soli Sacerdoti peccata detegere; si verò publica injungatur pœnitentia, certò certiùs magis verecundabuntur. Tertullianus itaque de secreta confessione sermonem habet, cui jussu Confessarii onus publicæ pœnitentiæ additum fuerat, quæ confusionem, & pudorem afferebat; ea propter verba omnia, quæ publicam denotant manifestationem, de publica pœnitentia, qua generalis quædam peccatorum confessio fiebat, sunt intelligenda. Cum autem subditur loqui Tertullianum de occultis peccatis, non inficiamur, si hoc rectè concipiatur. Occultus est morbus in secretioribus corporis partibus, occultè Medico aperitur, & occulto curatur medicamine, nihilominus pudor nonnullos a curatione retrahit; occultum crimen pari ratione aperire Sacerdoti quidam erubescebant: Quoniam verò dum secretò occulta peccata confitebantur, sæpè commiscebantur quædam scandalosa, ideò publica injungebatur mulcta, quæ etiam alios retrahebat, ideo Tertullianus duo assignat momenta plerosque a pœnitentia retrahentia, pudorem videlicet occultæ confessionis, qui aliquos, & pudorem publicæ Pœnitentiæ, qui alios deterrebat. Nec malum hoc nostra hac tempestate inauditum est, cum plures non confiteantur, quia aperire conscientiam suam vel uni Sacerdoti erubescunt, alii verò, quia ipsos tædet pœnitentiam subire.

Ex publicâ Pœnitentiâ erubescentia major.

Quod ex Sancto Cypriano additur dupliciter corruit. Primò peccatum illud indubiè scandalum afferre debuit; cum plures masculi cum illis Virginibus dormire consuevissent, quod alto tectum fuisse silentio inter multos credere non juvat; secundò Virgines illæ ad Episcopum delatæ fuerunt, adeoque non sunt ipsæ confessæ peccatum, sed consenserunt admittendo accusationes; Verùm de hoc non est Controversia, cum in dies id agatur, dum apud Prælatos accusati accusationibus consentiunt.

220 OB. VII. Origenes *Homil. 2. in Psal.* 37. agens de Confessione facta Sacerdoti apertè suadet usum fuisse publicam imponendi pœnitentiam, & peccatorum confessionem -- Si intellexerit, & præviderit „ talem esse languorem tuum, qui in con„ ventu totius Ecclesiæ exponi debeat, & „ curari; ex quo fortassis, & cæteri ædifi„ cari poterunt, & tu ipse sanari, multa „ hoc deliberatione, & satis periti Medici „ illius consilio procurandum est -- Idem habet Augustinus *Homil. postrema ex* 50. -- „ Si peccatum ejus non solùm in gravi ejus „ malo, sed etiam in tanto scandalo est alio„ rum, atque hoc expedire utilitati Ecclesiæ „ videtur Antistiti, in notitia multorum, „ vel etiam totius plebis, agere pœniten„ tiam non recuset, non resistat -- ergo.

RESP. Origenes nil aliud intendit, nisi quod & nos affirmamus, videlicet. Si Sacerdos ex secreta confessione intellexerit tale perpetrasse crimen, quod in conventu totius Ecclesiæ exponi deberet utpote cum aliorum scandalo commissum, tunc ut damnum per scandalum illatum repararetur, deputandi erant delinquentes publicæ Pœnitentiæ, per quam qui conscii erant delicti, emendationem adverterent, cæteri verò solummodo illos graviter deliquisse conjicere poterant, & aliàs ex humiliatione, quam in vindictam peccatorum assumebant, ædificabantur Fideles. Augustinus in eadem Homil. disciplinam indicat, qua utebantur Præsules circa eos quos vel per se ipsos, vel secretâ revelatione reos esse sciebant, scilicet secretò illos admonebant, nec publicè a Communione repellebant -- Nos verò a Communione quemquam prohibere non possumus, quamvis „ hæc prohibitio non sit mortalis, sed me„ dicinalis, nisi aut spontè confessum, aut „ in aliquo sive seculari, sive Ecclesiastico „ judicio nominatum, atque convictum -- Huic porrò suadet Augustinus, ut agere pœnitentiam non recuset. Si verò non fuerit convictus, & crimen, de quo vehemens præsumptio habebatur, confiteri noluisset, tunc *Omnipotentis Dei judicio, cui omnia occulta manifesta sunt, reservetur*, inquit Brocardus *lib. 6. cap.* 24. *ex Canone* 2. Turonensis Concilii.

Solùm confessi publicæ pœnitentiæ deputati.

Quoniam verò ex Augustino colligi videtur ad Antistites spectasse publicam injungere pœnitentiam, hoc sacramentali sigillo obesse videtur, quasi quod minores Sacerdotes, quæ secreta confessione noverant, ad majores, scilicet, ad Episcopos deferent, ut ipsi publicam mulctam imponerent; Verùm scrupulus evanescit, si attendamus

trudamas olim Episcopis soleune fuisse Sacramentum Pœnitentiæ Fidelibus ministrare, & Sacerdotes solummodo in absentia Præsulum; & aliàs inferiores Confessarii, ubi crimen publicæ pœnitentiæ erat reservatum, ad Antistites pœnitentes remittebant, ea proportione, qua nunc agimus in casibus Episcopo reservatis. Ceterum licet Augustinus dicat Antistites publicam injunxisse pœnitentiam, non tamen aliis Confessariis hoc denegat, Immo oppositum eruitur ex mox laudato Origene, qui dicit ipsum Medicum publicæ curæ languorem exponere, & apertè indicat plures fuisse hujusmodi Medicos, cum dicat non ad quemcumque, sed ad eum, qui mederi sciverit, accedendum esse.

Qui publicas pœnitentias injungere poterat.

CONTROVERSIA ULT.

§. I.

AN PRO PUBLICIS PECCATIS NUNC QUOQUE PUBLICÆ PŒNITENTIÆ SINT INJUNGENDÆ.

221 PRæsens instituitur Controversia sive ad denotandum posteriorum temporum disciplinam maximè consonare cum illa priorum Seculorum, sive ad evellendas minùs utiles Ecclesiæ bono quorundam opiniones, qui nimia suavitate, & misericordia ducti ad coercendos duriores sufficientia non apponunt remedia. Alii itaque ex toto publicas excludere conantur Pœnitentias, alii contendunt pro fornicationis crimine easdem non esse imponendas.

222 Dicendum tamen est pro publicis quibuscumque peccatis nunc quoque publicas Pœnitentias esse imponendas.

PROB. I. Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt; sed Paulus 1. ad Timoth. 5., dum Timotheum erudit, nos quoque docet publica peccata esse publicè emendanda. *Peccantes coram omnibus argue, ut ceteri timorem habeant*: Cumque loquatur indefinitè de quibuscumque publicè peccantibus, jam planè fit omnia peccata complecti: ergo pro quibuscumque publicis peccatis nunc quoque publica luctuosa pœnitentia est injungenda.

Publica peccata publicè emendanda.

223 PROB. II. Omnis Scriptura utilis est ad erudiendum; Atqui Scriptura nobis refert Paulum 1. ad Corinth. 5. scandalosum Corinthium publicæ demandasse pœnitentiæ: ergo pro scandalosis criminibus nunc quoque eadem servanda est disciplina.

Scriptura ad traditionem.

Argumentum hoc habetur ex Concilio Coloniensi -- Atque adeò ad Christi, & sui
„ Discipuli Pauli institutum, qui ad Corin-
„ thius exemplo ostendit, quomodo opor-
„ teat Ecclesiam in publicè peccantem
„ animadvertere, donec ipsi publicè peractâ
„ Pœnitentiâ satisfecerit --

224 PROB. III. Christus erudiens Ecclesiam usque ad consummationem seculi præcepit abscindere manum, vel pedem, vel oculum scandalizantem: ergo in Ecclesia Dei membra, quæ publicis criminibus scandalum præbent, sunt abscindenda, hoc est, publicis correptionibus, & mulctis emendanda.

Scandalosi publicè puniendi.

225 PROB. IV. Juxta mensuram delicti erit plagarum modus, idest pœna: ergo delicto publico publica injungenda pœnitentia, sicut occulta occulto. Hæc porrò ratio universalis est, nullumque crimen excipit.

Pœna correspondeat delicto.

226 PROB. V. Omnium Seculorum disciplina nunc quoque & jure, & meritò servanda est; Atqui pro publicis peccatis quovis tempore publica imposita fuit pœnitentia: ergo. Min. propositio inductione ostenditur. Publicas satisfactiones pro publicis criminibus septem prioribus Seculis fuisse impositas nemo unus est, qui dubitet, cum Canones conciliares id apertè evincant. Sequenti Seculo habemus Capitularia Caroli Magni in Conventu Episcoporum, Abbatum, & Comitum condita, ubi *lib. 5. cap. 52.* legere est -- Si occultè, & spontè confessus
„ fuerit, occultè fiat, etsi publicè, ac mani-
„ festè convictus, aut confessus fuerit, ma-
„ nifestè fiat, & publicè coram Ecclesia
„ juxta canonicos pœniteat gradus --

Quovis tempore viguit disciplina publicæ pœnitentiæ.

227 Seculo IX. Hincmarus Remensis Episcopus in suis Capitulis, quæ in suo Episcopatu servanda voluit, eandem tradit doctrinam præcipiens in casu contumaciæ confugere ad seculares Principes, ut cogerent delinquentes ad publicam subeundam mulctam; Eadem disciplina vigebat in Germania, ut fidem facit Concilium Moguntinum *Can.* 28. -- Episcopi incestuosos penitus in-
„ vestigare studeant, omninò decernimus.
„ Qui si pœnitere noluerint, de Ecclesia
„ expellantur. Quod si Sacerdotum admo-
„ nitionibus noluerint aures accommodare,
„ volentes in pristinis perdurare crimini-
„ bus, oportet eos per secularis potentiæ
„ disciplinam a tam prava consuetudine co-
„ erceri -- Burcardus in suis Collectionibus Seculo X. Seculo autem XI. Ivo Carnotensis, & XII. Gratianus in Decreto prædictis concinunt.

228 Pro sequentibus Seculis habemus Coloniense Concilium sub an. 1536. -- In
„ publicis verò criminibus quemadmodum
„ necesse est, ita jubemus ad Canones anti-
„ quos publicæ pœnitentiæ regredi -- Ex Concilium Augustense an. 1548. celebratum *Can.* 19. de blasphemantibus Deum, vel Deiparam, aut Sanctos statuit -- Ab Ecclesiæ
„ ingressu, & a Sacra Communione exclu-
„ dendi sunt, donec publicam egerint pœ-
„ nitentiam --

229 Tridentinum denique in rem nostram dilucidè loquitur *Sess.* 14. *cap.* 8. *de Reformatione* -- Apostolus monet publicè pec-
„ cantes palam esse corripiendos. Quando
„ igitur ab aliquo publicè, & in multorum
„ conspectu crimen commissum fuerit, unde
„ alios scandalo offensos, commotosque
„ fuisse non sit dubitandum, huic condi-
„ gnam pro modo culpæ pœnitentiam pu-
„ blicè injungi oportet, ut quos exemplo
„ suo ad malos mores provocavit, suæ
„ emendationis testimonio ad rectam revo-
„ cet vitam -- Sacra Synodus nullum peccatum excipit, atque perperam aliquod

ab hoc onere liberatur. Dum autem Tridentini Patres subdunt -- Episcopus hoc „ Pœnitentiæ genus in aliud secretum poterit „ commutare -- Apertè indicant Presbyteris inferioribus hujusmodi facultatem fuisse subtractam; quod satis declarat Mediolanense Concilium I. *Tit. de Pænit.* sub S. Carolo celebratum -- Iidem Confessores, quemad„ modum a Sancta Tridentina Synodo jus„ sum est, publicè peccantibus publicam „ pœnitentiam imponant: Neque illud pœ„ nitentiæ genus, nisi data ab Episcopo fa„ cultate secretâ aliâ pœnâ commutare va„ leant -- Notandum, quod licet simplex Confessarius possit publicam injungere pœnitentiam, consultiùs tamen videtur, si hoc fiat de consensu Episcopi, aut ejusdem Vicarii.

230 His pondus additur ex consensu omnium ferè Orbis regionum, quæ hoc Tridentini Decretum adoptaverunt. In Lusitania Concil. Bracarense 1566. congregatum *Act.* 2. *cap.* 11. habet -- Præfigi tamen terminos „ poterit in Decreto Visitationis, ut com„ pareant, qui ea inquisitione indigere pœ„ nitentiâ videbuntur, quo elapso, nisi com„ paruerint, evitentur -- In Belgio Concil. Mechliniense 1570. habitum *de Sacram. c.* 6. -- „ Meminerint Episcopi, ut in notoriis cri„ minibus pro temporum, & Personarum „ qualitate, publicam pœnitentiam in usum „ revocent -- Gallia pluribus Decretis Tridentinam sanctionem confirmavit, & meritò, cum postulantibus Galliarum Episcopis Oratores Caroli IX. Francorum Regis apud Tridentinam Synodum illius Decreti suasores fuere. Si igitur ea tot momentis evincitur communis Ecclesiarum praxis publicas infligendi pœnitentias pro publicis delictis, quis ab hac laudabili disciplina recedere audebit?

§. II.

ADVERSANTIA ARGUMENTA DISSOLVUNTUR.

231 OB. I. Lex gratiæ est lex amoris, & non nisi suavitatem spirans, dicente ipsomet Christo: *Jugum meum suave est, & onus meum leve*; Atqui disciplina de publica injungenda pœnitentia etsi de publicis criminibus rigorem sapit, atque durissimum onus importat: ergo.

Lex Christi non opponitur æquitati.

RESP. Argumentum criminatur Patres, & Concilia, quæ publicam satisfactionem quovis tempore pro evulgatis criminibus sanxerunt, atque injunxerunt. Lex igitur amoris, & suavitas jugi Christi haud opponuntur æquitati, quæ exposcit, ut qui alteri fuit in scandalum, sit eidem in ædificationem; ea propter jure meritò publicè sunt puniendi, qui publicè peccaverunt.

232 OB. II. Quod a communi Confessariorum praxi alienum est, singularitatem sapit; Sed in ministerio sacramentalis confessionis singularitas amandanda est: ergo cum a communi praxi sit alienus usus publicam infligendi pœnitentiam publicis peccatoribus, nequaquam est amplectendus.

Quod est singulare contra legem, rejiciendum.

RESP. Probandum esset desuetudinem, quam Adversarii afferunt, laudabilem esse, & non potius corruptelam. Ceterum illa singularitas, quæ pugnat adversus legem, utique amandanda, secus illa, quæ legem adimplet. Undè benè supralaudatum Mechliniense Concilium *de Sacram. cap.* 6. Episcopos alloquens habet -- Meminerint Epi„ scopi, ut in notoriis criminibus pro tem„ porum, & Personarum qualitate, publi„ cam pœnitentiam in usu revocent -- Si igitur alicubi disciplina infligendi publicas satisfactiones est vitiosè singularis, per adimpletionem Tridentini Decreti fiat laudabiliter communis.

233 OB. III. Quod est in destructionem, non in ædificationem amplecti non debet; sed usus publicæ Pœnitentiæ est hujusmodi; si enim nunc Principem virum viderent Fideles in pulla veste, lurida facie, sparsis crinibus ad Ecclesiæ fores prostratum, utique risum moveret; ne igitur Pœnitentes irrisionibus exponantur, illis publica satisfactio non est imponenda.

Publica pœnitentia est in ædificationi.

RESP. Argumentum sapientes non urget. Non enim Fabiola a S. Hieronymo laudata risum movit, cum tota Urbe spectante Romana in ordine Pœnitentium stetit, verùm, ut scribit laudatus Ecclesiæ Doctor, *Episcopo, Presbyteris, & omni Populo collacrymantibus* admirationi fuit. Non fuit irrisus Magnus Theodosius, cum ob Thessalonicam cædem a S. Ambrosio publicæ Pœnitentiæ fuit addictus, atque ab Ecclesiæ ingressu, nec non a Sacramentorum communione prohibitus. Hanc Principis pietatem tantùm abest, ut Orbis irriserit, quin potiùs historiis summa cum laude fuerit commendata. Ex quibus corruit, quod a quibusdam additur, videlicet, publicè Pœnitentes infamiâ notari, corruit, inquam, cum sive Fabiola, sive Theodosius summo in honore habiti fuere, tum maximè cum Ecclesiasticæ disciplinæ severitatem non refugerunt.

234 OB. IV. Juxta D. Augustini regulam in Epistola 118. ad Januarium traditam consuetudo -- Quæ utilis non est, per„ turbatione infructuosâ consequenter noxia „ est -- Atqui publicæ Pœnitentiæ praxis perturbat Fideles, eosque ad desperationem adigit: ergo.

RESP. Consuetudo, de qua loquitur Augustinus, ea est, quæ neque ad mores, neque ad fidem est utilis, ut contextus declarat, hancque perturbatione infructuosâ noxiam meritò nuncupat; cæterum consuetudo, de qua in præsenti, ad pravos mores coercendos, atque ad reparandum damnum per scandalum illatum apprimè deservit; Quare hæc retinenda est. Si qui verò ex ea conturbentur, non jam ipsi consuetudini, seu legi, quæ sanctissimè instituta fuit, sed vitio pravorum hominum, qui impunè peccare vellent, vertendum est. Lex ipsa a Deo sapienter ordinata est in multorum laqueum: ergone lex illa mala, aut abroganda? Nequaquam. Non enim lex in crimine est, sed mala hominum voluntas.

Lex bona etsi malum inde sequatur.

235 OB. V. Fornicationis crimen etsi scandalum fidelibus ingerat, attamen per

sub-

subsequens matrimonium reparatur ; Atqui publica pœnitentia injungi deberet, ut scandalum tolleretur : ergo huic crimini publica satisfactio imponi non debet. Hoc satis apertè colligitur ex *Can.* 14. Illiberitani Concilii, qui violatas Virgines absolvit a Pœnitentia, si nupserint — Si eosdem, qui eas „ violaverint, duxerint, & tenuerint, eo „ quod solas nuptias violaverint, post an„ num sine pœnitentia reconciliari debe„ bunt —

Fornicarii publicè puniendi. RESP. Subsequens matrimonium impedit quidem ne scandalum ulterius progrediatur, sed præteritum non reparat, propterea Fornicatores ab onere publicæ pœnitentiæ liberari non debent, nisi publicè satisfecerint. Et in hac sententia perpetui sunt antiquæ disciplinæ Canones. Nec Canon Illiberitanus adversantibus favet, siquidem Delinquentes omnimodè non absolvit, sed ex parte tantùm, scilicet, a Prostratione, & idem annum assignat consistentiæ contrapositivè ad sacras Virgines, quam etiam prostrationi subjicit.

A 236 OB. VI. Tridentinum Concilium ea crimina publicè punienda decernit, quæ scandalum gignunt ; Sed fornicarium crimen utpotè satis commune nullum gignit scandalum : ergo.

RESP. Argumentum evincit oppositum. Fornicatio, quia satis communis rigidiori pœna plecti debet.

237 OB. VII. Invaluit usus impertiendi absolutionem ante peractam pœnitentiam: ergo publica injungi non debet.

B RESP. Argumentum non concludere ; Etenim usus ille versatur circa occulta, & aliàs in sacramentali absolutione potest criminosus adstringi ad publicam subeundam pœnitentiam. Nec ullum emergit inconveniens, si a participatione Eucharistiæ arceantur, donec publicam pœnitentiam expleverint Delinquentes.

Absoluta hac prima Parte de Pœnitentiæ Sacramento illam Romanæ Ecclesiæ judicio subdimus non aliter, quam juxta ejusdem mentem sentiendo.

PARS ALTERA DE POENITENTIÆ SACRAMENTO.

DISPUTATIO PRIMA.

DE QUIDDITATE CHRISTIANÆ ATTRITIONIS.

Cum nequaquam compertum esse possit, num attritio sit sufficiens dispositio pro Pœnitentiæ Sacramento, nisi ejusdem essentia dignoscatur, operæ pretium erit in præsentiarum exquirere, quæ sit attritionis natura, quod affabrè eveniet rectam tradendo definitionem, per quam ad unum omnes intelligere poterunt, quo sensu loquamur, ne inde allucinatio circa præcipuum hujus tractatus scopum exoriatur.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ODIUM PECCATI SIT RATIO GENERICA ATTRITIONIS.

1 Solenne est in Scriptura spiritualia per corporalium similitudines explicare, sicut ex visibilibus invisibilia Dei aperire. Ab attritione itaque rerum materialium spiritualis attritio passim exponitur, & meritò quidam, nam Job 19. ab amicis dirè vexatus conquerebatur dicens: *Usquequò affligitis animam meam, & atteritis me sermonibus?* Ubi videa per attritionem animi affectus, motusque afflictivus declarari. Similiter Joelis 2. legitur: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* Quibus habes exemplum materialis attritionis in scissione vestimentorum aptè accommodatum ad exprimendam spiritualem attritionem in scissione cordis.

Attritionis denominatio.

2 Explicata nominis etymologia, per quam nonnullæ differentiæ accidentales attritionis fuit pro nostro instituto sufficienter expositæ, nunc accedimus ad scrutandum essentiale constitutivum practicum. Omne ens creatum constat genere, & differentia, & omnis bona definitio genere, & differentia constituitur. Qualis sit ratio generica Christianæ attritionis quærimus in hoc Articulo. Theologi omnes agnoscunt attritionem esse motum aliquem voluntatis in peccatum commissum ab intellectu, seu memoria repræsentatum, quem motum modò dolorem, modò displicentiam, modò odium, modò detestationem, modò fugam dicunt propter aliquod motivum. Actus isti videntur distincti; & aliqui sunt effectus ab aliis emanati, seu concomitanter se habentes; attamen substantialiter in casu accipiuntur pro eodem; & illis explicare intendimus conatum aliquem retractativum, & detestativum peccati commissi; & in hoc a nobis hic accipitur odium, dolor &c. ne in quæstionibus de nomine detineamur, & ne practicam doctrinam metaphysicis formalitatibus minùs intelligibilem, & utilem reddamus. Quare

Dicendum est. Odium, seu detestationem peccati esse rationem genericam attritionis: aliis verbis attritio est actus detestativus peccati ex aliquo motivo infra explicando.

Odium peccati est ratio generica attritionis.

PROB. I. Illa debet esse ratio generica attritionis, quæ per Scripturas analogica translatione indicatur, sed hæc est ratio causativa doloris, & afflictiva: ergo affectus contristativus, & detestativus est ratio generica attritionis. Declaratur min. Num. 22. v. 25. *Attrivit sedentis pedem.* Job 20. v. 10. *Filii ejus atterentur egestate.* Isaiæ 53. v. 5. *Attritus est propter scelera nostra.* His significantur actiones doloriferæ. Absque dolore non datur attritio pedis viventis: contristat attritio egestatis patientem. Christus in sua attritione languores, & dolores nostros ipse portavit. Igitur attritio moralis, quæ ex istis transfertur ad cor, & animam importare debet affectum contristativum, & hunc vocamus detestationem peccati, seu odium.

3 PROB. II. Attritio Christiana est actus pœnitentiæ Evangelicæ: sed pœnitentia Evangelica importat detestationem peccati commissi: ergo etiam attritio. Major explicatur. Lucæ 11. v. 32. habetur. *Viri Ninivitæ surgent in judicio cum generatione hac, & condemnabunt illam; quia pœnitentiam egerunt ad prædicationem Jonæ, & ecce plusquam Jonas hic.* Certum est, quod ab attritione incœpit pœnitentia Ninivitarum, timorem enim conceperunt de divina vindicta, quam eis unicè proposuit Jonas. Similiter Lucæ 3. Joannes Baptista prædicat pœnitentiam, & unicè motivum Divinæ Justitiæ punitivæ exhibet. Testimonium hoc sequenti Articulo pon-

Pœnitentia dicit peccati detestationem.

ponderabimus. Concilium Tridentinum sob membrò attritionis *Seff.* 14. *c.* 4. habet -- „ Hoc enim timora nailiter concussi Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam terruribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt -- quibus declarat ad pœnitentiam pertinere attritionem. Ad rem banc S. Thomas dicit 3. *p. q.* 85. *art.* 5. in argumento, sed contrà. *Isaia* 26. dicitur — Sicut, quæ concepit cùm „ appropinquaverit ad partum dolens clamat in dulutibus suis, sic facti sumus, scilicet, per pœnitentiam, & posteà subditur secundùm aliam literam a timore tuo Domine concepimus, & quasi parturivimos, & peperimos spiritum salutis, ideft pœnitentiæ salutaris -- Ad 3 babet -- Ipse etiam motus timoris procedit etiam ex actu Dei convertentis cor, undè dicitur *Deuter.* 5. -- Quis det eos talem habere mentem, ut timeant me? Et ideò per boc, quod pœnitentia a timore procedat, non escluditur, quin procedat ex actu Dei convertentis cor -- His declarat D. Thomas attritionem esse motum pœnitentiæ, & insuper esse motum doloris, quod ad primom iterum confirmat dicens -- „ Quod peccatum primò incipit homini displicere, maximè peccatori propter supplicia, quæ respicit timor servilis -- Minor est communis Doctorum. 1. Corinth. cap. 7. *Gaudeo, quòd contristati estis ad pœnitentiam*. Motum igitur dolorisferum pœnitentia includit. Ad illud *Matth. cap.* 3. pœnitentiam agite, dicit Glossa Ordinaria -- Prima virtus est per Pœnitentiam punire veterem hominem, & vitia odisse -- Apud Augustinum Auctor *de vera, & falsa pœnit.* babet -- Pœnitentia est „ quædam dolentis vindicta puniens in se, quod dulet commisisse -- Et de Ecclesiasticis dogmatibus ait Augustinus -- Vera pœnitentia est, pœnitenda non admittere, & admissa deflere — Ambrosius *Serm. Quadr.* soper illud: *Ecce nunc tempus acceptabile* habet — Pœnitentia est amaritudo Animæ, & dolor cordis pro malis, quæ quisque commisit --

4 PROB. III. Attritio importat actualem separationem ab effectu peccati commissi: sed hæc separatio fit primariò, & per se per motum detestationis: ergo attritio est motus detestativus. Major habetur Joelis 2. ubi dicitur: *Scindite corda vestra*. Scissio verò importat separationem. Ezechielis 18. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis*. Projectio a nobis sine separatione nequit fieri. Minor autem est nota ex terminis. Separatio affectiva a peccato commisso aliter non perficitur, quàm per retractationem illius, quod idem est, ac detestatio. Clamores illi Sanctorum. *Laboravi in gemitu meo; lavabo per singulas noctes lectum meum*, Psal. 6. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ*, Isaia 38. Motus odii sunt affirmante Concil. Trid. *Seff.* 14. *c.* 4. illis -- Facilè intelliget eos ex „ vehementi quodam anteactæ vitæ odio, & „ ingenti peccatorum detestatione manasse -- Illas autem Scripturas applicat doluri de peccatis, prout est communis attritioni, & contritioni, ut clarum est, & statim expendam, ac proindè odium, seu detestatio est ratio generica.

5 PROB. IV. Doctrina Ecclesiæ per Concilium Tridentinum nobis explicata veritatem continet: sed ista sub ratione odii reponit attritionem: ergo ipsius ratio generica est motus odii detestativus. Accipe *Can.* 8. *Seff.* 6. -- Si quis dixerit gehennæ „ metum, per quem ad misericordiam Dei „ de peccatis dolendo confugimus, vel a „ peccato abstinemus, peccatum esse, aut „ peccatores pejores facere, anathema sit -- Hic non agitur de dolore peccatorum per contritionem, seu Dei amorem: igitur de attritione, quæ est membrum contradistinctum. *Seff.* 14. *cap.* 4. habet -- Contritio, „ quæ primum locum inter dictos pœnitentiæ actus babet; animi dolor, ac detestatio est de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero -- Hic apertè dicit contritionem esse detestationem: sed clarissimè loquitur de contritione, prout est communis perfectæ, & imperfectæ, quæ attritio dicitur; siquidem postquam ejus naturam Scripturis demonstravit, illam dividit in perfectam, & imperfectam; sicut quando descripta natura animalis dividitur in rationale, & irrationale. Igitur attritio est actus detestativus peccati commissi. De contritione loqui, prout est communis perfectæ, & imperfectæ, constat etiam ex Scripturis, quibus utitur, quarum aliquæ respiciunt motivum altum, & superius divinæ bonitatis; aliæ respiciunt metum, supplicia, & inferiora motiva. Totum mirabiliter confirmat Canon V. definitivus, qui innegabiliter correspondet *par.* 2. *cap.* 4. *cit.*, in qua agit expressè de attritione, verba Canonis sunt -- „ Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per collectionem, discussionem, & „ detestationem peccatorum, qua quis recogitat annos suos in amaritudine animæ „ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ „ damnationis incursum, cum proposito melioris vitæ non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed „ facere hominem hypocritam, & magis „ peccatorem, demùm illum esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, „ anathema sit -- Ad rem est iste Canon, in quo sunt nonnulla notabilia, Primum, attritionem, contritionem vocari, Secundum, esse diversam ab altera contritione indicat hoc modus illa loquendi: *Eam contritionem, quæ paratur &c.*, quia est alia, quæ paratur ex aliis motivis diversis, Tertium, vocari detestationem peccati, Quartum usurpare Concilium verba unius Scripturæ, quàm adducit in principio *cap.* 4. antequam dividat contritionem in perfectam, & imperfectam, suadens hac reassumptione ibi loqui de contritione, prout est communis utrique, Quintum, vocare motum liberum, & voluntarium. Ex quibus habemus non rectè excludi attritionem a partibus sufficientibus pro Sacramento Pœnitentiæ, eo quòd Concilium *in cap.* 3., *& Can.* 4. assignet inter actus pœnitentis, & partes Sacramenti contritionem,

Concil. Trid. vocat attritionem motũ liberum, & voluntarium.

trititionem, quia illam accipit genericè. Habemus pariter non rectè negari a quibusdam attritioni rationem dispositionis proximæ, eo quòd sit motus ex metu, & quæ fiunt ex metu involontaria sint; Definitivè enim concludit Concilium esse actum liberum, & voluntarium. Florentinum etiam Concilium indefinitè accipit contritionem, & genericè, cùm in instructione Paragrapho de Sacramento Pœnitentiæ enumerat ejus partes ex parte Pœnitentis dicens — Quarum prima est cor„ dis contritio, ad quam pertinet, ut doleat „ de peccato commisso cum proposito non „ peccandi de cætero — Ex professo nullum motivum, pro quo sit dolendum, exprimit, quia de contritione generica loquitur, & sufficienter insinuat perfectam, & imperfectam sufficere in Sacramento Pœnitentiæ, de quo suo loco.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

6 ADverto meum non esse loqui de attritione, ejusque actibus metaphysicè spectatis, sed practicè, & moraliter, aliàs deberem plurimas instituere quæstiones circà varios actus, qui solent concurrere, & solent assignari a Doctoribus diversimodè explicantibus eorum specificam distinctionem, ordinem prioritatis, & posterioritatis, excellentiam unius ad alium, & alia similia, quæ metaphysicam considerationem tangunt, plurimaque cogerer subnectere argumenta speculationi deservientia, sed utilitati practicæ minùs obvia: Subnectam igitur aliqua magis plana, & fini a nobis præfixo magis accommodata.

OB. I. Attritio Christiana debet dicere in se rationem pœnæ, vel illam inferre, cùm tendat ad vindictam faciendam de crimine commisso: sed detestatio non est apta ad hoc: ergo in illa non consistit ratio generica attritionis. Explico argumentum. Detestatio est actus enunciativus inhonestatis, quæ est in aliquo objecto, vel exercitio aliquo, ùt cum dicimus, hoc convicium non est laudabile; quia derogat reverentiæ debitæ Patri. Uno verbo, quandò reprobamus aliquod tanquam malum ex motivo aliquo: patet autem, quod hoc non causat pœnam, nec est pœna, nec ad pœnitentiam pertinet.

Duplex est detestatio, seù reprobatio. Una partis intellectivæ, altera partis appetitivæ. Prima est per modum judicii dictantis hoc, vel illud esse malum, & fugiendum propter hanc, vel illam rationem, secunda est per modum abominationis, & retractationis, & displicentiæ. Prima præsupponitur ad secundam. Proponit potentia intellectiva per suum dictamen blasphemiam non esse committendam, quia malum; & voluntas ab ea fugit, & abhorret. Proponit blasphemiam commissam esse malam, quia trahit hominem ad inferos, & homo displicet sibi eam commisisse, retractatque, ne in æternum cruciatus sustineat. Quandò igitur cum Doctoribus dicimus attritionem Christianam esse detestationem loquimur de secunda, non autem de prima, quæ tamen est præsupponenda, estque necessaria ad directionem voluntatis, quæ in incognitum non fertur.

7 OB. II. Actus proprius charitatis nequit esse ratio generica attritionis: Sed odium peccati est actus charitatis: ergo non pertinet ad attritionem. Assumptum ostenditur, ex illo Psal. 118. *Propterea ad omnia mandata tua dirigebar, omnem viam iniquam odio habui.* Hoc est, ex dilectione mandatorum Dei oritur odium peccatorum commissorum, & committendorum.

Odium peccati non solùm a Charitate oriri potest, sed ab aliis virtutibus, ùt a pœnitentia, a justitia. Pœnitentia nitens in destructionem peccati commissi imperat odium. Justitia vindicativa, tendens ad reparandam integritatem boni communis læsi per fractionem legum, imperat pœnam, & odium ordinatum ad pœnam. Charitas amans bonum Dei fugit, & avertitur a peccato, quòd bono divino contrariatur. Quarè cùm attritio ad pœnitentiam pertineat, optimè potest esse odium, & detestatio peccati: cùmque etiam contritio propriè dicta ùt actus pœnitentiæ sit odium peccati, oportet illud esse velut ratio generica. Comprehendit hoc totum Concil. Trid. *Sess. 6. c. 6.* agens de dispositione ad justificationem illis — Ac prop„ tereà moventur adversùs peccata per odium „ aliquod, & detestationem, hoc est, per eam „ pœnitentiam, quàm ante Baptismum agi „ oportet — Dicit indefinitè odium aliquod, non hujus qualitatis, vel illius; qua locutione complectitur dolor communis attritioni, & contritioni.

Odiū peccati non a Charitate solum, sed ab aliis etiam virtutibus oriri potest.

8 OB. III. Actus disponens ad gratiam debet esse efficax: sed odium, in quo genericam attritionis rationem statuimus, non est efficax, ergo cum attritio disponat ad gratiam, nequit esse actus odii. Assumptum declaratur. Objectum illius odii est impossibile, videlicet, non esse peccati: de objecto impossibili non est possibile odium efficax; si autem ponatur inefficax, non erit actus virtuosus; sed displicebit Deo juxta illud Proverb. 13. *Vult, & non vult piger*; idest inefficaciter vult.

Quidam ex inefficacia actus attritionis eam a dispositione sufficienti pro Sacramento repellunt. Si tamen nihil aliud addatur, nimis concluditur, siquidem neque perfectissima contritio efficax esse posset, cùm non esse peccati commissi sit omninò impossibile. Igitur odium, quòd statuimus genericam rationem attritionis Christianæ, est absolutè efficax. Duplicis generis est efficacia. Affectionis, & effectionis. Affectionis est, quandò aliquis sincerè vult aliquam rem, & quantùm est de se facit, quod potest, ut illam habeat, & utitur mediis, quæ habet in sua potestate, sed in actu non consequitur illam, quia non habet in manu sua media necessaria pro reali executione. Infirmus lecto decumbens prospiciens domum comburi, efficacissimè non vult illam flammarum inundationem, & ideò facit, quantùm potest, ut incendium impediat: verùm voluntas effectum non sortitur, quia nequit exequi media necessaria. Effectionis efficacia est, quandò præter absolutum, & sincerum volendi actum, in re usurpantur media, quæ reapse ad finem perducunt: ùt cùm filius videns Patrem a militibus verberari, in re a manibus illorum libe-

liberat. Attritio Christiana habet absolutè efficaciam affectionis, quia ea corde nititur in destructionem peccati commissi; & vellet non fuisse, etsi committendum esset, non committeret; non fiunt quidem semper hujusmodi reflexiones explicitæ, sed implicantur in ipso actu detestationis, & displicentiæ. Dicunt Theologi, quòd peccatum lethale affectivè tollit a Deo rationem ultimi finis, quia peccator præferens bonum commutabile ipsi Deo, quantum est de se constituit rationem ultimi finis in re creata, cùm soli Deo conveniat. Sic odium peccati affectivè ponit non fuisse commissum, quia homo media detestatione ab illo recedit, & recedendo vellet non fuisse, & per consequens facit, quod in se est, ut non fuerit; apud Deum autem voluntas pro facto est. Nec solùm affectivè, sed etiam affectivè est efficax odium Christianæ attritionis, quia reverà disponit ad tollendam peccati commissi perseverantiam, & reverà tollit si accedant aliæ conditiones, quas Ecclesia requirit; parùm autem refert an ex natura rei hanc dispositionem habeat; an ex ordinatione Dei; sicut non est necesse, ut qui atteritur ad hanc ordinationem expresse reflectat, sed sufficit, quod sincerè, & in veritate peccatum commissum detestetur.

Odium attritionis est efficax.

9 OB. IV. Odium in attritione inclusum, est sensitivi appetitus: sed hoc non convenit cum odio, quod est in contritione, cum hæc sit actus voluntatis, & actus proprius pœnitentiæ virtutis, quæ non in passionibus, sed in actibus suam perfectionem sortitur: ergo non ab odio ratio generica attritionis est repetenda. Major ostenditur. Attritio est fuga a peccato ob timorem pœnarum, quæ naturæ disconveniunt; hæc autem fuga nihil est aliud, nisi quædam passio sensitivi appetitus. Odium est motus aversionis quo appetitus afficitur cum aliquid sibi dissonum repræsentatur, ex quo, juxta diversam apprehensionis qualitatem, dolor, timor, atque tristitia oriuntur; quarè attritio aliud non est, nisi commotio illa, qua sensitivus appetitus afficitur ex apprehensione æterni supplicii a Deo statuti in vindictam peccati; ideoque per physicam attritionem explicatur, quæ est divisio in partes sensibiles, ut intelligamus moralem esse passionem sensitivi appetitus. Secus de contritione dicendum est. Sicuti enim physica contritio est divisio in minutissimas partes, ita moralis subtiliorem, atque interiorem volitivi, scilicet, ac rationalis appetitus, detestationem importat.

Scio quosdam, ut attenuent virtutem dispositivam ad justificationem in attritione, dixisse eam esse simplicem motum passionis sensitivæ, sed frustrà. Attritio Christiana est verus actus elicitus a voluntate, liberè detestante peccatum commissum sibi propositum ab intellectu tanquam malum: & currit semper eadem proportio cum contritione; quæ ut docet S. Thomas pluriès de contritione 3. *p. in suppl.*, duplex est per modum passionis, & per modum actus rationalis. Attritio, & contritio nobis exponuntur in Scripturis sub termino compunctionis. Ps. 4. v. 5. *Quæ dicitis in cordibus vestris in cubilibus vestris compungimini*, & Job 27. *Compunctum corde mortificare*. Porrò Scripturæ agnoscunt compunctionem, quæ non est passio afflictiva, sed actus elicitus in corde residens, ac proinde tàm attritio, quàm contritio Christiana important actum verum, & proprium; & pro actu accipitur utraque semper, quandò loquimur de attritione, & contritione, ut Christiana. Isaiæ 13. explicatur per modum actus attritio v. 6 *Ululate, quia propè est dies Domini*, & v. 8. per modum passionis. Hierem. 4. 8. Attritio per modum actus, seu activa describitur, *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, & ululate, quia non est aversa ira furoris Domini a nobis?* Per modum passionis describitur infrà. Pulcher locus habetur pro activa, & passiva attritione, seu pro actione, & passione Micheæ 4. v. 9. ubi. *Nunc quare mærore contraheris? numquid Rex non est tibi, aut consiliarius tuus periit, quia comprehendit te dolor sicut parturientem? Dole, & satage filia Sion quasi parturiens.*

Attritio non est simplex motus passionis sensitivæ.

10 OB. V. Attritio commendata in Scripturis ut species pœnitentiæ est dolor sensibilis: sed iste non est constitutivus contritionis; quia scriptum est, *Cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*: ergo dolor detestativus attritionis proprius non convenit genericè cum contritione. Major ostenditur pluribus Scripturis Joelis 1. v. 13. *Accingite vos, & plangite Sacerdotes &c.* v. 15. *A a a, diei, quia propè est dies Domini, & quasi vastitas a potente veniet*. Micheæ 1. descriptis malis imminentibus a Domino v. 8. habet. *Super hoc plangam, & ululabo: vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum velut draconum, & luctum, quasi struthionum*. Hieremiæ 6. 26. *Filia populi mei accingere cilicio, & conspergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vastator super nos*. Et alibi frequenter; quibus alludit Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 5. explicans attritionem per clamores Sanctorum.

Hæc objectio gravem tangit difficultatem, quæ tamen est communis contritioni, videlicet, an detestatio peccatorum debeat causare, & tristitiam, & dolorem sensitivum. Dolor ex Augustino *lib.* 14. *de Civit. Dei cap.* 15. est passio animæ mediante carne, tristitia autem est passio animæ immediata. „Sed dolor carnis tantummodo offensio „ est animæ ex carne, & quædam ab ejus „ passione dissensio: sicut animæ dolor, quæ „ tristitia nuncupatur, dissensio est ab his „ rebus, quæ nobis nolentibus acciderunt. Idem explicat D. Thomas aliis verbis. Dolor sensitivus est illa animæ afflictio, quæ oritur ex apprehensione per sensus, seu exteriori mali nobis disconvenientis; tristitia verò est afflictio animæ orta ex sola apprehensione interiori mali disconvenientis. Uterque dolor quandoque exundat in exteriores actus, producendo gemitus, fletum, lacrymas, lamenta, suspiria, & similia. Petit ergo objectio in attritione dolorem hujusmodi sensibiliter affligentem; nonnullique delicatiores, seu veriùs timidiores exigunt in pœnitentibus hos actos in Scripturis descriptos pro veritate sufficientis dispositionis ad justificationem sacramentalem. Sed reverà non est ullo modo necessarius dolor sensibilis causans prædictos effectus externos. Etenim Scriptura

Dolor attritionis non debet esse necessariò sensibilis.

ad

ad pœnitentiam adhortans docet scindendum esse cor, non vestimenta, Joelis 2. *Scindite corda vestra, non vestimenta vestra*, quibus intendit, declarare interuam pœnitentiam esse necessariam, non autem externam sensibilem: Malitia peccati consistit in actu interiori, & stare potest sine ullo exteriori effectu concomitante: ergo pariter bonitas attritionis, & contritionis stat sine ullo dolore sensibili exteriori in sola detestatione sincera interiori peccati commissi. Et sanè ille dolor est necessarius, qui est proportionatus motivo causativo illius: sed motivum causativum doloris salutaris pœnitentiæ est omninò spirituale: ergo dolor necessarius est solus spiritualis. Dolor sensibilis oritur ex apprehensione mali disconvenientis per sensum: sed malum peccato per se correspondens non cadit sub apprehensione per sensus, cùm sit omninò supernaturale: ergo dolor sensibilis non est de necessitate attritionis. Fatemur tamen dolorem sensibilem lacrymosum &c. cùm Catech. *de Contrit.* §§. 29. esse laudabilem, optandum, & commendandum &c. solùm contendimus non esse necessariam, nam dolor necessarius debet esse contrarius peccato, dolor sensibilis non est contrarius peccato, quod consistit in privatione rectitudinis debitæ actui, cujus rectitudinis per se sensus nullatenus est capax; & aliundè peccatum, & dolor sensibilis non sunt sub eodem genere, nec mutuò se expellunt: igitur ille non est necessarius. II. Dolor necessarius debet conducere ad justificationem: sed dolor sensitivus non disponit ad gratiam cùm sit naturalis, & dispositio debet esse ejusdem ordinis cum forma, nec est in eodem subjecto, in quo est gratia. III. Ideò dolor sensitivus est necessarius, quia recitatæ Scripturæ, & aliæ plures hoc indicant: sed hoc nihil est, nam vel sunt necessarii omnes, & singuli illi actus externi recensiti, vel aliqui tantùm, non hoc secundum, quia non est major ratio de uno, quàm de alio, cùm æquè unus, ac alter recenseatur a Scriptura, non primum, quia non possunt omnes illi actus exerceri, nec collectivè, nec divisivè ab omnibus, nec est conveniens: enumerantur in Scriptura cilicium, aspersio pulveris, jejunium, planctus, lacrymæ, & similes actus, qui non sunt in potestate omnium, cùm tamen pœnitentia sit omnibus necessaria: deindè si ideò necessarii sunt isti actus, quià eos Scriptura recenset præcipiendo pœnitentiam, erit etiam necessarius modus sub quo indicantur, Scriptura namque est summæ auctoritatis, tum circà substantiam, tum circà modum: si autem modus etiam tenendus est, valdè disconveniens est pœnitendi regula gravitati sanctitatis legis gratiæ: Scriptura non solùm fletum, sed planctum, sed lamentum, sed ululationem, sed profusionem lacrymarum nominat; quis autem non videt in his absurditatem? Quid erunt cœtus Pœnitentium, quid Ecclesiæ confitentium? Confusiones, & Synagogæ Hebræorum.

Prædicta evincit Catechismus Romanus infrà duobus §. 29. dictæ partis de Contritione, qui §. 25. habet -- Quod autem contritio dolore definita est, monendi sunt
„ Fideles, ne arbitrentur eum dolorem cor-
„ poris sensu percipi, contritio enim est vo-
„ luntatis actus, & S. Aug. testatur do-
„ lorem pœnitentiæ comitem esse, non pœ-
„ nitentiam, *lib. 50. Homil.* 50. *cap.* 1. --
Prosequitur declarare, cur dolor appelletur, quia sic, videlicet, appellant Scripturæ: tum quia solet a contritione dolor imperari.

II DICES. Pœnitentia, & attritio debent correspondere peccato; sed peccatum non habet solam malitiam interiorem, sed etiam affert delectationem sensitivam: ergo pariter attritio, & pœnitentia detestativa debent esse afflictiva sensitivo dolore.

RESP. Non in omnibus peccatis dari delectationem sensibilem, sunt enim plura peccata purè spiritualia; ut infidelitas, desperatio, odium Dei, invidiæ, livores &c. 2. Illa delectatio sensitiva materialiter accepta non est peccatum; quidquid autem in ea est de formali malitia compensatur per interiorem retractationem. 3. Pro expianda illa delectatione ordinatur confusio, & humiliatio sacramentalis Confessionis, & satisfactionis, quæ imponuntur. 4. Semper in exercitio interioris contritionis miscetur aliqua corporis mortificatio, dùm enim applicatur interior affectus, comprimitur aliqualiter libertas exterioris hominis. 5. Detestatio interior efficax imperat connaturaliter loquendo exercitia pœnalia, & ad minùs acceptat voluntariè illa, quæ ab Ecclesia præscribuntur, cùm habeat secum propositum adimplendi legem Dei. Ex quibus etiam capitibus satisfit alteri instantiæ, quæ solet fieri, quòd pœnitentia debet semper comitem habere pœnam, quia tendit ad vindictam peccati.

In Scripturis allatis in argumento, duo sunt unum de præcepto, aliud de consilio. De præcepto est fletus interior, quem designant illæ locutiones: nos sensibiles per signa sensibilia manoducit Deus ad insensibilia, illisque exponitur magnitudo doloris interioris, quem debemus habere. De consilio autem sunt illæ pœnalitates externæ, & afflictiones sensitivæ, & doloriferæ. Hic est sensus Ecclesiæ, quæ in nullo Concilio exigit de necessitate attritionis, aut contritionis gemitus, fletus, lacrymas, & practicè absolvit a peccatis corde pœnitentes, quamvis careant sensitivo dolore. Audiamus Catechismum Romanum §. 29. p. 2. *de Contritione*, ubi -- Quamquàm si id minùs consequi no-
„ bis liceat, ut perfecta sit, vera tamen,
„ & efficax contritio esse potest: sæpè enim
„ usu venit, ut quæ sensibus subjecta sunt,
„ magis quam spiritualia nos afficiant.
„ Quarè nonnulli interdùm majorem ex fi-
„ liorum obitu, quàm ex peccati turpitudi-
„ ne, doloris sensum capiant. Idem etiam
„ judicium faciendum est, si lacrymæ dolo-
„ ris acerbitatem non consequantur: quæ
„ tamen in pœnitentia summopere optandæ,
„ & commendandæ sunt: præclara est enim
„ ea de re S. Augustini sententia: non sunt,
„ inquit, in te Christianæ pietatis viscera,
„ si luges corpus, a quo recessit Deus; ani-
„ mam verò, a qua recessit Deus, non lu-
„ ges. *Ser.* 41. *de Sanctis* -- Quamvis tamen dolor sensitivus laudabilis sit, nihilominùs potest esse nimiùs, non quidem attenta gra-

vitate

vitate culpæ, sed attenta debilitate subjecti, quapropter temperandæ sunt lacrymæ, cæteræque afflictiones corporales ad regulas prudentiæ, pro qua re facit auctoritas Concilii Parisiensis *lib. 1. cap.* 46. ubi — Illis est „ confessio peccatorum facienda, a quibus „ subinde, & modus pœnitentiæ, & con„ silium salutis capiatur; pœnitentia porrò „ non in multitudine annorum, sed potiùs „ in contritione cordis, & corporis est æsti„ manda — Non ergo ad libitum, sed ad traditam discretionem in Scripturis, & Canonibus sunt eligendæ corporales afflictiones; præter enim periculum amittendæ salutis, indiscreta mortificatione, solet esse inanis gloriæ periculum.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN RATIO SPECIFICE' CONSTITUTIVA ATTRITIONIS SIT GEHENNÆ METUS, TURPITUDO PECCATI, ET BEATITUDINIS ÆTERNÆ AMISSIO.

SEcundùm Theologorum doctrinam, species habituum distinguuntur secundùm species actuum; actus autem secundùm objecta formalia. Quandò autem circà objectum idem materiale versantur plures actus, objecta formalia attenduntur penès motivum. Ne divagemur. Dolor de peccatis commissis est actus charitatis, si sit sola displicentia mali præteriti, sicut est actus charitatis gaudere de bono præterito: Est actus pœnitentiæ, ùt est specialis virtus, si tendat in destructionem peccati: est actus justitiæ, si tendat ad compensandam injuriam alteri illatam, ùt optimè declarat D. Thomas 3. *p. q.* 85. *art.* 2. *&* 3. Similiter, si audio sacrum ex cultu Dei, est actus Religionis; si ùt satisfaciam pro peccatis est actus pœnitentiæ. Quarè non possumus solidiùs investigare rationem specificè constitutivam attritionis, quàm detegendo formale motivum sub quo detestatur peccatum, in illiusque destructionem tendit. Quamvis tria capita articulus comprehendat, nihilominùs specialiter investigamus primum caput, quoad gehennæ metum, quia hoc se habet tanquam famosiùs, & de eo est principalis Controversia; de aliis autem duobus infrà dicemus.

12 Dicendum est metum gehennæ pertinere ad specificum constitutivum attritionis; & per illum constitui in differentia essentiali a contritione. Hanc conclusionem puto certissimam, si doctrina Ecclesiæ introspiciatur. Quam sic primò declaro. Quoties aliqua ratio superior dividitur in duo membra, constitutivum uniuscujusque membri illud est, quod unicuique assignatur, ùt distinguatur ab alio, a legitimo dividente: sed Ecclesia peccati detestationem dividens in contritionem propriè dictam, & attritionem huic alia inter motiva assignat metum gehennæ, illi motivum charitatis: ergo hæc sunt essentialia constitutiva, & essentialem, & specificam differentiam facientia. Nemo inficiabitur gehennæ metum, & charitatem esse motiva distincta, & specie distinguere

Metus gehennæ attritionē a contritione specificè distinguit.

attritionem a contritione; sicut distinguunt timorem, & amorem in duas species essentialiter diversas. Min. clarè satis habetur ex Concil. Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. illis — Docet „ præterea, etsi contritionem hanc aliquan„ dò charitate perfectam esse contingat, ho„ minemque Deo reconciliare priusquam „ hoc Sacramentum actu suscipiatur, ipsam „ nihilominùs reconciliationem ipsi contri„ tioni sine Sacramenti voto, quod in illa „ includitur, non esse adscribendam. Illam „ verò contritionem imperfectam, quæ at„ tritio dicitur, quoniam, vel ex turpitu„ dinis peccati consideratione, vel ex gehen„ næ, & pœnarum metu concipitur, si vo„ luntatem peccati excludat, cùm spe veniæ „ declarat non solùm non facere hominem „ hypocritam, & magis peccatorem, verùm „ etiam donum Dei esse — Hic apertè dividit rationem genericam in duas species, rationem unam superiorem in duo membra. Sic indicat illa locutio *illam verò*, quæ est contrapositivè ad aliam contritionem. Hic primæ contritioni assignat pro motivo charitatem; id enim significat illa dictio, *Charitate perfectam*; unaquæque enim res perficitur per suum constitutivum: verbum illud, *perfectam*, stat pro constitui, vulgariter enim rem suâ essentiâ constitutam, dicimus perfectam. Hic secundæ assignat pro motivo turpitudinem peccati, & pœnarum metum. Motivum manifestè continet illa particula, *ex*, sicut planum est ex Theologia explicante actuum distinctionem ex motivis, & objectis formalibus. Metus pœnarum dicitur hìc contrapositivè ad charitatem assignatam alteri parti, quia non exigitur tanquam necessaria ulterior ratio aliqua amoris; & si necessaria esset, indubiè mentionem fecisset, & facere debuisset Concilium: tam quia in præambulo ad hanc sessionem fatetur, & ad universorum errorum destructionem, & ad publicam utilitatem *exactiorem, & pleniorem definitionem tradidisse*. Equidem non tradidisset exactiorem, & pleniorem definitionem, si omisisset rationem aliquam necessariam in attritione requisitam pro illis effectibus, quos ei tribuit: tum quia ibidem exactè enumerat cæteras formalitates requisitas, ùt peccandi voluntatem exclusam, spem veniæ &c. exactissimè explicat ipsius principium, videlicet, Spiritum Sanctum, non quidem inhabitantem, sed moventem: Suis clarissimis distinctionibus exponit vim, quam habet in ordine ad justificationem. Profectò discussio tàm exacta suadet omninò nihil fuisse omissum, quod esset necessarium: tum quia fidem præstante historia apud Pallavicinum *lib.* 12. *cap.* 10. Diligentissimè pertractata est hæc materia, & potissimè quoad hoc, an in attritione aliqualis amoris motus requireretur; imò cum esset formatum decretum, in quo erant hæc verba — Cùm sine aliquo dilectionis in Deum „ motu esse vix queat, viam sibi ad justitiam „ munit — Reformatum est Decretum, prout jacet, illa parenthesi omissa, quibus manifestam fit non exigi amorem tanquam necessariam, motivumque gehennæ sufficere.

Concil. Trid. non exigit in attritione motū amoris.

13 Declaro 2. Definitio canonica Ecclesiæ adversùs aliquem errorem est ad contrarium sensum, sub quo error circumfertur;

reprobat hæc, quod ille probat; Sed canonicè Concil. Trid. definit descriptionem attritionis a Luthero reprobatam esse honestam; in ea autem pro motivo adstruitur metus gehennalis: ergo ex hoc habetur essentialis differentia: suam vim exeret argumentum producendo textum Concilii, & verba Lutheri. Iste *Ser. n. de Pœnit.* ait -- „ Contritio, sic enim capit vocari pœnitentia interior, duplici via paratur. Primò per discussioné, collectionem, detestationem peccatorum, quia quis, ut dicunt, recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum gravitatem, damnum, fœditatem, multitudinem, deindè amissionem æternæ beatitudinis, ac æternæ damnationis acquisitionem, & alia, quæ possunt tristitiam, & dolorem excitare, spe satisfaciendi per bona opera. Hæc autem contritio facit hypocritam, imò magis peccatorem, quia solùm timore præcepti, & dolore damni id facit, & tales omnes indignè absolvuntur, & communicantur. Etsi liberè deberent (remoto præcepto, & minis pœnarum) confiteri, certè deberent dicere, certè dicerent, sibi non displicere eam vitam præteritam, quam sic coguntur displicere, confiteri: imò quo magis timore pœnæ, & dolore damni sic conteruntur, eò magis peccant, & afficiuntur suis peccatis, quæ coguntur, non autem volunt odisse. Et hæc est illa contritio, quam ipsi vocant extrà charitatem non meritoriam; alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem, sic enim ipsi opinantur, quam opinionem errorem ego judico. Secundò paratur per intuitum, & contemplationem speciosissimæ justitiæ, qua quis in pulcritudine, & specie justitiæ meditatus in eam ardescit, & rapitur, incipitque cum Salomone fieri amator sapientiæ, cujus pulcritudinem viderat, & facit verè pœnitentem, quia amore justitiæ id facit; & hi sunt digni absolutione -- Hæc Lutherus. In his notanda sunt sequentia -- Primò, dicit attritionem parari solùm timore præcepti, & dolore damni. 2. Hanc facere hominem hypocritam, & magis peccatorem. 3. Hac indignè absolvi Fideles. 4. Hanc esse coactam. 5. Erroneam esse opinionem dicentium, hanc proximè disponere ad contritionem -- Audiamus nunc Concil. Trid. *Sess. 6. Can.* 8. habet -- Si quis dixerit „ gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores pejores facere, anathema sit -- *Sess.* 14. *Can.* 5. -- Si quis dixerit eam contritionem, quæ paratur per discussionem, collectionem, & detestationem peccatorum, quâ quis recogitat annos suos in amaritudine animæ suæ, ponderando peccatorum suorum gravitatem, multitudinem, fœditatem, amissionem æternæ beatitudinis, & æternæ damnationis incursum cùm proposito melioris vitæ, non esse verum, & utilem dolorem, nec præparare ad gratiam, sed facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, demùm illam esse dolorem coactum, & non liberum, ac voluntarium, anathema sit -- Hic habemus reassumptam descriptionem attritionis a Luthero recitatam, & damnatam, quoad omnes effectus, quos Lutherus tribuebat, vel subtrahebat. Dicebat ille facere hypocritam, negat hoc; dicebat ille facere magis peccatorem, negat hoc; dicebat ille esse dolorem coactam, negat hoc; dicebat ille errorem esse, quod disponat proximè; Hoc affirmat disponere ad gratiam, quod utique cogimur subintelligere proximè, quia illam particulam posuit Lutherus, quæ si non subintelligatur in Decreto, nihil facit contrà illum; tum quia Concilium gradatim dicit esse verum, & utilem dolorem, & præparare ad gratiam, quæ formalitates aliquid superaddunt, quod una, vel altera tantùm non dicit; Hoc ipso autem, quod ponit esse utilem, tangit dispositionem remotam, cum omnis actus bonus supernaturalis remotè ad gratiam disponat; quandò ergo superaddit, & præparare ad gratiam, aliquid plus vult exprimere, non aliud quàm proximitatem dispositionis, quàm tangit Lutherus, qualiter autem disponat proximè in *cap.* 4. doctrinali exponit, videlicet, in Sacramento. Tetigerat Lutherus vocari hanc attritionem ab aliquibus ex nostris extrà charitatem, & non meritoriam, quod cùm verum sit, nulla mentio in Canone fit a Concilio; in cap. tamen doctrinali apertè fatetur esse donum Spiritus Sancti nondùm inhabitantis. Consentit Concilium Luthero in eo, quòd hæc attritio paratur per metum pœnarum, & amissionem beatitudinis æternæ, & per hoc discriminatur ab altera contritione, cui effectus, salutares tribuit Lutherus; adeòque proprium constitutivum attritionis adstruit in hoc, & utique absque necessitate amoris alicujus benevoli; quia cùm Lutherus in sua causali posuerit terminum illum *solùm timore*, necesse est, quòd Concilium illam particulam acceptet, aliàs deficeret, quia error esset, seu falsitas, quòd ille dolor sit ex solo timore. Deindè si Concilium negaret illam particulam *solùm*, & subintelligeret amorem aliquem, non erat necessarius tantus labor in refellendo Luthero; unico enim verbo dixisset, non est hæc attritio a nobis admissa, nostra enim mixturam habet amoris, & quidem de necessitate: nullo modo hoc siluisset, nec silere potuisset Concilium; quia carentia omnis amoris, & pura ratio timoris erat fundamentum, propter quod Lutherus reprobabat eam attritionem. Hæc momenta sunt textui intrinseca.

14 Declaro 3. Motivum alicujus actus illud est, quo concipitur: sed attritio concipitur metu gehennæ: ergo metus gehennæ est constitutivum attritionis. Minor habetur in Decreto Alexandri VIII. quo sequentes damnavit propositiones -- 9. Reverà peccat, qui odio habet peccatum merè ob ejus turpitudinem, & disconvenientiam cum natura sua ullo ad Deum offensum respectu. 10. Intentio, qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum, merè ut cœlestem obtineat gloriam, non est recta, nec Deo placens. 14. Timor gehennæ non est supernaturalis. 15. Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur,

„ tur, sine dilectione benevolentiæ Dei, „ propter se, non est bonus motus, ac su„ pernaturalis — In istis propositionibus peccatorum dolor descriptus non est contritio, sed dolor ex diametro ab illa diversus, & suo proprio nomine vocatur attritio: huic autem assignatur pro motivo metus pœnarum, beatitudo æterna, peccati turpitudo; motivum significant illæ formulæ *ob ejus turpitudinem. Ut cælestem obtineat gloriam. Metu concipitur*. Expressè negatur inclusio amoris benevoli per illas particulas *Merè, sine*. Igitur hæc ad differentiam propriam attritionis spectant. Cùm autem auctores harum propositionum contentam in illis doctrinam traderent, ut a dispositione proxima ad justificationem in Sacramento excluderent attritionem, sequitur approbare Alexandrum VIII. tanquam inclusam consequentiam, quod sit attritio sufficiens dispositio proxima; quod obiter tango dictum volumus.

15 Declaro 4. Concilium *Sess.* 14. *c.* 1. *c.* 4., & aliis loquens in genere de pœnitentia, vel de contritione communi ad perfectam, & imperfectam utitur Scripturis, quarum aliquæ magis faciunt pro contritione perfecta, quàm pro imperfecta; & aliæ è contrà; licèt omnes conveniant ad stabiliendam rationem genericam: sed motiva specifica, quæ includunt illæ Scripturæ, sunt amor, & timor, seu respectus ad Dei bonitatem, & respectus ad Deum punientem: ergo hæc sunt intrinseca constitutiva contritionis perfectæ, & imperfectæ. Cap. 3. pro demonstrando præcepto pœnitendi utitur Scriptura Ezechielis 18., indicatque marginaliter Joelem 2., qui pro motivo conversionis faciendæ adducit respectum ad Deum bonum, *Convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia*. Utitur Scripturæ Lucæ 13. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*. Christus hic proponit motivum timoris parabolâ Cultoris Vineæ, qui ficum infructuosum succidere jussit. Matth. 3. habemus S. Jo. Baptistam prædicantem pœnitentiam, sed pro motivo adducit Beatitudinem. *Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cælorum*. Advertit hic D. Thomas Præcursorem Domini hoc brevibus verbis dictum fusiùs exposuisse Pharisæis per illa verba: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ &c. Jam enim securis ad radicem arborum posita est: omnis ergo arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. En motivum pœnarum. Cap. 4. Concilium pro contritione propriè dicta adducit illud Psalm. 50. *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*; pro imperfecta illud Isaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos in amaritudine animæ meæ*; sed ex Prophetis plura satis adduci possent testimonia, quibus ad pœnitentiam provocant motivo iræ Dei, & pœnarum. Agnoscit ergo Concilium aliam esse pœnitentiam ex motivo bonitatis Dei, aliam ex motivo pœnarum. Agnoscunt Prophetæ detestationem vitæ præteritæ ex fine placendi Deo, & detestationem ex fine fugendi pœnas, & Dei vindictam: hæc secunda non est contritio

Scripturæ provocāt homines ad pœnitentiam motivo iræ, & pœnarum.

propriè dicta; ergo attritio. Ergo optimè constitutivum attritionis ponitur metus pœnarum æternarum: & optimè stabilitur differentia essentialis a contritione perfecta; duo enim hæc motiva specie differunt; & species actus differre faciunt, ut patet de timore, & amore.

16 Declaro 5. Concilium Tridentinum marginaliter citat Decretum Gratiani ad confirmationem doctrinæ, quam tradit de pœnitentia. Gregorius XIII. occasione novæ editionis jussit *quæst.* 3. *de Pœnitentia* illustrari aliquibus locis, quæ favent nostræ principali Controversiæ, quæ suo loco dabimus. Porrò Canones in Decreto Gratiani *distinct. de Pœnitentia* nonnulli sunt ex Augustino *de vera, & falsa Pœnitentia*. Ibi autem Auctor attritionem, quam versionem appellat, distinguit a contritione, quia est dolor de peccato propter timorem pœnarum — Ver„ sum quidem puto, qui dolet de crimine, „ conversum, qui dolet de animi ejus, quam „ exposuimus, varietate. Vertitur a peccato, „ qui jam vult dimittere peccatum, conver„ titur, qui jam totus, & omninò vertitur, „ qui jam non tantùm pœnas non timet, sed „ ad bonum Deum contendere festinat — Gregorius XV. cùm esset Archiepiscopus Bononiensis jussit edi memoriale sciendorum a Clericis, cui adjunxit memoriale sciendorum a Confessariis, ubi agens de sciendis circà contritionem, explicata contritione propriè dicta habet — Alteram imperfectam, „ quæ attritio vocatur, & concipitur ex tur„ pitudinis peccati consideratione, vel ex „ gehennæ, & pœnarum metu; & hæc qui„ dem ante Confessionem non justificat, ut „ facit contritio; sufficit tamen cùm Sacra„ mento ad justificandum, si voluntatem „ peccandi excludat cum spe veniæ — Hæc omnia docet Concilium Tridentinum aiunt. Synodus Catanensis indicta anno 1668. die 11. Maii sub Michaele Angelo Bonadies Episcopo *Sess.* 1. *Decreto* 6. *de Pœnit.* habet — „ Si verò angor ille ob patrata crimina ex „ inferiori motivo nempè, vel ex gehennæ, „ & pœnarum metu, vel æternæ gloriæ ja„ ctura, aut ipsius peccati turpitudine oria„ tur, erit imperfecta contritio reputanda, „ atque attritio communiori voce dicenda — Quam in Sacramento justificare certò affirmat. Synodus Parmensis sub anno 1690. indicta; habet in Decreto primo de pœnitentia — Actus odii in peccatum propter „ summam charitatem ergà Deum, vel ob „ timorem gehennæ, & turpitudinem cul„ pæ eliciti, si cum absolutione Sacerdo„ tis conjunguntur, ad dignitatem Sacra„ menti producentis infallibiliter gratiam, „ Jesus Christus in Novo Testamento ele„ vavit — Catechismus Sublacensis editus anno 1667. a Petro Antonio Preti Vicario Generali secundùm directionem Catechismi Romani explicans dialogizando quartum Sacramentum, de attritione agens Italico idiomate habet — Puer. Si unus haberet hunc „ dolorem propter metum Inferni? Magi„ ster. Non esset contritio, sed attritio. „ Puer. Quem effectum facit attritio? „ Magister. Sacramento unita pœnitentiæ „ remittit peccata — Alia testimonia dubi-

mus in Controversia principali de efficacia Attritionis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

Apud Auctores plures inveniuntur modi dicendi circà explicationem differentiæ inter attritionem, & contritionem. Alii ab intensione minori. Alii a duratione. Alii a carentia formationis. Alii a dispositione remota ad justificationem. Alii ex eo, quòd non sit super omnia dolor. Alii quia inefficaci voluntate de peccatis dolet. Alii quia ex motivo naturali. Alii quia non de omnibus mortalibus dolet. Alii quia de solis venialibus. Sed argumenta non reperio, quibus fulciantur, præter aliqua, quæ proferemus in sequentibus Articulis; nunc subjiciemus aliqua, quæ magis directè pugnant contra stabilitam Thesim, quam sustinere sub his terminis necessè est, ut locum verum habeat principalis difficultas pro qua labor iste est susceptus.

17 OB. I. Quòd est commune attritioni, & contritioni non est distinctivum essentiale attritionis a contritione, ejusque specificum constitutivum: sed pœnarum timor est quid commune utrique, nam aliqui vindictam Divinam attendentes atterantur, alii conteruntur; ut sacræ referunt Historiæ. Undè communiter dicitur, quod timor est pœnitentiæ principium cùm D. Thoma 3. *p. q.* 85. *art.* 5.

Pœnarum timor excitativè solum est communis attritioni, & contritioni.

Dupliciter considerari potest pœnarum timor. Excitativè, & finalizativè. Primò modo est communis attritioni, & contritioni, quia ut in pluribus in Scriptura Deus solet commovere peccatores ad pœnitentiam mediis pœnis. Secundò modo constituit specialem actum specificè ab aliis diversum; quia tunc se habent tanquam motivum. Concilium autem accepit motivè, & non tantùm excitativè, id sonant verba illa: *Per, eum, concipitur*, quibus utitur. Amor Beatitudinis æternæ habet eandem vim excitativam ad actus divinæ dilectionis perfectæ, & ad actus amoris concupiscentiæ, & tamen Beatitudo motivè accepta constituit actum specificum diversum ab amore Dei. Familiaris est in Scholis hæc doctrina, quod una ratio, seu res secundùm unam formalitatem concurrat, seu pertineat ad plura, secundùm aliam constituat speciem distinctam, quod frequenter accidit in actibus moralibus, qui ex voluntate operantis fieri possunt propter diversos fines. Attribuunt communiùs timori initium pœnitentiæ Doctores, quia sensibiliora sunt homini supplicia, quæ comminatur Deus pro peccatis, & hæc solent urgere ministri Dei; quibus auditis faciliùs commoventur peccatores. Ceterùm non est necessè, quod in dispositione ad justificationem præcedat; potest enim quis ex consideratione Bonitatis Divinæ moveri ad detestanda peccata sua. Quarè ordo actuum, quem in *art.* 5. *cit. quæst.* ponit S. Thomas non est necessitatis; sed est explicationis, & distributionis, ut unicuique assignet effectum suum, quem præstet, quandò intercedit.

18 OB. II. Certum est attritionem distingui a contritione: sed non est certum distingui per motivum pœnarum; quia Alexander VII. suo Decreto stabilivit non esse falsam sententiam exigentem aliquem actum dilectionis in attritione: ergo non stabilitur ratio propriè specifica attritionis per metum pœnarum.

Decretum Alex. VII. nõ officit nostræ Sententiæ.

RESP. Decretum Alexandri VII., quod utique venerandum est (tandit enim ad tollenda scandala, & rixosas censurationes inter Catholicos) Doctrinæ nostræ non officere: tum quia opinionem non exigentem dilectionem aliquam qualificat tanquam communem eo tempore. Tum quia non exprimit qualitatem dilectionis, sicut exprimit qualitatem metus, gehennæ videlicet, dilectio enim est indifferens, ut sit benevola, vel concupiscentiæ; ut sit de bono Dei, vel de Deo bono nostro: potest autem dari in attritione dilectio de Deo bono nostro, & tamen essentiale constitutivum esse metum, quia dilectio de Deo bono nostro non exitabit a linea amoris concupiscentiæ; Deus enim ùt nobis bonus, ùt nobis parcens, ùt nos beatificans specificat linea amoris concupiscentiæ. Tum quia non explicat, an hæc dilectio debeat esse per votum, per actum implicitum, vel explicitum: stat optimè, quod attritio Christiana sit simpliciter propter metum pœnarum, & nihilominùs sit dilectio Dei, si vis, etiam benevola in virtute, quatenùs contineat propositum adimplendi omnia præcepta suo tempore occurrentia, inter quæ est præceptum dilectionis Dei; contritio perfecta justificans absque sacramentali absolutione est in virtute confessio continens votum confitendi suo tempore; ita attritio est Dei dilectio in virtute. Certum est, quod Alexander VII. loquitur de amore Dei valdè diminuto, licèt in principio Decreti referens sententias altercantium, dicat: *Aliquem actum dilectionis Dei*. In eo tamen stabiliendo utitur verbo diminutivo. *Aliqualis dilectionis Dei*. Tum quià in illud aliqualis dilectionis Dei loquitur ad sensum Concilii Tridentini *Sess. 6. cap. 6. de præparatione ad justificationem*, ubi dicit incipiunt diligere Deum fontem justitiæ, locum autem illum Concilii subsistit optimè etiam si non exigatur necessitas alicujus actus dilectionis benevolæ, siquidem omnis actus supernaturalis ordinatus, & præparatorius ad justificationem est dilectio Dei inchoata; sicut fossio terræ pro struendo fundamento antequam lapis ullus sit positus dicitur inchoata ædificatio. Tum quia posteriores Pontifices in damnatione quarumdam propositionum infrà citandarum robur adjicierunt opinioni non exigenti amorem formalem Dei benevolum.

19 OB. III. Attritio a Concilio stabilita, est intelligenda juxtà principia attritionis traditæ ab antiquis: sed antiqui attritionem distinguunt penès minorem intensionem: ergo in hunc sensum intelligendum est Concilium, ut velit ex eodem motivo procedere, a quo procedit contritio, ratio autem metus solùm impulsivè se habeat. Min. probant auctoritate Willielmi Parisiensis: Alberti Magni 4. *dist.* 16. *art.* 18 *Summa Angelica*, verbo *Contritio*, & ex aliis infrà dandis; hocque suadere dicunt, nominis etymologiam descriptam a Magistro 4. *Sent. distin.*

diſtin. 121. *quæſt.* 2. *art.* 1., & ab Henrico *Quodlibeto* 1. *q.* 33., ex qua habetur differentiam attritionis, & contritionis eſſe penès magis, & minùs.

RESP. Concilium elucidare doctrinam de pœnitentia, ejuſque actibus, ùt patet ex declaratione, quam facit *cap.* 1. *Seſſ.* 14. Non autem elucidaret, ſed confunderet, ſi ex eodem motivo utramque contritionem oriri, ſtante ſola diverſitate minoris, & majoris intenſionis, intelligeret; quia mentionem non facit ipſius amoris benevoli, ſed metus ſolius, & peccati turpitudinis. Ut ergo rectam intelligentiam ſtabiliat adeò minutè per omnia capita, & circumſtantiales conditiones deſcribit, totque advertentiis circummonit: quare non attendit ad omnes modos dicendi apud Scriptores; ſed ſeligit illum, qui verus eſt, qui ſubſtantiam rei tangit, quique difficultatem faciebat, ab hæreticiſque erat impugnatus, qui in Scripturis fundamentum habet. Quidquid ergo ſit de aliquibus Antiquis, nos accipimus, prout traditur claris verbis a Concilio pro dolore ex motivo metus gehennæ, vel turpitudine peccati.

Sed pro pleniori intelligentia Antiquorum, ſolvo doctrinam, quæ plures Scribentium diſcordias æquat. Intenſio apud veteres non accipitur pro latitudine ſubjectiva, ſed pro perfectione objectiva. Duplex eſt intenſio alia ſubjectiva, alia objectiva. Intenſio objectiva importat magnitudinem ex parte ſpecificativi; undè illa virtus dicitur objectivè intenſior, quæ habet ſpecificativum excellentiùs, & in ſpecie nobiliori conſtituitur. Intenſio ſubjectiva importat magnitudinem ex parte ſubjecti, quatenùs forma creſcit in ipſo ſubjecto, vel per radicationem in ipſo, vel per additionem gradus ad gradum; ùt cùm frigus in aqua ex remiſſo fit ſummum; dùm in ea firmatur. Accipe doctrinam hanc a D. Bonaventura 4. *Senten. diſt.* 16. *art.* 4. *quæſt.* 1. *ad* 1. — Ad illud,
„ quòd dicitur, quod eſt diviſio in minima
„ (*quærit in titul. artic. an contritio intendi*
„ *poſſit*) Dicendum, quod contritio habet
„ reſpectum ad objectum ſuprà quod diri-
„ gitur, & ad virtutem, a qua oritur; ſive
„ dicatur habitus, ſive liberum arbitrium.
„ Secundum comparationem ad objectum;
„ quia omne mortale expellit, & quaſi in
„ pulverem redigit: & ſecundùm illam
„ viam non habet intendi. Habet etiam
„ comparationem ad viam, a qua exit: &
„ ſecundùm illam viam habet intendi: &
„ de prima via ratio procedit, & ideò non
„ concludit — *Ecce* quam pulchrè diſtinguit duplicem intenſionem objectivam, & ſubjectivam; qua iterùm utitur ſecundo articulo.

Præſtat audire S. Thomam 1. 2. *q.* 62. *art.* 1., ubi inquirit an habitus habeat augmentum, explicata etymologia nominis augmenti in ſpiritualibus a ſimilitudine corporalium habet — *Perfectio* autem formæ po-
„ teſt conſiderari dupliciter uno modo ſe-
„ cundùm ipſam formam. Alio modo ſe-
„ cundùm quod ſubjectum participat for-
„ mam: in quantum igitur attenditur per-
„ fectio formæ ſecundùm ipſam formam;
„ ſic dicitur eſſe parva, vel magna, puta,
„ parva, vel magna ſanitas, vel ſcientia.
„ In quantùm verò attenditur perfectio for-
„ mæ ſecundùm participationem ſubjecti di-
„ citur magis, & minùs, putà magis, vel
„ minùs album, vel ſanum. Non autem iſta
„ diſtinctio procedit ſecundùm hoc, quod
„ forma habeat eſſe præter materiam, aut
„ ſubjectum; ſed quia alia conſideratio ejus
„ ſecundùm rationem ſpeciei ſuæ: & alia
„ ſecundùm quod participatur in ſubjecto.
„ Secundùm hoc igitur circà intenſionem,
„ & remiſſionem habituum fuerunt quatuor
„ ſententiæ — Quibus relatis ſtatuit attendendo ad formam ſecundùm ſpeciem, non dari in eadem forma intenſionem, ſed ſi aliquid addatur mutatur ſpecies actus, vel habitus, & formæ. Hanc eandem doctrinam replicat clariſſimè *q.* 66. *art.* 1. Sed ad rem noſtram intenſionem objectivam firmat *q.* 3. ſupplementi inquirens, an contritio ſit major dolor, qui eſſe poſſit, & ſtabilit affirmativè ex parte objecti, ſecùs ex parte ſubjecti; verba Doctoris dabimus ſuo loco. Hac igitur ſtante doctrina omninò certa; quando Doctores Antiqui dicebant attritionem eſſe dolorem minùs intenſum, & remiſſum, adeòque non ſufficere ad juſtificationem; è contrà contritionem eſſe dolorem intenſum, loquebantur de intenſione objectiva, non autem ſubjectiva; dicebant dolorem remiſſum attritionem, quia innixum motivo inferiori ad charitatem, oriebaturque illud aliud dictum, quod non eſſet dolor ſuper omnia, quoniam erat dolor ex motivo boni proprii. Secùs autem contritio.

20 OB. IV. Si ratio metus pœnarum eſſet conſtitutivum attritionis, attritio non poſſet fieri contritio; ſed eſt conſtans Antiquorum doctrina, quod attritio fiat contritio: ergo non conſtituitur eſſentialiter per metum pœnarum. Major propoſitio videtur clara: implicat enim conſtitutum in una ſpecie, in aliam tranſire. Minor videtur axioma commune apud Veteres, quod explicat Wivaldus *in Candelabro tit. de Attritione q.* 2., & præcipuè *q.* 9. ait — Quotieſcumque invenitur in
„ Doctoribus, quod attritio fit contritio;
„ vel attritus cum Sacramento fit contritus,
„ eſt intelligendum de attritione perfecta,
„ ideſt de ea, qua propter Deum purè do-
„ lemus de peccatis, ſed non ità fervidè, &
„ ſuper omnia, ut par erat — Ex quibus apparet mentem Antiquorum fuiſſe, attritionem non differre ex motivo a contritione.

Non eſt multùm immorandum in reſolutione hujus objectionis, quæ multum habet de nimio: quare tangam præcisè, quæ ſunt neceſſaria, & poſſunt eſſe utilia. Dupliciter axioma illud accipitur, quaſi in concreto, & quaſi in abſtracto. In concreto ſi dicatur, attritus fit contritus. In abſtracto, attritio fit contritio. In primo modo loquendi axioma veriſſimum eſt, quia facit ſenſum, ſubjectum, quòd habet attritionem recipit contritionem; ſicut frigidum dicitur fieri calidum; quia ſubjectum habens frigus recipit calorem: Igitur dolens priùs de peccatis propter gehennam, deindè propter amorem Dei, attritus fit contritus. In ſecundo modo loquendi, poteſt dupliciter conſiderari:

pri-

primò, in sensu formali, secundo in sensu æquivalenti; In sensu formali, ità quod idem actus attritionis fiat contritio; In sensu æquivalenti, ita quod per concomitantiam alicujus attritio efficiat illud, quod facit contritio. In sensu æquivalenti attritio fiet contritio, si simul cùm Sacramento Pœnitentiæ producat gratiam justificantem; quod est cardo principalis Controversiæ, pro qua cætera explicantur. In sensu formali attritio nullo modo fit contritio, nec fieri potest.

Attritio potest fieri contritio æquivalenter, non tamen formaliter.

Et ratio est clara. Non potest attritio formalis fieri contritio formalis, nisi amittat propria prædicata constitutiva, & assumat prædicata constitutiva contritionis: sed hoc implicat, quia hoc ipso attritio destrueretur, quia dimisso constitutivo dimittitur constitutum: species sunt sicut numeri, qui per minimam additionem variantur in esse, & qui priùs erat, non ampliùs est. Actus attritionis, & quilibet alius actus vitalis, quandò ponitur in esse naturali, & morali petit determinata principia ad tale esse: sed illa principia sunt ab illo actu inseparabilia, quia dant suum esse: ergo sine sui destructione non potest attritio recipere principia determinata ad esse contritionis: ut autem in sensu formali verificetur attritionem fieri contritionem, necessè est, quod attritio perseveret in se, sicut attritus fit contritus, quia subjectum perseverat, cùm ex attrito fit contritum. Igitur vel actus detestandi peccata per attritionem cum iisdem prædicatis perseverat, quæ habuit in suo ortu, & fieri: vel non: si perseverat cum iisdem semper est attritio; quia totum habet, quod priùs: si non perseverat, jam non fit contritio, quia quod transit ab uno esse ad aliud, debet perseverare sub utroque.

Tangit substantiam rationis D. Thomas 1. 2. *q.* 52. *art.* 1. explicans intensionem objectivam non suscipere magis, & minùs illis -- Ut hujus rei veritas manifestetur considerandum est, quod illud, secundùm „ quod sortitur aliquid speciem, oportet „ esse fixum, & stans, & quasi indivisibi„ le; quæcumque enim ad illud attingunt „ sub specie continentur: quæcumque autem „ recedunt ab illo, vel in plùs, vel in minùs, „ pertinent ad aliam speciem, vel perfectio„ rem, vel imperfectiorem, undè Philos „ dicit *in* 8 *Metaph.*, quod species rerum sunt „ sicut numeri, in quibus additio, vel di„ minutio variat speciem -- *Quæst.* 1. *suppl art.* 3. loquendo de attritione negat D. Th. posse fieri contritionem, quia est actus in fieri, qui hoc ipso, quod est ab uno principio, non potest esse ab alio.

21 OB. V. Actus procedentes ab eodem habitu circa idem objectum necessariò debent esse ejusdem speciei, quia sub eadem ratione habitus omnes actus suos producit: sed attritio, & contritio procedunt ab eodem habitu pœnitentiæ: ergo sunt ejusdem speciei: ergo metus non est essentiale distinctivum attritionis; & tota differentia dimetienda est penès minorem intensionem, & majorem.

Doctores aliqui negant suppositum, quia attritio a nullo habitu virtutis oritur, quia est actus imperfectus, & videtur doctrina D. Th. *q.* 1. *supplem. art.* 2., & 3. Hæc aliis non placet, quia dantur alii actus imperfecti, qui ab habitibus virtutum producuntur. Actus dicitur imperfectus dupliciter: privativè, & negativè. Imperfectus primo modo non est ab habitu virtutis, secùs secundo modo. Attritio est actus imperfectus negativè tantùm; quia non habet motivum tam excellens, sicut contritio. Attritio in suo ordine habet integritatem omnimodam; integrum autem, & perfectum idem sunt in suo ordine: ergo attritio est actus perfectus in se. Attritio insuper est actus bonus, & ab impulsu Spiritus Sancti, bonus autem actus defectum excludit.

Alii docent attritionem esse a dono timoris. Sed hoc non videtur subsistere, quia donum timoris datur ad agendum præter regulas ordinarias, & communem modum operandi; attritio autem spectat omnimodè ad modum operandi, omninò ordinarium. Insuper donum timoris pertinet ad lineam filialem; attritio autem ad lineam servilem. Alii volunt pertinere ad habitum virtutis spei; quia ejusdem principii est amare bonum aliquod, & odisse malum oppositum: spes tendit in beatitudinem, cui opponitur gehenna; cùm igitur attritio doleat de peccato propter gehennæ metum, ab habitu spei ortum ducere dicendum est; & in hac opinione videtur salvari, qualiter in peccatore detur principium attritionis, in eo enim non perit fides, & spes. Hoc patitur difficultatem, quia spes in sua linea adæquata est virtus Theologica; attritio valdè distat ab actu Theologico, Deum enim in se immediatè non respicit.

Alii sustinent pertinere ad habitum pœnitentiæ virtutis. Quia peccatum ut detestabile est objectum proprium pœnitentiæ: detestari peccata munus est pœnitentiæ; & in ejus destructionem tendere, de eoque vindictam sumere; peccatum autem est detestabile, prout opponitur bono Dei; & prout opponitur bono hominis; pœnitentia ergo tendit in peccati destructionem illud detestando; tam ex motivo oppositionis ad bonum Dei, quòd fit per contritionem; tum ex motivo oppositionis ad bonum hominis, quòd fit per attritionem. Agnoscit D. Th. 3 *p. q* 90. *art* 4. pœnitentiam antè Baptismum, & post Baptismum, non quidem per divisionem habituum; sed per divisionem ejusdem habitus, penès diversos status regenerationis, & non regenerationis; ita proportionali modo eadem virtus pœnitentiæ, quoad habitum, penès diversos actus tendit in peccati destructionem motivo pœnæ, & motivo benevolæ dilectionis Dei.

Quod si dicas non posse dari pœnitentiam in peccatore, quia pœnitentiæ virtus secùm semper habet gratiam sanctificantem, peccatum annihilantem quoad culpam: respondebitur communem esse difficultatem ab omnibus solvendam: tum quia antè regenerationem datur pœnitentia, quæ dicitur antè Baptismum: tum quia omnes admittunt contritionem esse actum proprium pœnitentiæ, nec tamen communiter conceditur, contritionem supponere statum gratiæ, & in peccatore elici per auxilium transiens, dicunt qui-

quidam. Dici ergo poterit attritionem in peccatore per accidens non supponere habitum pœnitentiæ, vel supponere pœnitentiam per modum dispositionis, non per modum habitus formati, vel supponere habitum naturalem pœnitentiæ, qui actualiter confortatus impulsu Spiritus Sancti producit actum supernaturalem attritionis. Quomodocumque dicatur argumentum non urget; quia frequentissimè in eadem potentia circa idem objectum dantur actus specificè differentes ratione motivi proximi, sub quo producuntur; & ita etiam de habitibus quoad diversitatem speciei materialis. In eodem intellectu de eodem objecto stat opinio, & scientia: stat fides humana de Christo crucifixo, & divina. In eadem voluntate circa idem stat usus, imperium, intentio, qui sunt actus differentes. Idem habitus charitatis elicit actus amoris Dei, & proximi, qui differunt specie materiali.

ARTICULUS TERTIUS.

AN PECCATI TURPITUDO SIT MOTIVUM ATTRITIONIS.

QUamvis Concilium Tridentinum primo loco enumeret turpitudinem peccati, tamen in usu practico exercendæ attritionis primas partes tenet gehennæ metus; iste enim frequentiùs proponitur a Scripturis, a Patribus urgetur; & eo faciliùs moventur homines, quia pœnæ magis sub apprehensione sensibili cadunt, quàm peccati turpitudo. Nihilominùs ut mens Concilii intelligatur, (etsi adeò frequens usus non sit) explicandum nobis est, qualis sit turpitudo, de qua sermo fit, & an sufficienter statuatur pro motivo attritionis.

Turpitudo spiritualis, & moralis ad analogiam corporalis, a qua denominatio desumitur, explicanda est. Deformitas corporalis ad oppositum pulchritudinis dicitur. Hæc describitur proportionata distributio membrorum, cùm quadam debiti coloris claritate. Hinc spiritualis pulchritudo consistit in hoc, quod conversatio hominis, seu actio ejus sit benè proportionata secundùm spiritualem rationis claritatem. D. Thomas 2. 2. qu. 145. art. 2. Deformitas corporalis consistit in indebita partium distributione, vel ex indebita quantitate, vel qualitate, vel situ: similiter turpitudo spiritualis importat recessum, seu defectum in nitore luminis divini gratiæ, & rationis. D. Th. 1. 2. q. 86. 1., & 89. 1. Anima nostra duplicem habet nitorem. Unum quidem ex refulgentia luminis naturalis rationis: Alium verò ex refulgentia divini luminis, scilicet sapientiæ, & gratiæ, per quem etiam homo perficitur ad benè, & decenter agendum. Adhærens porrò homo inordinatè bonis creatis peccat contrà lumen rationis, & divinæ legis. Et hinc oritur privatio nitoris spiritualis, & fit deformitas mystica. Rursùs in corpore duplex est nitor: Unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum, & coloris: Alius autem ex exteriori claritate superveniente: ita etiam in anima est duplex nitor: Unus quidem habitualis, & intrinsecus: Alius actualis, & quasi exterior fulgor. Sic proportionaliter duplex turpitudo designatur quasi habitualis, & quasi actualis. Explicata nominum derivatione, descendimus ad applicationem.

Sicut in corporibus deformitas accipitur negativè, & positivè. Negativè, ut cùm sumitur secundùm privationem nitoris. Positivè, ut cùm sumitur secundùm exuberantiam positivam membrorum in quantitate, vel situ: similiter in spiritualibus turpitudo alia est negativa, quæ in privatione bonorum spiritualium consistit; Alia positiva, quæ dicit, vel moralem aliquam formam causatam a peccato, vel tendentiam contra lumen divinum, & rationis. Negativa porrò turpitudo peccati, alia est actualis, alia habitualis. Actualis est ipsa irreverentia, irreligiositas, ingratitudo, injuria, injustitia ergà Deum, quæ concomitatur actuale peccatum, & actualem Dei offensam. Habitualis sunt ipsæmet privationes, quæ irretractatæ manent post commissum peccatum. Et insuper carentia divinæ amicitiæ, privatio gratiæ sanctificantis, juris ad gloriam, tituli ad merendum per opera bona. Positiva actualis est illa voluntaria tendentia in objectum dissonum legi divinæ, & rationi; ex qua oritur negatio rectitudinis debitæ in actu: Quæ multiplicatur secundùm multiplicationem virtutum, quibus opponitur. Habitualis est deputatio ad pœnam, seu ipse reatus relictus post peccatum: Vilitas æstimabilitatis, & appretiabilitatis consecuta ex peccato, per quam efficitur homo contemptibilis inter creaturas, & similis jumentis, & diaboli mancipium. Præter istas sunt aliæ deformitates. Mentis obcæcatio, hebetudo ad res divinas, dissipatio interna cordis, evagatio Spiritus, proclivia adhæsio ad mundana, Divinarum inspirationum subtractio &c. consequuntur etiam peccatum quandoque civiles turpitudines, puta infamia, inhabilitas ad onera honorifica in Republica.

Spiritualis turpitudo duplex.

Turpitudinem moralem exprimit Jeremias 3. illis. *Maculata es in iniquitate tua.* Apoc. 16. *Beatus, qui vigilat, & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem ejus:* his describitur habitualis turpitudo, per quam denudatur anima, quæ peccavit, omni nitore gratiæ, & donorum; undè abominabilis est coram Deo, & Angelis ejus. Exod. 20. 26. habetur. *Non ascendes per gradus ad Altare meum, ne reveletur turpitudo tua.* Eccl. 30. 13. *Doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Hic tangitur actualis turpitudo, per quam tollitur rectitudo virtutis, debita actibus; quæ perseverat posteà habitualiter, quandiù non retractatur. De hac ergo turpitudine peccati nobis revelata, tàm positiva, quàm negativa, tàm habituali, quàm actuali, quam variis phrasibus Scriptura describit, sensus est articuli, & difficultatis in eo propositæ.

Pro quo unum verbum addo majoris claritatis gratia. Omnes virtutes considerari possunt secundùm regulam rationis, & secundùm regulam divinam; ita turpitudo,

que

quæ consistit in privatione debitæ rectitudinis actui circa materiam talis virtutis, alia est, quæ discordat a regula rationis, alia, quæ discordat a regula divina: de hac secunda currit quæstio, non de illa prima, nisi sit conjuncta cùm secunda. His positis sit conclusio. A

Quælibet turpitudo peccatum consequens est motivum christianæ attritionis.

22 Dicendum est, omnem turpitudinem peccati coram Deo per se consequentem, quam fides nobis ostendit, esse motivum salutaris attritionis, & christianæ. Declaratur, & probatur. I. Ex Concilio Tridentino turpitudo peccati propria est motivum attritionis, quæ est donum Spiritus Sancti: sed omnis turpitudo tàm positiva, quàm negativa per se sequens ad peccatum, hoc est statuta per regulam divinam universalem, & stabilem est propria peccati; cùm oriatur ex visceribus ipsius, idest ab essentialibus constitutivis: ergo omnis est motivum attritionis salutaris. Major non patitur difficultatem, quia Concilium loquitur de his, quæ per se sunt, agit de peccato propriè dicto, & non abusivè, adeòque de turpitudine per se, & propria, non extranea. Min. continet explicationem turpitudinis propriæ peccati ùt talis. B

II. Aliqua fœditas peccati ex Concilio est motivum salutaris attritionis: sed eadem ratio currit de qualibet revelata fœditate, sequenti indispensabili nexu peccatum: ergo omnis statuenda est motivum sufficiens attritionis christianæ; & ideò indefinitè loquitur Concilium. C

III. Quælibet turpitudo revelata sequens peccatum nata est causare detestationem peccati ipsius: sed hæc detestatio non est contritionis, quia non est ex motivo primario pœnitentiæ: ergo est attritio. Prima propositio ostenditur. Recta ratio dictat detestabilem, & detestandam esse turpitudinem quamlibet contrariam ipsi; nam quodlibet refugit sibi dissonum: ergo quælibet moralis turpitudo cogitata, & recogitata, & considerata, ùt Concilium dicit, apta est dolorem, & detestationem causare. D

IV. Turpitudini peccati opponitur pulchritudo virtutis: sed quælibet pulchritudo revelata apta est specificare actum prosecutionis, cùm amabilis sit, & possessa gaudium parere: ergo quælibet turpitudo opposita contracta nata est odium parere, cùm revera odibilis sit: pari passu eunt affectiones ergà bonum, & malum. Concilium Tridentinum *Can.* 8 *Sess.* 14. statuit hunc dolorem ex fœditate, & multitudine &c. peccatorum comparatum præparare ad gratiam; sicut ergo quælibet turpitudo peccati revelata removet, elongat, disponit ad gratiam; ita ex quacumque oriri potest dolor præparatorius ad ipsam gratiam. E

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

23 OB. I. Motivum pertinens ad charitatem non specificat attritionem; sed turpitudo peccati pertinet ad charitatem: ergo non specificat attritionem. Minor habetur ex D. Thoma 3. *p. q.* 85. *art.* 5. *ad* 1. textu punctuali — Peccatum primò „ incipit homini displicere (maximè pec„ catori) propter supplicia, quæ respicit „ timor servilis, quàm propter Dei offen„ sam, vel peccati turpitudinem, quod per„ tinet ad charitatem —

Concedit D. Thomas detestationem peccati propter supplicia non pertinere ad charitatem, adeòque neque ad contritionem; perconsequens consentit Tridentino reponenti eam inter species attritionis. Ne videatur a Concilio discrepare, si concedat turpitudinem peccati ad charitatem pertinere, videndum est, quid sentiat S. Thomas eo loci. Malum fundans detestationem, vel est malum pœnæ, vel est malum culpæ, seu morale: si propter malum pœnæ habeatur detestatio, ad attritionem pertinet. Si ad malum culpæ videndum est, quomodò accipiatur malum culpæ, vel ùt dicit supremam malitiam, vel ùt dicit secundariam malitiam. Suprema malitia est, quæ pensatur penès contrarietatem ad bonum divinum, ejusque amorem; & partitur in duplicem considerationem. Prima oppositio ad bonum divinum, prout in se, potest considerari, ùt læsiva Dei, & ablativa affectivè ultimi finis ab ipso; & secundùm hoc fundat rationem offensæ; Secunda oppositio ad bonum divinum, prout est in se, considerari potest ùt deturpativa ipsius Dei, seu ùt contrariens nitori divino in se, & fundat turpitudinis rationem. Detestatio peccati propter quamlibet ex istis formalitatibus ad charitatem, seu ad contritionem pertinet; & in hoc sensu loquitur hic Sanctus Doctor, qui *art.* 3. ejusdem *quæst. cit.* distinguit duplicem displicentiam peccati, alteram ad charitatem, alteram ad pœnitentiam propter duplicem formalitatem in peccato repertam, videlicet, ùt malum præteritum divino bono oppositum, & hoc respicit charitas; vel ùt malum vindicandum, & hoc respicit pœnitentia.

Malitia secundaria in malo culpæ est peccatum ùt est malum hominis auferens nitorem gratiæ, & inducens maculam; & hoc malum culpæ ad attritionem spectat.

RESP. Itaque turpitudinem peccati, prout opponitur nitori Dei, ad charitatis motivum pertinere, ad attritionem prout opponitur nitori ipsius hominis; & de hac secunda nos loquimur.

25 OB. II. Adæquat turpitudo offensam; & æqualis valoris cum illa est, quia offensa de turpitudine prædicatur; offensaque ipsa turpitudo est; nemo enim illam pulchritudinem appellabit: sed offensa specificat contritionem: ergo etiam turpitudo.

Offensa Dei, & afficit Deum ipsum in se, & in eo affectivè recipitur, & afficit actum ipsum, & ratione ipsius animam. Sub prima formalitate immediatè contemptiva Dei, illiusque juris læsiva, exprimit expli-

explicitam, & propriam conditionem offensæ, & prout sic specificat contritionem. Sub secunda formalitate exprimit proprietatem turpitudinis, quia indecorum, indecens est, inconveniens, & probrosum animæ operanti, vel destinatæ ad operandum secundùm rectas regulas naturales, & supernaturales rationis, & prout sic specificat attritionem. Quare offensa æqualis est valoris cùm turpitudine, prout afficit actum, & in eo subjectatur; & secundùm hunc respectum est turpitudo, & prædicatur de turpitudine offensa tanquam forma de subjecto inhæsionis; non autem ùt forma de subjecto constitutionis. Offensa ùt Deum afficit non constituit turpitudinem, sed in turpitudine ùt in subjecto quasi inhæret, quatenùs ex quo prohibetur agere contrà rationem, & nihilominùs agitur, adeòque fit turpitudo actus, resultat, & sequitur offensa Dei in seipso.

25 OB. III. Ratio omnis terminans, & respiciens Deum in detestatione peccati specificat contritionem: sed turpitudo in pluribus peccatis respicit Deum: ergo turpitudo plurium peccatorum specificat contritionem; non ergo omnis turpitudo est motivum attritionis. Explicatur argumentum. Sunt plerque peccata, quæ Deum immediatè tangunt, & prohibentur propter Deum: puta, blasphemia, irreligiositas, ingratitudo, & plura similia; horum autem turpitudines Deum respiciunt.

Ratio aliqua intelligitur respiciens Deum quoad præsens institutum dupliciter: primò ùt afficiens immediatè Deum ipsum, & hæc ratio specificat contritionem: Secundò ùt fundamentum resultantis relationis, quatenùs, dùm Deus prohibet propter se illa peccata, oritur, quod actus peccaminosus sit in specie blasphemiæ, ingratitudinis, irreligiositatis &c., & hæc ratio specificans reperitur in turpitudine horum peccatorum, quia turpe est agere contra rationem præscribentem Deo præstandum honorem, gratitudinem &c. Uno igitur verbo, illa indecentia, quæ est in actu ùt contra regulas rationis, illa difformitas ad legem divinam est turpitudo peccati, quæ specificat attritionem, etsi quæ aliæ sunt formalitates, non attenduntur. Quòd si dicas distinctiones istas esse metaphysicas, & non considerari a pœnitentibus; respondetur non esse magis metaphysicas, quàm sint ratio offensæ, & ratio reatus æternæ pœnæ. Indivisibiliter connectuntur esse peccatum turpe, esse offensam Dei, esse condignitatem ad pœnam æternam; & licèt pœnitentes ad ea minimè reflectant; practicè tamen præscindunt vi motivorum: undè dolent de peccatis, ùt ad gehennam trahunt &c. ità consimiliter, practicè præscindunt rationem turpitudinis, attendentes ad indecentiam, quæ est animæ deturpativa, & actuum rationalis naturæ, a qua moventur.

26 DICES. Potissima turpitudo peccati est macula propriè dicta: sed hæc specificat contritionem: non ergo omnis macula attritionis motivum est. Declaratur argumentum. Macula consistit in privatione gratiæ sanctificantis, prout est bonum Dei, ùt explicant Salmatic. Nostri de peccato originali. Gratia duos respectus habet, & duo bona. Primum bonum hominis est a primo respectu ortum, & in eo consistit, quòd gratia est quædam forma participans divinam naturam, & homini communicatur, eaque communicatione perficitur; Deusque medio ea homini quodammodò traditur, seu Deus ad hominem descendit. Secundum bonum Dei, est; gratia ipsi homini communicata subjicit hominem Deo, tanquam ultimo fini. Hic ordo subjectionis ad Deum, tanquam ad ultimum finem dicitur bonum Dei; quia debita Deo est conversio creaturæ in Deum, ad illumque subjectio. Privatio ergo hujus posterioris respectus est culpa, & macula; adeòque potissima turpitudo consistit in malo Dei: malum autem Dei specificat contritionem. Deindè macula formalissimè non tollitur, nisi per ipsam gratiam sanctificantem, quæ est vel charitas ipsa, vel ejus immediata radix: ergo macula nequit movere, nisi sub respectu ad charitatem; adeòque ad motivum contritionis spectat.

Remanet utique macula post peccatum, quid autem sit hæc macula, & in quo consistat, non est tam facilis explicationis, quod prosequi non est præsentis loci. Si ponatur in aliquo positivo, ùt quidam volunt; instantia proposita vim non habet. Similiter si adstruatur in aliquo negativo distincto a privatione gratiæ, non concludit. Urget ergo in sententia dicentium consistere in ipsamet privatione gratiæ, quod colligitur ex D. Th. 2. 2. *q.* 86. *art.* 1. *&* 2., cui respondetur maculam consistere in privatione gratiæ, prout gratia est animæ nitor, non tamen solitariè; insuper extenditur ad privationem nitoris luminis naturalis, & virtutum acquisitarum; quia, quod tollit ab anima, & ab ejus potentiis aliquid honestatis, & perfectionis, tollit aliquid pulchritudinis, & maculam facit, quæ animam, & potentias fœdat. Quare in eadem privatione gratiæ datur ratio pœnæ, ex quo substrahitur gratia, quod est donum bonum ipsi homini: habet rationem culpæ habitualis, ex quo est voluntaria negatio debitæ subjectionis ad Deum: habet rationem maculæ, quia ast carentia gratiæ, quæ nitor animæ est; adeòque prout est aliquid afficiens hominem, eumque deturpans est motivum attritionis, sub qua ratione nullus attenditur respectus ad bonum Dei. Quod verò gratiæ privatio non tollatur, nisi per ejusdem gratiæ infusionem, non facit, quod ùt macula, & fœditas animæ non possit movere, nisi sub respectu charitatis: reatus intrinsecus pœnæ æternæ non tollitur nisi per gratiam; & tamen possumus dolere de peccato propter reatum pœnæ æternæ, non habito respectu ad motivum charitatis. Ita in casu maculæ.

27 OB. IV. Inter turpitudines sequentes peccatum est turpitudo infamiæ humanæ: sed hæc non est motivum attritionis, de qua Concilium Tridentinum; sicut nec timor mortis: ergo non omnis turpitudo peccati est motivum attritionis: major apparet clara; quia est contra rectam rationem facere aliquid, propter quod incurratur infa-

infamia humana, fama enim bona, etsi humana, est juxta rectitudinem rationis. Minor videtur certa: tum quia timor infamiæ, & pœnæ humanæ non potest excludere voluntarium affectum internum peccati; quia sunt pœnæ solius peccati exterioris: tum quia attritio, de qua Concilium, est donum Sancti Spiritus; adeòque debet esse ex motivo taxato ab ipso Spiritu Sancto, non ab homine.

Tangit practicam difficultatem objectio, plerique enim timore infamiæ, despoliationis bonorum, exilii, perpetui carceris, excommunicationis, privationis beneficiorum, inhabilitatis ad officia, abstinent a peccatis committendis, & displicent eis commissa; adeòque est scitu dignum, an dolor iste sufficiat pro attritione, de qua Concilium.

Quidam tenent partem affirmativam, sed non omnes eadem via procedunt: Alii, quia putant sufficere attritionem naturalem, & hi pugnant directè contra Concilium: Alii, quia hæc infamia, & illæ pœnæ sunt remotæ, & radicaliter revelatæ, quia lex Dei præcipit obediendum esse Legislatoribus humanis: Alii, quia Concilium post metum gehennæ addit, & pœnarum, quod est verbum ampliativum complectens omne genus, & speciem pœnarum, undè a fortiori concluduut de morbis filiorum, parentumque mortibus, grandine, sterilitate, bello, prout sunt Dei flagella; & confirmant, quia commendat Concilium pœnitentiam Ninivitarum, quibus Civitatis subversio comminata fuit.

Timor infamiæ potest esse medium impellens ad attritionem.

Hanc Doctrinam ego non admitto, loquendo de motivo veræ attritionis, secùs loquendo de medio impellente, & excitante. Imò existimo periculosam, & omninò rejiciendam post Decretum Innocentii XI. Cùm hæc mala sensibilia sint, & præsentia, & per sensus apprehendantur, nata sunt causare dolorem sensibilem, quo decepti rudiores putant dolere de peccatis rationali displicentia, & non dolent, nisi sensibiliter; & multò minùs actu supernaturali. In aperto est mulieres in confessione profusas in lacrymas dissolvi, si mortis filiorum, mariti, despoliationis bonorum mentio fiat, ùt a Deo inflicta ad emendationem; siccis autem stare oculis ad vivissimas considerationes propositas inferni, nec siccis tantùm oculis, sed & duro corde. Naturalis affectus prævalet, & præoccupat rationalem motionem, illamque quasi suffocat; ac proindè timendum est, ne sit dolor simpliciter passionis, non rationis. Data opera in conclusione posuimus duplicem illam particulam, *coram Deo, & per se consequens*. Coram Deo, hoc est in foro Dei, per se, hoc est in foro Dei directè, & immediatè; adeòque comprehenduntur solæ pœnæ, & turpitudines revelatæ, & taxatæ secundùm communem legem Dei providentiæ positivè, & directè in ordine supernaturali. Quæ autem pertinent ad ordinem naturalem per se, & directè, sed per accidens, & indirectè inducentia ad supernaturalia bona, utilia sunt ad excitandum, ad impellendum; non autem ad specificandam salutarem attritionem.

Quamvis ergo infamia humana sit contra rationem, & Deus præceperit obedire humanis Judicibus, nihilominùs directè, proximè, & per se pertinet ad forum humanum, in quo non est salus, de qua Concilium. Morbi, mors, grandines, bella, pestis, & similia directè, proximè, & per se pertinent ad ordinem naturalem, nec sunt a Deo statuta, & taxata per se in pœnam peccati ex lege communi; quia a Deo sunt etiam ordinata ad exercitium justorum; per reflexam tamen Dei dispositionem, & ut ita loquamur particularem, evadunt flagella Dei, & peccatorum pœnæ. Illud Concilii additamentum, *& pœnarum*, non ponit in numero cùm gehenna, sed deservit ad explicandam tum formalem rationem gehennæ, ut non stet pro loco materiali tantùm, sed pro afflictivo, tum extensionem ad omnes suos. Quod dicitur de Ninivitis non urget: tum quia ibi intercessit specialis, & singularis revelatio, quæ non est in flagellis insinuatis: tum quia non est facta comminatio solius subversionis materialis, sed spiritualis, & æternæ; more veteris legis, in qua sub corporeis incorporea obtegebantur; sed & expressè Jonas utrumque tetigit, licèt in Scriptura totum non sit explicitè expressum.

Motivum attritionis supernaturale.

28 DICES. Ejusdem conditionis sunt attritio, & spes: sed ad spem spectant bona temporalia, prout conducunt ad vitam æternam, ùt docet D. Thomas 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. *ad* 2. Ergo ad attritionem etiam spectare debent mala temporalia prout assumpta a Deo in pœnam peccati.

Hæc instantia est plausibilis apud Adversarios, cui tamen respondetur, motum spei circa temporalia, prout conducentia ad salutem hic, & nunc non esse absolutum, sed conditionatum; nescimus enim, an id, quod postulamus, licet recta intentione pro salute, sit ad finem hunc conducens; non enim fides nos docet bona omnia temporalia hic, & nunc conducere ad salutem. Attritio autem, de qua Concilium, debet esse motus absolutus voluntatis, nullo modo conditionatus; esse autem absolutus nequiret, si mala temporalia ùt a Deo assumpta essent sufficiens motivum, quia non constat certò per fidem omnia mala temporalia esse ordinata ad punitionem peccatorum, pleraque sunt ad agonem nobis data; & ad exercitium virtutis, ad præcautionem futurorum, ad manifestationem divinæ gloriæ; undè Joan. 9. Discipulis interrogantibus, an Cæcus natus ipse peccasset, vel parentes ejus, respondit Christus, *neque hic, neque parentes ejus, sed ut manifestentur opera Dei in illo*: In quo loco D. Thomas affert textum S. Gregorii Magni ex primo Moralium, in quo quinque causas assignat flagellorum Dei.

29 OB. V. Privatio rectitudinis particularis virtutis infusæ, v. g. Justitiæ est aliqua gravis turpitudo: sed hæc non est sufficiens motivum attritionis: ergo non omnis turpitudo etiam respiciens ordinem supernaturalem specificat attritionem. Explicatur min. Concilium loquitur de dispositione ad justificationem, & de attritione, quæ possit esse pars Sacramenti: dolor verò ex motivo particulari, nec potest esse dispositio ad justifica-

stificationem ; quia justificatio non potest dari , nisi removeantur omnia peccata , adeòque nisi omnia retractentur ; nec esse potest pars Sacramenti ; quia cùm sit judicium reconciliativum exigit detestationem universalem .

Theologi quidam volunt turpitudinem particularem , seu ex motivo particularis virtutis esse sufficientem pro specificanda attritione , quæ sufficiat, ut sit pars Sacramenti ; non tamen ut sufficiat pro justificatione : quo principio concludunt dari Sacramentum validum , & informe ; ut cùm quis dolet de peccato homicidii ob specialem turpitudinem illius actus , sed non dolet de peccato furti, quod quidem patravit, sed oblitus est . Mihi videtur , non loqui Concilium de attritione particulari , sed de ea , quæ complectitur omnia peccata ; adeoque de ea , quæ includit motivum universale ; nam *Sess* 14. *c.* 4. agens de contritione generica ad perfectam , & imperfectam declarat non solùm esse vitæ novæ inchoationem — Sed veteris „ etiam odium continere, juxta illud : pro„ jicite a vobis omnes iniquitates vestras , „ in quibus prævaricati estis — Sed veteris vitæ odium non est unius peccati , vel alterius , sed omnium commissorum ; & notanter verbo *vita* utitur , quod significat generalitatem, quam exprimunt etiam illa : *omnes iniquitates vestras* .

30 Ad argumentum ergo dicendum mihi videtur nullam dari turpitudinem omninò particularem ; sed quælibet comitem habet indispensabiliter turpitudinem sub motivo universali, quòd sic ostendo . Quodlibet peccatum in quacumque materia particulari importat rationem offensæ Dei ; quia quodlibet in sua materia dicit aversionem a Deo , tanquam ab ultimo fine ; eo quòd præfertur bonum hoc particulare bono Dei : consimiliter quodlibet peccatum lethale importat turpitudinem contra regulam divinam inevitabiliter , quomodocumque præscindat , formalem , & singularem , sive homo in hac , vel illa materia particulari peccet . Habemus hoc clarissimè apud Sanctum Jacobum in Epist. Can. cap. 2. v. 10. illis . *Quicumque autem totam legem servaverit , offendat autem in uno , factus est omnium reus ; qui enim dixit non mœchaberis ; dixit , & non occides , quòd si non mœchaberis , occides autem, factus es transgressor legis* : ecce eadem est auctoritas legislatoria in unoquoque præcepto , & ideò eadem in quolibet peccato turpitudo ; & sicut impræscindibilis est a quolibet peccato in quacumque materia sit, ratio violati præcepti divini ; ita est impræscindibilis ratio turpitudinis , quæ consistit in privatione nitoris luminis divini : est & turpitudo illa singularis contra regulam specialem hujus virtutis , sed inseparabilis ab alia priori . Pariter est turpitudo adversùs rectitudinem particularem , v. g. justitiæ , sed est inseparabilis a turpitudine absoluta contra rectitudinem rationis . Quare nemo potest dolere sincerè , & efficaciter de peccato homicidii propter turpitudinem propriam homicidii , vel singularem injustitiæ , nisi doleat de turpitudine generali contra rationem absolutè , contra auctoritatem legislatoris simpliciter , non minùs , ac non potest dolere de ratione offensæ particularis, seu in particulari materia , nisi doleat de offensa Dei simpliciter ; aliàs non detestabitur peccatum absolutè, & veraciter , adeòque non erit dolor sufficiens pro valore Sacramenti .

31 DICES . Doctrina ista nimis probat, quia probat dolorem de peccatis venialibus esse universalem , & per consequens unum non remitti absque alio . Ratio est , quia omne veniale est contra rationem , est contra legem Dei ; omne veniale fundat reatum Purgatorii , sicut omne mortale fundat reatum pœnæ æternæ : plus de pœnis Purgatorii debetur habenti plura venialia : sicut plùs habenti mortalia plura , debetur de pœnis inferni : utrobique ergo est motivum universale , si vera sunt dicta ; est autem doctrina communis , quod unum veniale remittatur absque alio , quod esse nequit, nisi possit respici malitia particularis sub motivo particulari . Si autem hoc accidit in venialibus , cur non in lethalibus ?

Audivi exclamantem disputatorem loquentium huic partiali , ut stabiliret Sacramentum validum , & informe ; sed frustrà clamatur , ab omnibus enim solvenda est instantia ; Nam scienter possumus dolere de uno veniali , & non de alio , secùs autem de lethalibus : possumus per actum contritionis ex motivo charitatis dolere de uno veniali , & non de alio , secùs de mortalibus : Possumus absque sacrilegio , & cùm formatione Sacramenti advertenter unum veniale confiteri , & non aliud , secùs de gravibus : est ergo aliqua ratio singularis in venialibus , quæ non urget in mortalibus . Ipsa natura venialis discrimen affert . Peccatum veniale non est contra finem ultimum, qui est ratio indivisibilis, sed præter finem . Non aufert a Deo rationem ultimi finis, sed impedit , ne actualiter extendatur ad hanc terminationem , vel illam ; undè non est simpliciter offensa Dei, sed secundùm quid ; sed quædam displicentia Dei . Cùmque terminationes istæ sint inter se diversæ , & divisibiles, unum veniale est remissibile absque alio , habetque rationem particularem detestabilitatis .

Discrimen inter veniale, & lethale peccatum .

Habet peccatum veniale suam maculam, quæ secundùm quid dicitur , sed non consistit in privatione alicujus principii habitualis , & permanentis : consistit solùm in actualis nitoris impedimento; quatenùs quodamodò comprimit habitum charitatis , & aliarum virtutum , ne expeditè exeant in actos suos : sicut pulvis projectus supra excellens diaphanum impedit clariorem irradiationem . Veniale opponitur fervori charitatis , non ipsi charitati ; quæ oppositio non habetur per diminutionem charitatis ; sed solùm ipsius progressus ad exteriora retardatur . Videndus D. Thomas 2. 2. q. 89. art. 1.

ARTICULUS QUARTUS.

AN ATTRITIO EXCLUDAT VOLUNTATEM PECCANDI.

INter conditiones a Concilio Tridentino exigitas ad constitutivum attritionis christianæ est exclusio voluntatis peccandi, & jure meritò, cùm enim loquatur de attritione disponente ad justificationem in Sacramento, necesse est, quod sit remotiva impedimenti ad illam; maximum autem impedimentum est affectio ad peccatum, quæ tollitur per exclusionem voluntatis peccandi. Omissis Hæreticis, cùm quibus in hoc Opusculo non est nobis colluctatio per se primò, Patroni opinionis negantis sufficientiam attritioni simplici in Sacramento Pœnitentiæ, super hanc conditionem a Concilio exigitam erigunt propugnaculum, ut ipsi putant insuperabile. Ex dicendis potissimùm Disp. III. res clarescet, ea propter pauca in præsentiarum superaddimus.

Timoris quatuor species.

32 Supponendum est I. quatuor species timoris comparativè ad Deum potissimè a Scripturis tradi. Prima species dicitur mundanus timor; tuncq; accidit, quandò ob timorem amittendi bona temporalia homo transgreditur mandata Dei, & a Deo recedit. De hoc dicitur Matth. 10. *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Secunda species vocatur servilis, illeque est, quo homo propter pœnam Deo obsequitur, mandata ejus adimplendo; proprium enim servorum est operari comminatione Domini, ac metu ab extrinseco injecto, non autem ex amore. De hoc habemus Matth. 10. *Timete eum, qui potest animam, & corpus mittere in gehennam.* Tertia species nuncupatur filialis, in eoque consistit, quod homo Deo inhæret propter timorem culpæ; filiorum enim est timere offensam Patris, de quo Psal. 18. *Timor sanctus permanens in sæculum sæculi.* Quarta species appellatur initialis, cujus natura est inhærere Deo propter pœnam, & culpam sive uno, sive multiplici actu, estque medius inter secundam, & tertium, de quo Ecclesiast. 2. *Fili accedens ad servitutem Dei, sta in justitia, & in timore, & præpara animam tuam ad tentationem.* Hæc ex D. Th. 2. 2. q. 19. *art* 2. In præsenti Articulo quæstio fit de secunda specie, quæ est timor servilis, qui pro motivo pœnam respicit, qua attritio concipitur.

33 Supponendum est II. Pœnam posse concurrere ad fugam peccati vel solùm occasionaliter, vel etiam motivè: Occasionaliter concurrit, quandò homo ex cognitione pœnarum assurgit ad detegendam peccati turpitudinem, gravitatemque divinæ offensæ; proportionali modo, quo ex meditatione beneficiorum Dei ascendimus ad concipiendam divinæ bonitatis celsitudinem, accenditurque amor Dei. Motivè concurrit pœna, ut a malo declinet homo, quandò pœna habet rationem finis, vel quasi finis, quod accidit dupliciter, ultimatè, & proximè. Ultimatè accidit, quandò animus in pœna sistit tanquam in ultimo fine, & nonnisi sub hac affectione se excudit ad præcavendam culpam, & potest hæc affectio adesse, vel expressè, vel conditionatè: expressè, si dicat, culpam non curo, sed pœnam timeo: Conditionatè, si dicat, si pœna non esset, culpam absolutè non fugerem. Proximè accidit, quando pœna est finis proximus agendi, & fugiendi culpam, non excludendo, nec includendo positivè actualiter relationem ad ulteriorem finem; sed solùm hìc, & nunc motivo pœnam evitandi declinatur a culpa præcisivè ab aliis motivis.

Finis unus proximus, ultimus alter.

Utrumque modum declarant exempla. Celebrat v.g. Sacerdos propter lucrum temporale. Si ly *propter* stet pro fine ultimo, peccat gravissimè; licèt aliundè sacrum facere recipiendo lucrum temporale non sit peccatum. Distribuit aliquis divitias suas pauperibus propter vanam gloriam, ly *propter*, stante pro fine ultimo, peccatum facit lethale. Hæc est Doctrina communis Theologorum, qui stabiliunt rationem ultimi finis esse unum ex capitibus, quibus peccatum veniale, vel opus indifferens, imò opus bonum, evadit crimen mortale; hoc tamen non adeò frequenter accidit in usu communi operandi: frequentissima est consuetudo agendi altero modo, quandò nempè motivum est finis proximus operationis absque exclusione alterius finis: Celebrat ille propter stipendium: ut mortem evitet, potionem alios sumit contrà venenum: dat Dives eleemosynam, ut pauperem sublevet, propter mercedem laborat agricola, spero beatitudinem, quia mihi commoda. In omnibus his particulæ *ut*, *quia*, *propter*, stant pro fine proximo actuali, nec excluso positivè, nec incluso alio fine explicitè.

Finis virtutis rectus.

Conveniunt Theologi, quod actus omnium virtutum recti sunt, si fiant propter motivum proprium ibi sistendo, tanquam in fine proximo, quamvis creatum, & inferioris ordinis sit motivum, etiamsi positivè non fiat propter finem superiorem, & propter Deum, dummodò tamen non excludatur. In hoc secundo modo consistit, & sistit status quæstionis præsentis. Fide Divina credens peccator Deum infallibiliter inflicturum gehennam decedenti in peccato lethali detestatur commissa, & resolvit non peccaturum de cætero, ne cadat in illum locum tormentorum, nihil aliud actualiter cogitando, nec includit, nec excludit explicitè motivum aliud Divinæ bonitatis, dilectionisque Dei benevolæ. Hic est modus, quo proponitur gehenna Fidelibus. Hic est cardo sincerus, supra quem quæstio vertitur. Nec sunt inducendæ, nec imputandæ sunt patronis Christianæ attritionis formalitates aliæ, quas non somniaverunt. De hoc modo, & medio detestandi peccata quæritur, an voluntatem peccandi excludat.

34 Supponendum est. III. Voluntatem peccandi excludere, dupliciter stare, negativè, & positivè. Exclusio negativa dicit simplicem cessationem a peccato, quæ accidit sæpè per seriam applicationem ad seculi negotia; & per tenacem adhæsionem alicui cogi-

cogitationi, aut ſpeculationi, quo ſenſu dixit ille magnus juris Conſultus Baldus, *ſtudioſus præſumitur caſtus*. Poſitiva excluſio importat renitentiam, repulſam, contrarietatem ad ipſam peccati affectionem; ſumpta paritate a materiali expulſione hoſtium, quæ impropriè dicitur, ſi intelligatur ſimplex non introitus in mœnia, ſed propriè dicit repulſam prohibentem introitum. Quare ſi contingat Fidelem habere dolorem, & non habere actualem voluntatem peccandi, ſi tamen dolor talis non eſt, ut ex ſe repugnet ſimul cum tali voluntate, reverà non eſt dolor, qui excludat illam voluntatem, ſed aliundè contingit illa carere. Similiter ſi diſplicentia de peccato talis ſit, ut ea ſe ſolùm adjunctam habeat velleitatem non peccandi, quantùm eſt ea ſe non excludit voluntatem peccandi, quia voluntas peccandi, & velleitas non peccandi optimè poſſunt eſſe ſimul. Igitur voluntas, de qua Concilium, eſt poſitiva excluſio per formalem, aut virtualem repugnantiam, veramque mutationem cordis peccato diſſentientis, & juſtificationi, ſeu gratiæ Dei conſentientis.

35 Supponendum eſt IV. Voluntatem habitualem peccandi (hic detegitur prima radix omnium æquivocationum) ſtare tripliciter; vel pro ipſo peccato habituali, in quocumque conſtituatur: vel pro ipſo habitu vitioſo, vel pro conſuetudine peccandi. Quando ergo adverſarii volunt per deteſtationem peccati deberi excludi voluntatem peccandi habitualem, & in radice, ſine cujus excluſione nemo poteſt juſtificari, vel intelligunt primo modo, & graviter falluntur, quia peccatum habituale non tollitur niſi per infuſionem gratiæ ſanctificantis. Et dolor, quem ipſi ſtatuunt omninò neceſſarium, non producit hunc effectum, niſi accedente abſolutione ſacramentali; adeòque in ipſorum ſiſtemate ſub illo dolore perſeveraret voluntas radicalis, & habitualis peccandi. Vel intelligunt ſecundo modo, & pariter errarent turpiter, ſiquidem, nec contritio, nec juſtificatio ſtatim tollit habitus vitioſus. Vel intelligunt tertio modo, & diſtinguendum eſt, ſi pro conſuetudine peccandi veniat pronitas illa, quæ frequenter in motus indeliberatos erumpit, ſimiliter a veritate recederent, nam eam non ſanat, nec charitas, nec gratia ſacramentalis; ad eam ſolùm moderandam magna prærequiritur perfectio: ſi pro conſuetudine accipiatur frequentia lapſus voluntarii in opus prohibitum, optima eſt locutio; & hanc habitualem voluntatem, utique excludere debet dolor diſpoſitivus ad juſtificationem. Si aliquid aliud intelligunt nomine affectionis habitualis ad peccatum, edoceri cupimus, quid ſit. Nos uno verbo dicimus debere excludi per efficacem deteſtationem omnem complacentiam voluntariam, & moralem, tàm præteriti, quàm futuri peccati.

Quidam ex adverſariis negat attritioni ex metu gehennæ vim ad excludendam voluntatem peccandi, quia non firmat animum ad diù ſtandum in bono propoſito, elapſa illa morula revertitur pœnitens ad vomitum. Sed ſi firmitas talis exigitur, nec amor, quem dicunt inchoatum, nec contritio perfecta ſufficiens erit diſpoſitio; flebili namque experientia conſtat, pleroſque ex verè contritis non diù perſeverare; & poſt modicum tempus urgente tentatione prolabi, teſtes hujus veritatis appello omnes prudentes, doctos, & pios Confeſſarios. Et ratio evidens eſt, portamus enim theſaurum in vaſis fictilibus, iter facimus in mari magno, & ſpatioſo validis ventis inflato, quibus & robuſtiſſimæ naves non rarò cedunt. Verax ille Magiſter, qui ſciebat, quid eſſet in homine, quærenti Petro, ſepties ne dimittendum eſſet fratribus peccantibus, reſpondit non ſepties, *ſed ſeptuagies ſepties*.

Seria attritio ſtabilem firmat voluntatem.

Deindè falſum eſt, quod ſeria attritio ex ſeria gehennæ conſideratione ſtabilem non firmet voluntatem. Firmare valet potentiſſimè, & firmat, ideo hac via viri Dei tot vitiis coinquinatos in viam ſalutis finaliter deduxerunt. Ceterum pro ſufficienti diſpoſitione ad gratiam ſufficit, quod pœnitens veraciter doleat de commiſſis, & veraciter nolit in futurum peccare; quidquid poſteà ſit de futura actuali perſeverantia.

36 Supponendum V. Complacentiam peccati ſecundùm ſe, ſive voluntatem peccati ſecundùm ſe (hic detegitur ſecunda radix æquivocationum, & notari cupimus) ſtare dupliciter, naturaliter, & moraliter. Naturaliter complacentia peccati ſecundùm ſe accipitur, prout importat illam delectabilitatem ſenſui conſonam, vel utilitatem, ùt eſt v. g. illa amabilitas, quæ eſt in comeſtione carnium, & in ludo, illa utilitas ad uſus vitæ humanæ, quæ eſt in lucro pecuniæ: Idem ex adverſò dicendum eſt de moleſtia, quæ occurrit in exercitio alicujus operis. Moraliter accipitur complacentia peccati ſecundùm ſe, relatè ad legem prohibentem: ita quod iy *ſecundùm ſe* includat prohibitum eſſe: primò modo accepta nullum includit peccatum: immo ſtat cum actibus perfectiſſimis; & Viri Dei Sancti, veraciterque diligentes Deum appetunt motu primo quandoque ſenſui accommoda, & delectabilia ſecundùm ſe; quæ tamen ferventiſſimè reſpuunt ùt prohibita. Qui ex vera Dei dilectione conteritur de ſuis peccatis, & veraciter proponit abſtinere de cætero, poteſt facere hunc actum, liberet comederem hodiè carnes, niſi eſſet Dei offenſa, & Eccleſiæ prohibitio.

Qua voluntate Chriſtus mortem reſpueret.

Quod accidit in delectabilibus, evenit in triſtantibus. Chriſtus non ſolùm voluntate ſenſualitatis, hoc eſt, appetitu ſenſitivo; ſed voluntate naturæ, ùt docet D. Thomas 3. *p. q.* 18. *art.* 6. reſpuebat mortem ſecundùm ſe, prout naturæ deſtructivam, & ideò clamabat ad Patrem, *Pater transfer a me Calicem hunc*: & nihilominùs voluntate rationis illam lubentiſſimè volebat, prout erat a Patre volita, & præcepta; nec iſtæ voluntates ſunt contrariæ, ſicut adverſùs Monothelitas definivit Eccleſia. Non eſt ergo neceſſaria excluſio complacentiæ actus peccati ſecundùm ſe primò modo ſumpta, nec in attritione, neque in contritione perfecta; quia prout ſic conſideratum illud *ſecundùm ſe* non eſt peccatum. Quare fruſtrà laborant adverſarii ſæpè inculcantes attritionem non excludere voluntatem peccati ſecundùm ſe, ſi nobis conceditur excludere voluntatem pec-

peccati, ut ſtat ſub prohibitione; ſed nec illud primum ullatenus evincunt ipſorum argumenta. His præſuppoſitis ſit concluſio.

37 Dicendum eſt, quod metus gehennæ efficaciſſimus eſt ad excludendam veraciter omnem voluntatem peccandi, adeòque ſimplici attritioni convenit hæc conditio a Sacro Concilio expetita. Tam certam exiſtimo hanc veritatem, ut via de ea ſuſpicionem exoriri poſſe credam, ſi quæ Scriptura tradit, quæ fides docet de gravitate, multiplicitate, diuturnitate pœnarum gehennalium ſub oculis habeantur. Præter dicta igitur loco ſuperiùs citato. Probo primò. Medium potens seriò reddere cautum, & ſolicitum virum fide imbutum ad præcavenda minutiſſima quæque peccata, efficax eſt ad excludendam omnem voluntatem peccandi: Timor pœnarum gehennalium eſt hujuſmodi: ergo. Aſſumptum probatur illuſtri illi loco Job 9. v. 28. *Verebar omnia opera mea ſciens, quod non parceres delinquenti*. Hìc ſolius punitionis divinæ mentio ſit; Hic punitio inſpecta movet, ſicut clarè indicat, illud, *ſciens, quod non parceres delinquenti*. Hic ſob punitionis metu Job ſolicitior efficitur ad fugienda peccata. Efficax eſt igitur pœnarum æternalium timor ad fugandam voluntatem peccandi. Hinc Sanctus Antonius Abbas apud Athanaſium habet — „ Formido judicii, & pœnarum timor horridus lubricæ carnis incendia diſſolvit, „ & ruentem animam quaſi ab aliqua rupe „ ſuſtentat —

Secundò. Argumentum, quo Chriſtus utitur ad inducendos Fideles, ut in ſuis operibus dictamen rectæ conſcientiæ ſequantur, legemque Dei adimpleant, efficax utique eſſe debet ad excludendam omnem voluntatem peccandi, cùm qua non ſtat legis adimpletio, & rectæ conſcientiæ conſenſus: ſed timore æterni ſupplicii, & temporanei in Purgatorio ad hunc finem utitur Chriſtus Dominus peritiſſimus Magiſter, & Medicus animarum, qui nec falli, nec fallere poteſt: ergo. Aſſumptum declaratur. Matth 5. 25. habetur. *Eſto conſentiens adverſario tuo citò, dum es in via cum eo: ne fortè tradat te adverſarius Judici, & Judex tradat te Miniſtro, & in carcerem mittaris. Amen dico tibi, non exies indè, donec reddas noviſſimum quadrantem*. Ex analogia Tribunalis humani punientis reos inter cives aſſurgit Chriſtus ad exortandos homines, ut timore pœnæ alterius ſeculi legem obſervent. Hoc loco, *adverſarius*, ſtat pro lege divina, & conſcientia, quia carnis dictamini opponitur: ità Patres Ambroſius, Beda, Bonaventura *in cap. 12. Luca*. Anſelmus, Auguſtinus *in 5. Matth.*. Auguſtinus iterùm 1. *Homil. de verbis Domini. Homil. 5. lib. 50. Homil. in libro de decem cordis cap. 3.*, Gregorius *Homil. 39. in Evang.*, Bernardus *Serm. 85. in Cantica*. Nullius alterius motivi mentionem facit Salvator, niſi pœnarum, & exactæ punitionis. Sentit ergo Chriſtus timorem gehennalis ſupplicii efficacem eſſe ad comprimendam, & avellendam voluntatem peccandi.

Chriſtus ut homines seriò a peccatis avertat timorem pœnarū inducit.

Audiamus autem eloquium Chryſoſtomi *Homil. 8. in cap. 4. 1. Theſſalonic.*, ubi poſtquam ſolidiſſimè de gehenna locutus eſt, concludit — Non eſt enim parùm lucri de „ gehenna certam habere perſuaſionem. „ Horum enim verborum memoria, tanquam „ parvum aliquod medicamentum omne vi„ tium poterit abſtergere, menti noſtræ aſſi„ duè inſidens: eo ergo utamur, ut mun„ dum cor habentes digni habeamur, qui „ videamus, quæ neque oculus vidit, neque „ auris audivit, neque in cor hominis aſcen„ derunt — Dicat nunc Junior dolorem metu Inferni conceptum non excludere peccandi voluntatem, ſi eſt omnis vitii medicamentum, & cordis immundi purgamentum. Theodoretus pariter vocat medicamentum *libro 2. de curandis Græc. affectionibus*.

Tertiò. Regula putans peccatorem manu docere ad tribuendum Deo honorem efficax neceſſariò eſſe debet ad expellendam voluntatem peccandi, cùm qua non eſt compoſſibilis actualis cultus, & honori Dei, qui non honoratur complacentia actuali ad peccatum; ſed æternæ punitionis timor hunc præſtat effectum: ergo. En totum apud Apocalypſim 14. 7. *Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus*. Verba ſunt Angeli habentis Evangelium æternum, & evangelizantis ſuper terram, quem tres alii ſequuntur, qui non niſi minas, & flagella denunciant. Attendendum eſt ad cauſalem timendi Deum, *quia venit hora judicii ejus*: ut ſciamus habere rationem motivi, & quidem ſolitariè acceptum ab aliis motivis. Baſilius *in Pſalm. 33. homil. 9.* — „ Timor ſalutaris, & timor ſanctificatio„ nem faciens, qualis ſit, vis agnoſcere? „ cùm ad peccatum aliquod progredi voles, „ cogita, mihi horrendum illud, & non „ ferendum Chriſti judicium — Ecce quale motivum proponit arripiendum ad extinguendam pruriginem peccandi, ſeveritatem, ſcilicet, divini judicii. Ubi etiam reflectere velim, quomodò in metu ex hoc motivo agnoſcit vim diſpoſitivam ad juſtificationem. *Timor ſanctificationem faciens*.

Severitas divini judicii retrahit a peccato.

Quartò. Injurius profectò eſſet Beato Paulo, qui aſſereret inefficacem doctrinam tradidiſſe ad deterrendos a peccatis homines, & ad eos promovendos ad diligentiorem diſciplinæ cuſtodiam: ſed ad hunc finem nervosè urget divinæ juſtitiæ ſeveritatem: ergo. Profectò inter alia loca, quæ verſat cap. 10. ad Hebr. a v. 26. *Tantò magis, quantò videritis appropinquantem diem. Voluntariè enim peccantibus nobis poſt acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hoſtia. Terribilis autem quædam expectatio judicii, & ignis æmulatio, quæ conſumptura eſt adverſarios. Irritam quis faciens legem Moyſi, ſine ulla miſeratione duobus, vel tribus teſtibus moritur; Quantò magis putatis deteriora mereri ſupplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & ſanguinem teſtamenti pollutum duxerit, in quo ſanctificatus eſt, & ſpiritui gratiæ contumeliam fecerit? Scimus enim, qui dixit, mihi vindicta, & ego retribuam. Et iterum: quia judicabit Dominus Populum ſuum. Horrendum eſt incidere in manus Dei viventis*. Grave verbum, gravior demonſtratio. Solam hic inculcat Dei vindicis ſeveritatem in eos, qui peccant, in eos, qui a fide recedunt. Si efficax non eſſet ad retinendum animum ab affectu peccandi,

Digitized by Google

candi, ad repellendam voluntatem contra legem per fidem nobis exhibitam, quorsùm tot reflexionibus promovere viam istam? Optimè Basilius in initio Proverbiorum, ait — Sicut cruci affixus movere, nec manus „ potest, nec pedes; sic qui timore Domi„ ni configitur, extrà illius nutum nequa„ quam movetur — Utique timore Domini puniuntur peccata; ideò comparat patienti crucis supplicium.

Quintò. Apostolica doctrina seriò tradita eo fine, ut peccatores removeantur a peccatis, nec mala dici potest, nec ad finem intentum inefficax: sed hæc ad hunc finem proponit gehennæ metum: ergo iste nullatenùs inefficax est ad excludendam voluntatem peccandi. Accipe egregium textum B Judæ in sua Canonica, Advertens sapiens Christi Discipulus, quod subintrojerant homines impii Dei gratiam transferentes in luxuriam &c. timens ne illorum exemplo alii depravarentur, commonet illos, ut fortiter supercertarent semel traditæ sanctis fidei, ad timorem eoufugit pœnarum æternarū tanquam anchoram firmantem voluntatem in bono, & tenentem ne labatur ad malum, facitque sequentem inductionem solidissimam prosectò. *Commonere autem vos volo, scientes semel omnia, quoniam Jesus Populum de terra Ægypti salvans, secundùm eos, qui non crediderunt perdidit: Angelos verò, qui non servaverunt suum Principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei, vinculis æternis sub caligine reservavit. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitima Civitates simili modo exfornicata, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Ecce quale sit medium, motivumque quo utitur S. Apostolus. Gehennam urget; cùmque dicat ad scribendum motum fuisse a solicitudine de communi illorum salute, fateri oportet medium istud satis efficax esse.

Hinc S. Prosper de vita contemplativa *cap* 11. — Cogitare quale malum sit, ab illo „ gaudio divinæ contemplationis excludi, „ beatissima Sanctorum omnium Societate „ privari, fieri patriæ cœlestis extorrem, „ mori vitæ beatæ, morti vivere sempiter„ næ, in æternum ignem cùm Diabolo, & „ Angelis ejus expelli, ubi sit mors secun„ da, damnatio, exilium, vitæ supplicium, „ non sentire in illo igne, quod illuminat, „ sentire, quod cruciat, exaudantis incen„ dii terribiles crepitus pati, barathri fu„ mantis cæca caligine oculos obcæcari, „ profundo gehennæ fluctuantis immergi, „ edacissimis in æternum dilaniari vermi„ bus, nec finiri. Hæc, & similia multa „ cogitare, nihil aliud est, quàm vitiis „ omnibus repudium dare, & omnia blan„ dimenta carnalia frænare — Vides hic qualis sit gehennæ consideratæ vis, quæ est nostræ attritionis motivum formale. Aliàs Scripturas vide infrà in supracitato loco, sicut etiam Patrum testimonia, & præcipuè D. Augustini.

38 PROB. II. I. Metus potens facere, ùt homo a peccato abstineat, & de commissis doleat cùm recursu ad Divinam Misericordiam, necessariò, & bonus est, & voluntatem peccandi excludit; quia nec dolor de commissis est verus si complacentiam peccati non excludat, nec est abstinere a peccatis, si voluntas peccandi intus maneat, cùm hoc ipsum sit peccatum: nec recursus adest ad Misericordiam Dei, qui ùt Judex punit voluntatem peccandi: sed metus gehennæ, adeòque servilis hoc facit: ergo. Habes hoc in Concil. Trid. *Sess.6. Can.* 8. — „ Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem „ ad misericordiam Dei de peccatis dolen„ do confugimus, vel a peccando abstine„ mus, peccatum esse, aut peccatores pe„ jores facere, anathema sit — Nota verba, de facto loquitur, *dolendo confugimus, abstinemus*; ut discamus in Ecclesia Dei hunc metum salubriter frequentari. Non stant porrò locutiones istæ nisi metus valeat excludere voluntatem peccandi. Optimè D. Th. 3. *Sent. dist.* 34. *q.* 2. *art.* 1. *q.* 3. — In omni „ virtute hoc est commune secundùm Philos. „ *in* 4. *Ethic. cap.* 16., quod virtuosus ope„ ratur boni gratia, vel propter turpis vi„ tationem; timor autem servilis operatur „ bonum non propter fugam turpis, sed „ propter fugam tristis — Fuga tristis ad bonum agendum facit in timore servili, quod ad bonum agendum facit justitiæ amor, qui est boni gratia: sed iste in bono agendo excludit voluntatem peccandi: ergo etiam ille. Hoc apertè concludit D. Thomas discursus, aut nullus est.

II. Ad motum bonum sub quo Sacramentum Pœnitentiæ confert gratiam, necesse est, quod excludatur voluntas peccandi: sed timor servilis gehennæ talis est: ergo excludit voluntatem peccandi. Accipe argumentum ex Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 4. — „ Quamobrem falsò quidam calumniantur „ Catholicos Scriptores, quasi tradiderint „ Sacramentum Pœnitentiæ absq. bono motu „ suscipientium, gratiam conferre; quod nun„ quam Ecclesia Dei docuit — Approbat hìc Concilium Scriptores Catholicos tradere Sacramentum Pœnitentiæ conferre gratiam sub motu illo timoris, quem bonum negabat Lutherus, ex quo est ex timore gehennæ, ùt patet ex verbis ipsius superiùs datis: approbat motum illum, de quo loquuntur Scriptores Catholici, esse bonum, & disponentem ad gratiam in Sacramento: porrò Catholici illi tenent motum illum exclusivum esse voluntatis peccandi, cum sub eo velint Sacramentum conferre gratiam; hoc enim evidens est. Ergo approbat attritionem gehennalem excludere voluntatem peccandi.

III. Repugnat propositum verum melioris vitæ, seu non peccandi de cætero, nisi excludatur voluntas peccandi; hæc sunt clara ex terminis: sed attritio ex dolore servili includit verum propositum vitæ melioris: ergo excludit voluntatem peccandi. En Concilium Tridentinum *Sess.* 14. *Can.* 5. — „ Si quis dixerit eam contritionem, quæ „ paratur per discussionem &c. cum propo„ sito melioris vitæ non esse verum, & uti„ lem dolorem &c. anathema sit — In hoc Canone ùt suprà notavimus, non facit Concilium mentionem nisi de amissione beatitudinis æternæ, Inferni, & fœditatis peccati, quæ sunt motiva puræ attritionis. In hoc Ca-

Attritio ex Concil. Trid. includit verum melioris vitæ propositum.

Canone definit Concilium illum esse verum dolorem, & conjunctam habere propositum melioris vitæ, loquitur enim absolutè, & positivè, non conditionaliter. Definitivè approbat actum attritionis prout a Catholicis tradebatur, non solùm in Scholis, sed in instructionibus practicis Fidelium, quem tanquam malum damnabant Acatholici. Catholici autem docebant actum illum efficacem esse ad excludendam voluntatem peccandi, & secum ferre propositum melioris vitæ, & ad hoc Fideles excitabant. Quare clarissimè Concilium docet, & tenet hunc actum hoc propositum includere, & quidem practicè, & ideò tanquam de re usuali loquitur, ut verba suadent — Contritionem, „ *inquit*, illam, quæ paratur per discussio- „ nem &c. —

Timorem pœnarum peccandi voluntatem excludere docet D. Thomas 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. illis — Et ideò in via generationis „ spes est prior charitate. Sicut enim ali- „ quis introducitur ad amandum Deum, „ per hoc, quod timens ab ipso puniri, „ cessat a peccato — Aptè quidem contrà Adversarios, qui sentiunt timorem servilem esse introductivum ad amorem, & reverà D. Th. reponit timorem istum in eodem ordine, in quo ponit spem, hoc est in linea amoris concupiscentiæ simpliciter. Hic ergo timor excludit voluntatem peccandi, quoniam timens puniri homo cessat a peccato, cujus formalis malitia in voluntate consistit; & absque dubio nisi ità cesset homo a peccato, ut voluntatem peccandi excludat, timor non potest charitati deservire.

IV. Ideò metus gehennæ non excludit voluntatem peccandi, quia includit implicitè conditionalem illam, si non esset Infernus, peccarem; sic post alios citata Theologia Sanctorum *cap.* 74. *ratione decima*. Sed hoc reprobat Concilium. Ergo metus pœnarum excludit voluntatem peccandi. Nemò Catholicorum dicet Concilium minimè egisse directè contrà Lutherum, illiusque principia: porrò motivum unicum, quo movebatur Lutherus ad dicendum illum dolorem simplicis attritionis malum esse, & peccatorem facere, illud est, quia includit prædictam conditionalem — Et si liberè deberent „ (remoto præcepto, & minis pœnarum) „ confiteri certè deberent dicere, certè di- „ cerent, sibi non displicere eam vitam „ præteritam, quam sic coguntur displicere, „ confiteri — Inquit ille loco superiùs dato. Dùm ergo docet Concilium actum illum bonum esse contradictoriè ad Lutherum, pro certò negat non includere illam conditionalem; & si non sentiret excludere illam conditionalem, nequiret definire esse actum bonum veraciter, quia ille esset actus perversus; & sic timens afficeretur ad culpam, præferretque simpliciter pœnam culpæ, quæ est deordinatio pessima.

Dolor ex metu pœnarum liber est, & voluntarius.

V. Admittenda est in dolore ex metu Inferni exclusio voluntatis peccandi, si sit liber, voluntarius, & non coactus; nàm post alios, Theologia Sanctorum *loco* immediatè *cit. ratione* 2. 3. *&* 4. tota est in eo, quod remaneat voluntas peccati secundùm se, & affectus ille conditionatus, peccarem, si non esset Infernus, quia est dolor ille ex metu; & quæ sunt ex metu, sunt mixta involuntario, ac proindè recedens a voluntate peccandi ex timore Inferni, non recedit, nisi cum *aliqua displicentia, coactione, & involuntarietate*, idcirco remanet affectus secundùm se. Sed hoc est falsum. Ergo dolor simplicis attritionis excludit voluntatem peccandi. Ostenditur assumptum. Definit Concil. illo *Can.* 5. *Sess.* 14. dolorem attritionis esse liberum, damnans oppositum — Demùm illum „ esse dolorem coactum, & non liberum, „ ac voluntarium, anathema sit — Et hoc quidem ad sensum Lutheri, qui ideò coactum dicebat — Quia solùm timore præcepti, & „ dolore damni id facit — Nec omnem voluntarietatem tollebat Lutherus, quia concedit, quod homo dolet, abstinet, displicentiam habet de peccato: sed vult ipsum timorem gehennæ involuntarietatem includere, & Concilium si sentiret includi, diminutè processisset in sua definitione. Plenam voluntarietatem firmat Concilium, ideò non sufficit ipsi dicere, *non coactum*, addit, *non liberum*, nec sufficit, adjungit, *ac voluntarium*.

Ab intrinseco est ille metus, adeòque non est ex illis, qui involuntarium habent mixtum; ideò donum Dei magnum est. Audi August. *libro de gratia, & libero arbitrio cap.* 18. — In quo sanè Apostoli testi- „ monio cavere debemus, ne nos arbitre- „ mur non accepisse spiritum timoris Dei, „ quod sine dubio magnum est Dei donum „ &c. non quo timore Petrus Christum ne- „ gavit, sed illius timoris spiritum accepi- „ mus; de quo dicit ipse Christus Domi- „ nus: Eum timete, qui habet potestatem „ & animam, & corpus perdere in gehen- „ nam: ita dico vobis hunc timete: hoc „ autem dixit ne illo timore negaremus eum, „ quo turbatus est Petrus. Hunc enim au- „ ferri voluit a nobis, cùm priùs dixit: „ Nolite timere eos, qui corpus occidunt, „ & posteà non habent, quod faciant — Quomodo magnum donum esset, si complacentiam peccati contineret saltem conditionaliter? Quomodo per ipsum contineretur homo a Christi negatione, si voluntatem peccandi implicitè involveret? benè advertas; timori Dei servili eam insufficientiam ad continendam animam a peccato denegat Augustinus, quam tribuit mundano, quo Petrus negavit Christum.

VI. Dolor, qui non excludit voluntatem peccandi, & retinet complacentiam peccati secundùm se, & conditionalem, peccarem, si non esset gehenna, non est dispositivus ad justificationem, nec proximè, nec remotè; sed potiùs impeditivus. Sed dolor simplicis attritionis est ad gratiam justificantem dispositivus, definiente Concil. eodem Canone — Nec præparare ad gratiam — Ergo illas affectiones non continet. Accipe argumenti vim egregiam. Tridentinum *Sess.* 6. *Can.* 6. inter dispositiones ad justificationem enumerat cum fide, & spe timorem; & omnia Scripturis probat. Primam illis. *Accedentem ad Deum oportet credere*. Secundam. *Confide fili, remittuntur tibi peccata tua*. Tertium. *Timor Domini expellit peccatum*.

Et

Et loquitur clarissimè de timore servili: tum quia loquitur de illo, qui prævius est ad dilectionis inceptionem: tùm quia dicit. *A divinæ justitia timore, quo utiliter concutiuntur*: porrò si actus fidei includeret, vel tantùm implicitè complacentiam infidelitatis; si non excluderet etiam tantùm conditionalem assensum ad infidelitatem, idem dicas de spe, non esset dispositivus ad justificationem: ergo neq; timor talis esset, si illas affectiones, vel tacitè includeret. Audi Bernardum exponentem verba illa -- Timor „ Domini expellit peccatum, *Serm. de diversis affectionibus animæ*, Timor Domini, ait „ Scriptura, expellit peccatum, sive quod „ jam admissum est, sive quod tentat intra„ re. Expellit sanè illud pœnitendo, hoc „ resistendo -- loquitur de timore servili.

VII. Ea ratione non excludit gehennæ timor voluntatem peccandi, quia affectus peccati secundùm se retinetur; & ea ratione retinetur, quia oritur ex inevitabilitate pœnæ, quæ si non esset, non timeret, nec doleret, nec fugeret peccatum. Hoc est momentum præcipuum Adversariorum; sed hoc est apertè falsum: ergo. Declaratur ex Tridentini doctrina *Sess. 6. cap. 11.* ubi apertè docet præcepta Dei esse possibilia; & opera ex præcepto facta esse bona, & sancta, ac salutaria. Idem autem currit de dolore ex timore pœnæ, ac de operibus ex præcepto factis, quia præceptum ab extrinseco procedit, & connexam habet pœnæ comminationem: præceptum necessitatem imponit ad hunc sensum, quia impunè, & absque peccato violari nequit; ob quod motivum Hæretici volunt opera ex præcepto non esse bona, quia sunt ex necessitate: quo motivo negant opera ex voto facta nec magis meritoria esse, nec bona esse contrà Catholicos docentes oppositum. Docet Concilium esse bona: docent Patres esse sancta, nec involvi implicitè, aut conditionaliter affectum illum; Non facerem, si non esset præceptum. Illa necessitas non tollit plenissimam voluntarietatem: & quare comminatio pœnæ eandem voluntarietatem plenam non permittit, cùm sit ipsiusmet legis conditio? Inevitabilitas præcepti non infert implicitam conditionalem *non facerem*: & inevitabilitas comminatæ pœnæ, cur illud *non facerem* infert?

Rationem habes de primo ex Concilio, quia Deus dat gratiæ auxilium, quo homo potest expeditè præceptum implere, & implendo per consequens evitare pœnam: Ità similiter per gratiam Sancti Spiritus fit homo potens dolere de peccato, motivo timoris pœnarum, & evitare futura absque eo, quòd actus ille sit coactus. Ob aliud motivum Sancti Patres vocant felicem necessitatem eam, quæ oritur ex præcepto, & ex voto, quia eorum adimpletio conducit ad æternam felicitatem; & Deus ligans arbitrium per legem obligantem felicissimè ligat, quia simul bonum sempiternum promittit observantibus; & hinc oritur, quod illi actus, quibus observantur mandata Dei nullam mixtam habent coactionem. Consimiliter felix est illa necessitas, quæ est in timore pœnæ, quæ urget hominem, ut a malo infinito liberetur, & ad bonum infinitum acquirendum disponatur; ac proindè ille dolor peccati mixtam non habet coactionem; sed est perfectè voluntarius, & quemlibet affectum ad peccatum excludit. Quare ad rem non faciunt exempla naufragii, incendii, latronum, & similia, quæ proveniunt a principiis extrinsecis proximè inferentibus violentiam.

Felix necessitas, quæ ex voto, & præcepto oritur.

39 PROB. III. Minimè reprobanda est Sententia, quam Romanus Pontifex qualificavit auctoritativè; Sed attritionem simplicem excludere voluntatem peccandi qualificavit Romanus Pontifex auctoritativè: ergo non est reprobanda. Ostenditur assumptum. Alexander VII. suo Decreto an. 1667. 5. Maji declaravit immunem ab omni nota censurarum, adeòque sanam propositionem istam -- An illa attritio, quæ concipitur ex „ metu gehennæ excludens voluntatem pec„ candi, cum spe veniæ ad impetrandam „ gratiam in Sacramento Pœnitentiæ &c. -- Igitur gehennæ metus sufficit ad expellendam voluntatem peccandi.

Non subsistit autem effugium, quod cùm aliis adhibet Theologia Sanctorum, nempè hoc contineri in narrativa Pontificî facta ab assertoribus attritionis, non autem ex mente sua supponi; & an vera sit, vel falsa illa narratio, non declarat Pontifex; nam viam facilem continet eludendi Sedis Apostolicæ Decreta, & Pontificum, Principumq. Constit. Certùm utique est, quod in Decretis formandis, & subscribendis oportet statum quæstionis exponere. Qualis esset doctrina attritionis, proponitur, & qualiter inter Scholasticos controversa erat; sed hanc examinatam approbavit; adeòque ex mente sua supponit attritionem istam excludere voluntatem peccandi. Declaravit positione affirmativa, sententiam hanc esse communem: ergo novit ità esse. Non firmavit Decretum suum, nisi priùs examinata propositione, an bona, vel mala esset; & legitimè adjudicata tutò posse docere eam Theologos decrevit. Propositio ista ad mores pertinet, & quidem in re gravissima, & primariæ necessitatis; eam tradi pœnitentibus absq; ulla nota decrevit, necesse est ergo, quod supponat non esse falsam; aliàs non potuisset illam permittere, sed tanquam de subjecto non supponente reprobare debuisset; & narrativam tanquam falsam rejicere; aliàs errasset in Decreto auctoritativo ad mores spectante. Supponit igitur gehennæ metum excludere voluntatem peccandi; & quidem rectè, teste Bernardo *Serm. de diversis affectionibus animæ*, ubi multiplicem timorem describit, post primum gradum, qui est mundanus, & quem reprobat, secundum, qui est servilis, approbat dicens -- Jam verò secundo statu „ incipit esse sub domino, qui tanquam „ servus carcerem timet, & metuit, ne „ subigatur pœnis. In quo sanè statu con„ versio est, exitusque a seculo, & introi„ tus vitæ: undè & legis Principium sa„ pientiæ timor Domini --

Ex mente Pontificis attritio bona est.

Secundò. Alexander VIII. in suo Decreto edito 7. Decembris an. 1690. sequentes proscripsit propositiones. *Num. 9.* -- „ Reverà peccat, qui odio habet peccatum „ merè ob ejus turpitudinem, & disconve„ nientiam cum natura, sine ullo ad Deum

Propositiones ab Alex. VIII proscriptæ.

N n „ offen-

„ offensum respectu — *Num.* 10. — Intentio, „ qua quis detestatur malum, & prosequitur bonum merè, ut cœlestem obtineat „ gloriam, non est recta, nec Deo placens — *Num.* 15. — Attritio, quæ gehennæ, & pœnarum metu concipitur, „ sine dilectione benevolentiæ Dei propter „ se, non est bonus motus, ac supernaturalis — In his propositionibus ad rem præsentem duo sunt, primum, quod dolor de peccatis ex motivis propriis simplicis attritionis, videlicet, ex metu gehennæ, ex turpitudine peccati, & ex amissione beatitudinis, sit actus honestus, & laudabilis, secundum, quod dolor hujusmodi excludat voluntatem peccandi. Illud primum ex terminis habetur. Secundum ex legitima illatione, tum a posteriori, tum a priori.

Dolor ex metu gehennæ laudabilis.

A posteriori, seu ab extrinseco: tum quia aliqui ex Adversariis (non tamen omnes) eo motivo illos actus malos esse affirmabant, & non bonos, quia putabant non excludere voluntatem peccandi; cùm ergo declarentur boni, declaratur pariter excludere voluntatem peccandi: tum quia definiuntur boni, prout a suis Auctoribus benè sentientibus sunt exposti, & traditi; hi autem ità boni credantur, ut sufficienter disponant ad gratiam in Sacramento, pro quo effecto non valerent, nisi excluderent voluntatem peccandi; & de facto Auctores damnatarum propositionum hoc respiciebant, scilicet, ut a numero sufficientis dispositionis delerent hos actus.

Odium peccati non stat cum affectu ad illud.

A priori, seu ab intrinseco, quia odium absolutum peccati non stat cum affectu ad illud; odium enim necessariò includit displicentiam; displicentia autem non stat cum complacentia de eodem. Sed propositiones loquuntur de odio absoluto; hoc enim suadent illa verba, *qui odio habet peccatum, qui detestatur malum*: & de actibus absolutis, & efficacibus intelligi debent ad dandum locum quæstioni; siquidem, lis inter Scholasticos, an boni sint, vel non illi actus, an sufficiant, vel non in Sacramento, versatur circà actus absolutos, & efficaces; nullus enim nostrum est, qui dicat velleitates esse sufficientes dispositiones in Sacramento, tales autem actus profectò complacentiam peccati non subintelligunt, nec implicitè retinent. Dixi peccati, & peccatum nominat propositio, quia omnis formalitas peccaminosa displicet, licèt motivum displicendi possit esse hoc, vel illud. Pariter detestatio mali non stat cum affectu ad malum; detestatio enim est retractatio mali nocentis, quæ non stat cum voluntate ejusdem. Peccati dixi, & mali, quia omnis ratio malitiæ sub abominatione cadit.

40 DICES cùm aliquibus ex Adversariis, Decretum istud esse subreptitium, quia damnat doctrinam Sanctorum Patrum spiritu, & unctione refertam.

Decretum Alex. VIII. non est subreptitium.

Sed hoc est argumento cedere, non solvere. Levе effugium est hoc, subreptitiam vocare sententiam; effugium ad declinandam difficultatem satis obvium, & opportunum. Non sufficit dicere subreptitium, sed oportet probare, & quidem rationabilibus momentis, id enim postulat veneratio ergà Sedem Apostolicam. Pari enim intentione vocatur subreptitium hoc Decretum, qua subreptitia vocabatur a suis Bulla *in Eminenti*, ad effugiendam doctrinæ damnationem per eam factam adversùs Bajum; & ideò in trigesimo primo numero in Decreto Alexandri VIII. proscribitur. Proscriptam vocare Sanctorum Patrum doctrinam est velle altum nimis sapere. Sedes Apostolica legitimus est Patrum, Scripturarumque interpres, & non privati Doctores, & quam illa approbat, illa est sana Patrum doctrina. Quisumque suarum opinionum sobrius amator est, judicis superioris non abhorret judicium; nec proprio sensu Patres interpretatur.

41 DICES non inferri malos esse illos actus, & attritionem esse peccaminosam ex eo, quòd non excludant positivè voluntatem peccandi, propter tria. Primò, quia non omne, quod ex solo illam voluntatem non excludit, est peccatum, ùt constat in fide. Secundò, quia illa voluntas antecedens non est effectus illius timoris, sed præcedentis amoris ad peccatum, & non sufficienter retractatum. Tertiò, quia illa affectio conditionalis plerumque non est actualis, vel virtualis, sed habitualis, & concomitanter se habens, nec minùs vitiat attritionem, quam fidem.

Nos non diximus illos actus esse malos, quia non excludunt voluntatem peccandi, sed diximus legitimè inferri, excludere omnem voluntatem peccandi hoc ipso, quod boni declarantur, quia proponuntur boni in linea actus absoluti, & efficacis: nec aliter esse potest, quia efficaciter nolens aliquod, quia sibi nocens, non vult illud secundùm omnem formalitatem, in qua reperitur illa ratio nocens, & eò magis si est ratio indivisibilis, & transcendens: attritio autem non vult peccatum, illudque odit, ac detestatur, quia nocens homini, qui atteritur, & ideò nocens, quia trahit ad inferos; Igitur quamcumque formalitatem destruere debet, in qua eadem ratio nocendi reperitur, in quolibet autem respectu, qui verè sit peccaminosus mortaliter, illa ratio nocens reperitur; quia omnes respectus, qui est verum peccatum lethale, trahit ad inferos, & cuilibet affectui, qui sit verè peccatum mortale, intrinsecus est reatus ad gehennam. Si ergo illa voluntas, quam vocant antecedentem est verum peccatum, trahit ad inferos, adeòque veracissimè retractatur ab eo, qui efficaciter atteritur; qui enim sic atteritur, absolutè, & sub nullo statu, aut conditione vult damnari. Optimè D. Thomas 1. 2. *q.* 25. *art.* 2. — Quia enim „ bonum quæritur, ideò refutatur opposi- „ tum malum — Quia ergo, qui atteritur vult sibi bonum sui esse naturalis, & supernaturalis, ideò non vult malum gehennæ, quod est illi oppositum; & refutat illud, ad quod sequitur inevitabiliter gehenna, ad illam velleitatem, ùt vocant, conditionalem sequitur inevitabiliter gehenna, si semel est verum peccatum, ergo illam refutat. Sic igitur illativè deducitur excludi voluntas peccandi lethaliter. Quapropter nobis non officiunt, quæ in inlatoria dicuntur, ut omnis tamen æquivocatio tollatur.

Ad

Ad primum . Conceditur non omne non excludens illam voluntatem esse peccatum ; sed negatur de tali non excludente. Si quis ita reverà sit affectus actualiter , ut velit illam voluntatem peccandi , verè peccat ; ex vi autem attritionis actualis in principiis Adversariorum , qui atteritur , actualiter habet illam voluntatem , & est intrinseca ipsi actui illa conditionalis *peccarem , si non esset gehenna* , quia est actus per ipsos mixtus involuntario , utique actuali . Concedimus fidem non excludere voluntatem peccandi , & tamen non esse peccatum , & ratio est clara , quia fides non tendit ex suo conceptu in destructionem peccati , sed credit Deo loquenti in quacumque materia ; si autem poneretur ità credens, ut assensum aliquem etiam conditionalem ad oppositum retineret , utique illa non esset fides, sed nulla fides , sed mala .

Ad secundum , & tertium . Petimus . Illa voluntas antecedens, ille effectus amoris praecedentis, illa velleitas habitualis concomitanter se habens est peccatum formale , vel non : si non est peccatum formale, finita est lis, quia qualiscumque affectus , qui non est peccatum formale, componitur cum dispositione ad justificationem ; Si est peccatum formale. quaerimus, an sit peccatum diversum, & distinctum a peccato habituali ; Si distinctum, necessè est, quod sit actuale , si est actuale , jam insicit actum ex doctrina Adversariorum , & est in terminis implicatorium, quod peccans actualiter seriò nolit peccare, & de peccatis seriò doleat . Si autem non est distinctum a peccato habituali , petimus, an taliter debeat odio haberi , ut tollatur , & retractetur, vel solùm retractari seriò, & veraciter . Si primum dicatur: Igitur dolor de peccatis commissis ex amore Dei benevolo imperfecto , ùt vocant , etiam non excludit positivè omnem voluntatem peccandi , adeòque non est sufficiens dispositio ad justificationem , siquidem eo posito remanet adhuc peccatum habituale ; Si autem sufficit seriò illud retractare, attritio nostra veraciter retractat , ùt evincunt jam dicta.

Et iterùm explicatur ea doctrina D. Th. 1. 2. *q.* 29. *art.* 2. ubi -- Per hoc enim aliquid est repugnans alteri, quia est corruptivum , vel impeditivum ejus , quod est conveniens ; undè necessè est, quod amor sit prior odio , & quod nihil odio habeatur, nisi per hoc, quod contrariatur convenienti, quod amatur , & secundùm hoc omne odium ex amore causatur -- Illud ergo totum odio habetur , quod est corruptivum convenientis ; atqui illa velleitas, illa affectio habitualis est corruptiva convenientis, si semel ponitur verum peccatum ; trahit enim ad inferos : ergo odio habetur . Repugnat amori sui ipsius illa conditionalis complacentia peccaminosa ; igitur propulsatur per odium ab amore causatum .

42 DICES iterùm cum iisdem , illos actus esse bonos motus ex officio, ùt vocant, idest secundùm speciem, non autem in individuo; in individuo enim mali sunt propter defectum relationis in Deum ; Pontifex autem damnationem tulit solùm attendendo ad speciem ; non enim est credibile , quod voluerit damnare B. Paulum, quem Patres, & innumeri Doctores sequuntur , docentem omnia nostra referenda esse in Deum .

Haec est egregia via ad effugiendum Decretum Pontificum ; sed docente Hieronymo ad Rusticum , Christus arte non illuditur . Illae propositiones practicae sunt , & practicae damnantur , praxis verò individuationem spectat . Septima propositio Alexandrini Decreti innegabiliter individualitatem respicit -- Omnis humana actio deliberata „ est Dei dilectio, vel mundi : si Dei , cha„ ritas Patris est , si mundi concupiscentia „ carnis, hoc est , mala est -- Hujus autem propositionis corrolaria sunt , & illationes apud suos Patronos 8. 9. 10. 11. 13. & 15. propositiones, ac per consequens in individuo intelliguntur , & damnantur . Deindè individualitatem absque dubio significant locutionum termini , ùt -- Reverà peccat, qui „ odio habet peccatum &c. -- Reverà peccat , idest actu peccat : ùt -- intentio, qua „ quis detestatur malum , & prosequitur „ bonum &c. ùt , mercedis intuitu Deo fa„ mulatur &c. -- & sic de aliis ; actus exercitus bis exprimitur, & non species tantùm . In his locutionibus planè includitur respectus ad subjectum , & objectum formale ; ideòque , & secundùm speciem , & in individuo sunt prolatae . Ulteriùs in praefatione Decreti habetur -- Ut in offenso gradu per „ rectas semitas possint incedere, & pascua „ nimium perniciosa in pravis doctrinis vi„ tare -- In materia morum gradu non incedunt Fideles , nisi secundùm actiones in individuo positas, non autem secundùm speciem tantùm consideratas . Ab ovibus pascua noxia non vitantur , nisi individualiter inspecta ; & ovibus Christi providere intendit Decretum . In conclusione habet -- Insu„ per &c. ne praedictas opiniones , aut ali„ quam ipsarum ad praxim deducat -- ergo ad praxim respicit Pontifex : ergo non damnat praecisè eas secundùm speciem consideratas , sed etiam relativè ad individualitatem .

Quod clarè exponitur . Secundùm suos Patronos, si peccator actu exercitu detestetur peccatum propter metum gehennae,hic actus, hic , & nunc est pabulum noxium , est pabulum mortis , quia est verum peccatum , in individuo acceptus per ipsos , licèt secundùm speciem bonus sit : ergo Pontifex suo Decreto non sustulit pravum pabulum, cùm damnavit reverà peccare eum , qui odio habet peccatum propter turpitudinem , vel propter gehennam, quia stante ea distinctione, reverà peccat in actu , qui sic odio habet peccatum ; nihil ergo egit Pontifex in bonum animarum , in quarum maximam perniciem cedere declaravit doctrinam illarum propositionum : Diminutè ergo processit nihil addens, per quod dignoscerent Fideles eas prohiberi praecisè secundùm speciem , non verò in individuo . Non est ulteriùs immorandum in istis, res plana est . Ad mentem auctorum illarum propositionum damnatae sunt ; Auctores autem in sensu practico,& in casu individuali accipiunt, & intendunt statuere doctrinam contrariam illi, quam tradunt Patroni timoris Christiani,

 & hi

& hi in praxi, in individuo docent illos actus eſſe bonos.

Omnis ferè error Scripturā pro ſe ſtare contendit.

Quandò autem dicitur, quod Pontifex non intendit damnare Beatum Paulum, reſponſione non indiget. Omnis ferè error a primis Seculis damnatus ab Eccleſia, aliquam pro ſe allegabat Scripturam, numquid ergo Scriptura damnat? Pravam, vel extortam intelligentiam Scripturarum, obliquam applicationem proſcribit ſuis Decretis Eccleſia. B Pauli dictum continere poteſt conſilium, continere poteſt præceptum, & dato quod præceptum contineat, reſtat videndum, qualis in Deum relatio ſufficiat ad ſatisfaciendum. Noſtra Schola Thomiſtica defendit nullum dari actum in individuo indifferentem, utitur etiam illo Beati Pauli dicto, & tamen non docemus peccare ſemper in individuo, qui in ſtatu peccati habitualis elicit actus Fidei, Spei, Attritionis, amoris concupiſcentiæ deſiderando mercedem æternam &c., & optimè ſalvamus Paulum, Patres, & Concilia. De quo N.N. Salmat. 1. 2.

43 PROB. IV. ex illis verbis Chriſti; *Nolite timere eos, qui occidunt corpus &c.* Non minùs eſt efficax timor gehennalis ad repellendum omne inductivum gehennæ, quam timor mortis corporalis ad repellendum omne inductivum mortis; hæc enim eſt vis diſcurſus Chriſti Domini in illa antitheſi: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, ſed magis timete eum, qui poteſt corpus, & animam perdere in gehennam*: ſed certò certiùs timor mortis corporalis vi ſua efficax eſt ad repellendum omne inductivum mortis: ergo timor gehennæ vi ſua abundè ſufficiens, & efficax eſt ad repellendum omne inductivum gehennæ; Sed omnis affectio lethaliter peccaminoſa eſt inductiva gehennæ: Ergo timor gehennæ efficax eſt ad repellendam omnem affectionem lethaliter peccaminoſam. Iſte diſcurſus conſideratus abſque ulla præventione præconceptæ opinionis eſt demonſtrativus; & talem agnoſcit S. Joannes Chryſoſtomus *Homil. 5. ad Populum Antiochenum*, ubi poſtquam declaravit timorem mortis, quam infligendam a Rege irato ob fractas ſtatuas, & ob denegatum cenſum metuebant Antiocheni, quo parati erant dare omnia, ut ſalvi fierent; deſcendit ad timorem gehennæ, & habet -- Sicut itaque priuſquam nobis timor „ mortis immineret, nos pecuniarum mul„ cta carpebat: poſtquam verò nefanda „ perpetrata ſunt, hæc cauſa mortis timor „ ſuccedens mulctæ dolorem expulit: ſic „ & gehennæ timor ſi comprehendiſſet ani„ mas noſtras, non mortis timor habuiſſet: „ ſed quemadmodum in corporibus, quando „ nos duo dolores compreſſerint, inferio„ rem potentior abſcondere conſuevit: ſic „ & nunc factum eſſet, ſi futuri ſupplicii ti„ mor in anima remanſiſſet, omnem timo„ rem obſcuraſſet. Itaque ſi quis gehennæ „ ſemper meminiſſe laboret, omnem mortem „ deridebit: & non præſenti tantùm angu„ ſtia liberabitur, ſed & ab illa flamma „ eripietur. Gehennam enim continuè ti„ mens nunquam in gehennæ ignem deci„ det, continuo hoc caſtigatus metu -- Non evitatur autem gehennæ ignis, niſi pecca-

A tum evitetur; ſi ergo timor gehennæ potens eſt ad effugiendam gehennam, valens eſt etiam ad effugiendum peccatum.

44 Huic tamen evidentiſſimo argumento Theologia Sanctorum reſpondet ducere in interitum, quia ſolo amore ſui propter ſe, & ſolo timore naturali inferni ſine alio motivo poſitivè excludi poſſet omne inductivum inferni. Deindè dicit diſparitatem eſſe, quia ad primum ſufficit amor ſui propter ſe, ſeu amor vitæ corporalis; ad excludendum verò omne inductivum Inferni, non ſufficit amor ſui propter ſe, ſed eſt neceſſaria averſio a peccato ſecundùm ſe, neceſſarium ipſius verum odium, neceſſaria ad Deum converſio;
B hæc non poteſt facere timor ſervilis.

Verùm ſi diſcurſus iſte valet, etiam amor Dei benevolus ordinis naturalis ducet in interitum. Æquè autem datur timor gehennæ naturalis, & amor Dei naturalis: ergo unus æquè, ac alter malus cenſendus erit. Falſum itaque eſt eandem efficaciam habere timorem naturalem gehennæ, ac ſupernaturalem, ſicut evidens eſt, quod magis eſt potens voluntas ſub auxilio ſupernaturali, quàm ſub naturali. Ex definitis habemus attritionem ſupernaturalem eſſe diſpoſitionem ad gratiam, ſecùs naturalem, adeòque diverſimodè loquendum eſt de una, ac de altera. Alia, quæ ſub-

Timor naturalis diverſimodè operatur, ac ſupernaturalis.

C duntur, probanda ſunt; argumentum verò adductum appoſitum probat. Illud eſt, quod evincit argumentum, ſi amor vitæ corporalis ſufficiens eſt abundè ad excludendum omne inductivum mortis, cur amor vitæ animæ, ſeu Beatitudinis æternæ, quæ indiſpenſabiliter amittitur, & innegabiliter non poteſt conſervari in Inferno, non ſufficiet ad excludendum veraciter omne inductivum Inferni, & peccatum ſecundùm ſe, cùm primum tale inductivum ſit Inferni, alias peccatum non erit? Timor mortis primæ, quæ eſt minùs malum, ſufficit ad verum contemp-
D tum, & odium omnis inductivi mortis, cur timor mortis ſecundæ, qualis eſt gehenna, non excludet omne inductivum Inferni? Semper fortiùs vincit infirmiùs ex regula Divi Chryſoſtomi.

Illa autem replicatio, *peccatum ſecundùm ſe*, eſt egregium phantaſma logicum; in re autem nihil eſt; ſi enim peccatum eſt, ſub illa reduplicatione ad Inferos ducit; omne enim reale mortale peccatum damnationis reatum fundat. Quandò dicitur neceſſariam eſſe verum converſionem ad Deum, vel eſt ſenſus de converſione habituali, quæ incompoſſibilis ſit cum peccato habituali;
E & tunc neque amor Dei benevolus faciet veram converſionem ad Deum ſecundùm ipſos. Vel eſt ſenſus de converſione actuali diſpoſitiva, & tunc manifeſtum eſt timorem ſervilem facere verum converſionem ad Deum, cùm definierit Eccleſia attritionem Chriſtianam diſponere ad gratiam. Solutione argumentorum res clareſcet.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

ARt. 1. Disput. 3. §. 2. 3., & 4. referuntur omnia argumenta Adversariorum, tum a Scripturis, tum a ratione, quæ hic repetere non vacat; quare aliqua solùm momenta diversis verbis noviter relata a Modernioribus subjiciemus. Ubi illud advertere præstat. Argumenta, quibus ex hoc capite utuntur pro impugnanda efficacia simplicis attritionis, tum pro excludenda voluntate peccandi, tum pro præparando corde ad justificationem sacramentalem esse illa omnia, quibus utebantur quidam ad sustinendum opus ex timore gehennæ esse malum, seu timorem gehennæ non esse bonum (licet non eadem intentione, & illatione) de quo testes appello Theologos; cùm ergo doctrina illa sit justissimè damnata, sequitur ea carere omni vi ad concludendum; seu veriùs, sequitur nostræ causæ multùm accessisse. Cardo unus ex potioribus, quo tuebantur illum actum non esse bonum, est, quia componi dicebant cum voluntate peccandi saltem conditionali, qua propter posita definitione, quod actus ille bonus sit, principium istud necesse est, quod sit infirmum. Nihilominùs, sit.

45 OB. I. Tandiù perseverat moraliter affectus peccati, & non excluditur, quandiù non retractatur per affectum contrarium juxtà regulam D. Augustini *lib. 2. adversùs Adversarium Legis, & Prophetæ cap. 7.* — Desi-
„ derium peccandi non extinguitur, nisi
„ contrario desiderio rectè faciendi, ubi fi-
„ des per dilectionem operatur — Sed dolor ex solo timore servili gehennæ non est affectus contrarius affectui ergà peccatum secundùm se: ergo per illum non retractatur. Probatio minoris continetur his verbis apud Theologiam Sanctorum — Neque enim vo-
„ litio, & nolitio, amor, & odium, com-
„ placentia, & displicentia ergà eandem
„ rem, quocumque modo spectatam invicem
„ contrariantur, sed nolitio, & volitio,
„ amor, & odium, complacentia, & di-
„ splicentia ergà eandem rem, eodem modo
„ spectatam, ùt notum est ex dialecticis
„ legibus oppositorum, & contrariorum.
„ Sola proindè nolitio, solum odium, sola
„ displicentia peccati secundùm se spectati
„ contrariantur volitioni, amori, & com-
„ placentiæ peccati secundùm se spectati.
„ Atqui nolitio, odium, displicentia ex solo
„ servili metu Inferni, non est nolitio, odium,
„ & displicentia peccati secundùm se, sed
„ secundùm quod est inductivum Inferni
„ dumtaxat; Neque enim perculsus timore
„ Inferni sine alio adjuncto motivo, aliter
„ considerat peccatum, quam ùt Inferni
„ inductivum; quæ ratio, & consideratio
„ alia est, seu diversa a ratione peccati se-
„ cundùm se. Immo est natura posterior
„ cum unumquodque priùs natura conside-
„ retur in ordine ad effectum extrinsecum.
„ Infernus verò, seu pœna Inferni sine alio
„ motivo est effectus extrinsecus peccati se-
„ cundùm se considerati. Igitur nolitio,
„ odium, & displicentia peccati ex solo ti-
„ more servili Inferni sine alio motivo non
„ est nolitio, odium, & displicentia pec-
A „ cati secundùm se, sed secundùm rationem
„ naturâ posteriorem: ergo non contraria-
„ tur volitioni, amori, & complacentiæ
„ peccati secundùm se. Ergo volitionem,
„ amorem, & complacentiam istam non ex-
„ cludit, neque excludere potest, sed so-
„ lus amor divinæ legis secundùm se, cui
„ peccatum secundùm se contrariatur;
„ utpotè dictum, factum, & concu-
„ pitum contrà divinam legem — Hæc ibi.

Loco cit. plura dabimus in hujus argumenti solutione: Placet tamen hic pauca subnectere, ut argumentum ex toto evertatur. Igitur argumentum regulis Dialecticæ circa
B immediatam, directamque oppositionem contrariorum innititur, verùm ad easdem attendendo omninò corruit. Secundùm leges Dialecticas contrariorum oppositio triplex statuitur, subjectiva, scilicet, objectiva, & finalis, seu motiva. Si attendamus ad subjectivam non solùm attritio supernaturalis, sed neque perfectissima contritio directè contrariatur affectui ad peccatum secundùm se, quia affectus ille, cum sit naturalis, subjectatur in potentia naturali animæ, vel potentiæ volitivæ; contritio verò perfecta subjectatur in potentia obedientiali, cùm sit supernaturalis. Potentia naturalis, &
C obedientialis sunt duo sinus subjectivè formaliter distincti, qui impediunt directam oppositionem contrariam, ùt docent ex D. Th. N. N. Salmat. *de vitiis, & peccatis Disput.* 1. Si attendamus ad oppositionem objectivam, pariter contritio perfectissima non contrariatur peccato secundùm se considerato, quia objectum specificativum, & constitutivum peccati in sui essentia est illa materia particularis, in qua versatur, puta, justitiæ, temperantiæ, Religionis &c. sed hoc objectum non contrariatur directè objecto charitatis, a qua est dolor contritionis, ùt evidens est, sicut evidens est, quod contritio, & charitas
D non sunt virtus Justitiæ, Temperantiæ, & Religionis: odium quidem formale Dei objectivè opponitur charitati, sed non omne peccatum; adeòque præter illud, nullum aliud retractaretur per contritionem perfectam.

Si attendamus ad motivum, seu ad finalem, & motivam oppositionem, neque habetur oppositio contraria directa inter peccatum secundùm se, & perfectam contritionem; quia motivum peccandi est adimpletio propriæ cupiditatis in hac, vel illa materia; motivum autem contritionis perfectissimæ est divina bonitas in se ipsa, & propter se: non
E sunt autem directè opposita divina bonitas in se ipsa, & propter se ipsam, & cupiditas propria; sed solùm opponuntur directè, quatenùs una est destructiva alterius, quod neque accidit directè, sed tantùm interpretativè. Si verò tota oppositio reducatur ad peccatum secundùm se, secundùm rationem transcendentalem essendi contrà legem Dei, multò minùs per perfectissimam contritionem ex vi directæ oppositionis tollitur affectus peccati secundum se: & ostendo ad hominem ex relatis in objectione, ubi affirmatur odium peccati ex timore servili non posse excludere affectum peccandi secundùm se, sed *solus*

amor

amor divinæ legis secundùm se, cui peccatum secundùm se contrariatur : sed evidentissimè perfectissimus amor Dei in se ipso, & propter se ipsum, non est amor formalis, & directus divinæ legis secundùm se, ùt ex terminis liquet: Ergo per dolorem ortum ex divino amore perfectissimo secundùm regulam statutam ab Adversariis, non tollitur affectus ad peccatum secundùm se.

Ex Adversariorum doctrina roboratur responsio.

46 Per Adversarios ex motivo divinæ offensæ formaliter, dolor ortus de peccato tollit affectum peccati secundùm se; sed stante ipsorum doctrina hoc est falsum. Ideò enim motivum gehennæ non tollit, quia non contrariatur directè peccato secundùm se, & hoc, quia natura consequitur ad esse peccati secundum se; Sed ratio offensæ divinæ consequitur naturâ peccatum ipsum secundùm se. Ex Doctrina Adversariorum peccatum secundùm se consistit in esse contra legem Dei; sed ad hoc sequitur ratio offensæ, ex quo enim frangitur lex, injuriatur, & offenditur persona legislatoris, proportionaliter, ac sequitur ad fractionem legis reatus pœnæ æternæ. in re quidem sunt unum fractio legis, offensa legislatoris, reatus pœnæ æternæ, ùt ex D. Th. ostendunt N.N. Salmat. *de vitiis, & peccatis disput.* 17. Ordine tamen priùs est esse peccati per contrarietatem ad legem, offensa autem, & reatus consequuntur naturâ posteriùs: & per nostram considerationem; & declarant a posteriori. Ex D. Th. prout docent Salmat. N.N. *loco cit.* pœna directè correspondet malitiæ peccati ob fractionem legis; offensæ verò correspondet satisfactio; adeòque non est unus, & idem conceptus esse peccati secundùm se, & esse offensæ, sed iste ad illum sequitur. Et hìc obiter nota, quod ad sensum Adversariorum motivum pœnæ immediatiùs se habet ad esse peccati secundùm se, cum hæc directè correspondeat malitiæ peccati; minùs autem immediatè motivum offensæ, cui correspondet satisfactio.

Ad idem ex doctrina Adversariorum; dolor de peccato ex motivo proprio charitatis, & ex motivo strictæ, & rigorosæ pœnitentiæ virtutis tollit affectum peccati secundùm se; Sed stante principio eorundem hoc est falsum: ergo instantia non subsistit, & coguntur fateri non esse necessariam illam directam oppositionem, quam prætendunt stabilire. Declaratur assumptum. Motivum proprium charitatis est diversum a motivo virtutis pœnitentiæ; sunt enim virtutes omninò diversæ: ergo non contrariantur ambo peccato secundùm se sub eadem ratione: ergo non eodem modo spectatum peccatum odit charitas, & pœnitentia, aliàs non procederent sub motivo diverso formali; igitur non est necessaria illa directa oppositio, quam inducunt contrà nos, sed sufficit detestatio seria peccati ex motivo illi connexo, & in illo radicato. Explicatur excellenter ex doctrina D. Thomæ 3. *p. q.* 85. *art.* 2., & 3. Charitas dolet de peccato, ùt est malum Dei præteritum. Pœnitentia dolet de peccato ùt destruibile per remissionem, & etiam ùt compensabile per satisfactionem. Malum Dei ùt malum Dei in peccato non est ipsa ratio destruibilis ùt destruibilis per remissionem, & ex adversò nec est ipsa formalis oppositio ad legem, & tamen si pœnitentia tendat in peccatum sub ratione formali destruibilis per remissionem, detestatur peccatum ipsum secundùm se; similiter si charitas tendat in peccatum, quatenùs est malum Dei, odio habet peccatum secundùm se: ergo si timor Christianus tendat in peccatum motivè sub ratione formali inductivi ad inferos, seu ùt habentis reatum gehennæ, odio habebit peccatum secundùm se; ratio enim connexionis eadem est in primis formalitatibus, ac in secunda, omnes enim radicat ipsum esse peccati, seu esse contra legem divinam.

Ostenditur ulteriùs non requiri prætensa directa oppositio (& detegitur altera radix æquivocationis.) Stat, quod ratio motiva actus, & motus sit per effectus, & tamen motus terminetur ad ipsam causam secundùm se, & illam destruat: ergo stare potest, quod motus attritionis consurgat motivè ab aliqua ratione effectus peccatum consequente, & tamen terminetur ad ipsum peccatum secundùm se, & illud affectivè destruat. Antecedens propositio demonstratur. Odium formale Dei terminatur ad Deum ipsum prout in se, summum bonum est, ipsumque affectivè destruit; & tamen ratio motiva non est Deus in se bonus, sed Deus apprehensus ùt vetans per legem voluptates, & ùt punitor peccati per gehennam, hoc est per effectus, ùt optimè explicat S. Thomas 2.2. *q* 34. *art.* 1.

Altera radix æquivocationis detegitur

Item manifestatur nostra doctrina, (& aperitur altera radix æquivocationis.) Quandò aliquid expellitur a subjecto ab altero expulsione formali tunc oportet fieri per oppositum formale, quo sensu a manu frigus expellitur per calorem; secùs accidit, quandò unum ab alio effectivè expellitur; Atqui motus attritionis, sicut & contritionis, peccatum expellit effectivè: ergo non est necessè, quòd sit actus directè, & formaliter contritionis. Accipe totum planissimè ex D. Th. *loco prox. cit. ad* 3., quod est ipsa doctrina Adversariorum; sic enim habet -- Nihil „ expellitur, nisi a suo contrario; sed pœni„ tentia expellit omnia peccata: ergo con„ trariatur omnibus peccatis. Non ergo est „ specialis virtus -- Cui satisfacit sic -- Ad „ tertium dicendum, quod quælibet virtus „ specialis formaliter expellit habitum vitii „ oppositi, sicut albedo expellit nigredinem „ ab eodem subjecto: sed pœnitentia ex„ pellit omne peccatum effectivè, in quan„ tùm operatur in destructionem peccati, „ prout est remissibile ex divina gratia ho„ mine cooperante, undè non sequitur, „ quod sit virtus generalis -- Cùm ergo attritio tendat affectivè in destructionem peccati sub motivo inductivi ad inferos, non oportet quod sit per volitionem directè, & formaliter contrariam.

Auctoritas August. malè intellecta.

47 Nunc ad argumentum dicimus perperam assumi auctoritatem Sancti Augustini, quàm pro axiomate usurpant Adversarii; siquidem S. Doctor ibi aliud non intendit, nisi demonstrare legem veterem occasionaliter excitare pruriginem peccandi, & non habere virtutem superandi; sed gratiam victricem

ctricem haberi a lege gratiæ, & Christi. Hoc evidenter demonstrant antecedentia, & consequentia, ad quæ remitto Lectorem. Hoc indicant ipsa verba citata. Accipe illa — Prohibitio enim peccati, quod est „ lex, auget profectò desiderium peccan- „ di; quod non extinguitur, nisi contra- „ rio desiderio rectè faciendi, ubi fides per „ dilectionem operatur — Quorum est sensus desiderium contrarium peccati extinctivum haberi, non in lege veteri, sed in lege gratiæ, ideò advertenter dicit, *ubi fides per dilectionem operatur*. Hoc est in lege charitatis. Dato tamen, quod usurpetur Augustinus ad rem præsentem, adhuc nihil officit, siquidem loquitur de affectu habituali, videlicet, de peccato habituali, quod est desiderium radicale peccati; sicut plerique Doctores interpretantur, inter quos N.N. Salmat. *Disput.* 4. *de Spe dub.* 3. certum est autem, quod hoc modo non potest tolli, nisi per gratiam, & charitatem, nec ad hunc effectum sufficit amor inchoatus Adversariorum.

Demus iterùm loqui S. Doctorem de affectu actuali, loquitur de illius positiva expulsione, non qualicumque, sed per extinctionem, ùt evidens est in contextu: ad hanc porrò expulsionem non sufficit amor initiativus, sed requiritur perfectus; via anima perfecta charitas extinguit desiderium peccandi; hæc enim extinctio est effectus perfecti status, & sanati. Concedamus accipere Augustinum illud, *extinguitur*, laté prout importat positivam actualem exclusionem affectus peccandi; nil adhuc pro Adversariis; nam desiderium, quod concipit Attritus metu gehennæ adimplendi legem Dei, est desiderium rectè faciendi, utique contrarium desiderio peccandi, utique in subjecto, in quo est fides, quæ est operativa per charitatem, quamvis actu non operetur; ab attritione enim non impeditur, ut possit operari, si subjectum velit; quid ergo deficit, ut per metum gehennæ excludatur desiderium peccandi? Et si metui aliquid deest, deest etiam amori inchoato Adversariorum, alludit enim Sanctus Augustinus ad locum B. Pauli *ad Gal.* 5. 6. B. Paulus verò clarè de charitate perfecta loquitur, non de inchoata.

48 OB. II. Quæ ex metu fiunt mixta sunt voluntario, & involuntario: sed attritio est dolor ex metu gehennæ conceptus: ergo est mixtus voluntario, & involuntario: ergo peccatum placet secundùm se: quæ enim hujusmodi sunt, voluntaria sunt spectatis circumstantiis, idest spectato malo effectu, qui timetur: sunt tamen involuntaria secundùm se, si affectus ad illa præcesserit; sic Mercator voluntariè projicit merces pro evitando naufragio, retinet tamen affectum ad illas secundùm se, ex quo capite illa projectio est involuntaria. Amplificat hoc argumentum Theologia Sanctorum 2. 3. & 4. ratione ex doctrina D.Th. 1. 2. *q* 6. *art* 6., & ex *art.* 7. ubi dat disparitatem inter ea, quæ fiunt ex concupiscentia, & ea, quæ fiunt ex metu: prima non habent mixturam involuntarii, secùs secunda: addit exemplum Dei, qui voluntate antecedenti vult salutem Judæ secundùm se; voluntate autem consequenti eam non vult.

Argumento loco sæpè citato fecimus satis, nunc hæc subjicio. I. Retorquendo in proposita materia. Etiam in fugiente peccatum hic, & nunc ex amore charitatis, placere potest peccatum secundùm se, quia secundùm se habere potest aliquam utilitatem, & delectabilitatem aliundè licitam, quam amans lubenter amplecteretur, nisi hìc, & nunc esset conjuncta cum displicentia amici. Patet etiam in adimplente legem ex amore charitatis, potest enim res prohibita, vel præcepta secundùm se displicere, quia secundùm se potest esse difficilis, & disconveniens naturæ rationali, idest voluntati, sicut optimè notant N. N. Salmat. *in Commentariis illius* 6. *Art.* 1. 2.

II. Supponendo in præsenti applicatam illam doctrinam esse contra Concilium Trid. absolutè definiens dolorem ex metu gehennæ esse liberum, & voluntarium, & non coactum, & nullum est verbum indicans mixturam involuntarii.

III. Negando assumptum in illis, quæ fiunt ex auxilio divinæ gratiæ, & dono Sancti Spiritus, dependentique ab hominum voluntate. Est ne mixtus involuntario actus fidei in Gentili, qui convertitur, qui si illum non facit, damnabitur? Est ne mixtus involuntario actus charitatis, urgente præcepto, quod si non adimpleatur, salus æterna amittitur? Absit. Apposuit Deus homini ignem, & aquam, ad quodcumque voluerit, se applicare potest; sub hoc tamen inevitabili discrimine: si malè eliget, damnabitur, si benè, salvabitur; nec tamen in hac electione miscetur involuntarietas, nisi fortè in aliquo casu propter defectum subjecti eligentis. Motio Divini Spiritus sufficiens est, ut hìc, & nunc fidelis timore gehennæ vincat gravissimam tentationem, multò magis ut vincat affectum peccati secundùm se, qui non ita urget voluntatem.

Motus Spiritus Sancti vincit affectum peccati.

IV. Negando universalitatem utriusque propositionis; utraque propositio etiam in naturalibus, sive in his, quæ aguntur ex metu, sive ex concupiscentia est indefinita apud D. Th., & solummodò ùt in pluribus verificatur. Habes exemplum primi. Debitor solvens pecuniam metu pœnæ comminatæ à Judice, non necessariò habet mixturam involuntarii, nec necessariò datur præsens nolitio secundùm se inefficax, quia potest, & posset illa pecunia tribui etiam amore justitiæ; Ita in casu nostro. Habes exemplum secundi. In avaro expendente pecuniam pro explenda concupiscentia mulieris; displicet illa expensio pecuniæ secundùm se; & non rara exempla habent Confessarii de iis.

V. Suppositum negando. Non est ex puro metu dolor peccati ob gehennam, sed fortiùs est ex concupiscentia maximi boni, videlicet, Beatitudinis, quæ est bonorum omnium aggregatio, & per gehennam amittitur.

VI. Distinguendo ab universali ad casum particularem, quamvis generaliter loquendo, quæ ex metu sunt, non tollant affectum ad rem secundùm se; in casibus autem particularibus secùs accidit, absorbante magnitudine timoris illam affectionem, & delectabilitatem, & constat a proportionali in concupiscentia. Hæc non rarò impellit

pellit ad aliqua, quæ sunt valdè difficilia, & valdè repugnantia voluntati, tamen passione præsente, ità delectabilitas rapit, ut omnem repugnantiam vincat, & absorbeat, nihilque involuntarii relinquat ex nullo capite, vehementia delectabilitatis apprehensæ impediente applicationem, & attentionem ad difficultatem, & disconvenientiam, & repugnantiam. Similiter in timore accidit. Hic licet secundùm se non impellat ad repellenda objecta amabilia, & delectabilia, nihilominùs passione præsente timoris, terribilitas ità rapit, ut omnem delectabilitatem vincat, & omnem affectionem ad illam absorbeat; quem effectum facillimè facit seria apprehensio pœnæ æternæ propter excessivam infinitiès magnitudinem mali supra quodcumque malum temporale, & voluptatem creatam.

VII. Distinguendum iterum a re præcepta formaliter ad rem præceptam materialiter. Aliud enim est considerare rem præceptam secundùm se materialiter acceptam; aliud considerare rem ùt formaliter sub præcepto. Res præcepta materialiter sumpta potest esse licitè volibilis (saltem si non sit intrinsecè mala) v. g. comestio carnis die Veneris: Res præcepta formaliter accepta non est licitè volibilis. Qui observat legem, qui de peccato dolet propter gehennam, retinere potest affectum ad rem prohibitam secundùm se materialiter acceptam, licèt non sit hoc necessè, quia potest ab illa præscindere, vel etiam nolle; non retinet tamen affectum ad rem prohibitam formaliter acceptam, prout enim sic spectat ad malum effectum; inducit enim ad inferos, & in hunc sensum stat proportio cùm exemplo de voluntate Dei antecedente, qui vult salutem Judæ secundùm se spectatam præcisivè a demeritis; adeòque exemplum est pro nobis. Omitto quintam, sextam, & septimam rationem, quia sunt repetitiones primi argumenti.

49 OB. III. Non excluditur voluntas peccandi, nisi excludatur voluntaria aversio a Deo: sed voluntaria aversio a Deo non excluditur, nisi per conversionem ad Deum; hæc autem non datur per timorem servilem, sed per positivum amorem Dei: Ergo timor gehennæ non excludit positivè voluntatem peccandi. Assumptum ostenditur: tum quia timore gehennæ homo non movetur in Deum, sed in pœnas, ex D. Th. *de verit. q.* 28. *art.* 4. *arg.* 2.: tum quia motus timoris est per modum fugæ ex eodem D. Th. 2. 2. *q.* 19. *art.* 11., qui verò aliquem fugit, vertit illi non faciem, sed dorsum: tum quia conversio tendit in Deum ùt objectum prosecutionis, Deus autem est objectum prosecutionis ùt amabilis, non ùt terribilis, qualiter a timore inspicitur: tum quia solus amor vertit ad aliquem, juxtà illud August. — Amor meus, pondus „ meum, eò feror quocumque feror —

Hoc argumentum cum similibus speciosa æquivocatione laborat. Motus ex Spiritu Sancto, qui a peccato avertit, procul-dubio convertit ad Deum: Teste D. Th. post alios Patres; timor gehennæ avertit a peccato: ergo convertit ad Deum. Motus per quem homo adhæret Deo, est conversivus in Deum; Sed timore servili homo adhæret Deo ex D. Th. superiùs relato ex 2. 2. *q.* 19. *art.* 1. ergo convertit in Deum. Motus per quem homo appropinquat Deo, convertit in Deum, D. Th. 3. *Sent. dist.* 34. *quæst.* 2. *quæstiunc.* 2. — „ Timor hic distinguitur secundùm ordi„ nem timentis ad Deum, cui per unum „ timorem magis appropinquat, vel distat, „ quam per alium &c. — ergo est conversivus. Motus, qui introducit charitatem, est conversivus in Deum: Sed timor servilis ex eodem D. Th. introducit charitatem 2. 2. *q.* 19. *art.* 8. *ad* 2. — Timor, qui est ini„ tium sapientiæ est timor servilis, qui in„ troducit charitatem, sicut seta introducit „ linum — ergo est conversivus. Motus, qui est a Deo, per ipsum ad se cor convertente, est in Deum conversivus; Sed timor servilis est a Deo per illum ad se cor convertente ex 3. *p. quæst.* 85. *art.* 3. *ad* 3. ergo est conversivus. Sed ulteriùs progrediamur, & detegamus fallacias, distinguendo multiplicem conversionem in Deum.

Timor servilis convertit ad Deum.

I. Alia est conversio in Deum actualis dispositiva, alia habitualis consummata. Hæc secunda non potest haberi absque charitate habituali justificante, nec est necessaria ad excludendam voluntatem peccandi; neque enim ipsimet Adversarii charitatem justificantem exquirunt. Sufficit igitur actualis ad justificationem dispositiva, ùt patet in amore inchoato Adversariorum; Atqui timor servilis disponit ad justificationem, teste D. Th. ad quem provocamur totiès *q.* 28. *de veritate ad* 3., ubi respondet primæ probationi in Object. citatæ, illis — Timor servilis, qui „ habet oculum ad pœnas tantùm, requiri„ tur ad justificationem ùt dispositio præce„ dens, non autem ùt intrans substantiam „ justificationis, quia simul cum charitate „ esse non potest, sed introeunte charitate „ timor discedit — Igitur timor servilis convertit in Deum.

Quotuplex conversio in Deum.

II. Alia est conversio objectiva, alia est conversio motiva. Conversionem objectivam voco illam, quæ imperat legis observantiam, quæ secundùm se ad Deum est. Æquo passu mensuratur conversio ad Deum, & aversio, seu contrarietas, quæ est in peccato ad Deum. Peccatum est contrarium Deo, quatenùs opponitur charitati, quæ habet pro objecto Deum, ùt benè explicant Salmat. N.N. *de vitiis, & peccatis Disp.* 17. ubi vocant eam objectivam contrarietatem. Ità motus, qui imperat legis adimpletionem, quæ ad Deum est, conversivus appellatur. Motivam appello illam, quæ fit ex propriis ipsius bonitatis divinæ. Hæc secunda non fit, nisi per formalem charitatem, quæ bonitatem divinam immediatè respicit; & solet vocari conversio ab intrinsecis Dei. Illa prima habetur per timorem servilem, quo concussus homo, legem observat ne in æternum pereat; & abundè sufficit ad excludendam voluntatem peccandi, sub qua lex non adimpletur; & solet appellari ab extrinsecis Dei.

III. Alia est conversio referibilitatis, seu actus, alia relationis, seu subjecti. Prima in eo consistit, quod motus tendens ad removenda impedimenta peccatorum sit secundùm se referibilis in Deum tanquam in ultimum finem. Secunda in eo consistit, quod

motus

motus iste proximè respiciat Deum tanquam ultimum finem. Hæc secunda non habetur absque vera dilectione Dei propter se. Prima reperitur etiam in timore servili sub statu servilitatis, ùt docet apertè D. Thomas, qui etiam sustinet secundùm aliquam rationem esse in charitate 2. 2. *q.* 19. *art.* 6.

IV. Alia est conversio ad Deum ùt a quo aliquid, alia est conversio ad Deum ùt ad terminum ad quem. Secunda exigit charitatem formalem, secùs prima. Timor servilis Deum directè respicit, non quidem ùt terminum immediatum sui motus, sed ùt principium inflictivum pœnæ, qui respectus non est absque aliquo genere subjectionis, & venerationis. Sicut etiam timor initialis respicit Deum tanquam terminum, a quo separari timet. Est doctrina Angelici Doctoris, quà distinguit propria specificativa timoris servilis, initialis, & filialis, 2. 2. *q.* 19. *art.* 5. *ad* 2. — Timor servilis, & ti„ mor filialis non habet eandem habitudi„ nem ad Deum, nam timor servilis respi„ cit Deum, sicut principium inflictivum „ pœna: timor autem filialis respicit Deum, „ non sicut principium activum culpæ, sed „ potiùs sicut terminum, a quo refugit se„ parari per culpam: & ideò ex hoc obje„ cto, quod est Deus, non consequitur iden„ titatem speciei: quia etiam motus natu„ rales secundùm habitudinem ad aliquem „ terminum specie diversificantur. Non enim „ idem est specie motus, qui est ab albedi„ ne, & qui est ad albedinem — His, & aliis similibus modis timor gehennæ ad Deum convertit, non quidem conversione omninò perfecta, & totali, & secundùm omnes vires, sed sufficienter pro actu disponente ultimatè, & proximè ad justificationem sub aliqua suppositione; (hoc est sub reconciliationis Sacramento) & pro excludenda veraciter voluntate peccandi.

Quæ verò objiciuntur, nihil evincunt. Timore movetur optimè homo in Deum dispositivè, ùt vidimus ex D. Th. respondente ad illam objectionem. Timor dicit fugam non a Deo, sed a malo pœnæ. Duplex est timoris objectum, pœna, & Deus. Accipe D.Th. 2.2. *q.* 19. *art.* 1. — Ità etiam timor „ duplex objectum habere potest, quorum „ unum est ipsum malum, quod homo refu„ git. Aliud autem est illud, a quo malum „ provenire potest. Primo ergo modo Deus, „ qui est ipsa bonitas, objectum timoris esse „ non potest, sed secundo modo potest esse „ objectum timoris, in quantùm scilicet ab „ ipso, vel per comparationem ad ipsum, „ nobis potest aliquod malum imminere — Comparativè ergo ad Deum timor non importat fugam tanquam a termino a quo; sed illum respicit sub aliqua comparatione tanquam terminum ad quem. Ideò dicit Scriptura, *Timete Dominum*. Nec dubium est, quin in hoc timore raluceat respectus aliquis, subjectio, & veneratio Dei; licèt non pertingat ad illum gradum, & speciem, quam attingit timor initialis, & filialis. Oppositorum opposita est ratio. In peccato ex eo, quod offenditur Deus, contemptus aliquis ex hoc capite consurgit. Dicit Angelicus in Ps. 50. ad illa verba: *Tibi soli peccavi, & malum coram te feci*, habens — Videtur autem Deum „ Judicem contemnere, qui non timet pec„ care propter judicium ejus, & similiter „ contemnit Deum ùt testem, qui peccat in „ oculis ejus — Quare ergo non est Deum revereri, si a peccato abstineamus timore ipsius judicii, & comminatæ peccatoribus pœnæ æternæ? Servus itaque Dominum reveretur, si libenter ejus mandata adimpleat, verbera metuens, aut mercedem expectans, etsi altioris perfectionis, & liberæ si qua filius obedit. Vertit faciem Domino ille servus obediens, non dorsum, vertit & ille filius, sed alio, & alio motivo. Subdit se Domino servus, subdit se filius, sed aliter, & aliter. Qui retrahit se a peccato, & bonum facit, Deo absque dubio faciem vertit, non dorsum; & tamen timore servili homo a peccato retrahitur, & bonum facit. Solvens secundum argumentum *art.* 3. *q.* 19. 2.2. Doctor Angelicus, in quo pro timore mundano referuntur verba illa B. Pauli ad Rom. 13. *Vis non timere potestatem, bonum fac*. Habet — Potestates „ seculares, quando inferunt pœnas ad re„ trahendum a peccato, in hoc sunt Dei „ Ministri secundùm illud *Roman.* 13. Mi„ nister enim Dei est, vindex in iram, qui „ malè agit. Et secundùm hoc timere po„ testatem secularem, non pertinet ad timo„ rem mundanum, sed ad timorem servilem, „ vel initialem — Ad patriam tendit, sive qui admotis calcaribus urget equum, sive qui flantibus ventis navigio trahitur.

Timore ad Deum accedimus.

Quando dicitur, quod converti dicit motum prosecutionis, applicari debet quid inde intelligatur: si intelligatur Deum, debere immediatè respici tanquam objectum formaliter dilectum, hoc est falsum: si pro motu prosecutionis intelligatur accessus ad Deum sub aliquo motivo honesto, hoc est verùm, & timore acceditur ad Deum. Auctor tractatus de vera, & falsa pœnitentia, cujus auctoritate utitur arguens, dicit, timore hominem verti ad Deum: si vertitur, accedit; negat quidem converti hominem per timorem, sed loquitur de plena, & totali, ad quam neq; sufficit amor imperfectus Adversariorum. *Convertimini a viis vestris pessimis*, dicit Dominus per Prophetam: timore autem fit aversio a viis peccatorum, ac proinde accessus, & conversio ad Deum; pari enim passu, quo receditur ab iniquitate, acceditur ad Deum. Deum profectò motu prosecutionis inspicit, qui veraciter legem Dei adimplet, per timorem hoc homo consequitur. S. David non recedebat, sed accedebat ad Deum eo tempore, quo adimplebat mandata propter retributionem, & tamen tunc non habebat motum prosecutionis sub motivo dilectionis, quoniam bonus. Accedit ergo homo per attritionem ad Deum dispositivè, quatenùs præparatur ad justificationem, executivè, quia adimplet ejus legem, finaliativè, quia ille actus secundùm se respicit Deum tanquam ultimum finem, quia bonus, & supernaturalis in eum referibilis.

Quandò dicitur, quod amore ferimur, quocumque ferimur, conceditur; qui verò Deo servit metu gehennæ, & a peccatis abstinet, sano, & sancto amore spei fertur. Non autem est semper necessarium pondus

amoris divini . Uno verbo, probant omnia, quæ adducuntur ad perfectam conversionem requiri dilectionem, secundum non perfectam; ad perfectam autem non sufficit, nequa dilectio inchoata Adversariorum. D.Bernardi testimonio claudamus argumentum : *lib. de modo bene vivendi ad Sororem Serm. 6.* habet --
„ Sunt multi homines, qui ex sola mentis
„ devotione convertuntur ad Deum . Multi
„ etiam coacti plagis convertuntur ad Deum,
„ qui ex devotione non convertebantur, si-
„ cut in Psalmo legitur: In camo, & fræno
„ maxillam eorum constringe, qui non ap-
„ proximant ad te --

50 OB. IV. Timor purè servilis unicè oritur ex amore sui propter se, ex D. Th. 2. 2. *quæst.* 43. *art.* 1. illis -- Ex hoc enim,
„ quod aliquis amat aliquod bonum sequi-
„ tur, quod privativum talis boni sit ei ma-
„ lum, per consequens timeat ipsum tanquam
„ malum -- Undè Augustinus *lib.* 8. *q.* 33. --
„ Nulli dubium est, non aliam esse metuen-
„ di causam, nisi ne id, quod amamus, aut
„ adeptum amittamus, aut non adipiscamur
„ speratum -- Sed amor sui propter se nequit positivè excludere omnem voluntatem peccandi : tum quia sine vitio quisquis non diligit semetipsum propter se -- Cum defe-
„ ctu aliquo se fruitur -- Ex August. *lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 2. Tum quia ex eodem D. August. *lib.* 2. *de Doctr. Christ. cap.* 7. omnis nostra dilectio, & proximi referenda est in Deum, & vitio non caret, qui illam finaliter non refert ; Et ideò *Serm.* 214. *de tempore* habet -- Se in se diligere, & sibi
„ placere, non est justitiæ charitas, sed su-
„ perbiæ vanitas -- Tum quia amor sui propter se, ibi sistendo, unicè quærit quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi ; per hunc amorem non excluditur voluntas peccandi, quia non aversatur peccatum, nisi quatenùs delitiis, commodis, & quieti nostræ contrarium, non quatenùs divinæ Justitiæ aversum, vel Dei inhonorativum : tum quia homo potest seipsum intensissimè amare, & velle peccare, ut patet in damnatis, & libidinosis. Hæc in nova ratione.

Adversantis Doctrina propositioni ab Ecclesia damnatæ favere videtur.

Ni fallor hìc ad doctrinam damnatam alluditur, ut impugnemur. Sponte videtur arguens fateri timorem servilem esse actum defectuosum, & inordinatum; & de facto non aliis principiis utebantur Auctores damnatæ propositionis ; cùm ergo Ecclesia declaraverit illum actum esse bonum, & per eum non peccare, sequitur in motivis adductis nullam ad propositum contineri vim ; & reverà æquivocè omninò proceditur, fingiturq; hostis, qui feriatur. Datur amor sui honestus, datur sanctissimus pœnarum timor, quem Deus præcipit. Ut ergò claré procedamus, & sententiam Catholicam propugnemus.

Notandum est, quod amare se propter se, stat dupliciter. I. Ut ly *propter* se dicat objectum proximum amoris, & motivum proximum secundum se acceptum absque positiva exclusione ulterioris respectus, sive formaliter, sive interpretativè, quamvis hic, & nunc actualiter non consideretur ulterior illa relatio. II. Ut ly *propter* se dicat objectum omninò ultimum, excludaturque saltem interpretativè ulterior relatio. Quod duobus verbis a nostris explicatur utrumque, scilicèt, propter se negativè, & propter se privativè. Pari passu æquivoca est illa vox, *unicè*. Unicè, ita quod nullum in re sit motivum aliud, quo moveri possimus, vel positivè nolimus. Unicè, ita quod proximè hic, & nunc non attendamus ad aliud motivum, sed præscindamus ex modo agendi.

Hoc posito: Dilectio sui propter se ly *propter* stante negativè bona est, ly *propter* stante privativè mala est. Timor ergo servilis oritur ab amore sui negativè propter se, hoc est, hic, & nunc movetur a pœnarum terribilitate, non tamen excludit timens alia motiva, nec excludit positivè ulteriorem relationem. Non tenemur operari positivè ex complexu omnium motivorum, quod dicitur motivum adæquatum, sed sufficit operari ex aliquo, aliis non exclusis ; si motivum ergo sit referibile in Deum, & hæc referibilitas non excludatur positivè saltem interpretativè, (quæ exclusio accidit, quando omittitur legis alicujus observatio, quæ obligat hic, & nunc sub mortali,) actus ille bonus est. Ut docet D. Th. 2. 2. *q.* 19. *art.* 6. diligere proximum, quia consanguineus, quia mihi commodus, est bonus actus, quia illa conditio est in Deum referibilis ; nec est necesse, quod reflectatur ad motivum sanctitatis, v. g. si Sanctus sit, vel ad alia motiva, quæ possunt occurrere : Ita in timore gehennæ accidit. Motivum gehennæ secundùm se referibile est in Deum: Hic, & nunc fidelis eo movetur ad detestanda sua peccata, ad legem Dei implendam, alia non excludit motiva, sed illis non movetur, nec actu considerat.

Si verò ly *propter se* stet positivè, & privativè, actus est malus, quia tunc bonum proprium induit in proprietate rationem ultimi finis. Habes hìc timorem servilem Christianum respicere malum pœnæ tanquam principale negativè, seu præcisivè. Timorem initialem respicere tanquam principale malum culpæ, vel mixtum ex pœna, & culpa. Timorem filialem respicere tanquam principale malum Patris, quia talis, seu reverentiam paternam. In singulis his timoribus non excluduntur alia honesta motiva ; & si excluderentur, actus essent mali : nunc ad probationes argumenti inserias.

Ad primam ex August. fruitur se homo cum defectu, quando commodum proprium non est præcisivè objectum proximum dilectionis, sed ultimatum, videlicèt, exclusivè, aliàs amor spei malus esset. Ad 2. Vitio non caret, qui dilectionem sui, & proximi non refert ad Deum privativè, secus præcisivè, & negativè; aliàs actus fidei in peccatore esset malus, & peccator Deo veraci credens peccaret. Ad 3. Item ex August. se in se diligere est superbiæ vanitas, quia dilectio, & motivè, & terminativè sistit positivè, & exclusivè in commodo proprio, quod exprimitur illa locutione, *se in se diligere*.

Ad 4. Illam retorqueo. Qui quærunt unicè, quæ sua sunt, aversantur peccatum præcisè, quatenùs contrarium proprio commodo, non ut aversum Justitiæ divinæ: ergo qui unicè quærunt, quæ Jesu Christi, non aversantur peccatum, qua contrarium commodo proprio, sed præcisè, quatenùs inhonorativum

norativum Dei : est enim omnimoda æqualitas, & insuper insolubilis; quia sicut in primo casu motivum est bonum sui, non bonum Dei, ità in secundo casu motivum est bonum Dei, non bonum sui. Itaque nolens damnari, absolutè odit peccatum, quod est unica causa damnationis, & verè odit, sed non ex motione cujuslibet formalitatis potentis movere.

Ad 5. Illam retorqueo. Intensissimè amans Deum, vult peccare, ùt patet in indiscretis amatoribus : ergo amor Dei non excludit voluntatem peccandi. En ad quas nugas se obligant istis argutiolis. Sicut ergo amare Deum indiscretè, puta se verberando usque ad mortem, vel ponè cum exclusione positiva suæ beatitudinis, malum est, ità diligere se modo, quo in argumento stabilitur. Et sicut discretus amor Dei excludit veraciter voluntatem peccandi; ita discretus amor sui veraciter excludit voluntatem peccandi, quamvis titulo inferioris perfectionis. Accipe totam solutionis vim a D. Bernardo *Serm. 4. de modo rectè vivendi* -- O Soror dilecta, nulla „ res est, quæ sic nos ab omni peccato cu„ stodit immunes, sicut timor inferni, & „ amor Dei -- Paritas de damnatis non eget expensione, nobis tamen valdè deservit; quia iterùm confirmamur ab arguentibus supponi actum Christiani timoris malum esse, atque damnabile.

51 OB. V. Qui voluntatem peccandi penitùs excludit, sic animo paratus est, ut peccare nollet, etiamsi infernum non timeret, (aliàs non esset in eo, quo excluderetur voluntas ista, peccarem, si gehenna non esset,) sed sic animo paratus non est, qui nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, nisi solo metu gehennæ. Quisquis enim sic paratus est, affectu saltem implicito dicit, non peccarem, etiamsi infernum non timeram; affectu verò hoc non dicit, nec dicere potest voluntas, quæ nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, nisi timoris gehennæ; siquidem voluntas, quæ nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, adversùs ipsum hic, & nunc moveri non præsumitur pro casu, quo motivum istud ei subtraheretur, cùm sine motivo moveri nequeat. Hæc decima ratio.

Doctrina nostra consonat Ecclesiæ dogmatibus.

Meminerint Lectores, quòd hac ratione utebantur, qui ante damnationem sustinebant timorem servilem esse malum, & intelligant decus maximum nostræ accedere doctrinæ, cùm deprehendatur consona Ecclesiæ dogmatibus. Deindè cum asseratur sub terminis negativis, nervosè retorquetur sic. Qui voluntatem peccandi penitùs excludit, sic animo paratus est, ut peccare nollet, si Deum perfectè non diligeret (aliàs deesset, quo excluderetur voluntas ista, peccarem, si Deus non esset diligibilis) sed sic animo paratus non est, qui nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, nisi solo amore Dei. Quisquis enim sic paratus est, affectu saltem implicito dicit, non peccarem, etiam si Deum non diligerem. Affectu verò hoc non dicit, nec dicere potest voluntas, quæ nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, nisi amoris Dei; siquidem voluntas, quæ nullo alio motivo adversùs peccatum movetur, adversùs ipsum hic, & nunc moveri non præsumitur pro casu; quo motivum istud ei subtraheretur, cùm sine motivo moveri nequeat. En quàm benè Adversarios urgeat sub eadem forma argumentum, cui quidquid respondebitur, pro nobis erit. Unicum, quod habent est, non esse possibile, quod Deus non sit amabilis; fuit, estque tamen possibile, quod infernus non sit. Sed hoc nihil facit ad enervandam vim argumenti, quod versatur circà affectionem conditionalem, cujus capax est etiam status impossibilium. Præterea retorquemus argumentum vi formæ, non vi materiæ. Ulterius, loquimur in præsenti providentia, in qua impossibile est dari peccatum lethale absque reatu pœnæ æternæ.

Item si per impossibile Deus non esset amabilis, vel non esset, adhuc aliquod peccatum daretur, videlicet, omne illud, quod est contrà lumen rationis præceptivum. Igitur falsissimum est, quod sub affectu detestativo peccati ex solo timore gehennæ claudatur affectus ille conditionalis; quia hìc, & nunc assumitur gehennæ motivum ùt omninò sufficiens; sed non est omne motivum, sub quo posset peccatum odio haberi; undè non sequitur, quod peccaret homo, si infernus non esset, est res hæc omninò incerta, & contingens. Arguitur a disparatis, non autem a necessariò connexis. Nunc operor ex hoc motivo, si non adesset, quid facerem, Deus scit, aliud tunc eveniret. Similiter in in casu nostro. Hìc, & nunc S. Hieronymus de peccatis dolet, judicii finalis horrore perterritus. S. Augustinus dolet dulcedine divini amoris eliquescens; non tamen sequitur Hieronymum, & Augustinum non acturos pœnitentiam de peccatis, si cessaret in eo timor, & in hoc amor.

Audiamus iterum Bernardum loco proximè citato -- Secundus timor est servilis, „ ùt ait B. Augustinus, cum timore gehennæ „ homo recedit a peccato : & omnia bona, „ quæ facit, non propter dilectionem Dei, „ sed propter timorem inferni facit. Ille „ quasi servus timet, qui bonum, quod facit „ non timore amittendi bonum, quod non „ amat, sed timore patiendi malum, quod „ formidat, facit. Ille non timet per„ dere amplexus pulcherrimi Sponsi, sed „ timet, ne mittatur in pœnas inferni. De „ hoc servili timore dicit B. Paulus : non „ enim accepistis spiritum servitutis iterùm „ in timore, sed accepistis spiritum adop„ tionis filiorum, idest spiritum filialem. „ Bonus est iste servilis timor, & utilis, licèt „ insufficiens, & imperfectus, per quem „ crescit paulatim consuetudo justitiæ. Cùm „ incipit homo credere diem judicii, incipit „ timere. Si cœpit credere, cœpit, & ti„ mere : sed qui adhuc timet, non habet „ perfectam fiduciam in die judicii. Non„ dum est in illo perfecta charitas, qui ad„ huc timet : quia si in illo perfecta esset „ charitas non timeret. Perfecta charitas „ faceret in homine perfectam justitiam, & „ homo non haberet, undè timeret; sed ha„ beret, undè desideraret, ut transeat ini„ quitas, & veniat Regnum Dei. Quid est „ perfecta charitas, nisi perfecta sanctitas? „ Ille habet in se perfectam charitatem, qui

„ per-

„ perfectè vivit. Qui perfectè vivit non habet, undè in inferno damnetur, sed undè in cœlo coronetur. Qui perfectam habet in se charitatem, non timet in inferno poniri, sed sperat in Cœlo cum Deo gloriari: undè dicitur in Psalmo, Gloriabuntur in te omnes, qui diligunt nomen tuum: ergo timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Timor priùs venit in corde hominis, ut præparetur locus Charitati. Huic servili timori succedit servilus timor &c. — Ex his discimus timorem servilem esse bonum, & utilem; si verò ex vi sui motivi, ùt exigebat argumentum, includeret affectum peccandi, nec bonus esset, nec utilis; & loquitur S. Bernardus in individuo, sicut manifestum faciunt locutiones illæ, *timet*, *facit*, *capit*, sæpè repetitæ. Discimus excludere voluntatem peccandi, per ipsum enim homo a peccato recedit. Discimus introducere charitatem, quod minimè fieri posset, si conjungeretur cum affectu peccandi. Discimus non esse in linea perfectionis, sed ad lineam imperfectiorem pertinere. Discimus esse insufficientem ex se ad justificationem, nisi aliud adjungatur, charitas, videlicet, formalis, vel in æquivalenti. Discimus componi cum peccato habituali, quia secùm sine alio non trahit gratiam sanctificantem; est tamen salutaris dispositio ad illam in Sacramento.

Ex D. Bern. timorem servilem bonum, & utilem esse concluditur.

52 OB. VI. Perversum est magis odio habere minùs malum, quàm majus, quia non servantur jura meritorum, minùs autem malum meretur odium minus, sicut bonum minùs amorem minorem. Ex quo capite malum est præferre temporalia æternis. Sed detestari peccatum propter gehennam est minùs appretiare majus malum, quale est culpa, quàm minùs malum, quale est pœna; siquidem verissimum est illud axioma, propter quod unumquodque tale, & illud magis; quod enim est ratio detestandi aliud, magis terminat odium. Si verò perversa est detestatio peccati per timorem, voluntas peccandi nequit excludi.

RESP. Negando majorem, non enim appretiat magis gehennam, quam culpam, non fit namque comparatio inter pœnam, & culpam, & illa isti præfertur, sed præcisè assumitur pœna tanquam motivum sufficiens ad detestationem peccati; aliàs operari actum virtutis superioris lineæ ex motivo lineæ inferioris esset perversum; undè qui eliceret actum charitatis ergà proximum motivo satisfaciendi peccatis, inordinatè procederet. Fide ergo sciens Christianus peccato esse paratam pœnam æternam, ne in illam incidat, detestatur peccatum, quod est damnationis causa, sed nullam facit comparationem majoris, vel minoris mali, nec ullam prælationem, sed solùm detestatur culpam ex repugnantia ad pœnam. Maxima autem illa philosophica non valet, quando illud propter quod, vel est in linea conditionis, ùt patet in apprehensione boni propositi voluntati, & in approximatione ignis ad lignum combustibile, vel si est in linea causæ, non importet causam totalem, sed solùm sufficientem; & adhùc minùs valet, si sit motivum præcisè sufficiens præcisivum, & non comparativum, ùt in casu nostro.

53 OB. VII. Timor servilis, ùt servilis malus est, nec potest excludere voluntatem peccandi, teste D. Th. 2. 2. *q. 19. art. 4.* illis — Contrà rationem servilitatis est, quod „ aliquis ex amore operetur. Sic ergo timor servilis, in quantùm servilis est, charitati contrariatur — Sed timor gehennæ est servilis ùt servilis, & ideò ex hoc distinctus a quolibet alio timore: ergo nec bonus est, nec excludit voluntatem peccandi. Hinc D. Thom. *lect. 5. in cap.* 8 *ad Rom.* habet — „ Undè etsi per hujusmodi timorem aliquis „ bonum faciat, non tamen benè facit —

In sententia D. Th servilitas tripliciter accipitur. Primò, ùt dicit statum servilitatis. Secundò, ùt dicit exercitium servilitatis formalis. Tertiò, ut terminativè tantùm accepta. Et omnibus istis modis contrariatur charitati, sed aliter, & aliter. Sub primo contrarietas est solùm habitualis, & negativa. Sub secundo est privativa, & illativa carentiæ charitatis. Sub tertio contrarietas est præcisè penès perfectum, & imperfectum. Tribus istis explicatis concordatur D. Thom. qui satis implicatus apparet minùs eruditis in S. Doctoris scriptis, & dictis. De primo modo servilitatis, qui est proprius, agit ex professò *quæst.* sæpè *cit. ex* 2. 2. *art.* 4. ubi pariter occasione argumentorum agit de secundo modo ejusdem servilitatis.

Triplex servilitas.

Primo modo accepta nihil aliud est, quàm status peccati habitualis. Ostenditur clarè ex S. Doctore: tum quia dicit, quòd servilitas opponitur libertati, libertas in eo consistit, quòd quis operetur ex seipso, non ùt ab alio, cui subjiciatur, sicut in servis accidit. Patet quod hoc importet statum, ac perconsequens, sicut status libertatis importat charitatem habitualem, ità servilitas peccatum habituale: tum quia dicit, quod ità se habet servilitas ad timorem servilem, sicut informitas ad fidem; Sed informitas dicit solam carentiam gratiæ, & charitatis habitualis, hoc est, conditionem status peccati habitualis: ergo hoc ipsum importet servilitas: tum quia affirmat actum timoris servilis esse bonum, & a Spiritu Sancto, & simul affirmat, quod si servilitas esset de ratione actus servilis, oporteret timorem servilem esse simpliciter malum, sicut malum est adulterium; ut ergo hæc duo simul sint vera, necessè est, quod servilitas ad habitus conditionem spectet, adeòque ad peccatum habituale: tum quia asserit timorem servilem posse esse in habente charitatem, & in non habente; & ideò accideret, quod bonum proprium, propter quod timetur pœna, habeat rationem ultimi finis in non habente charitatem, & non habeat rationem ultimi finis in habente charitatem; hoc autem nihil aliud est, nisi quod servilitas est conditio subjecti, quod est sub captivitate peccati habitualis, quod impedit ne bonum proprium ulteriùs referatur, quo sublato per gratiam sanctificantem refertur ad Deum: tum quia concludit actum servilem secundùm substantiam esse bonum, & manere in charitate ostendit Art. sexto, & esse a Spiritu Sancto, sicut a Spiritu Sancto est amor castus, & fides informis *lect. 5. ad cap. 8. Rom.*

Scitò quod illud, *quoad substantiam*, intelligit

telligit S. Doctor actum ipsum timoris in individuo acceptum, cùm dicat manere in charitate, non enim manent in agente actus tantùm quoad speciem; cùm dicat esse a Spiritu Sancto, a quo non causatur actus abstractus ab individuatione, sed concretivè acceptus; & actus, qui in individuo est malus, totus est malus, & non a Spiritu Sancto; cùm dicat fieri a Spiritu Sancto, sicut fit amor castus, & fides informis, qui utique in individuo boni sunt. Addit tamen servilitatem esse malam, quia videlicet dicit statum peccati habitualis, cùm sit extra substantiam individuam timoris servilis. Et propter hoc reduplicativè dicit, quod servilis ut servilis contrariatur charitati, videlicet, habitualiter, vi status, & conditionis subjecti, quod est sub carentia charitatis inducta per peccatum præcedens. Hæc autem contrarietas ad charitatem non inficit actum, sed remanet simpliciter bonus; sicut patet in actu fidei, & spei in peccatore, qui eandem contrarietatem dicunt ad charitatem, & tamen sunt simpliciter boni, & in actu amoris benevoli inchoato Adversariorum, qui conjungitur cum peccato habituali. Quod definitum est ab Ecclesia. Concil. Trid. *Sess. 6. Can. 7.* habet -- Si quis dixerit opera omnia, quæ „ antè justificationem fiunt, quacumque ra„ tione facta sint, verè esse peccata . . . ana„ thema sit -- Et Pius V. Greg. XIII. damnantes 38. propositionem Bay, quæ est -- „ Omne, quod agit peccator, aut servus pec„ cati, peccatum est -- Adverte ad locutionem illam Concilii -- opera quæ fiunt: qua„ cumque ratione facta sint -- quæ locutio significat actum in individuo.

Servilitas secundo modo sumpta, est malus usus timoris servilis ex parte subjecti ortus, non a natura ipsius timoris. Consistit in eo, quòd metuens veraciter non habet animum faciendi legem Dei, quamvis timore concutiatur. De hoc agit S. Doctor *loco cit.* in responsione ad duo priora argumenta. Primum erat ex glossa Augustini *in cap. 8. Rom.* ad illa verba -- *Non accepistis spiritum servitutis*, quæ ait -- Qui timore ali„ quid facit, & si bonum sit, quod facit, „ non tamen benè facit -- adeòque usus timoris est malus, ac per consequens ipse timor. Secundum erat ex glossa Gregorii in illud Job 3. *Quarè non in vulva mortuus sum*, quæ ait -- Cùm ex peccato præsens pœna „ metuitur, & amissa Dei facies non ama„ tur; timor ex tumore est, non ex humi„ litate -- Adeòque ex radice peccati oritur timor, ac proindè malus. Ad primum respondet S. Doctor -- Verbum illud intelli„ gendum est de eo, qui facit aliquid ex ti„ more servili, in quantùm servilis est, ut „ scilicet non amet justitiam, sed solùm pœ„ nam timeat -- Ad secundum -- Timor „ servilis secundùm substantiam non oritur „ ex tumore, sed ejus servilitas ex timore „ nascitur, in quantùm scilicet homo affe„ ctum suum non vult subjicere jugo justitiæ „ per amorem -- In utraque responsione describit servilitatem, quæ in actu exercito vestitus est operans per timorem. Verba descriptionis in illis est -- Ut scilicet non „ amet justitiam, sed solùm pœnam timeat -- & in illis -- Affectum suum non vult subji„ cere jugo justitiæ per amorem -- Quorum verborum sensus est, quod pœnam refugiens, ex corde non vult subjicere se legi, sincerè non eligit adimplere mandata, sicut optimè advertit Commentator; non autem sensus est, quod, ut usus timoris sit bonus, oporteat moveri amore justitiæ, tunc autem non esset timor servilis, sed initialis. Porrò ut innuebam, defectus iste non oritur ex natura, & virtute timoris, a qua oppositum nascitur, sed ex prava applicatione operantis; cujus defectus capax est etiam amor benevolus Adversariorum; ut si quis Deum tepidè, & inefficaciter diligat, sincerè non habens animum adimplendi legem Dei; & est defectus, qui potest reperiri in usu cujuslibet virtutis.

Servilitas tertio modo sumpta importat præcisè naturam ipsam timoris servilis; nihil enim aliud est, nisi ipsa ratio motiva, sub qua elicitur actus timoris, videlicet respectus ad pœnam, quæ unicè hic, & nunc movet tanquam proximum objectum sufficiens. Serviliter hoc modo operari est benè operari, sed imperfecto modo, quia est operari ex motivo honesto, sed lineæ inferioris. Essentiam suam habet timor servilis ex comparatione ad suum objectum, quod est pœna æterna, quam fides indicat; docet D. Th. 3. *Sent. dist. 34. q. 2. art. 2. quæstiunc. 2.*, ubi etiam loquendo de servilitate in sensu proprio, videlicet, pro statu dicit -- Undè servilitas est „ accidens timoris, & non intrat essentiam „ ejus -- Lect. 5 *ad cap. 8. Rom.* distinguit species timoris servilis, & casti, & initialis, quos omnes ab eodem spiritu esse docet; & concludit -- Sed quia idem est Spiritus San„ ctus, qui in quibusdam facit timorem „ servilem quasi imperfectum, in aliis facit „ amorem quasi perfectum -- Quando ergo ibidem dicit, ut citatur in Objectione, & si bonum faciat, non tamen benè facit, non intelligit, non benè, hoc est malè, sed non benè, hoc est, non perfectè. Cum autem subdit, quod iste timor non est laudabilis, in quantum non refugit malum, quod opponitur bono spirituali, scilicet peccatum, sed solam pœnam, hunceque defectum non esse a Spiritu Sancto, sed ex culpa hominis, loquitur de actu, prout est vestitus statu servilitatis, qui est ipsum peccatum habituale, secundùm hoc non est laudabilis, quia non excludit, nec illud refugit habitualiter, & hoc oritur non ex culpa actuali operantis, sed ex ea, quæ præcessit, & induxit peccatum habituale. Totum hoc explicat exemplo actus fidei informis, illiusque informitatis, quæ actualiter fidei actum non inficit, & ex præcedenti peccato ortum habet.

Concluditur totus Articulus aliquibus propositionibus corollariis explicativis Catholici timoris. Catholicus timor est efficax motus animi, quo homo refugit peccare ne a Deo æternaliter puniatur. Timoris servilis nunc descripti objectum principale proximum, & sufficiens est pœna æterna, quam Catholica fides proponit a Deo infligendam peccatoribus. Objectum principale ultimatum, quod dicitur in proprietate ultimus finis, in habente charitatem est Deus, in non

habente

habente charitatem est ipsum bonum proprium in tota sua latitudine, ut comprehendit bonum naturale, & supernaturale, negativè tamen acceptum, hoc est, quatenùs non tendit ulterius propter impedimentum, quod ponit peccatum habituale præsuppositum. Quatenùs est de se, & secundùm se tendit in Deum tanquam in ultimum finem; sed quia timens est vestitus statu servilitatis, hoc est, infectus est peccato habituali, sistit in bono proprio latè sumpto, & privato relatione ad Deum media carentia gratiæ. Quæ sistentia est, diciturque negativa, quia actus timoris non infert, nec causat gratiæ privationem, sed illam supponit, & invenit in subjecto aliundè, nec habet vim ad illam repellendam. Iste modus respiciendi ultimum finem non est solius timoris servilis, sed est proprius, & communis omnibus actibus virtutum naturalium, & supernaturalium quos peccator exercet. Quæ explicant N. N. Salmat. *de ultimo fine Disp. 4. Dub. 3.*

Immò, nec aliter in ultimum finem tendit in peccatore amor Dei benevolus non justificans ab Adversariis inductus; cùm enim reperiat in peccatore carentiam relationis in Deum, nec eam possit repellere, impeditur ne alteriùs ascendat. Quod si Adversarii ne succumbant argumento, dicant, in peccatore dari duplicem ultimum finem, habitualem unum ratione status peccati, actualem alterum ratione actus; nos pariter idem dicemus de peccatore eliciente actum Fidei, Spei, Attritionis, Obedientiæ, Eleemosynæ &c. est enim ubique par ratio, loquendo de respectu ad ultimum finem, secùs loquendo de fine proximo, scilicet, de objecto proximo specificativo; quilibet enim actus suum ab aliis distinctum respicit. Itaque timor iste servilis bonus est, sanctus est, laudabilis est, efficax est ea sua conditione, perfectus est in sua linea, comparativè tantùm imperfectus, sicut æs, vel plumbum comparativè ad argentum.

ARTICULUS QUINTUS.

AN DE ESSENTIA ATTRITIONIS CHRISTIANÆ SIT FORMALE PROPOSITUM NON PECCANDI.

CUm ex principiis Fidei constet veram pœnitentiam essentialiter dicere novam vitam in futuro, ut ab ordine sufficientis dispositionis ad justificationem exturbarent Adversarii, negaverunt attritioni propositum inclusum de non peccando de cætero; & quidam statuunt per hoc attritionem a contritione distingui, quod illa caret proposito, secùs ista. Nostri autem semper magis consona Scripturis tradentes sustinent de essentiali conceptu attritionis esse propositum; dividuntur tamen circà qualitatem propositi: exigunt quidam propositum formale, sufficit aliis propositum virtuale; Verùm sive unum, sive aliud dicatur, habemus intentum.

DE ESSENTIALI CONCEPTU ATTRITIONIS CHRISTIANÆ EST PROPOSITUM NON PECCANDI DE CÆTERO.

54 PROB. I. Scripturali argumento. De conceptu pœnitentiæ dispositivæ ad justificationem est propositum non peccandi de cætero: sed attritio Christiana comprehenditur sub pœnitentia dispositiva ad justificationem, præscindendo pro nunc a modo dispositionis, ut superiùs vidimus, & mox iterùm videbimus: ergo de ipsius conceptu est propositum non peccandi de cætero. Major ostenditur, in qua est vis. Scriptura ad pœnitentiam hujusmodi requirit vitæ præteritæ odium, & novam aliam vitam. Ezechielis 18. vers. 21. habemus. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur.* Iterùm reperitur v. 28., & v. 31. dicitur. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel:* & cap. 33. vers. 14. habemus. *Si autem dixero impio morte morieris, & egerit pœnitentiam de peccato suo, feceritque judicium, & justitiam.* Apocal. 2. *Age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem veniam tibi, & movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi pœnitentiam egeris.* (Obiter nota quod in omnibus locis istis Deus utitur comminatione pœnæ, quæ est motivum servilis timoris.) Sed hæc nova vita non potest postulari ut formaliter actu exercenda, quia dependet a tempore futuro, pro quo occurrent præcepta adimplenda: ergo postulatur in proposito. Nullus potest inchoare novum motum, quem anteà non prosequebatur, nisi per novam intentionem, & deliberationem, in hac autem consistit propositum non peccandi de cætero.

Pœnitentia includit propositum non peccandi.

55 PROB. II. Contritio ut præscindens a perfecta, & imperfecta, definitur essentialiter cum respectu ad propositum; Sed attritio Christiana continetur sub contritione ut sic: ergo essentialiter importat propositum. Ostenditur assumptum. Eugenius IV. in instructione Armenorum, agens de prima parte Sacramenti Pœnitentiæ ait -- Cordis „ contritio, ad quam pertinet, ut doleat „ de peccato commisso cum proposito non „ peccandi de cætero -- Non casu, sed ex proposito definit contritionem per dolorem de peccato commisso, nulla facta mentione motivi alicujus determinati, quia agit de contritione ut sic, præscindente a perfecta, & imperfecta. Concil. Trid. agens de dispositione in genere ad justificationem, inter cujus actus reponit timorem servilem *Sess. 6. cap. 6.* habet -- Denique dum proponunt „ suscipere Baptismum, inchoare novam „ vitam, & servare divina mandata -- Ecce clarè proponunt. *Sess. 14. cap. 4.* expressè agens de contritione præscindente a perfecta, & imperfecta habet -- Animi dolor, „ detestatio est de peccato commisso cum „ proposito non peccandi de cætero -- Et *Can. 5.* expressè loquens de simplici attritione habet -- Cum proposito melioris vitæ -- ergo attri-

In attritione propositum melioris vitæ.

attritio Christiana indubiè postulat propositum .

56 PROB. III. Ex Paulo 2. ad Cor. 7. v. 10. *Quæ enim secundùm Deum tristitia est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur : sæculi autem tristitia mortem operatur* ; Sed attritio Christiana est tristitia secundùm Deum, quia detestatur peccatum ex timore divinæ vindictæ; & est juxta mandatum Christi præcipientis timete eum, qui potest perdere in gehennam corpus , & animam . De ea etiam Paulus tristitia locutus est, quam causavit in Corinthiis per minacem Epistolam , & per gravissimam pœnam , quam inflixit incæstuoso, tradens illum Sathanæ. Ergo attritio operatur pœnitentiam in salutem stabilem ; Sed non potest hoc facere, nisi includat propositum non peccandi de cætero , quo voluntas firmetur in observatione legis , sine qua non habetur salus stabilis . Tristitia, de qua Apost., etiamsi pœnitentia non sit, operatur tamen pœnitentiam, quia non est verax, nisi imperet cæteras partes, nempe confessionem , & satisfactionem, sicut advertit D. Thomas in hunc locum .

PROB. IV. Qui præparatur ad justificationem , vult ad statum redire rectitudinis ; Sed attritio est motus præparatorius ad justificationem, ut definitum est *Sess.* 14. *Can.* 5. Concil. Tridentini : ergo includit voluntatem redeundi ad statum rectitudinis . Sed nemo potest redire ad statum rectitudinis, nisi recedat a peccato, per quod recessit a rectitudine ; & hoc fieri nequit, nisi doleat de peccato commisso, & statuat præcavere in futurum -- Si enim homo non proponeret desi-
„ stare a peccato, non esset peccatum secun-
„ dùm se contrarium voluntati : si verò vel-
„ let desistere a peccato, non tamen doleret
„ de peccato præterito, non esset illud idem
„ peccatum , quod fecit contrarium volunta-
„ ti -- inquit D. Thom. 3. *contra Gent. c.* 158.
ergo attritio importat propositum non peccandi de cætero .

PROB. V. Qui veraciter æternaliter non vult damnari, necessè est, quod nolit ampliùs peccare, quia non solùm peccatum præteritum, sed etiam committibile in futurum trahit inevitabiliter in gehennam. Sed attritio Christiana est motus hominis nolentis veraciter in æternum damnari : ergo attritio includit voluntatem non peccandi de cætero . Qui efficaciter ita suum bonum sibi amat, ut nolit excludi ab æterna felicitate, quæ est melius bonum concupiscibile a creatura, necessè est, quod velit pro posse in futurum observare mandata, quia qui perseveraverit, salvus erit . Sed qui Christianè atteritur, hac dilectione efficaci seipsum diligit : ergo deliberat , & deliberare debet pro posse sub divino auxilio observare legem Dei .

PROB. VI. Ideò contritio rigorosa procedens ex dilectione Dei propter se, necessariò importat propositum non peccandi de cætero ; quia regulatur a fide proponente Deum esse bonum infinitè amabile absque ulla temporis limitatione , sed semper , & præferibile omni alio objecto , non solùm in præsenti hic , & nunc , sed etiam pro quocumque futura temporis differentia ; unde qui vult inire amicitiam cum ipso Deo, eique inhærere propter motivum ipsius bonitatis , necessè est, quod non solùm recedat ab adhæsione ad quodcumque aliud objectum contrarium de præsenti, sed etiam pro quocumque tempore ; Atqui etiam motivum attritionis est malum terribile, & timendum absque ulla temporis limitatione , quia est malum æternæ durationis , & in quacumque differentia temporis præferibile cuilibet alteri malo pœnæ , & temporali : ergo qui a peccato recedit ob motivum infernalis terribilitatis, necessè est, quod recedat non solùm in præsenti, sed velit etiam recedere in futurum ; adeòque attritio essentialiter continet propositum non peccandi de cætero . Omnes aliæ rationes, quas pro contritione proferunt Doctores , sub proportionali discursu sunt applicabiles nostræ Christianæ attritioni .

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM .

57 OBJIC. I. Attritio simplex, quam nos prosequimur , non includit necessariò dilectionem Dei benevolam . Sed absque dilectione Dei benevola non potest dari propositum non peccandi de cætero. Ergo attritio semper caret proposito non peccandi de cætero . Ostenditur min. Propositum istud est efficax voluntas servandi omnia præcepta Dei : sed hæc voluntas est ipsa , aut saltem non est sine ipsa , dilectio Dei super omnia , quia -- Qui omnia ipsius
„ mandata efficaciter servare proponit, pro-
„ ponit mala potiùs omnia perferre , quam
„ illa prætarire : ergo Deum super omnia
„ æstimat , & illum omnibus anteponit --
Secundò. Hoc propositum est bona voluntas, bonique cupiditas . Sed hæc est charitas ex Aug. *lib* 12. *Civit. c.* 9. *lib.* 14 *c.* 7. -- In Scri-
„ ptutis bona voluntas usitatiùs charitas ap-
„ pellatur -- *Lib.* 2. *ad Bonif. c.* 9. -- Quid est
„ boni cupiditas, nisi charitas -- *Ps.* 36. --
„ Quasi verò bona voluntas aliud sit quam
„ charitas -- Et alibi sæpè , bona voluntas
ipsa est charitas. Tertiò. Nova vitæ inchoatio a Tridentino exigita est bonum benè facere . Sed quamdiù timore pœnæ fit bonum, non benè fit . *Lib.* 2. *ad Bonifacium c.* 9. -- Et
„ quidquid se putaverit homo benè facere ,
„ si fiat sine charitate nullo modo fit benè --
Lib. 6. *de Gratia , & lib. arb. cap* 18. Aug.

Quartò. Istud propositum est virtus, qua appetimus rectè, & honestè vivere, Aug. *lib. de Arb. c.* 2. Sed absque vero Dei amore in se non habetur actus virtutis debitè circumstantionatus , circumstantia utique debiti finis . Quintò . Istud propositum est voluntas servandi legem æternam : ergo amat legem æternam, nam voluntas non vult sectari, nisi quod amat . Aug. *in Epist. ad Galatas* -- Se-
„ ctabimur quod diligimus -- Sextò . Quisquis rectè vivere vult , rectam vitam amat . Atqui -- Qui rectè vivere diligit, amat hanc
„ legem æternam , habetque carissimam --
Idem Aug. *lib.* 1. *de lib. arb. c.* 15. Septimò . Propositum servandi mandata Dei , includit propositum efficax servandi mandatum diliges Dominum Deum tuum . Sed qui efficaciter Deum vult diligere, Deum diligit . Aug. *lib.* 8. *Conf. c.* 9. -- Non utique plena impe-
„ rat , ideò non est, quod imperat . Nam si
„ ple-

„ plenus esset . . . . jam esset — Videlicet, quod imperat. Jam ergo amat, si amare vult. Hæc Theologia Sanctorum.

Argumentum hoc conflari videtur illis motivis, quibus Patroni Bajanæ doctrinæ sustinebant omnem amorem, vel esse mundi cupiditatem, vel esse Dei charitatem; quo principio firmabant omnia infidelium opera esse peccata, & tuebantur propositiones damnatas n. 9. 10. 11. 13. 15. ab Alexandro VIII. adeòque infirmum. Deindè nimis probat, videlicet, non sufficere dilectionem Dei inchoatam, sed requiri omninò perfectam, de hac enim testimonia Augustini loquuntur.

Propositum quid sit, explicatur.

Negatur itaque minor. Timor veræ mortis imperat executionem omnium, quæ eam impedire possunt, & retrahitur ab illis rebus, quæ eam inducere valent; Multò autem gravior est pœna æterna, adeòque multò efficaciùs timor illius imperare potens est legis adimpletionem; immò seriò timenti gehennam, dulcescit onus mandatorum.

Probationes autem inductæ fallaciter applicantur. Qualis sit actus voluntatis non a ratione *qua volite* pensatur, seu specificatur, sed a ratione sub qua. Dilectio Dei non est exercitium cujuslibet actus virtutis, sed exercitium sub motivo proprio charitatis. Attritus proximè movetur ad servanda mandata Dei, quia non vult sibi malum æternum, & propter hoc paratus est sustinere omne malum, quàm frangere legem Dei, quia fractio legis æternæ damnationis malum operatur. Propositum non peccandi de cætero est efficax voluntas adimplendi legem Dei quotiescumque occurrerit, non obstante quocumque malo ad oppositum impellente, sub dispositione tolerandi quodcumque incommodum occurrens tempore obligationis urgentis. Si hæc voluntas concipiatur ex motivo placendi Deo, dilectionem Dei includit: si ex motivo fugiendæ damnationis æternæ, timorem Domini servilem includit; nulla itaque est prima probatio.

Ad secundam. Utique illud propositum est bona voluntas, quia bonus est timor, & boni cupiditas, videlicet, sui commodi principiis fidei benè directi. Recta voluntas ex D. Aug 14. *de Civit. c.* 4. est bonus amor. Bonus autem est, quo homo non vult sibi malum æternum. Sicut virtus absolutè dicta, quæ proximè perducit ad vitam, charitas est, & nihilominùs dantur aliæ veræ virtutes; ita bona voluntas simpliciter dicta est voluntas ultimi finis simpliciter, & dicitur charitas; nihilominùs dantur aliæ voluntates optimæ, quæ non respiciunt proximè ultimum finem.

Quo sensu August. bonam voluntatem charitatem vocet.

Ubicumque appellat Augustinus bonam voluntatem charitatem, loquitur de voluntate bona antonomasticè, non autem distributivè, & in sensu negativo; ita quod bona voluntas non sit, quæ non sit charitas, hanc enim blasphemiam nunquam Augustinus somniavit: videantur loca cit. in secunda Probatione.

Ad tertiam. Novæ vitæ inchoatio a Trid. exigita est bonum benè facere; benè, hoc est, perfecto modo facere; benè, hoc est, benè circumstantionatum, ita quod ex nulla capita malum sit. Actus autem timoris servilis secundùm regulas fidei benè fit, & salutariter fit, quamvis non sit actus omninò perfectus. Totiès actus benè fit, quotiès nulla deest circumstantia sibi debita, nulla deest debita circumstantia, quotiès objectum proximum est honestum, & non apponitur finis positivè vitiosus, & fit loco, & tempore debito; sicut omnis alius actus virtutis benè fit, si hoc modo fiat, ùt docetur a Theologis de actibus humanis.

Actus potest benè fieri sine charitate.

Quando autem Augustinus docet nullo modo actum benè fieri sine charitate, accipit ly *benè*, pro meritoriè; aliàs Augustinus sentiret omnia opera peccatoris esse mala, opus enim, quod nullo modo benè fit in sensu absoluto, malum est. Sentire contrà Ecclesiam Augustinum non est dicendum. Ex Concilio Tridentino actus Fidei, Spei, & similes actus antecedentes justificationem, & actum charitatis sunt boni, & benè facti, utpotè præparatorii ad gratiam. Locus desumptus ex *cap. 9. lib. 2. ad Bonifacium* non est ad rem, loquitur enim de timore inefficaci, immò malo, quia de illo, qui in corde veraciter retinet affectum ad peccatum; qui etiam remanet in eo, qui Deum amat velleitatibus. Locus pariter *de Gratia, & lib. arb.* non est ad rem, agit enim ibi de præcepto charitatis ergà Deum, & proximum, & dicit, qui hæc non adimplet, etiam si cætera faciat, nullo modo bonum benè facit; quod verissimum est juxta regulam B. Jacobi dicentis esse omnium præceptorum reum, qui in uno deficit.

Ad quartam. Concedimus illud propositum esse motum, quo appetit homo honestè vivere, attamen hic, & nunc ex timore servili honesto; est posteà falsissima doctrina, quod sine charitate nullus possit dari actus benè circumstantionatus, ùt patet ex pluriès damnata doctrina superiùs indicata, & ad terrorem clamatur oppositum esse Patrum doctrinam: Ecclesia enim Patres veneratur, nec damnat, sed ùt legitimus interpres veracem ipsorum intelligentiam exhibet: Adest in casu circumstantia debiti finis, quoniam positivè non excluditur ultimus finis.

Ad quintam. Utique ille amat legem æternam tanquam rem electam ad salutem æternam consequendam, & damnationem æternam declinandam. Amat etiam infirmus brachii sectionem, & adustionem, ne moriatur. Ad motivum, quo hic, & nunc proximè ducimur, attendendum est, ut sciamus, qualis conditionis sit aliquis actus. Movemur hic, & nunc ad eligendam legis adimpletionem propter gehennæ metum, actus est unius qualitatis: movemur, ut Deo placeamus, est alterius lineæ.

Ad sextam. Est idem æquivocum. Amat, & sibi est carissima lex æterna, ùt medium electum ad evitandam gehennam. Brachii secatio est infirmo carissima, ùt conducens ad mortem evitandam. Septima æquivocat ex pluribus: expendo solùm unum, vel aliud. Præceptum diligendi Deum non inspicitur in eo proposito determinatè, & distinctè, sed confusè: proponit Pœnitens legem Dei observare, quotiès occurrerit, non distinguendo hoc præceptum, vel illud, & ideò non sequitur, quod Deum diligat. Dato quod distinctè inspiceretur, nihil prorsùs sequitur. Proponit Pœnitens adimpleturum mandatum dilectionis quando occurret. Hoc autem non

est

est nunc amare Deum , sicut non est nunc implere præceptum ; tantò magis, quod hic, & nunc movetur ex metu gehennæ ad faciendum illud propositum. Non est ad rem doctrina Augustini, & Gregorii adducta , loquitur uterque de eo, qui sincerè,& efficaciter directè hic, & nunc vult Deum diligere, & conatur, ut diligat , non autem de eo, qui nolens peccare proponit suo tempore adimplere mandatum dilectionis. Tenet ergo attritus Deum in proposito confusè sub motivo timoris ; adeòque non amat actu, amaturus cùm urgebit præceptum .

58 OB. II. Propositum non peccandi de cætero sequitur ad detestationem peccati, prout est offensa Dei secundùm definitionem utriusque Concilii ; sed detestatio peccati , prout est offensa Dei , oritur essentialiter ex amore Dei vero, & sincero,dicente Angelico Doctore 3. *p. q.* 14. *art.* 5. *ad* 2. -- Ex quo „ aliquis peccatum incurrit, & charitas , & „ fides , & misericordia non liberant homi„ nem a peccato sine pœnitentia ; requirit „ enim charitas, quod homo doleat de of„ fensa in amicum commissa, & quod homo „ amico studeat satisfacere -- Ergo illud propositum oritur essentialiter ex sincero amore Dei . Ita Merbesius discurrit .

Priusquàm directè respondeam, notare placet in neutro Concilio , in loco ubi Auctores desumunt hoc argumentum, videlicet, in instruct. Armenorum , & *Sess* 14. *cap.* 4. ex Trident. in tradenda definitione nullam fieri mentionem offensæ Dei , sed indefinitè dicitur *dolor de peccato commisso* . Quia contritio præscindens describitur , ac proindè nulla particula inseritur exigitiva hujus potiùs motivi, quàm alterius. Item notare placet D. Th. *loco cit.* agere de charitate perfecta , ut evidens est : ergo charitatem perfectam exigunt , & non solùm inchoatam arguentes . Hinc negatur argumentum . Ly *prout offensa Dei* attendi potest dupliciter ; & ut importat rem abominationis actum terminantem , & ut importat motivum abominationis . Primo modo attritus simplex detestatur offensam Dei , sicut detestatur rigurosè contritus , cùm detestetur peccatum , quod est offensa Dei . Secundo modo distinguendum est . Si attenditur offensa Dei reduplicativè, ut contrà bonum Dei , tunc ex charitate oritur detestatio . Si attenditur offensa Dei , ut deformitas animæ, ut faciens reatum pœnæ æternæ , tunc ex charitate non oritur detestatio , sed ex motivo proprio attritionis .

EXPLICATUR . Contristatur servus de morte Domini , prout est mors Domini , contristatur filius de morte Patris , prout est mors Patris : si contristatio in servo oriatur, quia ex morte Domini perdit alimenta , tristitia est mercenaria,si tristatur propter egregias ipsius dotes, tristitia est casta . Pariter si filius contristatur, quia Pater exhibebat ipsi victum sine suo labore,& nunc oportet laborare,mercenaria est tristitia, si verò,quia Patrem amisit propter se,tunc tristitia est filialis . Auctoritas D.Th. perperam adducitur, quærit ibi , an Sacramentum Pœnitentiæ sit de necessitate salutis,& affirmativè resolvens, sibi secundo loco objicit , quod ad liberandum a peccato sufficit fides, misericordia, & charitas , cui respondet per verba allata ad partem, quæ tangit charitatem ; ex quo patet non esse ad propositum præsentis quæstionis, qua inquirimus, an necessariò requiratur charitas , ut possit homo elicere efficax propositum adimplendi legem Dei. Insuper agit S. Th. de liberatione totali a peccato , quæ fit per justificationem , quæ nequit esse absque charitate habituali .

59 OB. III. Propositum habens indispensabiliter conjunctam cordis innovationem non oritur, nisi a charitate : sed propositum exigitum a Trid. est hujusmodi ; quippe quod ad illud explicandum assumit illud *Ezech.* 18. -- Projicite a vobis omnes iniqui„ tates vestras, in quibus prævaricati estis, „ & facite vobis cor novum , & spiritum „ novum &c. Cor novum non facit, nisi cha„ ritas , quæ diffusa est in cordibus nostris „ per Spiritum Sanctum,qui datus est nobis. „ Cor ergo novum est illud, quod gratuito, „ & sincero , & summo amore Dei est ac„ censum &c. Utrumque, & Prophetam, & „ Concilium ab iis amorem Dei super omnia „ diligendi exegisse necessaria consecutione „ conficitur -- Idem Merb.

Non concludit discursus nimis probans. Exigit Auctor amorem Dei super omnia perfectum, utpotè summum,justificantem, utpotè diffusum in cordibus per datum Spiritum Sanctum : ergo non ampliùs sufficit amor inchoatus . Innovatur cor, dùm aliud fit ab eo, quòd anteà erat . Pœnitens attritus peccando Deum contempserat Judicem , parvipendens ejus justitiæ indefectibilis rigorem , nunc a peccato recedit , Deum punitorem timens . Igitur duplex ex cordis innovatio , seu sub duplici consideratione accipitur cor novum vialiter, & consummatè. Vialiter habetur mediis dispositionibus ad justificationem , & hoc modo æquè benè innovatur per attritionem, ac per amorem inchoatum. Consummatè habetur per justificationem; & hoc modo non innovatur cor , nec per amorem inchoatum , nec per attritionem , sed per gratiam sanctificantem . *Quomodo cor innovetur .*

60 OB. IV. Propositum a Tridentino exigitum comprehendit votum suscipiendi Baptismum in Catechumeno, pœnitentiam in peccatore : sed hoc haberi non potest sine dilectione Dei super omnia -- Quia cùm pro„ ponunt suscipere Baptismum , volunt in„ corporari Christo: ergo diligunt Christum, „ nemo enim vellet alicui incorporari, idest, „ in unum cum illo corpus aglutinari , & „ traici , si odio illum insectaretur -- Idem ibidem Merb. quod argumentum valet etiam in Sacramento Pœnitentiæ , si volunt illud suscipere : ergo volunt cum Christo reconciliari : ergo Christum diligunt .

Iste modus arguendi non evincit , quia suaderet actum fidei includere charitatem , nam teste Apostolo etiam per fidem incorporamur Christo : ergo infidelis volens suscipere fidem , diligeret Christum per hoc præcisè . Deinde est contrà Augustinum, qui docet valere Baptismum , (& per consequens per illum incorporari Christo) apud illos , qui fiunt Christiani unicè, ut vitam æternam habeant , & gehennam fugiant . Est contrà

eumdem, & contrà Ecclesiam propugnantem valere Baptismum susceptum cum actuali peccato; & tamen sic baptizati sunt membra corporis Christi. Igitur, qui proponit baptizari ex motivo evitandi pœnas, non habet actualem Christi amorem; & quia in susceptione actuali Baptismi ritè facta includitur justificatio, quæ fit per charitatem, & gratiam habitualem, ideò baptizatus amat habitualiter Christum; sed in hoc non consistit vis quæstionis; sed in eo sita est, an absque actuali amore Christi stet propositum suscipiendi Baptismum, quod nos affirmativè promovemus. Cæterùm ùt infrà explicabitur, reducunt ad quæstionem de nomine difficultatem hujusmodi argumentationes; probant enim quemcumque actum bonum supernaturalem esse initiativè dilectionem Dei pluribus de causis, quas suo loco expendemus.

Valet Baptisma cum fictione susceptum.

61 OB. V. Propositum a Tridentino exigitum debet opponi omni peccato: sed nisi oriatur ex amore Dei super omnia dilecto, nequit opponi omni peccato; nam orietur tunc ex amore spei; amor autem spei non opponitur omni peccato, sed soli desperationi, non autem superbiæ, & intemperantiæ &c. Quarè quis prohibet sperantem actu peccare mortaliter? sicut credentem actu lethaliter delinquere? secùs accidit in amore Dei super omnia, nam cùm iste existimet Deum super omnia, incompossibilis est cum peccato, quo præponitur creatura Deo. Undè si amans Deum peccaret, sequeretur hæc oppositio, Deum diligere super omnia, & Deum non diligere super omnia. Hæc inter alia Laurentius Neessen. *tract. 6. de act. hum. q. 2. dub. 2.*

Rogamus, ut, quod dicimus, perperam non intelligatur. Nunquam nos loquimur de quolibet timore servili, nec de quolibet amore spei, sicut nec ipsi loquuntur de quolibet amore Dei; amantium enim Deum quomodocumque infernus refertus est, teste Bernardo affirmante tartarum plenum esse bonarum voluntatum, & bona voluntas per Adversarios est Dei amor. Addunt ergo Dei super omnia, addant nostro timori, & super omnia, & tunc opponeretur omni peccato. Timor Dei super omnia est timor veraciter Judicis punientis quodlibet peccatum mortale gehennalibus suppliciis: qui ex motivo hujus timoris servilis sincerè detestatur peccatum, & proponit illud evitare de cætero, necesse est, quod actus ille sit incompossibilis cum omni peccato; nam si timens sic Deum peccaret, timeret Deum, ùt punitorem omnis peccati, & non timeret, quia actu parvipenderet Deum Judicem, eodem omninò proportionali discursu, ac de amore. Est incompossibilis dilectio Dei super omnia cum aliqua voluntate peccandi, quia omne peccatum postponit Deum creaturæ: ergo est incompossibilis timor Dei super omnia, hoc est efficaciter, & absolutè punientis omne peccatum, quia omne peccatum æternaliter a Deo punitur: omne peccatum opponitur amori spei super omnia, scilicet, quo sibi homo veraciter concupiscit vitam æternam; quia omne peccatum infert privationem vitæ æternæ.

Ille timor omni peccato opponitur, qui est super omnia.

Non solùm peccatum operis externi ducit ad inferos, sed quodlibet internum, & hoc potissimè: non solùm opera mala punit, & adurit gehenna, sed voluntatem ipsam malam, & hanc potissimè. Non solùm opus manuum pravum excludit a Regno Beatitudinis, sed affectus secretus cordis, & hic potissimè. Veraciter ergo nolens damnari, sincerè volens beari, omne peccatum vult fugere; non minùs, ac veraciter diligens Deum, nullum peccatum admittere, quia omne peccatum Deo repugnat. Concilium, ùt sæpè vidimus *Sess. 14. cap. 4. & Can. 5.* agens de attritione mentionem expressam facit turpitudinis peccati, gehennæ, & amissionis Beatitudinis, & nullius alterius motivi ad minus clarè, & expressè.

Sicut autem requiritur dolor, ita requiritur propositum in confessione venialium propter easdem rationes, de quo audiendus est D. Th. 3. *q. 87. art. 1. ad 1.* -- Ideo pœ-
„ nitentia de peccatis mortalibus requirit,
„ quod homo proponat abstinere ab omni-
„ bus, & singulis peccatis mortalibus; sed
„ ad pœnitentiam peccatorum venialium
„ requiritur, quod homo proponat abstinere
„ a singulis, non tamen ab omnibus, quia
„ hoc infirmitas hujus vitæ non patitur; de-
„ bet tamen habere propositum se præpa-
„ randi ad peccata venialia minuenda, alio-
„ quin esset periculum deficiendi, cùm de-
„ sereret appetitum proficiendi, seu tollen-
„ di impedimenta spiritualis profectus, quæ
„ sunt peccata venialia -- Ex qua doctrina habemus propositum formale in illo, *proponat*. Et quidem proportionali ratione, qua probat de mortalibus, quia videlicet, esset homo irrisor non pœnitens, ùt habet *qu. 84. art. 10. ad 4.*

Habemus pariter propositum non necessariò debere esse de omnibus venialibus, sed de iis, quæ confitemur. Habemus sufficere propositum imminuendi peccata venialia, quæ imminutio multipliciter fieri potest. Primò. Quoad numerum non tot committendi. Secundò. Quoad intensionem, & durationem. Tertiò. Quoad specierum multiplicitatem. Quartò. Quoad plenam advertentiam. Quintò. Quoad malitiam, & passionem, secundùm quam committuntur. Propositum serium imminuendi uno, vel alio modo ex dictis sufficit ad valorem Sacramenti.

Propositum venialium circa quod versari debeat.

DISPU-

DISPUTATIO SECUNDA.

DE QUALITATE ATTRITIONIS CHRISTIANÆ.

IN præcedentibus examinavimus, quæ ad essentiam Christianę attritionis convaniunt, & fuit necessè, ut occurremus objectionibus adversantibus efficacitati Attritionis Christianæ; nunc examinanda sunt, quæ qualitates ejusdem tangunt, seu proprietates, ut per fundamentalia principia satisfaciamus, & reliqua explicemus argumenta.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ATTRITIO CHRISTIANA SIT SUPERNATURALIS ACTUS.

PUtant Adversarii invictè evertere sufficientiam Christianæ attritionis ex eo, quòd sit actus pœnitentiæ naturalis, quæ nisi Pelagianismum velimus tueri, non sufficit ullatenùs ad reconciliationem faciendam per Sacramentum, institutione specialiter divina efficacitatem habens causandi gratiam sanctificantem, quæ est forma omninò supernaturalis. Signanter notavi in scriptis editis post Bullam Alexandri VII. proferri ab Adversariis Attritionem supernaturalem esse, ubi tamen contra nos arguunt, illa eadem priora argumenta urgent. Non defuerunt ex Nostris etiam, qui dixerunt attritionem naturalem sufficere pro Sacramenti validitate, sed non pro formatione. Sit ergo conclusio.

62 Dicendum est, quod attritio Christiana est motus supernaturalis.

Attritio Christiana est motus supernaturalis.

Ostenditur I. Motus, in quem exit voluntas adjuta gratiâ Dei excitante supernaturalis est: sed attritio Christiana est hujusmodi: ergo est supernaturalis. Assumptum habetur ex Concil. Trid. *Sess.6. c. 7.* ubi declaratur modus, quo homo præparatur ad justificationem, diciturque, quod -- Excitati „ divinâ gratiâ, & adjuti &c. a divinæ Ju„ stitiæ timore, quo utiliter concutiuntur, „ ad considerandam Dei misericordiam se „ convertendo, in spem eriguntur --

II. Motus, qui est impulsus Spiritus Sancti cor moventis, supernaturalis est: Hujusmodi est dolor peccatorum ex metu gehennæ: ergo est supernaturalis. Habetur totum *Sess 14. c. 4.* ubi attritio, seu contritio imperfecta dicitur -- Verùm etiam donum „ Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum non „ adhùc quidem inhabitantis, sed tantùm „ moventis --

III. Motus, quo itur ad Deum supernaturalis est, juxtà illud Christi. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Sed Christiana attritione itur ad Deum, definiente Trident. *Sess. 6. Can.8.* illis -- Si quis dixerit

A „ gehennæ metum, per quem ad misericor„ diam Dei de peccatis dolendo confugi„ mus, vel a peccando abstinemus, pecca„ tum esse, aut peccatores pejores facere, „ anathema sit -- Confugere ad Dei misericordiam est ire ad Deum.

IV. Motus ad gratiam disponens supernaturalis est, anathematizante Tridentino *Sess.6. Can. 1.2. & 3.* eos, qui viribus naturæ tribuunt vim præparatoriam ad justificationem: sed attritio est præparatoria ad gratiam eodem Concilio definiente *Sess.14.Can.5.*

B ergo est supernaturalis.

V. Motus inter opera salutis connumeratus debet esse ordinis supernaturalis, docente Augustino *in lib. de gratia Christi*, opera salutis fieri non posse absque auxilio interno gratiæ Christi: attritio nostra connumeratur inter opera salutis, dicente Trident. *Sess.14. cap 4.* -- Qua pœnitens adjutus viam „ sibi ad justitiam parat -- Est ergo ordinis supernaturalis.

VI. Motus, qui in Sacramento disponit ad impetrandam gratiam, & misericor-

C diam Dei, supernaturalis est, definiente Arausicano Concilio 2. *Can.5.* -- Si quis sine gratia „ Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, „ & pulsantibus nobis misericordiam Dei „ dicit conferri, non autem divinitùs, ut „ credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut „ oportet, agere valeamus per infusionem, „ & inspirationem Sancti Spiritus in nobis „ fieri confitetur &c. -- Sed attritio est hujusmodi, clarè id docente Trid. *Sess.14. c.4.* ergo.

VII. Motus procedens a Deo conver-

D tente cor supernaturalis est: talis est attritio docente D.Th. *3.p. q. 85. art. 5. ad 3.* -- „ Ipse etiam motus timoris procedit ex actu „ Dei convertentis cor -- undè dicitur Deuteron. 5. *Quis det eos talem habere mentem, & timeant me?* -- Et ideò per hoc, quod pœni„ tentia a timore procedit, non excluditur „ quin procedat ex actu Dei convertentis cor--

VIII. Motus, qui est ab eodem principio, a quo est fides informis, est supernaturalis. Hujusmodi est attritio dicente D.Th. *lect. 5. ad cap. 8. ad Rom.* -- Et istam defe-

E „ ctum non habet a Spiritu Sancto, sed ex „ culpa hominis præcedente (quæ est pec„ catum habituale.) Sicut, & fides infor„ mis, quantùm ad id quod est fidei, est a Spi„ ritu Sancto, non autem ejus informitas --

IX. Motus quo voluntas mutatur a malo in bonum est supernaturalis, dicente ad illud Psal. 76. *Et dixi nunc cœpi*, Augustinus *lib 2. contrà duas Epist. Pelagianorum cap.ult.* -- „ Cùm ergo dixisset nunc cœpi: non ait, „ hæc mutatio arbitrii mei, sed dexteræ ex„ celsi. Sic igitur gratia Dei cogitur, ut ab „ initio bonæ mutationis suæ usque in finem

„ consummationis, qui gloriatur, in Domi-
„ no glorietur. Quia sicut nemo potest bo-
„ num inchoare sine Domino; sic neque
„ perficere sine Domino -- Sed per attritio-
nem mutatur voluntas de malo in bonum, cùm sit detestatio peccati commissi cum proposito emendationis. *Sess.* 14. *cap.* 4. & *Can.* 5. Tridentini.

X. Motus salutaris, qui est a gratia gratis data, est supernaturalis; Talis est attritio, quæ dispositio antecedens justificationem ponitur a D. Bonaventura 4. *Sent. dist.* 17. *art.* 2. *p.* 1. ubi *q.* 2. habet in respons. -- Nam
„ etiam ille actus, quo anima se disponit,
„ est a gratia, secundùm quod gratia dicit
„ aliquid gratis datum: quia secundùm
„ quod habitum est in secundo, liberum
„ arbitrium non se disponit ad gratiam gra-
„ tum facientem sine aliquo gratis dato --

XI. Motus, qui regulatur principiis fidei, & innititur motivo supernaturali qua tali, supernaturalis est: sed attritio Christiana innititur motivo supernaturali qua tali, quia est peccati detestatio ex timore Dei punientis æternâ gehennæ pœnâ peccata commissa contrà legem ipsius; hæc autem pœna, & hoc infallibile decretum sola fide cognoscitur, qua movetur homo ad pœnitentiam salutaria timoris; tantùm pœnæ æternæ excedit captum naturalis rationis.

Quæ motiva evincunt etiam attritionem, ut partem Sacramenti esse supernaturalem, & non sufficere naturalem.

Attritio naturalis non sufficit ad delenda venialia.

Similiter evincunt prædicta motiva attritionem naturalem non sufficere ad delenda venialia in Sacramento, neque extra. Quibus addo. Nullus actus naturalis potest esse dispositio ad donum supernaturale: sed venialium remissio est donum supernaturale, omninò naturæ indebitum: ergo ad venialium deletionem non sufficit attritio naturalis.

Rem totam absolvimus referendo duplicem proscriptam Thesim, nempè 57. ab Innoc. XI. asserentem -- Probabile est suffi-
„ cere attritionem naturalem, modo hone-
„ stam -- Et 14. ab Alexandro VIII. -- Ti-
„ mor gehennæ non est supernaturalis --

Scio, quod aliqui, in actu attritionis naturalis in justo, docent resultare ex conjunctione cum gratia modum quemdam supernaturalem intrinsecum, quem sufficere dicunt ad venialia delenda, sicut ad merendum. Verùm hac super re non immoror; satis mihi est, quod attritio simpliciter naturalis nequaquam sufficiat.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

63 OBJIC. I. Actus, qui est ex nobis, & non ex gratia, naturalis est: attritio ex nobis est, quia oritur ex motivo timoris fugiendi gehennam, naturale autem est homini fugere malum: ergo attritio non est motus supernaturalis. Pœnitentia ex gratia debet esse a Deo convertente cor hominis. Jerem. 31. 19. *Postquam enim convertisti me, egi pœnitentiam.*

Virtus infusa & acquisita versatur circa eamdem materiam.

Ostendit D. Thom. 1. 2., quod virtutes infusæ, & acquisitæ versantur circà eamdem materiam, ut videre est in Philosopho temperante, & in Apostolo Christi casto, in milite fortiter sustinente mortem pro Rege, & in Martyre pro confessione Christi patibulum ascendente. Differunt tamen ex parte motivi. Infusæ supernaturali regulæ innituntur, acquisitæ fini naturali inhærent. Fugere malum lumine naturali, & intrà ordinem naturalem contentum, pro causa naturali, ab infligente principio naturali, timor naturalis est. Fugere autem malum lumine infuso tantùm cognoscibile, intrà sphæram supernaturalem contentum, quale est gehenna, cujus modus torquendi nequaquam est naturalis; quod datur propter crimen commissum contrà legem Auctoris supernaturalis, quod a solo principio supernaturali infligi potest, timor est supernaturalis. Huic secundo timori innititur attritio Christiana. Hoc ipsum tenentur respondere Adversarii, si quis sic arguat. Naturale est homini amare bonum: sed Deus est bonum supernaturale: ergo naturalis est amor Dei. Ad auctoritatem Jeremiæ respondimus supra, textum allegantes D. Th. probantis timorem servilem esse a Deo cor hominis convertente. Nunc addimus illud Ecclesiastici 1. v. 22. *Corona sapientiæ timor Domini, replens pacem, & salutis fructum: & vidit, & dinumeravit eam: utraque autem sunt dona Dei.* Si donum Dei servilis timor, non ergo naturalis est attritio Christiana.

Servilis timor Dei donum.

64 OB. II. Dolor, qui non pluris valet, quam amor sui ipsius, quo vivere homo concupiscit absque infamia, paupertate, infirmitate, aliisque hujus vitæ doloribus est omninò naturalis: sed dolor attritionis de peccatis ob pœnas inferni non pluris valet. Ergo est naturalis, quamvis a fide oriatur, quia quamvis Apostatæ, Heretici horreant gehennam, quam lumine fidei agnoverunt, non ideò ille timor est supernaturalis: & si quis oculis corporeis pœnas inferni videret, sicut aliquibus accidisse narrant historiæ, ejus voluntas eodem modo moveretur, ac nunc. Ex Laurent. Nees. *de Pœnitentia.*

Si pluris non valeret, Christus non dixisset, nolite timere eos, qui occidunt corpus, sed potiùs timete eum, qui potest corpus, & animam perdere in gehennam: nec dixisset meliùs esse cum uno oculo intrare in vitam æternam, quam cum duobus mitti in gehennam. Timor fugiendi gehennam utique oritur ex amore sui, sed ut elevati ad ordinem supernaturalem, qui non vult privare se maximo bono Beatitudinis: & non vult se exponere tormentis illis, quæ nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascenderunt. Profectò puerorum lusus crediturus infernus, dùm non pluris ducitur ipsius timor, quàm timor malorum hujus vitæ.

Concedo horrorem gehennæ in Hæreticis esse ex fide humana; sed in Hæreticis etiam amor Dei, quem putant se habere, naturalis affectus est, numquid ergo licebit inferre etiam in Catholicis amorem Dei esse affectionem naturalem? Absit. Carent vera fide Hæretici, quid mirum si timore supernaturali careant? Catholicus vera fide illustratur, & in promptu habet divinum auxilium, quo a viis suis pessimis reverti potest, & assumere media a Deo præparata volentibus redire in semitas salutis, inter quæ media timor Dei Judicis severiter punientis peccata con-

connumeratur; adeòque fidelis, qui conatur hisce principiis innixus atteri de peccatis suis, actum veraciter supernaturalem elicier; sicut accidit in aliis actibus virtutis. Illud quod additur de videnre Infernum oculis corporeis nobis favet; quia iste sub evidentia ejus, quod Fides prædicat, maximo conatu benè uteretur divinis auxiliis ad pœnitentiam, sicut de aliquibus, qui mirabilee excessus pœnitentiæ exercuerant, narrant historiæ ob metum pœnarum tam gravium, & æternarum; de quo timore habemus Ecclesiast. c. 28. *Nam qui sine timore est, non poterit justificari, timor Domini expellit peccatum.* Si disponit ad justificationem, nequaquam naturalis esse potest.

65 OB. III. Illius qualitatis est fuga mali, cujus est bonum, ex cujus amore oritur: sed bonum, ex cujus amore oritur attritio est ordinis naturalis, videlicet integritas corporis, & indemnitas naturæ: quæ cum sit aliquod bonum, ille actus est honestus; sicut honestum est appetere potum, & cibum, quia cibus, & potus est aliquod bonum: ergo attritio est naturalis. Ex qua ratione uritur, quod non excludet omnem voluntatem peccandi, quia bonum motus est creatum, impotens rectificare voluntatem; refrænat tamen actum externum, quia sensibilitas pœnæ opponitur delectabilitati exterioris peccati. Ex Laurent. Neef. *de Actibus hum. tract. 6. dub. 3. q. 2.*

Relebimur io idem, & probat argumentum, quod intentio, & spes Beatitudinis æternæ non sit supernaturalis, quia in ea corporis integritas incolumis conservatur. Fruitio clara Dei felicitans hominem ùt felicitans, bonum est supernaturale; privatio ergo illius, est privatio boni supernaturalis. Corpus in Beatis erit illud idem naturale, quod in terris, ornatum tamen donis supernaturalibus, undè amor illius incolumitatis æternæ non est amor naturalis. Consimiliter ignis est naturalis, qui torquet in inferno, sed quod æternaliter torqueat, quod animas torqueat, quod inconsumptibiliter torqueat, aliisque miris, sed veris modis, naturale non est.

Timorem autem servilem excludere voluntatem omnem peccandi, evidenter demonstratum est superiùs; animumque refrænare pariter, & hoc potissimùm, quia malam voluntatem magis adurit gehenna. Satiùs est audire Spiritum Sanctum, quàm homines argumentantes. Ecclesiast. 1. 13. *Timenti Dominum benè erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur.* Quod vers. 19. repetitur, & loquitur de servili, ùt constabit ex textu allegando in sequenti argumento. Richardus a Sancto Victore *lib. 1. de præparatione animi ad contemplationem cap. 9.* habet de timore gehennæ, quem 8. *cap.* vocat initium sapientiæ — Quantò quis vehementiùs metuit, tantò acerbiùs plangit culpam, quam fecit —

Timor gehennæ initium sapientiæ.

66 OB. IV. Tristitia secundùm hominem, nec est salubriter detestativa peccati, nec est supernaturalis: sed attritio timore gehennæ, seu servili est secundùm hominem, utpotè solùm respiciens ad interesse nostrum: Ergo nec est salubriter detestativa peccati, nec supernaturalis. Totum habetur argumentum 2. Cor. 7. 9. & 10. *Gaudeo &c. quia contristati estis ad pœnitentiam; contristati enim estis secundùm Deum &c. quæ enim secundùm Deum tristitia est pœnitentiam in salutem stabilem operatur.* Ecce secundùm Deum non secundùm hominem. Et nullus Sanctorum est, qui locum illum interpretetur de tristitia ex simplici timore gehennæ; Omnes ex amore Dei explicant D. Thomas, Ambrosius, Anselmus in illum locum. Chrysostomus *hom 4. & 5. in 2. Corinth.* Basil. *in regul. brev. ad interrog 5.* Cassianus *de spiritu tristitiæ lib. 9. c. 11.* Bernardus *Serm. 2. in cap. Jejunii*: sic Theologia Sanctorum.

Quia sub eodem æquivoco procedunt argumenta, ideò eadem semper repetimus. Falsum est, quod tristitia concepta ex simplici motivo gehennæ non sit secundùm Deum; secundùm Deum actus est, qui a Deo, vel præcipitur, vel consulitur; timor gehennæ centiès in Scriptura a Deo præcipitur, & consulitur. Eoque motivo utitur, ut homines inducat ad pœnitentiam, ad abstinentiam peccatorum; Notanter Apostolus ait, secundùm Deum, non propter Deum, quia includit, & comprehendere intendit omnem tristitiam, & pœnitentiam, quæ oritur ex motivo honesto ab ipso Deo commendato, sive sit dilectionis, sive timoris. Quod Patres locum B. Pauli explicent de pœnitentia ex amore Dei, non excluditur tristitia ex timore; quoties Scriptura diversos sensus continet? quotiès simul de eodem textu verificantur saluberrimæ diversæ interpretationes? Si non semper in eodem loco, in aliis laudent Patres timorem gehennæ, ejusque maximæ efficaciæ vim commendent. Sol alicubi ferri, alicubi argenti, alicubi auri fodines coquit; ita Divina Sapientia per os Patrum lumina diversarum doctrinarum sparsim distribuit.

Tristitia ex motivo gehennæ est secundum Deū.

Ambros. *Serm. 15. in Psal.* 118. — Nisi „ affigantur cruci hæ carnes, & configantur „ clavis a timore Domini, non permanebit „ in his Spiritus Dei — Ad Spiritum Dei pertinet timor, ergo secundùm Deum est. Loquitur autem de timore servili, ùt contextus demonstrat, de eo enim, qui charitatem præcedit. Audiant an secundùm Deum sit pœnitentia motivo timoris. Ecclesiast. 2. 21. habemus. *Qui timent Dominum, custodiunt mandata illius, & patientiam habebunt usque ad inspectionem illius, dicentes: Si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum.* Vides motivum timoris servilis. Vides movere ad pœnitentiam, vides sufficere ad custodiam legis, adeòque excludere voluntatem peccandi. Ad illud de interesse nostro, jam sæpè dictum est, dari interesse nostrum supernaturale, & Deo placet, ut propter illud operemur tanquam ex motivo proximo, quia in aula magna Domini sunt Principes, & filii, & servi ordine suo; & omnes Domino placent.

67 OB. V. Motus, qui finaliter reflectit supra seipsum, nec supernaturalis est, nec salubriter conversivus: sed attritio finaliter reflectit supra seipsum; quia in eo quiescit, quod finaliter amatur, gratiâ autem sui amat attritus, & supra seipsum reflectit: ergo motus attritionis est. Argumentum desumitur ex Rusbrochio *lib. 3. cap. 6.*, & tetigit

Beatus

Beatus Paulus in illis: — Omnes quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi. Eadem Theologia Sanctorum.

Argumentum, prout jacet, probat motum attritionis esse malum, & peccaminosum, quia per eum constituitur ultimus finis in creatura; nolunt autem esse actum malum Adversarii novissimè scribentes. Itaq. motus attritionis proximè reflectit supra seipsum, quia motus ille oritur ex amore conservandi suum interesse supernaturale, ultimatè finaliter negativè sistit in seipso, non autem positivè, quod debent advertere arguentes. Quare est supernaturalis, bonus, & dispositivè conversivus. Attritio ex timore seculi præsentis naturalis motus est, nec dispositivè conversivus.

Egregia Ruperti sententia.

Optimè Rupertus versans illud Matt. 27. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit*, habet — „ Unus est pœnitentiæ modus, de quo Justus, „ & misericors Deus curare videtur, videli- „ cet, ubi causa pœnitentiam agendi est fi- „ des futuri seculi, metus gehennæ, deside- „ riumque Regni Dei. Hujusmodi pœniten- „ tiam non solùm per suos nuncios, verùm, „ & maximè per semetipsum Deus de Cœlo „ veniens prædicari curavit, sic incipiens „ Evangelium suum, pœnitentiam agite, „ appropinquavit Regnum Cælorum. Alius „ est pœnitentiæ modus, ubi causa pœniten- „ tiam agendi est amor præsentis seculi, pro „ qua pœnitentiam egit impius Achab &c. „ De hujusmodi pœnitentia, quoniam salutem „ non operatur, Deum nunquam curasse le- „ gitur, ut vel per semetipsum, vel per nuncios „ suos eam prædicare dignaretur; præter- „ quàm quod ad Ninivem Civitatem ma- „ gnam misit Prophetam Jonam: licèt illa, „ nec pœnitentiam ibi prædicaverit, aut præ- „ dicare jussus fuerit, sed hoc tantùm: Adhuc „ quadraginta dies, & Ninive subvertetur — Egregiè dictum, & solvens omnia, locumque Pauli, concordatq; cum illa sententia Eccles. 2. 20. *Qui timent Dominum, præparabunt corda sua, & in conspectu illius sanctificabunt animas suas*. Loqui de servili patet, quia est immediatus versiculus ad citatum in præced. solutione.

68 OB. VI. Motus, qui non est ex gratia Christi, non est supernaturalis: attritio ex metu gehennæ non est ex gratia Christi; quia gratia Christi est inspiratio cœlestis delectationis, qua jam incipit dulcescere Deus, quem timebat, qua dulcedine perfusus animus non jam formidine pœnæ, sed amore justitiæ operatur bonum. Jansen.

Evidenter contradicit Tridentino argumentum *Sess. 6. cap. 6.* ubi timorem servilem ex gratia Redemptoris oriri declarat: Contradicit B. Paulo 2. ad Timoth. 2. 25. *Ne quandò Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à diaboli laqueis, a quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem.* Pœnitentia a Deo data ex divina inspiratione est. Ità S. Leo Epist. 91. — Pœnitentiam ex Dei credimus inspiratione conceptam, dicente „ Apostulo: *nè quandò Deus det illis pœniten-* „ *tiam* — Contradicit B. Petro Act. 5. v. 31. *Hunc Principem, & Salvatorem Deus exaltavit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israeli, & remissionem peccatorum*. Ex gratia ergo salutaris est pœnitentiæ motus, quæ a timore exordium habet; sicut optimè deducit August. *lib. 1. contrà duas Epist. Pelagianorum cap. 20.*

Contradicit Psalmistæ 127. *Beati omnes, qui timent Dominum*. Quem etiam de servili exponit Augustinus. Non nisi autem ex gratia Christi beatitudo, etiam solùm initiata, descendit. Contradicit Spiritui Sancto. Prov. 1. 7. dicenti. *Timor Domini principium sapientiæ*. Quia eo scilicet præparatur anima ad suscipiendam divinam gratiam, quæ præparatio donum Dei est; definiente Arausicano 2. *Can.* 4. — Si quis, ut a peccato pur- „ gemur, voluntatem nostram Deum expe- „ ctare contendat: non autem ut etiam „ purgari velimus per Sancti Spiritus infu- „ sionem, & operationem in nos fieri con- „ fitetur, resistit ipsi Spiritui Sancto per Sa- „ lomonem dicenti: Præparatur voluntas a „ Domino; & Apostolo salubriter prædi- „ canti: Deus est, qui operatur in nobis, „ & velle, & perficere pro bona voluntate — Contradicit universæ Ecclesiæ credenti, nullum motum ad salutem utilem esse ex viribus naturæ *Can* 7. Arausicani Concil. 2., & *Can.* 25. Dicant ergo nobiscum cum August. *lib. 5. contrà Julianum cap. 3.* — Nisi ipse dede- „ rit, quis aget pœnitentiam? —

69 OB. VII. Motus, qui non est ex spiritu Christi nequit esse supernaturalis, sed simplex attritio non est ex spiritu Christi; spiritus Christi non habet mixturam involuntarii docente Apostolo 2. Cor. 3. 17. *Ubi autem spiritus Domini, ibi libertas.* Porrò attritio cùm ex timore ortum habeat, involuntarium miscet. Non est ergo motus supernaturalis.

Timor duplex.

Iterùm redimus ad coactionem. Duplex est timor. Alius aggressionis, alius electionis, seu, ùt alii explicant, alius ab opere retrahens, alius ad opus impellens. Primi generis timor involuntarii mixturam habet, quia a principio oritur comprimente, & nos sine nobis aggrediente; hujusmodi sunt timores orti ab hostibus, a latronibus, a procellis, ab infirmitatibus, a minis. Timor electionis, seu secundi generis ille est, qui nascitur ex matura deliberatione, & seria expensione motivorum, & causarum, quæ possunt nobis nocere; hujusmodi autem est gehennæ timor, oritur enim ex seria ponderatione gravitatis pœnarum infernalium; & prudenti collatione ipsarum cùm momentanea peccatorum voluptate, ex certa fide de justa taxatione talis pœnæ per Judicem rectissimum facta. Hic timor voluntarius omninò est, potensque omninò liberè impellere ad bonum opus faciendum. Sapientissimus est iste timor, quo non casu, sed maturo consilio satiùs homo eligit temporali carere voluptate, aliundè etiam temporalibus licitis facilè compensabili, quam æternis sibi bonis privari, & æternis cruciatibus torqueri; & quia sapiens est iste timor, ideò eo singulariter utitur Deus ad promovendam pœnitentiam de peccatis.

Timor electionis voluntarius.

Sed præstat audire iterùm Rupertum Abbatem *in 3. cap. Jonæ* excellenter disserentem. Proposito quæsito cur Deus aliis etiam gentibus Prophetas non miserit minantes, sicut Ninivitis, fortè enim, & aliæ gentes fuissent conversæ, respondet — Nunc autem non ità „ est; Ille namque solummodò pœnitentiæ „ timor ad salutem perducit, cùm id circò

„ quis

„ quis pœnitentiam agit, quia Judicium „ universale, & Cœlorum Regnum futurum „ esse credit, a quo excludendi sunt, & „ in gehennam mittendi peccatores. Cùm „ ergo quis idcircò pœnitentiam agit, ut „ mala æterna evadat, & bona consequatur „ sempiterna, fidelis judicatur, & per fidem „ agendo pœnitentiam salvatur. Nulli ea „ omnibus, quos ad talem pœnitentiam con- „ verti posse præscivit, Deus unquàm Præ- „ dicatores mittere, seu notitiam veritatis „ ostendere, neglexit. Est alia pœnitentia, „ seu pœnitendi intentio, cùm quis prop- „ terea pœnitentiam agit, ut præsentia tan- „ tùm, sive præsentis sæculi mala effugiat, „ bona retineat, fidem non habens, aut cu- „ ram futurorum bonorum, sive malorum — Prosequitur exemplis ostendere, & hanc insufficientem declarat ad salutem. Ecce quam benè ad Christi Spiritum pertineat Christiana attritio: ecce quam libera sit, utpotè ea meritis causæ emanata. Ecce quam salutaris, quia ad gratiam disponit. Ecce quàm utilis, quia ad bonum agendum impellit.

Commendatur in Scripturis timor servilis.

Dictis consonat Ecclesiast. 12. 13. *Deum time, & mandata ejus observa: hoc est enim omnis homo, & cuncta, quæ fiunt adducet Deus in judicium pro omni errato, sive bonum, sive malum illud sit.* Timor cujus motivum est judicium finale, ùt hic ponitur, est servilis. Hunc autem assumit Sanctus Spiritus, ut hominem inducat ad universæ legis observantiam. En igitur qualis est efficaciæ. Ecclesiast. 21. 7. *Qui odit correptionem, vestigium est peccatoris, & qui timet Deum convertetur ad cor suum.* Timor, qui est in peccatore conversioni prævius, in hoc loco servilis est. Hunc autem affirmat Spiritus Sanctus dispositionem esse ad conversionem, sicut odium correptionis est dispositio, seu potiùs signum obdurationis in peccato.

Cap. 2. Ponuntur aliquæ antitheses inter timorem servilem, & amorem, quibus magnificè explicatur vis, & quidem proxima dispositiva ad justificationem, loquendo in genere dispositionum antecedentium, cui si accedat Dei amor appretiativus, vel sacramentalis absolutio complebitur justificatio: vers. 18. habetur. *Qui timent Dominum, non erunt incredibiles Verbo illius, & qui diligunt illum, conservabunt viam illius.* Non erunt incredibiles Verbo illius, hoc est, non negligent mandatorum Dei observantiam, ùt notant Interpretes; excludit ergo voluntatem peccandi, tollitque obicem justificationis. Dilectio autem firmitatem addit bonæ voluntati præconceptæ: vers. 19. *Qui timent Dominum, inquirent, quæ beneplacita sunt ei: & qui diligunt eum, replebuntur lege ipsius.* Sollicitat timor pœnitentem, ut curam habeat, ne deficiat a lege Domini; dilectio autem Dei consummationem legis tribuit, quæ per gratiam justificantem habetur. In eodem cap. ponuntur gradus quidam timoris, conjunctionis videlicet cum fide, cum fiducia, & cum charitate, illis a vers. 8. *Qui timetis Dominum, credite illi, & non evacuabitur merces vestra. Qui timetis Dominum, sperate in illum: & in delectationem veniet misericordia. Qui timetis Dominum, diligite illum, & illuminabuntur corda vestra.* In duobus primis versiculis agitur de timore pertinente ad lineam concupiscentiæ; ideo adjungitur motivum mercedis, & misericordiæ obtinendæ a Deo, in tertio autem agitur de timore initiali, seu filiali, ideò adjungitur motivum divinæ contemplationis; de hac enim explicant Interpretes verba illa, & illuminabuntur corda vestra. Amantes introducuntur in cubiculum amicabilis conversationis. Timentes servi denario mercedis trahuntur. Timor disponit ad consequendam gratiam misericordiæ. Amor amicitiam Dei tribuit. At quomodo tot privilegia Christiani timoris servilis stabunt, si supernaturalitatis dote spoliatur? Si tàm vilis, & abjectus esset, ùt prædicatur ab Adversariis?

ARTICULUS SECUNDUS.

AN ATTRITIO CHRISTIANA SIT ODIUM PECCATI SUPER OMNE MALUM.

69 TAngit titulus scopum, in quem dirigunt Adversarii repetitis ictibus jacula. Malum est duplicis generis Morale, & physicum, Morale aliud est ordinis divini, aliud ordinis humani, Physicum aliud est naturale, ùt morbi, frigus, fames, sitis, nuditas, & similia, aliud est legale, videlicet omnis pœna a legibus statuta contrà violatores ipsarum legum; & hoc dividitur in temporale, ùt sunt carcer, exilium, triremis, bonorum confiscatio, suspendium, & hujusmodi, & in spirituale, & æternum, ùt sunt Censuræ Ecclesiasticæ inflictæ ab Ecclesia, & infernus constitutus a Deo tanquam pœna debita peccatis contrà legem divinam: Titulus ergo comprehendit omnis mali amplitudinem.

Terminus portò ille *super omne malum*, stat dupliciter, extensivè, & intensivè. Extensivè dicit præeligibilitatem unius præ alio: intensivè importat gradualitatem radicationis in subjecto. In hoc Articulo non accipitur intensivè, sed extensivè. Item hoc extensivè potest accipi per formalem comparationem, vel per confusam. Tunc formalis comparatio est, quandò distinctè ex uno extremo ponitur peccatum, & ex alio extremo ponuntur sub distributione omnia mala pœnalitatum. Non quærimus, an odium peccati, sive contritionis, sive attritionis sit super omne malum comparatione hac formali; Conveniunt enim Theologi non esse necessariam hujusmodi collationem. Est etiam contrà regulas Ecclesiæ, quæ & præcipit, & consulit elicere contritionem in eis angustiis, in quibus non adest possibilitas talis comparationis. Quandò homo peccat, præponit omnem creaturam Deo interpretativè, nec tamen intercedit comparatio distincta distributivè omnis creaturæ; igitur quandò etiam a peccato resurgit, non requiritur illa comparatio formalis.

Quinimmò est periculosa, sicut docet Doctor Angelicus *Quodlibeto* 1. *art.* 9. illis — „ Sed in speciali descendere ad hanc pœ- „ nam, vel ad illam non tenetur: quinim- „ mò stultè faceret, si quis seipsum, vel alium „ sol-

„ sollicitarer super hujusmodi particularibus pœnis: manifestum est enim, quod „ sicut delectabilia plùs movent in particulari considerata, quàm in communi, ità „ terribilia plùs terrent, si in particulari „ considerentur: & aliqui sunt, qui minori „ tentatione non cadunt, qui fortè majori „ caderent: sicut aliquis audiens adulterium non incitatur ad libidinem, sed si „ per considerationem descendit ad singulas „ illecebras, magis moveretur. Et similiter „ aliquis non refugeret mortem pati pro „ Christo, sed si descenderet ad considerandam singulas pœnas, magis retraheretur. „ Et ità descendere in talibus ad singula, „ est inducere hominem in tentationem, „ & præbere occasionem peccandi — Quâ doctrinâ reprehenditur imprudentia eorum Confessariorum, qui interrogant puellas, vel uxoratas, an sint paratæ potiùs amittere Patrem, vel Maritum, quam castitatem maculare. In viris sanctitate perfectis erit aliquandò utilis illa comparatio ad excitandum animum ad actus ferventissimos dilectionis. Est etiam utilissimam si Confessarius, ut inducat efficacem, & salutarem timorem, ad singulares, & sensibiles pœnas descendat, ad applicandum excessum incomparabilem gehennalium tormentorum super illas. Igitur status quæstionis est de comparatione solùm confusa sub termino universali, & motivo distributivè communi, quod alii explicant affecta appretiativo, & alii, animi præparatione, quam vocant comparationem virtualem. Quibus positis, loquendo semper de lethalibus, sit conclusio.

Christiana attritio est odiū peccati super omne malum.

70 Dicendum est Attritionem Christianam esse motam odii in peccatum supra omne malum.

Ostendo I. Attritio Christiana descripta a nobis per Concil. Trid. sæpè citatum est peccati detestatio cum proposito non peccandi de cætero: sed hoc propositum refugit peccatum futurum supra omne malum, quia importat voluntatem absolutam non peccandi quacumque occasione occurrente: ergo detestatio præteriti est odium ejusdem super omne aliud malum, quia ejusdem malitiæ est commissum, & commissibile: nec est alia differentia, nisi, quod circà futurum voluntas se habet per modum electionis, circà præteritum per modum displicentiæ.

II. Motivum attritionis ùt regulatum a fide, & recta ratione, demonstrat peccatum esse majus malum quolibet alio. Attritio odit peccatum, ergo super omne malum, quia odit juxtà conditionem recti dictaminis, a quo regulatur. Motivum attritionis, vel est peccati turpitudo, vel gehenna, prout dicit exclusionem a Regno, & inclusionem æternorum suppliciorum. Si primum, turpitudo peccati est majus malum quolibet alio, quia oritur ex malo simpliciter, eo quòd oritur ex peccato, ùt contrà rationem naturalem, & infusam. Si secundum, licèt pœna sit gravissima, nihilominùs est tantùm malum secundùm quid, & pejus est esse reum pœnæ, quam pœna ipsa; insuper fides proponit pœnam illam esse infrà condignum.

III. Odium alicujus objecti est mensurandum juxtà merita illius; Sed merita objecti odio habiti per attritionem excedunt merita aliorum malorum: ergo odium attritionis est super omne malum. Objectum odii est divina offensa, quæ est excedens omne malum. Dixi *objectum*, nam dupliciter divina offensa considerari potest, specificativè, seu ùt objectum in quod tendit motus, hoc est, ùt materia destruenda. Et potest accipi reduplicativè, seu ùt finis proximus, hoc est ùt ratio sub qua motiva. Secundò modo accepta pertinet ad contritionem, primò modo, pertinere potest ad attritionem Christianam, idest specificativè sumptam, quæ est motus virtuosus, atque adeò secundùm regulas rationis rectæ; porrò recta ratio dictat offensam Dei esse majus malum supra quodcumque aliud, sicut dictat Deum esse bonum super omnia bona. Cùm ergo attritio sit motus absolutus, & efficax, odio habet peccatum ipsum absolutè, & tendit absolutè in destructionem offensæ Dei, licèt non sub motivo offensæ Dei; quæ doctrina est benè notanda, circà quam æquivocationem patiuntur Adversarii.

IV. Ideò attritio non est dolor super omne malum, quia ejus motivum, videlicet pœna, non est supra malum peccati; Sed hoc nullum est. Ergo est super omne malum. Declaratur apertè. Non est necesse, quod motivum sit superiùs, vel æquale cum objecto odio habito; nec est necesse, quod magis, vel æquè odio habeatur: Hoc declaratur pluribus exemplis. In licet amabilium non sequitur, filius amat Patrem, quia ipsum fecit Ducem cohortis, ergo minùs diligit Patrem, quam illam dignitatem, vel æquè utrumque. Ad preces amici, vel consanguinei eligit Petrus cælibatum servare, ergo motivum est amabilius, quàm res amata. Absit. In odibilibus; Filius, ut Patri displicentiam causet, præcipitem se dat de turri. Pater odit mortem filii legitimi, ne hæreditatem habeat spurius, & alia sexcenta, in quibus motiva minùs odio habentur, quàm ipsæ res, ad quas movent. Quod etiam accidit in scientiis, & potentiis intellectivis, in quibus ratio tendendi in objectum non est semper ejusdem æstimabilitatis cum illo. Habemus exemplum in virtutibus, quarum aliquæ inferioris ordinis imperant actus superioris lineæ, ùt cùm pœnitentia imperat dilectionem Dei. Religio imperat Fidem, Spem, & Charitatem ad cultum Dei. Ergo in detestatione peccati non est necesse, quod motivum sit ejusdem, vel majoris odibilitatis, aut amabilitatis. Quæ doctrina pariter est notanda, tollitque radicem æquivocationis apud Adversarios.

Virtus ordinis inferioris imperat actūs superioris lineæ.

V. Objectum motivum attritionis, ùt vidimus ex D. Thoma, est duplex, sivè coalescit ex duplici capite, videlicet, ex gehenna, & Deo potente, & volente peccatum punire æternis suppliciis: sed hoc motivum est sufficiens, ut impellat voluntatem ad odio habendum peccatum super omne malum: ergo attritio est odium culpæ super omne malum. Deus, cum sit Judex sapientissimus, & justissimus, non taxat pœnam supra condignitatem delicti; cùm ergo præscribat pœnam maximam, qualis est gehenna, necesse est, quòd judicet peccatum esse maximum malum; si igitur quis detestetur peccatum

propter

propter timorem Dei justissimè punientis tam severis pœnis peccatum, necesse est, quod illud detestetur, ut maximum malum; sequitur enim, & conformat se judicio rectissimo ipsius Judicis ea vi motivi, & modi agendi; judicium autem Judicis circà peccatum, est tanquam de summo odibili, & ideò gravissimâ pœnâ plectit.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

71 OBJIC I. Attritio ob metum gehennæ elicitur ad effugiendas gehennæ pœnas. Ergo pluris æstimatur fuga gehennæ, quàm fuga peccati. Ergo attritio non odit peccatum super omne malum.

Apud Doctores, & præcipuè apud D. Thom. linea odibilium explicatur per æqualitatem lineæ amabilium. In linea amabilium propter minùs bonum non rarò amatur majus bonum. Propter beneficium Redemptionis amamus Deum, qui est majus bonum. Plerique ordinatè propter pulchritudinem amant mulieres, quæ sunt majus bonum. Sæpè cordati propter gratiam elocutionis diligunt viros sapientes. Ita pariter in linea odibilium, minùs malum est ratio odiendi majus. Ne verberetur discipulus justè, fugam otii amplectitur, quod est majus malum. Ne incurrat civilem infamiam, honestè Eques non exposuit periculo occisionis vitam suam in duello, quod periculum est majus malum. Motiva ergo operandi non inferunt, vel majus odium, vel majorem amorem erga ipsa, quàm erga objecta, ad quæ motus tendit. Quæ doctrina, maximè tenet in voluntariè eligibilibus, non alligatis uni determinatæ viæ.

Exemplis explicatur: Jejunium est eligibile a Justo, ut lucretur Indulgentiam plenariam, quæ est egregium bonum. Ut peccatis satisfaciat. Ut carnem domet, ne succumbat tentationi. Ut Deo summo bono placeat. Ut a Deo consequatur sanitatem. Ut avertat fulmina divinæ vindictæ. Quolibet ex istis motivis jejunium eligit justus rationabiliter, nec tamen sequitur, vel alia motiva odisse, vel hoc potiùs magis, quàm aliud, quod est lineæ superioris; immò nec magis amare motivum illud v. g. sanitatem, quàm bonitatem jejunii, quia non eliguntur sub comparatione majoris, vel minoris æstimabilitatis, sed ut motiva quædam sufficientia propter connexam aliquam utilitatem, & causalitatem. Ita proportionabiliter in casu, peccatum fundat reatum pœnæ æternæ, cujus magnitudinem reflectens peccator movetur ad detestationem absolutam peccati commissi: non erumpit in hunc actum vi majoris æstimationis pœnæ supra peccatum, sed assumit illam tanquam motivum urgens, & rationabile demonstrans inordinationem gravissimam, quæ est in peccato, & assurgit in odium absolutum ejusdem, adeòque illud abominatur supra omne malum, cùm abominetur simpliciter, & prout in se est. Illud ergo antecedens objectionis positæ sic distinguitur. Attritio ob metum gehennæ elicitur ad effugiendas pœnas, ità quod ly *ad effugiendas pœnas*, stet pro motivo sufficienti, conceditur, aliter negatur.

72 OB. II. Odium super omnia mala oriri debet a motivo amabiliori super omnia bona, illis malis opposita; quia omne odium mali radicatur in amore boni oppositi illi malo; ut ergo sit odium super omnia mala, necesse est, quod ametur bonum aliquod magis super omnia bona opposita omnibus aliis malis. Sed attritio Christiana nequit habere tale motivum, quia bonum oppositum pœnæ, vel turpitudini peccati non est majus bonum, quàm bonum oppositum peccato; bonum enim oppositum peccato est bonum Dei, bonum oppositum pœnæ æternæ est bonum hominis. Ergo attritio non potest esse odium peccati super omnia mala.

Odium peccati super omnia mala importat affectum ex parte pœnitentis, quo est paratus in casu, quo daretur electio, ut potiùs unum quàm alia fugeret. Ad hunc autem affectum movendum non est necesse motivum boni absolutè amabilioris super omnia bona opposita omnibus malis, sed sufficit tale motivum, quo hic, & nunc prudenter impellatur ad detestandum peccatum absolutè, & simpliciter, hoc enim ipso detestatur, quale est in se ut objectum; in se autem est malum super omne malum. Evitatio autem pœnæ æternæ, & conservatio commodi proprii est motivum sufficiens ad hunc actum detestativum, & quidem prudens, utpotè secundùm rectam rationem, & secundùm principia fidei, ergo non est necesse bonum aliquod absolutè amabilius. Absolutè volens conservare aliquod bonum quamvis minimum absolutè eligit fugere illud, sine quo non potest tale bonum conservari: Pœnitens absolutè vult suum commodum conservare indemne a pœnis æternis: Ergo vult absolutè fugere peccatum, quia sine hac fuga nequit evitare hujusmodi pœnas; ac proindè motu absolutæ detestationis fertur in commissum.

Intellectus iamine supernaturali illustratus firmissimè adhæret objecto fidei; quia videt connexionem fidei cum illo; cùmque ergo Fidelis lumine fidei imbutus sciat esse inevitabilem connexionem inter pœnam æternam, & peccatum irretractatum, volens efficaciter in æternum pati firmissimè detestatur peccatum, prout est in se, hoc est absolutè, & simpliciter. Et hic notandum est. In perfecta contritione detestatio peccati super omnia mala, & illa virtualis prælectio non oritur præcisè a speculativa æstimabilitate Dei super omnia; nam experientia constat, quod plures Christiani in conflictu tentationis stante cognitione Dei ex una parte, & ex altera creaturæ, amorem istius elegerunt Deo abjecto; & plerique excellenter illuminati circà divina ducti ad supplicia martyrii defecerunt. Actualis ergo firmitas, & prælectio oriuntur ex seria applicatione hic, & nunc motivi sufficientis ad prudenter, & rationabiliter fugiendum, & detestandum peccatum.

73 OB. III. In physicis, & moralibus benè ordinatis, quod se habet ut finis ad medium, magis amatur, vel odio habetur. Sed in attritione odium peccati se habet ad odium pœnæ tanquam medium ad finem. Ergo magis odio habetur pœna, ergo odium peccati non est super omnia mala.

Si in attritione subsistit illud Psal. 138. *Perfecto odio oderam illos*, necesse est, quod odium peccati sit super omne malum, aliàs non erit perfectum. Tale autem est, si detestetur peccatum secundùm regulas rationis, & secundùm merita peccati; hocque accidit, quotiès motus abominationis fertur absolutè in peccatum, & conatur affectivè in ipsius destructionem. Christiana attritio simpliciter conatur in destructionem peccati, quod est unica ratio inductiva pœnæ æternæ, adeoque est odium perfectum; cùm aliundè sequatur regulam luminis infusi consulentis fugam æternæ damnationis; non enim est possibile, quod attritio feratur absolutè, & simpliciter in peccatum, & non sit detestatio super omnia mala, cùm in se revera peccatum sit malum super omne malum.

Explico per exemplum proportionale. In Schola Thomistarum defenditur, quod *Vialis charitas est fide perfectior.* vialis Charitas Dei sit actus perfectior fide, quamvis intellectus dicatur potentia simpliciter perfectior: ratio verò assignatur, quia Charitas tendit, & fertur in Deum prout in se, Deus autem prout in se, cùm importet omnem amabilitatem, & summam bonitatem, est perfectius objectum in respectu ad charitatem, quam ad fidem. Ita proportionabiliter, peccatum in se est summum malum, attritio in illud fertur tanquam in objectum prout in se, licèt motivo pœnæ, seu timoris Dei, ideò est detestatio summi mali revera, ac per consequens super omnia mala. Cæterum nec odium peccati est medium ad odium pœnæ, nec odium pœnæ est finis odii peccati, sed pœna præcisè est motivum.

74 OB. IV. Per contritionem odio habetur peccatum super omne malum, quia diligitur Deus super omne bonum, etiam proprii commodi. Sed in attritione non reperitur tale bonum magis dilectum: ergo non potest per eam odio haberi peccatum super omne malum, saltem ipsius pœnæ æternæ, quæ est motivum detestationis.

Exponendus est ordo gradualitatis, non quidem formalis, sed impliciti, & virtualis, qui intercedit in motu attritionis. Duo sunt, a quibus refugit pœnitens, peccatum, scilicet, & pœna: Duobus hisce malis duo bona propria correspondent: peccato opponitur pulchritudo virtutis, & jus ad æternam beatitudinem, pœnæ opponitur commodum proprium. Homo volens conservare idemmet commodum proprium, optat carere pœna, & habere jus ad suam beatitudinem, ex cujus amore nititur in destructionem peccati commissi; quod unicè, & privat jure ad gloriam, & inducit reatum pœnæ æternæ, ex hoc sequitur, quod magis odio habetur peccatum, quàm pœna, quia magis diligitur jus ad gloriam, quàm carentia pœnæ; siquidem carere pœnâ ordinatur ad jus Beatitudinis, ex cujus amore odio habet peccatum: Ipsum exemplum contritionis nobis prodest. Infertur, contritionem odisse magis peccatum, quàm pœnam, quia amabilitas Dei, ejusque bonitas, quam affectivè tollit peccatum, est bonum majus, quàm carentia pœnæ æternæ: Sed etiam jus ad gloriam, vel pulchritudo virtutis, quæ peccatum tollit, est majus bonum, & amabilius, quam indemnitas a pœnis æternis: ergo necesse est, quod odium peccati in attritione sit supra odium pœnæ. Ecce quàm benè subsistat Christiana attritio, explicata a Theologis secundùm ordinatam Scripturarum doctrinam.

75 OB. V. Pœnitens veraciter, & absolutè detestans peccatum debet esse ità dispositus, ut si daretur optio vel eligendi pœnam æternam, vel committendi peccatum, eligeret potiùs primum, quàm secundùm: sed per simplicem attritionem non potest dari hujusmodi dispositio: ergo attritio simplex non est odium peccati super omne malum: ergo absque verò amore Dei nequit dari detestatio verax peccati. Declaratur, & probatur argumentum. Efficax voluntas fugiendi peccatum debet esse talis, ut quacumque circumstantia posita nolit ampliùs peccare, & velit adimplere legem Dei, aliàs non erit voluntas efficax, cùm igitur possibilis sit hæc circumstantia: vel elige pœnam æternam, vel reus esto gravis inobedientiæ, quæ comparatio, seu præceptum magis possibile est, si præceptum de eligenda pœna æterna imponatur in pœnam peccati jam commissi sub comminatione novi peccati: ut cùm Principes jubent transfugas ab exercitu subire carceres sub comminatione majoris culpæ, & reatus.

In omni autem odio veraci ipsius peccati includitur hæc virtualis comparatio, & conditionalis affectus, quia revera peccatum in se, & absolutè est majus malum, quàm pœna æterna considerata in quacumque suppositione, cùm illud sit malum Dei, hæc malum hominis. Necessariò includitur virtualis comparatio, & conditionalis affectio, quæ elicitur a viris sapientibus, & prudentibus formaliter, & explicitè; nam tanta est linea implicitæ comparationis, quanta est explicitæ; secundùm enim Dialecticam, confusè, & virtualiter tantum comprehendit terminus universalis distributivus *omnis*, applicatus propositioni, quantum comprehendit propositio ipsa actu distributa. Singulos ignes dicit comburere assentiens huic, *omnis ignis comburit*; sicut singulos ignes dicit, *hic ignis comburit*, *ille &c.* enumeratis omnibus: atqui sapientes viri prudenter sibi proposuerunt illam comparationem formalem; sit pro exemplo S. Anselmus *lib. de similit. c.* 190 ubi -- Si hinc pec-
„ candi pudorem, & illic cernerem infer-
„ ni horrorem, & uni eorum necessariò ha-
„ berem immergi, potiùs me in gehennam
„ immergerem, quàm peccatum in me im-
„ mitterem: mallem enim a peccato purus
„ infernum intrare, quàm peccati sorde
„ pollutus Cœlorum Regna tenere --

Quem actum plures Sancti elicuerunt, secuti exempla Scripturarum illis affinia. Exod. 32. dicebat Moyses: *Aut dimitte illis hanc noxam, aut si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti*, & Rom 9. dicebat Paulus: *Optabam ego anathema esse a Christo pro fratribus meis*. In illa possibili circumstantia innegabiliter peccare esset contrà rationem, aliàs non esset peccatum; & e adversò pœna non esset contrà rationem, sed contrà bonum physicum hominis: ergo de facto in qualibet peccati detestatione includitur illa virtualis comparatio, quia odio habetur peccatum secundùm totum illud, quod est contrà ve-

veram rationem . Major ergo non potest negari . Minor est evidens . Quia tunc motivum timoris non posset urgere voluntatem ad vincendam illam tentationem , cùm ipsamet pœna, a qua timor fugit , esset admittenda ; nec amor proprii commodi eum jure ad gloriam sufficeret , immò nec locum haberet , cùm hujus carentia esset eligenda. Ergo aliud motivum superiùs foret necessarium , Divini amoris , scilicet , ergo semper , & nunc .

Vociferati sunt quidam hic tanquam victores capta præda , sed nihil invenerunt in manibus suis. Primò, eruditi Doctores negant possibilem casum , videlicet posse Deum constituere hominem in illo articulo necessitatis, ut eligat supplicia æterna, nisi velit peccatum committere , quia Deus induceret hominem ad peccandum timore inferni , quod infinitæ bonitati repugnat . Quod adhuc veriùs est, si æterna supplicia accipiantur sub respectu pœnæ, quæ non datur nisi propter culpam , esset enim tunc cogere ad eligendam culpam .

Sed ne videamus timere , ubi non est, timor ; concedimus hoc, attentà absoluta potentia Dei operantis ex supremo dominio , secundùm quod potest disponere de creatura pro libito ; urgemus autem secundùm providentiam, qua ùt justus Judex distribuit pœnas juxta merita delictorum , ùt est in præsenti Ecclesiæ statu ; in quo electio inferni non est præscripta ad fugiendam culpam modo descripto in objectione . Quod cùm verissimum sit, falsissimum omninò est includi illam virtualem detestationem,& conditionalem comparationem , & affectionem in odio peccati etiam perfectæ contritionis, quia non se extendit nisi ad illa, quæ cadunt sub præsenti dispositione . Non tenemur adimplere omnes leges possibiles , sed quas fecit Deus . Non tenemur amare Deum per exercitium omnium actuum possibilium, sed præscriptorum. Prudens legislator non obligat ad hujusmodi conditionales , quæ nihil ponunt in esse ; multò minùs Deus , qui omnia disponit in numero, pondere , & mensura .

Deus prudens Legislator.

Peccatum absolutè est majus malum , quàm pœna æterna , sed ad hanc majoritatem negativè se habet illa suppositio, ac per consequens non cadit sub debito. Peccatum etiam veniale est majus malum, quàm gehenna, nec tamen dicent Adversarii , requiri affectum conditionalem eligendi illam potiùs , quàm peccare venialiter . Peccatum lethale secundùm se constituit hominem reum annihilationis, & tamen Deus non tenetur hominem annihilare , quia illam pœnam non taxavit . Esset quidem in ea suppositione illud peccatum contrà rectam rationem ; sed nunc non est, quia non præcipitur illa electio ; & conditionalis negativè se habet ad præsentem obligationem , quia illa dispositio ad aliam providentiam pertinet .

ARTICULUS TERTIUS.

AN ATTRITIO CHRISTIANA SIT ODIUM APPRETIATIVE' MAJUS VIRTUALITER UNIUS PECCATI PRÆ ALIO .

76 SUpponentes tanquam certum clarissimi Adversarii unum peccatum esse gravius alio , aliquandò specie , aliquandò numero , docent & meritò unum peccatum esse odibilius alio . Hoc principio posito ; videtur quod simplex attritio nequeat esse sufficiens detestatio peccatorum , quia non habet in suo motivo aliquod , quo unum peccatum alio præferat ; ac per consequens semper firmum erit ad justificationem nequaquam sufficere , etiam in Sacramento. Procedit titulus de prælatione virtuali, non autem formali , vel per distinctos actus, vel per distinctas terminationes media singulorum peccatorum cogitatione , de his enim infrà . Plausibilis est plurium sententia , neque in contritione requirens prælationem unius peccati præ alio ; vel quia non cognoscit unum peccatum esse majus alio in ratione offensæ Dei ; vel quia una est ratio communis , sub qua omnia odio habentur peccata . Sed sit conclusio .

Dicendum est simplicem attritionem Christianam esse odium majus virtute unius peccati præ alio .

Attritio potest unum peccatum præ alio magis odisse .

Ostenditur I. Quia unum peccatum præ alio Deo displicet, contritio est virtute odium majus unius peccati præ alio : sed etiam , quia unum peccatum est magis contra rationem quàm aliud , & contrà majorem virtutem , turpius est, & turpitudine majori inficit peccantem Ergo attritio simplex innixa motivo turpitudinis est odium majus virtute unius peccati præ alio .

II. Ubi est major ratio doloris, ibi affectus ordinatus dolentis est major. Sed in uno peccato est major ratio doloris, quàm in alio relatè ad attritionem, quia uni culpæ major pœna debetur, quàm alteri , cùm sint peccata inæqualia in demerito ex doctrina Ecclesiæ adversùs Jovinianum : ergo attritio est dolor major de uno peccato , quàm de alio ; sicut est contritio, quia una offensa Dei est major altera . Ex D. Th. 3. *p. quæst.* mihi 34. aliàs 3. *supplem. art.* 3.

III. Et est D.Th. *loco prox. cit. ad* 2. his conceptum -- Qui enim aliquod totum diligit , potentia diligit partes etiam ejus ,
„ quamvis non actu: & hoc modo secundùm
„ quod habent ordinem ad totum, quasdam
„ plus, quasdam minùs : sicut qui aliquam
„ Communitatem diligit , virtute singulos
„ diligit , plùs, & minùs secundùm eorum
„ ordinem in bono communi . Et similiter,
„ qui dolet de hoc , quod Deum offendit
„ de diversis , implicitè dolet diversimodè
„ secundùm quod plùs , vel minùs per ea
„ Deum offendit -- Porrò attritio veraciter detestatur offensam Dei , non ex motivo offensæ , sed ex motivo pœnæ, vel turpitudinis peccati : ergo plus, vel minùs detestatur peccata . In communi attritione , sicut in contritione omnia peccata continentur ordine

quodam analogo, quatenùs secundùm proportionem singula peccata ab ea respiciuntur; ita enim se habet attritio una easdem de omnibus simul, ac si de singulis peccatis distinctis doleret justà exigentiam eorum; quo casu unus actus doloris esset major alio, quia exigentia unius peccati major est, quàm alterius. Omnis ordo distinctionem supponit proportionatam; ordo in casu non est, nisi virtualis, sic pariter distinctio non est, nisi virtualis. Ordo iste negari nequit in attritione, quia attritio simplex est donum Sancti Spiritus; quæ autem a Deo sunt, ordinata sunt.

IV. Appretiativa vis affectiva attritionis commensuratur, & dirigitur a dictamine rectæ rationis fidei lumine super infusæ: sed recta ratio dictat unum peccatum esse alio gravius, turpius, dignius majori pœna: ergo attritio ita in omnia peccata fertur, ut unum alteri præferat odiendo, secundùm regulam sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ità se habet magis ad magis.

Pœnitens magis de lethalibus, quam de venialibus dolet.

V. Quando pœnitens uno actu dolet de mortalibus, & venialibus simul, innegabiliter virtute ille motus præfert mortalia levibus, & magis de primis dolet, quàm de secundis, & si aliter esset, ille processus esset inordinatus. Sed est eadem ratio, ubi sola mortalia occurrunt, nam sicut linea mortalium excedit lineam venialium, ità in genere mortalium linea unius speciei excedit lineam alterius speciei; ex quo excessu oritur reatus majoris, & minoris pœnæ: ergo &c.

VI. Tendentia detestativa attritionis Christianæ versatur circà peccata, quæ sunt objectum affectivè destruendum ab ipsa secundùm taxam rectissimam a Deo constitutam; est enim motus gratiæ supernaturalis; Sed Deus taxavit magis esse dolendum de uno peccato, quam de alio, ubi Deut. 25. dixit: *Secundùm mensuram peccati, erit & plagarum modus*. Dolor de peccato interior ob metum pœnarum proportionari oportet mensuræ pœnarum taxatarum, quæ sunt inæquales, ùt suadet Scriptura cit. ideò dicebat Propheta pœnitens Psal. 79. *Cibabis nos pane lacrymarum, & potum dabis nobis in lacrymis in mensura*.

VII. Peccatorum detestatio per motum contritionis, vel attritionis commensuratur cum pœnitentiis justè taxatis ab Ecclesia; immò se habet tanquam forma pœnitentiarum extrinsecarum; Sed pœnitentiæ extrinsecæ taxantur minores, & majores ad majorem, vel minorem gravitatem peccatorum: ergo attritio quoque virtualiter servat hujusmodi proportionem. Ostenditur assumptum. Concilium Laodicenum in sexta Synodo confirmatum habet *cap. de his, qui diversis facinoribus peccaverunt* — Talibus pro qualitate, „ & proportione delicti pœnitentiæ tempus „ tribuendum est — Alia occurrunt, ubi de pœnitentia publica.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

77 OBJIC. I. In summo non datur magis, & minùs; Sed omne peccatum appretiativè est summè odibile, quia minimum peccatum non est eligibile ad vitandum maximum: ergo non magis unum, quàm aliud odio habetur attritione.

Certum est, quod in aliqua ratione omnia peccata sunt in summo, & nunquam secundùm rectam rationem est eligibile unum peccatum pro alio evitando, & nusquàm commissio unius potest esse necessaria ad aliud vitandum, hoc ipso peccatum non esset: nihilominùs in illo summo datur minor, & major odibilitas objectiva; nam æquo pede cum suo objecto servat proportionem peccatum, ac virtus. Declaratur prælatio unius ab alio exemplis extrinsecis. Communis est doctrina, quod Magistratus non valentes impedire omnia peccata in Republica absque majoribus periculis boni communis possunt permittere minora. Pariter communiter admittitur, licere proponere minùs malum ùt impeditivum gravioris parato inamovibiliter committere majus. Nunquàm operanti licitæ sunt istæ prælectiones, quia in ipsius potestate est utrumque peccatum vitare, in aliis possunt permitti tantùm, quia non est in potestate nostra utrumque extremum impedire: suadent tamen hæc dari peccatorum gradualitatem, quæ potest terminare motum attritionis diversimodè.

In peccato major, & minor odibilitas objectiva.

78 OB. II. Ubi plura attinguntur sub una ratione omninò indivisibili, ibi non datur majus, & minùs, ob quod principium assensus fidei divinæ non est major de uno, quàm de alio articulo. Sed attritio detestatur peccata omnia sub una ratione omninò indivisibili, qualis est pœna gehennalis. Ergo non est major de uno, quàm de alio.

Axioma valet, quandò ex parte objectorum nulla est gradualitas fundans aliquam proportionem; in caso autem datur. Quamvis quodlibet peccatum lethale mereatur æternam damnationem, tamen unum ratione suæ specificæ gravitatis majorem pœnam essentialem etiam, tum damni, tum sensus promeretur, ùt docent Theologi; & Ecclesia contrà Jovinianum, & Beguardos. Unitas, & æqualitas indivisibilitatis motivi facit, ut unum peccatum non detester absque alio; non autem, ut æqualiter omnia odio habeantur. Paritas de fide non habet locum. Omissa latitudine subjectiva in fide, quæ dicitur intensiva, certitudo objectiva, sive majoritas objectiva consideratur dupliciter. Primò, ex parte rationis formalis credendi. Secundò, ex parte materialiter credendorum, seu ex parte materiæ creditæ. In prima consideratione datur omnimoda æqualitas, nec est ibi capacitas majoritatis, & minoritatis; quia veracitas divina, quæ est ratio formalis credendi, non est magis vera, & infallibilis in uno, quàm in alio; in maximo, quàm in minimo: in secunda consideratione, neque datur magis, & minùs; nam objecta totam credibilitatem habent a revelatione extrinseca. D.Th. 2.2. art. 4. q. 5. similis ratio currit

Peccatum diversum specificum habet gravitatem.

in

in dilectiona proaimi aa charitata in ordinc ad Deum; quamvis una sit Beatitudo, quæ omnibus Sanctis datur, & justis, quia tamen in ea ast gradoalitas distributa ad regulam justitiæ, diligendi magis sunt ca charitate meliores, D. Th. 2. 2. *q.* 26. *art.* 7.

79 OB. III. Acta Sanctorum præcipuè Apostolorum sunt regula agendorum; Sed isti non magis dolebant de uno peccato, ac de alio; hinc Hiaronymus laudat B. Paulum in hoc, quod minima peccata plangebat, sicut magna: ergo dolor attritionis non est major de uno, quàm de alio; aliàs B. Paulus inordinatè egisset.

Quomodo Sanctorum acta sint regula agendorum.

Sanctorum acta sunt ragula agendorum, tum in necessariis, tum in supererogatoriis; in utroque enim genere præclara dederunt exempla; est tamen irregularis illatio a supererogatoriis ad necessaria. Quod Paulus faciebat de minimis ea superabundanti, alii faciunt de magnis ea debito. Quod plangeret Paulus minima, sicut alii magna, ea magnitudine affectus ergà Dominum, non ea quantitate peccatorum oriebatur. Interiori lumina occupatus ergà Divinæ Majestatis celsitudinem justè apprahendebat Apostolus excessivam inordinationem inter minimas culpas, & infinitam pulchritudinem Deitatis; hinc, & timora filiali, & amora reverentiali commotus efluebat in ferventissimos actus compunctionis: Nos agimus hìc de majoritate respectiva ad quantitatem peccati, & innata ipsi attritioni secundùm mensuram a recta rationa, & Scripturis statutam, attanta essentiali virtute appratiativa; & præscindimur a majoritate orta a singulari affectu devotionis.

80 OB. IV. Ideò attritio magis detestatur unum peccatum, quàm aliud, quia unum est majus malum, quàm aliud, adeòque majoris pœnæ reatum fundans; Sed hæc ratio nulla est; quia ea ea sequeretur peccatum alianum gravius, esse magis detestabile per contritionem, quàm proprium levius, quod est omninò falsum: Ratio sequelæ est, quia charitas respicit bonum Dei secundùm se, & propter se, & refugit eodem modo malum oppositum: ergo magis refugit majus malum; sed peccatum alienum gravius, ast malum majus, quàm proprium levius: ergo magis refugit alienum, quàm proprium.

Peccatū alienum non est attritionis objectum.

Constans est doctrina, quod peccatum alienum qua alienum non sit objectum attritionis vel contritionis, & rationem assignat Angelicus *art.* 5. *q.* 2. *supplem.* mihi 33. *de Sacramentis*, illis -- Illud idem conteritur,
„ quod prius durum, & integrum fuit: un-
„ dè oportet, quod contritio pro peccato sit
„ in eodem, in quo peccati duritia præcessit:
„ & sic de alienis peccatis non est contri-
„ tio -- Et *q.* 48. *art.* 2 *ad* 1. docet potuisse Christum satisfacere pro nostris peccatis, non autem alios actus pœnitentiæ elicere, quia satisfactio consistit in exteriori, hoc est, pertinet ad illud genus actuum, qui respiciunt medium rei, idest tendunt ad constituendam æqualitatem inter rem, & rem, undè exerceri, & suppleri possunt per instrumenta, videlicet per amicos: confessio verò, & contritio, aliique actus proprii pœnitentiæ pertinent ad genus actuum, qui respiciunt medium rationis, quod medium est intrinsecum ordinatum ad rectificandum ipsum operantem; & ideò consistit in proportione intraneæ rationis dirigentis operantem; primum autem est aatrinsecum, & ideò consistit in propria æquationa rei ad rem: cumque ergo nemo bonus sit, & rectus, bonitate, & rectitudine alterius, ità de alienis peccatis non dantur veri actus pœnitentiæ: Datur autem satisfactio.

Quia tamen dolera possumus da alienis peccatis, ideò locus adhuc ramanat objectioni. Cui resp. licèt absolutè, & objectivè malum alienum possit esse majus proprio, tamen semper dolor major est de proprio leviori, quàm de alieno graviori; nam charitate tenemur secundùm debitum ordinem magis diligere nos in spiritualibus, quàm alios; ipsaque charitas inclinat per se primo ad perficiendum subjectum, in quo est, & primo amandum in ordine ad Deum tanquam primum inter conjunctos, & ideò charitas non semper appretiativè magis amat bonum majus objectivè secundùm se, sed magis Deo conjunctum, & ipsi, sub hac aadem mansura procedit odium: tendit anim ordinatè ad pellendum malum per se primò ipsius suppositi, & in illo per se primò destructionem intentat, quàm in alio. Dici alienum ùt alienum, si anim in nobis sit aliqua cooperatio ad illud, juxià illud Psal. 17. *Cum perverso perverteris*. Tunc erit etiam nostrum, & per consequens capax contritionis, juxtà illud Psal. 18. *Ab alienis parce servo tuo*.

ARTICULUS QUARTUS.

AN UNA ATTRITIO CHRISTIANA SUFFICIAT PRO PLURIBUS PECCATIS.

81 STatus quæstionis est. Si quis plura habet lethalia peccata, puta decem, sufficiat pro dispositione ad Sacramentum, & ad justificationem uno actu omnia simul detestari, vel necesse sit pro singulis peccatis singularam attritionem elicere, puta decem actus. Communis quidem est difficultas cum contritione, sed peculiariter ad attritionem restringitur, quia duo, vel tres Doctores, ùt Angelus, Silvester, & Cajetanus, videntur tot attritiones requirere, quot peccata, secùs de contritione. Et hoc maximè in ordine ad Sacramentum; facientas aliquam distinctionem inter attritionem, ùt actum minùs perfectum pœnitentiæ, & ùt disponentem ad justificationem. Sed sit conclusio.

Dicendum ast unicum actum Christianæ attritionis sufficere pro pluribus peccatis.

PROB. conclusio I. Sacra Scriptura habenti plura peccata præcipit pœnitentiam, vel consulit indefinitè, & sub termino singulari agere. Sed si de singulis peccatis requireretur unus actus singularis, nec loqueretur, nec posset loqui ità indefinitè. Ergo non requiritur hujusmodi numeralis detestatio; non enim tenemur supra regulas præscriptas a Scripturis. Assumptum habetur Ezechielis 18. 21. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est &c. vita*

vivet,

vivet, & non morietur. Vers. 28 *Considerans enim, & avertens se ab omnibus iniquitatibus suis, quas operatus est, vita vivet, & non morietur*. Vers. 30. *Convertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas*. Ecce quomodo in singulari, & indefinitè una pœnitentia præscribitur de pluribus peccatis, & quidem dispositiva ad justificationem. Lucæ 13. 5. *Si pœnitentiam non egeritis, omnes simul peribitis*. Indefinita pariter locutio. Hinc Job 14. 16. uno actu in plura fertur peccata. *Sed parce peccatis meis*. David pariter Psal. 50. 11. *Averte faciem tuam a peccatis meis*. Et Psalmo 78. 9. *Propitius esto peccatis nostris*. Et alibi.

II. Christi doctrina est via recta salutis; Sed Christus docuit unicum actum pœnitentiæ sufficere pro pluribus peccatis: Ergo non sunt tot eliciendi, quot sunt peccata. Assumptum habetur Matth. 6. 12. ubi docens orare, articulo de peccato sub uno affectu tradit esse dicendum. *Dimitte nobis debita nostra, sicut nos dimittimus debitoribus nostris*. In humanis unica veniæ petitio, & humiliatio sufficit pro pluribus offensis. Matth. 18. 26. in servo debente decem millia talenta intelligitur homo pluribus peccatis oneratus: in actu humiliationis intelligitur actus pœnitentiæ requisitus in Pœnitente; unico autem contentus habetur. *Procidens autem servus ille, orabat eum dicens, patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Misertus autem Dominus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei*. Lucæ 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*. Dixit Jesus Pharisæo de Muliere peccatrice: quia dilexit multùm, hoc est appretiativè, non multotiès, tot dolores repetendo, quot peccata.

III. Sensus Ecclesiæ est optima regula operandi: sed sensus Ecclesiæ sufficere tradit unum actum doloris pro pluribus peccatis: ergo pro singulis non requiruntur actus particulares. Ostenditur assumptum. Duplex est sensus Ecclesiæ, alius practicus, alius speculativus, seu doctrinalis. Practicus habetur expressus in actionibus, & ritibus; Sed unico actu Ecclesia orat pro pluribus peccatis, postulatque remissionem a Deo, ùt patet in Collectis Missarum, & Officiorum, ùt patet in aspirationibus, & affectibus pœnitentialibus, in quibus per unam Antiphonam, & versiculum misericordiam Dei implorat, vel de peccatis dolet. Doctrinalis sensus habetur in Conciliis, & Canonibus; sed unico actu detestativo plurium peccatorum satisfieri obligationi, docet nos Concilium Tridentinum, quod *Sess.* 14 *cap.* 5. præcipit expressam singulorum peccatorum confessionem, nunquam autem numeralem correspondentiam actuum doloris expostulat; Hinc semper in singulari de contritione, & attritione loquitur, nusquam in plurali: Hinc *cap.* 4. ait -- Fuit autem quovis tempore ad „ impetrandam veniam peccatorum hic con„ tritionis motus necessarius -- Unus singularis motus in plura peccata -- Demùm præ„ parat ad remissionem peccatorum -- En iterùm in plurali peccata, in singulari contritio, quæ similes locutiones frequentes sunt in eo Concilio.

IV. Contritio, & attritio disponens ad justificationem per Concilium ibidem est animi dolor cum proposito non peccandi de cætero, est vitæ novæ propositum, & veteris odium; Sed propositum non est necessarium per tot actus, quot sunt possibilia peccata lethalia, sed unum virtute ad omnia extensum: Ergo dolor etiam de commissis unus sufficit virtute extensus, pari enim passu currit motus tendens in destructionem præteritorum, & motus declinans ea in futuro.

V. Per Concilium eadem sessione tàm contritio, quàm confessio sunt partes materiales Sacramenti, sicut absolutio est causa formalis; Sed una absolutio sufficit pro pluribus peccatis, & una confessio, licèt enim propter penuriam verborum sint necessariæ plures expressiones, tamen non sunt plures, sed una enunciatio, & accusatio, & ubi uno verbo plura possunt exprimi, unicum illud sufficit, ùt si dicatur decies pejeravi. Ergo una contritio sufficit sub una ratione terminante ad plura peccata.

VI. Sicut per Tridentinum *Sess.*6. *c.* 6. necessarius est dolor tanquam dispositio proxima, ità fides tanquam fundamentalis; Sed unicus actus sub una ratione generali plura mysteria credens, sufficit. Ergo similiter unus actus doloris.

VII. Præcipit Ecclesia administrare Sacramentum in circumstantiis, in quibus non est possibilis illa actuum pluralitas, & successio; hoc autem non faceret, si requireretur. Moribundus ex improviso accidente non potest successivè plures actus doloris elicere si plura habet peccata, & tamen illi jubemur Sacramentum conferre præmissa exhortatione ad contritionem in genere. Pariter in casu naufragii absolutio datur sub solo dolore generali. Parochus tenetur contritionem elicere vocatus ad danda Sacramenta sivè unum, sive plura habeat peccata; qui tamen sufficiens tempus non habet pro successivè producendis pluribus actibus. Denique universæ praxis Ecclesiæ obstat, nullus Parochus istam necessitatem docet, nullus Catechismus insinuat, nullus Confessarius exigit. Experientia piorum comprobat, & cæterorum Fidelium, qui solent de pluribus peccatis uno contentu conteri. Sanè si hæc actuum numeralitas requireretur ferè desperata esset miserorum peccatorum salus, est enim valdè difficilè onus.

Quæ dicta sunt communia sunt attritioni, ipsa etiam sub uno motivo generali tendit in suum objectum, nisi velimus fingere casum, in quo quis vellet detestari singula peccata ex singularibus motivis propriis. Ità credo veram nostram doctrinam, ut oppositum practicari minùs utile adjudicem, nedùm, quia graviori tædio spiritum affici certum est, sed quia utilius est unum actum virtutis, & potissimè pœnitentiæ solidare, radicare, & perficere, quàm plures multiplicare; undè communiter docent de merito Theologi melius esse, magisque meritorium cæteris paribus una hora insistere unico actui virtutis, quam tot multiplicare, quot sunt minuta horam constituentia.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

82 OBJIC. I. Dolor de peccatis in communi non sufficit ad justificationem ; Sed dolor ille virtute comprehendit omnia singularia, quia omnia sub illo genere continentur ; & singula peccata participant illam rationem genericam , sub qua oritur detestatio, sicut quia singula individua participant rationem genericam naturæ humanæ, qui odio habet naturam humanam ut sic, odio habet omnia ejus individua. Ergo singulis peccatis singulus actus correspondere oportet ; & non sufficit unus universalis pro omnibus .

Ratio generica peccati ut sic abstrahit a peccato commisso , a proprio , & alieno ; & dolor similiter sub illa generica ratione est abstrahens ; honestus quidem motus est , utpotè secundùm regulam rationis refugiens a maximo malo ; non est tamen dispositivus ad justificationem ; hic enim debet esse de propriis, & personaliter commissis, & aliquo modo recogitatis . Non negamus sub ea ratione generica contineri singula peccata continentiâ logicâ . Negamus tamen contineri moraliter , prout detestabilia sunt per attritionem, vel contritionem dispositivam ad justificationem, qui actus solùm cadere possunt in peccata propria , & determinata . Justus poterit quidem mereri per actum illum displicentiæ de peccato ut sic, non tamen peccator se disponere ad justificationem, quæ est mundativa a propriis reatibus . Non indè tamen sequitur necessarios esse tot actus , quod peccata commissa , sed sufficit sub motivo generali simul detestari .

83 OB. II. Quodlibet peccatum suam habet distinctam malitiam ; Sed detestatio peccati, prout oportet, debet esse de peccato, prout malum est . Ergo de quolibet peccato debet esse suus distinctus actus , actus enim unius bonitatis nequit correspondere duplici malitiæ distinctæ .

Omnia peccata in ratione reatus conveniunt .

Sicut omne peccatum, cujuscumque speciei sit, convenit in una ratione offensæ Dei ; ità convenit in una ratione reatus pœnæ æternæ ; adeòque omnia una contritione, omnia una attritione comprehendi possunt ; quæ enim sub una indivisibili ratione cadunt, uno motu affectivo, vel cognoscitivo attingibilia sunt . Malitia particularis , per quam unum peccatum ab alio distinguitur, non est formalis ratio motiva odii, sed est ratio terminativa; si esset ratio motiva, utique quot essent peccata, tot actus doloris essent eliciendi. Habemus exemplum in fide .

84 OB. III. Detestatio peccati disponens ad justificationem debet esse effectivè efficax; Sed unus actus circa plura peccata non potest esse efficax respectu omnium, quia debet partiri ad multa objecta, ità quod unus gradus tendat ad unum , alius ad alium, virtus autem divisa debilior est . Ergo .

Argumenti inefficacia palam fit in actu amoris , quo proximos internè diligimus . Quandò plura sub una ratione attinguntur non ità res se habet , quod actus partiatur, juxta pluralitatem objectorum ; sed indivisibiliter, & æqualiter fertur in omnia, licèt terminativè intercedat aliquis ordo prioritatis, & majoritatis . *Vis*, quæ disponit ad justificationem, non consistit in gradualitate intensiva , sed in efficacitate appretiationis , quæ in eo stat , ut unum præferatur alteri objecto ; si ergo sub uno motivo convictus animus ità dispositus est , ut multa postponat uni , illud unum magis appretiatur , quam illa multa , qualis ergo necessitas , ut actus tot multiplicentur , quot illa multa ? Christus dixit , qui non odit Patrem suum , & Matrem suam , fratres , sorores , & uxorem, non est me dignus, volens docere ipsum esse præferendum omnibus illis . Quod præceptum , ut adimpleamus , non tenemur tot multiplicare actus , quot illi sunt (immò hoc esset valdè periculosum) sed sufficit uno affectu velle Christum præferre omnibus illis, & esse paratum illa omnia deserere , ne Christus deseratur .

85 OB. IV. Eo modo peccata sunt detestanda, quo fuerunt commissa ; Sed distinctis actibus fuerunt commissa. Ergò distinctis actibus sunt detestanda ; quia via recedendi a creaturis debet opponi viæ accedendi ad illas , & res per easdem causas dissolvitur , per quas efficitur .

Sunt peccata eodem modo detestanda , quo sunt commissa, quoad ùm ad affectivam appretiationem, ità quod tanti parvipendatur creatura, quanta fuit præamata, secùs quoad actuum repetitionem . Conveniunt omnia peccata in una aversione a Deo, in uno reatu pœnæ æternæ. Hoc ipso autem, quòd omnia sub illis motivis odio habeantur simul uno affectu , æquivalet ille motus in esse destructivi omnibus illis actibus, quibus fuerunt posita . In humanis per decem , v. g. actiones contrahitur debitum de mille , & tamen satisfieri ei potest una solutione æquivalenti . Unus actus fidei circà plura credibilia æquivalet pluribus actibus distinctis , quia procedit sub una ratione communi veracitatis divinæ, cujus infinitæ infallibilitati innixus intellectus firmissimè assentitur super omnem aliam quamcumque veritatem possibilem . ità in actu detestativo peccatorum , ubi motivum est commune , & indivisibile uno actu præfertur Deus omnibus creaturis inordinatè amatis , & retractatur omnis inordinatio, quæ præcessit in omnibus , & singulis peccatis commissis .

Uno actu plura peccata detestantur .

Dices -- Quamvis omnia mortalia conveniant in aversione : tamen differunt in causa , & modo aversionis , & quantitate elongationis a Deo : & hoc est secundùm diversitatem conversionis -- Doctrina est D. Th. ad 2. *q.* 2. *suppl. art.* 6. satisfacientis huic argumento, quod est solutio a nobis data præcedenti instantiæ -- Contritio debet esse de peccatis, secundùm quod avertitur a Deo: quia conversio ad creaturam sine aversione a Deo contritionem non requirit : sed omnia peccata mortalia in aversione conveniunt ; ergo contra omnia sufficit una contritio -- Quibus apparet manifestè D. Th. exigere tot actus doloris , quot sunt peccata .

Non est dissimulanda hæc difficultas ex mente D. Th. qui satis clarè in cit. Articulo videtur requirere tot actus, quot peccata ; nec suffi-

sufficienter explicatur de sola distincta cognitione peccatorum, quia satis contextus planus est de dolore, sic habet in corpore -- Con-
„ tritio potest considerari dupliciter, scili-
„ cet quantùm ad sui principium, & quan-
„ tùm ad terminum. Et dico principium
„ contritionis cogitationem, qua quis cogi-
„ tat de peccato, & dolet, & si non dolore
„ contritionis, saltem dolore attritionis.
„ Terminus autem contritionis est, quandò
„ dolor ille jam gratia informatur. Quan-
„ tùm ergo ad principium contritionis,
„ oportet, quòd de singulis peccatis, quæ
„ quis in memoria habet, conteratur, sed
„ quantùm ad terminum sufficit, quòd sit
„ una communis de omnibus; tunc enim
„ ille motus agit in vi omnium dispositio-
„ num præcedentium -- Et secundùm hanc doctrinam respondet objectis. Hoc idem insinuat *quæst.* 3. sequenti *art.* 3. illis -- Alio
„ modo potest accipi contritio, secundùm
„ quod est simul de omnibus: sicut in actu
„ justificationis, & hæc quidem contritio,
„ vel ex singulorum contritione procedit,
„ & sic quamvis sit actus unus, tamen di-
„ stinctio peccatorum virtute manet in ipso,
„ vel ad minùs habet propositum de singu-
„ lis cogitandi annexum, & sic etiam habi-
„ tualiter est magis de uno, quam de alio --

Quod tot actus velit S. Doctor, quot peccata, asserit Commentator supplementi coordinati, quo ego utor: & explicat exemplo plurium guttarum, quæ sæpè cadendo cavant lapidem secundùm vulgare axioma. Non crediderim tamen, S. Doctorem loqui tanquam de re necessaria, sed solùm de libera, & minimè cadente sub præcepto. Ducor, quia ipse tenet sub una ratione communi unum actum posse ferri in omnia peccata, sicut patet in actu contritionis elicito in instanti justificationis, sicut patet de oblitis: vult enim deleri peccata oblita per actum pœnitentiæ simul cum cognitis, quia sub una ratione continentur, sic docet 3. *p. q.* 87. *art.* 1., *& de veritate q.* 28. *art.* 5. *ad* 4. colligitur etiam ex auctoritate citata ex 3. quæstione, quæ procedit sub disjunctione -- Et
„ hæc quidem contritio, vel ex singulorum
„ contritione procedit, vel ad minùs habet
„ propositum de singulis cogitandi -- Non est ergo necesse, quòd præcedant tot actus, quot sunt peccata cogitata.

Deindè loquitur S. Doctor de attritione ex motivo particulari: Tunc in dispositionibus antecedentibus tot actus sunt necessarii, quot crimina, quia non respiciuntur in eo casu sub una ratione indivisibili, sed unumquodque peccatum attenditur pœnès peculiarem malitiam suam alteri non communem. Et ad hoc facit doctrina D. Thomæ, quod peccata differunt in causa in modo aversionis, & quantitate elongationis a Deo. Quam solutionem posteà inveni in notis Nicolai super *distin.* 17. *q.* 2. *art.* 1. *ad Annibaldum*. Ubi S. Doctor tenet idem principium, in justificatione sufficere unum actum communem, secùs in præparatoriis -- Dicendum, quòd quamvis
„ simul fiat justificatio, tamen successivè fit
„ præparatio: & ideò contritio in sui prin-
„ cipio oportet, quòd fit singillatim de omni-
„ bus: sed in sui fine, cùm est gratia infor-
„ mata, est simul -- Idem habet *q.* 7. *de malo art.* 11. *ad* 3. docens detestationem mortalium debere esse in particulari; quia lethale contrariatur directè gratiæ: de venialibus autem sufficit in universali. Non negat tamen sufficere in præparatoriis unam attritionem ex motivo communi.

Quomodo peccata differant in modo aversionis.

86 OB. V. Diversorum morborum diversæ sunt medicinæ, quia non sanat oculum quod sanat calcaneum, juxta proloquium Hieronymi in illud *Matth.* 17. hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in jejunio, & oratione: sed contritio est medicina singularis contrà unum mortale: ergo non sufficit una communis de omnibus. Hinc Psal. 6. dicit Propheta in persona omnium pœnitentium. *Lavabo per singulas noctes lectum meum*: Glossa, per singula peccata conscientiam. D. Thom. arg. sed contrà *in suppl. q.* 2. *art.* 6., & ad Annibaldum 4. *distin.* 17. *q.* 2. *art.* 1.

Quandò morbi diversi habent unam communem radicem, qua sanata tolluntur omnes, tunc una medicina potest sufficere pro omnibus, præcipuè si virtutem habeat generalem: quandò autem morbi curantur sub particularibus qualitatibus infectivis, tunc una medicina non sufficit pro omnibus: pœnitentia est una virtus specialis tendens sub una ratione in omnia peccata, propter quod est medicina universalis; si tamen tendat in peccatum secundùm motivum malitiæ, & turpitudinis particularis cujuslibet, tunc oportet multiplicare actus suos ad multiplicationem peccatorum. Clarè D. Thomas concedit in instanti justificationis unam contritionem sufficere ad delenda omnia peccata, quia est informata gratia, quæ est forma contraria omnibus peccatis habitualibus; ergo quando in actu doloris dispositivo reperietur ratio aliqua communis repugnans omnibus peccatis, unus actus sufficiet; sicut enim se habet repugnantia in forma ad habituales maculas, ità se habet repugnantia actualis in actu ad actualia peccata. Glossa allata ad locum Psal. intelligenda est terminativè, quatenùs contritio Psalmistæ terminabatur ad omnia peccata.

Universalis medicina ad omnes morbos extenditur.

Dices ex D. Thoma *ad* 3. non est in actibus nostris virtus ista generalis propter rationem ibi insertam, illis -- Baptismus agit in
„ virtute meriti Christi, qui habuit infini-
„ tam virtutem ad delendum omnia pecca-
„ ta; & propterea unus sufficit contrà om-
„ nia. Sed in contritione cum merito Chri-
„ sti requiritur actus noster: & ideò opor-
„ tet quòd singulis peccatis correspondeat
„ singillatim, cùm non habeat infinitam vir-
„ tutem ad contritionem -- Qua doctrina intendit respondere argumento volenti probare unam contritionem generalem delere omnia peccata mortalia, sicut unus Baptismus delet omnia actualia, & originale; eo quòd magis conveniunt actualia inter se, quàm actualia, & originale; adeòque intendit concludere, non sufficere unum actum, quamvis tendat sub una ratione communi.

Actus nostri etiam elevati merito Christi secundùm substantiam accepti, non habent illam universalitatem, quàm habet Baptismus; quia iste delet omnia peccata totaliter, scilicet quoad culpam, & quoad pœnam; illi autem

non

non habent hujusmodi amplitudinem extensionis, propter quod Concil. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 2. docet, ad hunc effectum pervenire peccatorem non posse, nisi magnis fletibus, & ideò pœnitentia dicitur laboriosus Baptismus: cæterùm quandò actus contritionis respicit sub una ratione communi peccata omnia, unus sufficit pro omnibus delendis quoad culpam, & quoad hoc æquiparatur Baptismo; est ipsissima doctrina S. Thomæ infrà *q.* 5. *art.* 3. *ad* 1. ubi — Medicinæ spirituales habent efficaciam infinitam, quæ in eis operatur, & ideò illa medicina, quæ sufficit ad curationem peccati parvi, sufficit etiam ad curationem magni, sicut patet de Baptismo, quo & parva, & magna solvuntur: & similiter est de contritione, dummodò ad rationem contritionis pertingat — Idem proportionabiliter dicitur de attritione universali, quæ terminativè est de singulis, & accedente Sacramento, ut diximus, justificat, si verò attritio procedat ex motivo particulari, etiam ex parte actus debet esse de singulis, & non tantùm terminativè: In attritione ergo particulari currit discursus D. Thomæ.

Pœnitentia Baptismo æquiparatur.

INSTABIS. Non attingitur mens D.Th. qui distinguit Pœnitentiam a Baptismo, quod illa æquiparatur alterationi, quæ unum tantùm accidens contrarium expellit: iste autem æquiparatur generationi, quæ tollit omnia accidentia contraria; ex quo concludit unum motum attritionis non sufficere pro omnibus peccatis. En verba ipsius *ad* 3. in secunda responsione, quam præfert primæ — Vel dicendum quod Baptismus est spiritualis generatio, sed pœnitentia quantùm ad attritionem, & alias sui partes est spiritualis quædam sanatio per modum cujusdam alterationis. Patet autem in generatione corporali alicujus, quæ est cum corruptione, quòd una generatione removentur omnia accidentia contraria rei genitæ, quæ erant accidentia rei corruptæ: sed in alteratione removetur tantùm unum accidens accidenti contrarium, ad quod terminatur alteratio. Et similiter unus Baptismus simul delet omnia peccata, novam vitam inducendo: sed Pœnitentia non delet omnia peccata, nisi ad singula feratur, & ideò oportet de singulis conteri, & confiteri -- Ecce quàm clarè exigit multiplicem actum, juxtà multiplicitatem peccatorum.

Ni fallor, discursus concludit solùm in casu attritionis ex motivo particulari, ex parte alterationis, quæ tendit in unum tantùm accidens contrarium sub respectu specialis contrarietatis, non autem in casu attritionis ex motivo universali, tunc enim tendit in omne contrarium, & æquiparatur secundùm aliquid generationi. Generatio ideò removet omnia accidentia, quia removet commune subjectum, cui inhærent, tamen non tendit directè in destructionem accidentium, ideò illa non respicit distinctè. Attritio quoque generalis tendens sub ratione communi in omnia peccata, omnia destruit; sed ea respicit directè omnia, & singula in ea ratione communi, ac proindè terminativè fertur ad singula; qui actus entitativè est unus, sed virtute, & æquivalentiâ multiplex.

87 OB. VI. Secundùm Scripturam inæqualiter peccantes, inæqualiter conteri debent: sed si unus actus contritionis, & attritionis sufficit, hæc regula deficit, quia æqualiter attereretur, qui decem homicidia commisit, quàm qui duo tantum: nam tam aversus est primus a Deo, quam secundus; si ergo attritio, vel contritio est motus tendens in peccata sub una ratione communi æquè conteritur primus, & secundus, quod est absurdum magnum; plus namque exigitur ad salutem in primo, quàm in secundo. Si ergo inæqualiter; ideò, quia decem vicibus peccavit, decies debet conteri. Sic Commentator supplementi.

S. Doctor *q.* 5. *suppl. art.* 3. expressè tenet minimam contritionem delere omnem culpam, ergo tenet, quòd unus motus contritionis sufficit in habente decem peccata, sicut in habente duo; non attenditur ergo inæqualitas penès numerum actuum, sed penès appretiationem majorem: vidimus enim superiùs quomodò eadem contritio magis dolet de uno peccato, quàm de alio. Quamvis una ratio communis sit, sub qua tendit in omnia peccata, virtute tamen unum alteri præfert; sicut licet charitas sub una ratione feratur in omnes proximos, servat nihilominùs ordinem prælationis unius ad alium. Ex alio capite, qui plura habet peccata, plura debet ad salutem plenè habendam satisfactionis opera exercere.

Minima contritio omnem culpam delet.

88 OB. VII. Vel quandò atteritur de peccatis habet cogitationem distinctam de illis, vel non. Si non habet, ergo de illis non dolet, quia voluntas non fertur in incognitum. Si habet ergo de singulis singulari actu dolet: nam cogitatione itante vel voluntas complacet, & noviter peccat, vel displicentiam habet, & jam sunt tot actus displicentiæ, quot peccata.

Demus habere distinctam cogitationem de peccatis, non sequitur indè singulis peccatis oportere correspondere tot actus detestationis; quia absque ullo absurdo potest voluntas suspendere affectus suos usque ad perfecti examinis finem, & tunc dolere de omnibus simul: qui modus agendi est connaturalior, & magis practicabilis. An verò distincta singulorum recogitatio requiratur, majoris momenti difficultas est. Omnes conveniunt requiri recogitationem distinctam in casu sacramentalis confessionis cum omnia, & singula lethalia teneamur confiteri, & clavibus subjicere. Difficultas est, quandò eliciendus est, & elicitur actus pœnitentiæ extràsacramentalis. Cardinalis Brancatus sustinet acerrimè requiri distinctam recogitationem omnium quoad species, & numerum, fusèque conatur mentem suam evincere.

Sententia Cardinalis Brancati.

Cæterum plerique Doctores oppositum propugnant, siquidem Tridentinum *Sess.* 13. *cap.* 7. præcipit Sacerdoti peccatis inquinato in casu necessitatis celebraturo, ut contritionem eliciat deficiente copia Confessarii; Sed tunc non est locus pro distincta recogitatione, sicut non est locus pro confessione:

ergo absolutè non est necessaria distincta recugitatio pro simplici attritione, quæ confessioni acto non conjungitur.

ARTICULUS QUINTUS.

AN ATTRITIO DEBEAT ESSE SUPER OMNIA INTENSIVE.

89 AD plenam cognitionem attritionis Christianæ necesse est explicare, an sicut est dolor major omni alio dolore extensivè, & appretiativè, ità debeat esse super omnia intensivè, idest debeat habere majures gradus intensionis in subjecto, quàm habeat qailibet alius dalor de quocumque alio malo, qoàm v. g. Matres de morte filiorum, quàm Mercatores de amissione bonorum, & similium. Aliquid de hoc tetigimus superiùs, abundè, & copiosè in sequentibus; ubi ostendemos contritionem substantialiter acceptam habere vim justificativam, ideò nunc aliqua subjicere sufficiet pro integritate tractatus.

Dicendum est non esse necesse attritionem esse dolorem saper omnia intensivè.

Attritio non debet esse dolor super omnia intensivè.

PROB conclusio communis I. Ea attritio est sufficiens, qaa satisfit præcepto pœnitentiæ; Sed ad satisfaciendam præcepto non est necessarios dolor super omnia intensivè: Ergo Christiana attritio non est dolor maximus intensivè. Ostenditur min. Ezech. 18. habetor v. 20. *Anima, quæ peccaverit ipsa morietur &c. Si autem impius egerit pænitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est &c. vita vivet, & non morietur.* Hic modo proportionali tantùm tribuitur pœnitentiæ in ordine ad vitam spiritualem, quantùm peccato in ordine ad mortem spiritualem; sed innegabiliter quolibet peccato mortali minimæ intensionis mors spiritualis inducitur, & quodlibet peccatum hujusmodi est malum super omne malum appretiativè, & quolibet simili peccato divina lex contemnitur; ergo quolibet dolore peccatorum minimæ intensionis, dummodò prælativè sit saper omnia fit satis præcepto pœnitentiæ; & si conjungatur, vel cum Sacramento, vel cum substantiali dilectione Dei vitam tribuit spiritualem disponendo sufficienter ad justificationem.

II. Ille dolor sufficit, quo posito Deus peccatorem non despicit juxtà illud Ps. 50. *Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor contritum, & humiliatum Deus non despicies*; Sed ad hoc sufficit dolor super omnia appretiativè, nam contritum est cor formâ contritionis informatum; forma contritionis est displicentia prælativè peccati sub quocumque gradu intensionis, ùt optimè docet Angelicus *q. 33. de Sacram.* aliàs 3. *supplem. art. 1.* illis -- Sicut suprà dictom est in contritione
„ est duplex dolor: unus est in ipsa volon-
„ tate: qui est essentialiter ipsa contritio,
„ quæ nihil aliud est, quàm displicentia præ-
„ teriti peccati, & talis dolor in contritione
„ excedit omnes alios dolores: quia quan-
„ tùm aliqoid placet, tantùm contrarium
„ ejus displicet: finis autem super omnia
„ placet, cùm omnia propter ipsum deside-
„ rentur: & ideò peccatum, quod ab ulti-
„ mo fine avertit super omnia displicere
„ debet -- Ecce vera ratio contritionis consistit in prælatione ultimi finis, qui est Deus, suprà creaturas, ad quas peccando se converterat homo; gradualitas autem intensionis non respicit prælationem finis ultimi, sed radicationem in subjecto, adeòque non pertinet ad constitutivum formæ contritionis. Quod dicimus de contritione proportionaliter dicimus de attritione; sed exemplificamus in contritione, quia est notior.

Dolor importat prælationem ultimi finis.

III. Ille dolor sufficit, per quem peccator a viis suis pessimis recedit, disponiturque ad divinam misericordiam juxta illud Isaiæ 55. 7. *Derelinquat impius viam suam; & vir iniquus cogitationes suas, & revertatur ad Dominum, & miserebitur ei*; Sed per substantiam contritionis in quocumque gradu intensionis sit, impius derelinquit viam suam, & ad Dominum convertitur; quia substantia contritionis est detestatio peccati aversiva a creatura, & conversiva ad Deum: & in hoc consistit magnitudo appretiationis, sicut magnitudo contemptus consistit in aversione interpretativa a Deo, & conversiva ad creaturas. Non dixit convertendum esse ab omnibus viis suis intensissimè, omni nisu subjectivo, sed solùm objectivo.

IV. Pari passu currit præceptum pœnitentiæ, ac præceptum dilectionis, quo fortior; Sed non est necessarius amor Dei intensivè major: Ergo neque necessaria est pœnitentia intensivè major. Ostendo min. ex verbis Christi. Matt. 10. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filium super me, non est me dignus.* Hic ly *plus*, & *super*, stant appretiativè, ùt Patres docent, non autem intensivè; sicut non stant pro majoritate sensibili: certum est, quod esset major dilectio intensiva Dei, si homo separaretur a præsentia Patris, & Matris, quos tenerrimè diligit, & tamen hoc non exquirit Christus, sed solùm consulit volentibus statum perfectionis eligere. Dilectores Dei erant Apostoli post Christi resurrectionem, & tamen non diligebant Deum omni intensione, quia Joan. 21. petit a Petro majorem dilectionem. *Diligis me plus his.* Ergo pro adimplendo præcepto non requiritur majoritas super omnia intensivè.

V. illa pœnitentia sufficit, quæ semper fuit necessaria ad impetrandam gratiam peccatorum; Sed hæc est pœnitentia quoad substantiam talis, & non quoad intensionem tanta; sicut habemus in Concil. Trid. *Sess. 14. cap. 4.* -- Contritio, quæ primum locum
„ inter dictos pœnitentis actus habet, animi
„ dolor, ac detestatio est de peccato com-
„ misso cum proposito non peccandi de cæ-
„ tero. Fuit autem quovis tempore ad im-
„ petrandam veniam peccatorum hic con-
„ tritionis motus necessarius -- Hic motus, inquit, videlicet, animi dolor, absolutè, indefinitè, præcisivè a quantitate intensionis. Et quamvis infrà recensendo exempla Scripturarum subdat -- Facilè intelliges eos ea vehemen-
„ ti quodam anteactæ vitæ odio, & ingenti
„ peccatorum detestatione manasse -- Non tamen illam intensionem necessariam expostulat,

ftulat, aliàs cum recenfeat Davidis exemplum, qui per fingulas noctes ftratum fuum rigabat, oporteret nos omni nocte flere; fed fubduntur pro explicatione, & adhortatione.

VI. Eadem totalitas præfcribitur in præcepto pœnitentiæ, quæ in præcepto dilectionis, undè Catechifmus Romanus §. 28. *de Contritione* habet — In qua etiam obfer„ vandum eft eodem loquendi genere chari„ tatis, & contritionis magnitudinem in „ facris literis fignificari: de charitate di„ ctum eft: Diliges Dominum Deum tuum „ ex toto corde tuo: rursùs quoad contri„ tionem attinet: clamat Dominus per Pro„ phetam: Convertimini in toto corde ve„ ftro — Sed in præcepto charitatis tota intenfio non eft neceffaria. Audiamus D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 9. — Tertium autem, ut „ firmiter, & immobiliter habeat, & ope„ retur: & ifta firmitas propriè pertinet „ ad habitum, ut fcilicet aliquis operetur „ ex habitu radicato: & quantùm ad hoc „ modus virtutis non cadit fub præcepto, „ neque legis divinæ, neque legis humanæ. „ Neque enim ab homine, neque a Deo pu„ nitur tanquam præcepti tranfgreffor, qui „ debitum parentibus impendit honorem, „ quamvis non habeat habitum pietatis — Ac per confequens quamvis careat gradu intenfionis.

Attritio summè intensa est moraliter impossibilis.

VII Præcepta divina obligant fub conditione moralis poffibilitatis; Sed fumma intenfio eft moraliter inadimplebilis, & inexequibilis; nam vel loquimur de intenfione abfoluta, vel comparativa: fi de prima, cùm & charitas fecundùm fe fit intenfibilis in infinitum, & fubjectum fub divina virtute fit capax infinitæ intenfionis, ad infinitum teneremur. Si de fecunda, cùm omninò incognitum fit, quanta intenfione diligamus cætera objecta bona, & odio habeamus mala, & nefciamus etiam quali, & quanta intenfione peccaverimus, omninò impoffibilis effet obfervantia præcepti contritionis: fecùs eft de actu fummè appretiativo, qui confiftit in prælatione unius ad aliud; & faciliùs eft diftinguibilis, & exequibilis.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

90 OBJIC. I. Quantitas contritionis neceffaria eft, quam affignant Scripturæ; Sed iftæ exigunt magnitudinem intenfivam: ergo illa eft neceffaria. Jerem. 6. 26. habemus. *Filia populi mei accingere cilicio, & confpergere cinere: luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum, quia repente veniet vaftator fuper nos.* Ubi una Gloffa dicit — Nihil doleutiùs morte Unigeniti — Et alia Gloffa — Docet pœnitentem quid „ facere debeat —

Scripturæ consulunt non præcipiunt pœnitentiam summè intensivam.

Contrarius fuadet, Prophetam non loqui ex præcepto, fed ex confilio. Præcepti vim non habent illa verba, induere cilicio, & confpergere cinere; non enim eft praxis univerfalis in Ecclefia; neque ergo vim præcepti dicunt fequentia. In luctu unigeniti exprimitur major appretiatio, quia Patri nulla res carior eft fupra unigenitum, pro cujus vita paratus eft omnia dare, propter quod A commendatur charitas Dei, quod dederit Filium fuum pro nobis. Eundem fenfum habent verba illa cap. 4. *Super hoc accingite vos ciliciis, plangite, & ululate, quia non eft averfa ira furoris Domini a vobis.* Certum eft, quod fletus, & ululatus, ciliciorumque indumentum non funt neceffaria ad contritionem, quamvis poffint effe utilia. Contextus indicat magnitudinem pœnitentiæ etiam exterioris pro offerenda Deo fatisfactione aliqua placativa furoris ipfius. Dupliciter contritio confiderari poteft, vel in ordine ad culpam tollendam, vel in ordine ad minuendam etiam pœnam culpæ debitam, ad primum effectum fuffi- B cit deteftatio appretiativa peccati fuper omnia, ad fecundum effectum obtinendum, requiritur major dolor, & labor. Uterque locus Jeremiæ intendit hoc fecundum; quia intendit fatisfaciendum effe Deo taliter, ut inducatur ad removenda flagella, quæ paraverat ejaculare fuper Jerufalem.

DICES. Illam exigit Scriptura pœnitentiam, quam commendat, & proponit imitandam; Sed commendat fummam intenfivè, ùt Pf. 6. *Lacrymis meis ftratum meum rigabo.* Lucæ 7. *Dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Exivit foras, & flevit amarè,* dicitur de Beato Petro.

C Aliud eft loqui de optimo, & meliori, aliud de neceffario. Utique res fancta eft, & falutaris pœnitentia maximæ intenfionis, & extenfionis, & durationis; fed non eft neceffaria ad fatisfaciendum præcepto, adeòque ad juftificandum. Omni nocte flevit Petrus; nunquid fimiliter flere tenemur? Projecit fe ad pedes Chrifti in publico Convivio Magdalena; nunquid ergo publicis confeffionibus, & confufionibus expianda funt crimina? Diftinguat Chriftianus optimam pœnitentiam a debita, & præcepta; hanc fciat, ut non omittat, illam difcat, & laudabiliter eligat. Cæterùm alia loca funt, quibus donatam D legimus remiffionis gratiam abfque iftis falutaribus exceffibus. Peccavi, dixiffe legitur David, & nihil aliud, quando illum reprehendit Nathan, & audivit remiffum fibi grande peccatum: non legimus lacrymatum Latronem in Cruce, Publicanum in Templo, Adulteram in foro, Zachæum in Sicomoro, & fic de aliis, quos tamen juftificatos credimus, quia fubftantialem habuerunt pœnitentiam, ideft appretiativam.

INSTABIS. Sed Scripturæ exigunt fummam intenfionem tanquam debitam, ùt habetur Michez 4. 10. *Dole, & fatage filia Sion quafi parturiens.* Prima verba funt præ- E ceptiva, fecunda exprimunt dolorem intenfivum, qualis eft parturientium. Pfal. 47. v. 7. *Ibi dolores ut parturientis.* Job 42. 6. *Idcircò me reprehendo, & ago pœnitentiam in cinere, & favilla.* Sicut cinis dicit minutiffimum pulverem, ità pœnitens debet minutiffimè cor contundere, ac proindè intenfiffimè dolere.

RESP. Scripturæ exigunt pœnitentiam indefinitè, quæ præfcindit a modis durationis, & intenfionis. *Agite pœnitentiam. Nifi pœnitentiam egeritis. Dimittite, & dimittetur vobis,* & alia fimilia verba funt indefinita. Cæterùm fi relata de præcepto effent in linea

doloris intensivi, necesse esset ità dolere de peccatis, donec cor deficeret; quia dolores parturientium, ità aliquando vehementes sunt, ut mortem inferant. Quam sub typo parturientium hic exprimit Pœnitentiam Michæas, primo capite exponit sub luctu struthionum. *Super hoc plangam, & ululabo, vadam spoliatus, & nudus: faciam planctum quasi draconum, & luctum quasi struthionum*. Nec tamen indè colligitur, hæc necessariò facienda esse a quolibet pœnitente. Quare locutiones istæ, ùt præceptivæ sunt, solummodò significant seriam efficaciam doloris appretiativi.

In quo Pœnitentia assimilari debeat doloribus parturientibus.

Dolores parturientis illud respiciunt, ut fœtum emittant; ità qui verè de peccatis dolent, efficaciter dolere debent. Sunt qui pœnitentiam concipiunt, sed non pariunt, quia inefficaciter detestantur peccata, & de illis loquitur Isaias 37. *Non est virtus pariendi*. Sunt qui concipiunt, & pariunt, quia seriò, & efficaciter displicet peccasse; & de his ait Isaias cap. 26. *Peperimus spiritum*. Optimè verbis Job exprimitur contritio substantialiter accepta, quæ importat perfectam displicentiam, & dicitur cordis annihilatio, & comminutio, quia voluntatem convertit ab affectu creaturæ ad Deum, ùt benè explicatum a D.Th. vidimus ex 1. *suppl. art.* 2. Comminuitur, & in pulverem, & favillam redigitur pœnitens, quandò omnes suos pravos affectus retractat, ut eos derelinquat, ab illis avertatur, & ad Deum unicè tanquam ad ultimum finem convertatur.

URGEBIS. Scripturæ explicandæ non sunt voluntariè, sed Patrum judicio; Atqui Patres summam expostulant pœnitentiam intensivè. Ambros. *c.* 8. *ad Virginem lapsam* -- „ Secundùm conscientiæ modum exhibenda „ est pœnitentiæ magnitudo -- Aug. *de vera, & falsa pœnitentia cap.* 13. -- Omnes fructus „ suæ pœnitentiæ pervos habeat, nunquam „ credat sufficere, semper doleat, semper „ coram Domino antè quem peccavit, eru„ bescat, dolorem cum vita finiat -- C.14.-- „ Consideret qualitatem criminis -- C.18.-- „ Fortiùs est dolendum, quia fortiùs est pec„ catum -- Cyprianus *de Lapsis* -- Quàm „ magna deliquimus, tàm granditer deflea„ mus, pœnitentia crimine minor non sit --

RESP. Patres rectè intelligentes verba Dei viam veritatis docuerunt. Proferunt quos recitavimus pœnitendi modos, proferunt etiam alios, excessus hujusmodi nequaquam continentes, ùt discamus, quæ ad substantiam, & quæ ad perfectionem pœnitentiæ spectant: quæ ad culpæ expiationem sufficiunt, quæ ad adæquatam satisfactionem requiruntur. Audiemus Chrysost. *Epist.* 5. ad Theodorum lapsum relatum *distin.* 3. *de pœnitentia cap.* 28 -- Talis, mihi crede, talis „ est erga homines pietas Dei: nunquam „ sprevit pœnitentiam, si ei sincerè, & „ simpliciter offeratur. Etiamsi ad summum „ quis perveniat malorum, & indè tamen „ velit reverti ad virtutis viam; suscipit, „ & libenter amplectitur, facit omnia, qua„ tenùs ad priorem revocet statum, & quod „ est adhuc præstantiùs, & eminentiùs, „ etiamsi non potuerit explere omnem sa„ tisfaciendi ordinem quantulamcumque ta„ men, & quamlibet brevi tempore gestam „ non respuit pœnitentiam, suscipit etiam „ ipsam, nec patitur quamvis exiguæ con„ versionis perdere mercedem. Hoc enim „ mihi indicat Isaias, ubi de Populo Judæo„ rum talia quædam dicit. Propter pecca„ tum modicè conturbavi eum, & percussi „ eum, & averti faciem meam ab eo, con„ tristatus est, & ambulavit tristis, & sa„ navi eum, & consolatus sum eum --

Consimilia Cœlestinus Papa ad Episcop. Galliæ *cap.* 2. -- Vera conversio mente po„ tius, quàm tempore metienda est, dicen„ te Propheta: Si conversus fueris, salvus „ eris -- Et Julius I. Decreto 2. -- Quia „ Dominus non solùm temporis, sed etiam „ mentis inspector est: sicut latro unius „ momenti pœnitentia meruit esse in Para„ diso: Leo Magnus *Epist.* 91. -- Nec mise„ ricordiæ mensuras possumus ponere, nec „ tempora definire, ad quem nullas patitur „ moras vera conversio -- Ex quibus, & aliis adducendis habemus, nec magnitudinem intensionis, nec durationis esse necessariam ad veracem pœnitentiam, sed sufficere efficacem detestationem peccatorum cum serioso emendationis proposito.

Quia tamen peccatum inducit reatum compensationis, & pœnæ, ideò Patres, & Scripturæ adhortantur ad magnitudinem, tùm durationis, tùm intensionis; & secundùm hanc partem, quantùm fuit homo in deliciis, tantùm date illi tormentum -- Productior est „ enim pœna, quàm culpa, nè parva puta„ retur culpa, si cùm illa finiretur & pœ„ na -- Ait Aug. *tract.* 124. *in Joan. c.* 21. quibus habes, priùs dimitti culpam, quàm pœnam, & per consequens minùs requiri ad dimissionem culpæ, quàm ad satisfactionem pœnæ simul. Ibidem inter alia motiva, cur diuturnior debeat esse pœna, assignat ad emendationem labilis vitæ. Insuper, aliquandò Patres illis locutionibus appellant suprà pœnitentias publicas ab Ecclesia dispositas ad exemplum Christianorum, & de his Cyprianus citatos in instantia.

Prius culpa dimittitur, quam pœna;

91 OB. II. Si non esset necessaria summa intensio, facilis esset peccatorum remissio; Sed hoc pugnat cum Scriptura Ecclesiast. 5. 5. ubi: *De propitiato peccato noli esse sine metu*. Advertitque fallaciam eorum, „ qui facilem prædicant remissionem peccatorum propter magnitudinem divinæ misericordiæ. *Ne dicas: miseratio Domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur*. Deindè scire posset fidelis se esse in gratia contrà illud Eccles. 9. *Nemo scit an amore, an odio dignus sit*. Quia ex uno capite contrito promittit Scriptura remissionem peccatorum, ex alio capite quæcumque sufficeret, adeòque uno actu contritionis emisso certificaretur de statu gratiæ.

Facilis est remissio peccatorum ex parte Dei propter infinitam ipsius misericordiam, & fidelissimam, & copiosissimam promissionem. Facilis est ex parte medii, quia verax contritio sufficit extràsacramentaliter cum voto sacramenti. Facilis ex parte hominis volentis, quia prompta habet divina auxilia, nec super humanum laborem, & conatum adhibere tenetur. Difficilis tamen est ex parte humanæ oscitantiæ, quæ in corporeis fixa

Quomodo peccatorum remissio facilis esse dicatur,

ad

ad cœlestia negligit caput attollere. Ex parte pigri, qui vult, & non vult. Ex parte nec calidi, nec frigidi, sed tepidi difficilis valdè est.

Quare locus Ecclesiastici non est ad rem, quia ex contextu habet sensum legitimum. Noli esse sine metu, persuasione audaci, qua efficiaris confidantior ad committendam nova peccata: ut duo vers. sequentes manifestum faciunt. *Et ne dicas miseratio Domini magna est &c.* Item noli esse sine metu, persuasione plenæ dimissionis quoad pœnam; & vers. antecedens suadet. *Et ne dixeris: peccavi, & quid mihi accidit triste? Altissimus enim est patiens redditor.*

Alter quoque textus perperam affertur. Utique tactum in probatione principium fidei est: sed malè applicatur, ut patet hoc discursu: Baptizatus in forma Ecclesiæ constituitur in statu salutis: sed Ambrosius Adultus baptizatus est in forma Ecclesiæ: ergo Ambrosius constitutus est in statu salutis. Hic discursus est evidentior illo, qui ponitur sub illo principio fidei, *Nemo scit, an amore, vel odio dignus sit*; quia prima propositio erat D. Ambrosio certa fide; minor erat ei certa per manifestam experientiam; & tamen non erat ei certa illa illatio, ergo sum in statu salutis, hoc est justificatus coram Domino: Undè hoc? nisi propter fallaciam, quæ committitur in applicatione præmissarum, siquidem, nec per principium fidei, nec per principium naturale evidens innotescit hic, & nunc me absque obice suscepisse Sacramentum, vel actum verum efficacis contritionis elicuisse.

DICES. Non est absolutè promissa cuilibet contritioni peccatorum remissio; Sed contritio sub debito cadens est illa, cui promissa est remissio. Ergo quælibet contritio non sufficit ad satisfaciendum præcepto. Assumptum habetur Joelis 2.12. *Nunc ergo dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si convertatur, & ignoscat, & relinquat post se benedictionem.* Ecce quàm clarè habemus non esse absolutam promissionem remissionis peccatorum; id enim suadent illa verba, *Quis scit, si convertatur, & ignoscat.* In quo textu sunt etiam notandæ illæ particulæ, *Convertimini in toto corde vestro &c.*, quæ exprimunt summam doloris intensionem.

Conversio ex toto corde appretiativa. RESP. Causæ nostræ suffragatur instantia, siquidem ibi explicatur vis veræ contritionis, tam in ordine ad peccatorum remissionem, tum ad pœnæ expiationem. Primis verbis, *Convertimini ad me in toto corde vestro* datur nobis forma contritionis appretiativæ, & instruimur in eo consistere, quod cor nostrum avertamus a creaturis tanquam ab ultimo fine, & convertamur ad Deum tanquam ad ultimum finem: totalitas ultimi finis ibi nobis præscribitur, quæ in eo consistit, ut nostris affectionibus solùm Deus habeatur, & respiciatur ut ultimus finis: qui ergo taliter peccata sua detestatur, adimplet præceptum, & instructionem datam a Propheta.

Præstat audire D. Bernardum, qui locum istum ad rem benè explicat *Ser. 2. de Quadrag.* habet — Attende solerter, quid diligas, quid „ metuas: unde gaudeas, aut contristeris: „ & sub habitu Religionis animum secula- „ rem sub pannis conversionis invenies cor „ perversum. Totum enim cor in his qua- „ tuor affectionibus est, & de his accipien- „ dum puto quod dicitur, ut in toto corde „ tuo converteris ad Dominum. Convertatur „ proindè amor tuus, ut nihil omninò dili- „ gas nisi ipsum, aut certè propter ipsum. „ Convertatur etiam ad ipsum timor tuus, „ quia perversus est timor omnis, quo me- „ tuis aliquid præter eum, aut non prop- „ ter eum. Sic & gaudium tuum, & tri- „ stitia convertatur ad ipsum. Hoc autem „ ità fiet, si non nisi secundùm eum doleas, „ aut læteris — En clarissimè tota summa conversionis, Deum respicere ut ultimum finem nostrarum affectionum. In aliis sequentibus verbis *in jejunio, in fletu, in planctu*, exponitur consilium pro expianda pœna, quam contraximus per usum inordinatum corporearum rerum.

Illa verò verba, *quis scit, si convertatur.* Non sunt dubitantis, aut suspensæ locutionis, sciebat enim Propheta absolutam promissionem de remissione peccatorum; sed modus est affirmativæ elocutionis, qui arguitur satis ex contextu, in quo commendat misericordiam Dei, & præstabilitatem ejus, hoc est facilitatem super malitia, videlicet ad parcendum. Demus locutionem esse dubitantis; nihil tamen contrà nos, non enim illa verba appellant supra puram remissionem peccatorum, sed suprà pœnam totam peccatis debitam, pro qua avertenda hortatur Propheta ad pœnitentiam, propter quod etiam addit illam particulam modificativam, *& ignoscat*, dimittendo flagella, quæ paravit.

92 OB. III. Quò malum pejus est, eò odibilius est; Sed peccatum est omnium malorum pejus, quia affert majus damnum, quàm cætera omnia mala; affert enim privationem summi boni, & sempiternos cruciatus: ergò est odibilius super omnia mala, adeòque intensiùs.

Non urget instantia, quia solùm concludit majorem odibilitatem appretiativam, non autem intensivam. Concludit esse eligenda potiùs æterna mala omnia, quàm malum peccati, si datur optio. Et hoc sufficit ad veritatem pœnitentiæ expiativæ peccatorum. Non est autem necessè, quòd intensiùs odio habeatur peccatum, quàm reliqua mala. Alia mala ita detestamur, quod lacrymas, clamores, fletus magnos emittamus, quos tamen non emittimus propter peccata, nec tenemur emittere. Docens D. Thomas dolorem contritionis in linea appretiationis esse maximum, docet insimul in linea doloris sensibilis non oportere maximum, immò posse esse nimium, quod dici nequit de appretiativo. Dat etiam rationem propter quam illæ lacrymæ, & lamentationes, similesque effectus prosiliunt ex malo mortis filii, percussionis &c. quia immediatè consequuntur ad passiones sensitivæ partis omnes immutationes corporeæ, & illis mediantibus ad affectiones appe-

appetitivæ superioris sæpè transeunt. Et indè est, quod ex dolore sensibili citiùs difluunt lacrymæ, quàm ex dolore contritionis.

Prosequiturque ostendere, quod in his pro mensura habenda est conservatio subjecti; & secundùm hanc doctrinam explicat in sensu morali dictum Anselmi, qui cupiebat medullas corporis exsiccari in contritione peccatorum, & Augustini, qui optabat oculos amittere in luctu divinæ offensæ. t. & 2. art. q. 3. supplem. Ex eodem principio oritur, quod intensiùs doleamus de istis malis, quàm de peccato; quia vires inferiores moventur vehementiùs ab objectis propriis, quàm ex redundantia superiorum virium. Et ideò quantò operatio superiorum virium est propinquior objectis inferiorum, tantò magis sequuntur eorum motum. Et hæc colligatio est etiam ratio, cur vires electivæ fortiùs se habeant in motibus circà mala temporalia, quàm circà spiritualia.

93 OB. IV. Si odium peccati non est intensius omni odio circà alia mala, Deus non amatur super omnia; Sed hoc ipso non habetur vera pœnitentia. Ergo ad veram pœnitentiam requiritur summitas intensionis. Ostenditur assumptum. Amor objecti dilecti tanquam ab effectu concluditur ex odio mali contrà objectum illati: ergò si odium peccati non est intensius ad odium cujuslibet mali, deducitur Deum, contrà quem est peccatum, non diligi magis, quàm personam, contrà quam sunt alia mala.

Ut amor Dei sit super omnia sufficit, quod sit talis appretiativè.

Superiùs solutum est argumentum a D.Thoma insinuatum. Rectè concludit in linea appretiationis, non autem in linea intensionis. In ipsis naturalibus videmus unum objectum minoris æstimationis intensiùs diligi, quàm aliud, quòd tamen magis diligitur appretiativè. Sunt Patres, qui mille equos darent pro uno filio non amittendo, & nihilominùs intensiùs amant equum. Dat S. Doctor rationem. Amor appretiationis attenditur secundùm mensuram rationis, quæ ponderat merita objecti: Intensio autem aliunde provenit, vel ex majori conatu potentiæ appetitivæ, vel ex frequentatione actuum, vel ex familiari conversatione, vel ex majori vicinitate sensibiliori; adeòque optimè conciliatur major æstimatio ergà unum objectum, & major intensio ergà aliud. Quamvis auxilium supernaturale, quo utitur pœnitens ad detestandum peccata secundùm se sit efficacius, in ordine tamen ad movendum conatum potentiæ fortius est naturale, quia illud movet in objecta distantia, & obscurè cognita, hoc autem in objecta propinqua, & sensibus cognita clarè; ex quo oritur diligi sæpè creaturas intensiùs, quàm Deum.

DICES. Præceptum dilectionis, & contritionis est ordinatum; Sed si non præciperet summa intensio, non esset ordinatum; siquidem injuriosum est divinæ bonitati, quòd intensiùs diligatur vilis creatura. Rursùs præceptum obligans ad aliquem actum obligat etiam ad removenda impedimenta executionis, intensior autem amor creaturarum impedit executionem divinæ dilectionis; distrahit enim affectum ad objecta Deo contraria; & similiter odium intensiùs de malo temporali impedit odium peccati. Et ratio a priori esse videtur, quia Deus est primus amabilium, & peccatum primum odibilium; porrò in quolibet genere major est intensio finis, quàm mediorum: igitur semper intensior esse debet amor Dei, quàm amor creaturarum. Adde quod sicut se habent prima principia in speculabilibus, ita se habet finis in practicis. Sed in speculabilibus, qui assentitur conclusioni propter principia, magis assentitur principiis. Ergo in practicis, qui diligit media sub ordine ad finem, magis diligit finem.

Omnibus præferendus est Deus.

Ordinatum tunc est præceptum, quandò fertur secundùm naturam, & merita propria objecti: porrò objectum divinæ dilectionis postulat, ut omnibus præferatur; intensio autem non se tenet ex parte objecti, sed ex parte subjecti, ac per consequens non est materia propria præcepti; & eò, vel maximè, quòd ipsamet intensio, qua magis creatura diligitur, subditur ipsi ultimo fini; quatenùs paratus est homo illum ipsum affectum dimittere potiùs, quàm ab ultimo fine recedere, quod experimentaliter didicimus in Martyribus, qui tenerrimè dilectos filios, & parentes tradiderunt, quàm Deum negare, vel Christi confessionem omittere.

Affectus intensior ergà creaturas non impedit ex natura sua dilectionem Dei.

Ad secundum. Totiès tenemur illum affectum intensiorem ergà creaturas dimittere, quotiès impedit, vel executionem actus dilectionis, quandò necesse est, vel adimpletionem alicujus legis; tunc enim malus est, & removendus. Cæterùm ex sua natura non est impeditivus dilectionis majoris lineæ appretiativæ, sicut apertè constat in humanis; plures enim sunt Matres, v. g. diligentes intensiùs catulos, quàm unigenitum absque dubio appretiativè magis dilectum. Ratio inserta velut a priori non concludit, quia non rectè applicatur; fit enim transitus ab una linea ad aliam: absque dubio magis diligitur finis, quàm media in ordine directo, & æstimationis: Magis assentimur principiis, quàm conclusioni in linea directa, & essentiali; cæterùm non tenent illa axiomata in linea intensiva, quæ est alterius ordinis, & velut disparata.

94 OB. V. Deuteron. 25. habemus. *Secundùm mensuram peccati erit & plagarum modus*; Sed si sufficeret ad salutem, & ad satisfaciendum præcepto quæcumque substantialis contritio, & non requireretur intensionis magnitudo non esset plagarum modus secundùm mensuram peccati; regulariter enim magno conatu, & affectu solent homines peccare. Igitur dicendum est summam intensionem esse præscriptam, propterea Concilium Tridentinum *Sess. 14. cap. 2. de Pœnitentiæ Sacramento*, habet — Ad quam tamen „ novitatem, & integritatem per Sacramentum Pœnitentiæ, sine magnis nostris fletibus, & laboribus divina id exigente justitia pervenire nequaquam possumus, ut meritò pœnitentia laboriosus quidam Baptismus a Sanctis Patribus dictus fuerit —

RESP. Punctualem locum ex D.Augustino habemus ad confirmandam doctrinam nostram. Contrà Pelag. *libro de Prædestinatione Sanctorum* versans locum quemdam Apostoli, docet, quod actus fidei secundùm substantiam acceptus, & prout oportet ad salutem,

tem , ac perconfequens ab auxilio fupernaturali Dei . Verba S. Doctoris funt *cap.*2 — „ Quifquis igitur hanc damnabilem vult ex „ omni parte vitare fententiam : veraciter „ intelligat dictum quod Apoftolus ait: vobis „ donatum eft pro Chrifto,non folùm,ut credatis in eum , verùm etiam , ut patiamini pro eo. Utrumque enim oftendit Dei „ donum , quia utrumque dixit effe donatum . Nec ait , ut pleniùs , & perfectiùs „ credatis in eum , fed ut credatis in eum: „ nec feipfum mifericordiam confecutum „ dixit , ut fidelior , fed ut fidelis effet : „ quia fciebat non fe initium Fidei fuæ „ priorem dediffe Deo , & retributum fibi „ ab illo ejus augmentum , fed ab eo fe factum fidelem , a quo , & Apoftolus factus eft — Sicut autem in fuo ordine fides quoad fubftantiam accepta eft , prout oportet ad falutem , ità in fuo ordine dilectio , & contritio fubftantialiter accepta funt , prout oportet ad falutem .

In textu ex Deuteronomio duplex commenfuratio includitur , alia prælativæ exiftimationis,altera æqualitatis compenfativæ : primæ fatisfit medio actu contritionis fubftantialiter accepto , fecundæ fatisfit per intenfionem , & additionem operum fatisfactoriorum . Concilium Tridentinum loquitur de novitate, & integritate plena, & perfecta , qualis recipitur in Baptifmo per remiffionem omnium peccatorum , & pœnæ debitæ . Hac doctrina, quæ eft in Scriptura, & Patribus, conciliantur dicta Patrum, quæ videntur apparenter oppofita ; ad cujus majorem claritatem addo quafdam definitiones pœnitentiæ a majoribus noftris acceptas .

Gregorius *homil.* 34. *in Evangelium* fic eam defcribit — Pœnitentia eft perpetrata „ peccata plangere, & plangenda non com„ mittere — Quam Magifter exponit Scholafticis terminis 4. *Sent. dift.* 14. — Pœni„ tentia eft virtus , feu gratia , qua mala „ cum emendationis propofito plangimus , „ & odimus , & plangenda ulteriùs com„ mittere nolumus — S. Ambrofius — Pœ„ nitentia eft dolor cordis , & amaritudo „ animæ pro malis , quæ quifque admifit — „ S. Joannes Damafcenus — Pœnitentia eft „ ab iis , quæ funt præter naturam , ad ea , „ quæ funt fecundùm naturam reverfio — Gloffa *in* 4. *Matth.* — Eft reformatio malæ „ mentis —

Defcriptiones hæ tangunt omnes fubftantiam pœnitentiæ, & vim appretiativam , quamvis procedant ex diverfis viis : volunt enim omnes averfionem finalem a creaturis, & converfionem finalem ad Deum ; & loquuntur , ùt patet præcifivè a qualibet intenfione , & duratione ; & hæc pœnitentia fufficit ad remiffionem peccatorum adimpletis aliis , quæ præcipiuntur ; & per hanc fatisfit præcepto .

Auctor de vera , & falfa Pœnitentia apud Auguft. attendens ad lineam fatisfactivam , & compenfativam fic illam definit *cap.* 8. — Pœnitentia eft quædam dolentis „ vindicta femper puniens in fe , quod do„ let commififfe — Et *cap.* 19. habet — Pœ„ nitere eft pœnam tenere , ut femper pu„ niat in fe ulcifcendo , quod commifit „ peccando —

Item ad pleniorem Patrum , & Scripturarum intelligentiam advertendum eft , ipfos urgere fummum dolorem, & follicitudinem , & diuturnitatem ; tum quia fcientes effe imperfcrutabile cor hominis , & in terrenis radicatum , intendunt excitare humanam torpedinem , ut per conatus, & repetitionem actuum , verum dolorem concipiat : tum quia mortis dies inftat incertus , ficut adventus furis , ne imparatus præveniatur homo , ftimulare conantur ad continuam pœnitentiam . Certa eft Auguft. doctrina Pfal. 144. — Deus pœnitentiæ tuæ „ indulgentiam promifit ; fed huic dilationi tuæ craftinum non promifit — Cui confonat Gregorius Magnus *homil.*12. *in Evang.* — Qui „ pœnitenti veniam fpopondit , peccanti „ diem craftinum non promifit — Quibus advertentiis ftabilitur folidiffima doctrina ab extremis periculofis declinans , & medium tutum eligens . Locuti quidem ferè femper fumus in hoc Articulo de Contritione , quæ eft actus primarius Pœnitentiæ ; fed eadem doctrina proportionaliter accepta applicari debet Chriftianæ Attritioni ; quæ eft fcopus in iis Difputationibus per fe intentus .

DISPUTATIO TERTIA.

DE AMORE DEI IMPERFECTO.

Non possumus ea soliditate, qua par est, difficultatem principalem circà Christianam attritionem aggredi, nisi explicentur termini, quos Adversarii usurpant. Cùm enim multipliciter veniat amor Dei imperfectus, illius usurpatio æquivocationem parit, proindèque clarè sunt exponendæ notiones: Idem sonat in præsenti amor Dei imperfectus, ac amor Dei inchoatus, initiativus, & consimilibus terminis ab ipsis appellatus; sicut in idem coincidit apud eosdem amor Dei perfectus prædominans, victor, effectivus, ex toto corde, rem totam in præsenti quæstione utilissimis, & necessariis Articulis pro praxi absolvemus.

ARTICULUS PRIMUS.

AN ATTRITIO CHRISTIANA IN SENSU FORMALI, ET STRICTO ACCEPTA DICI POSSIT IN ALIQUA VERA NOTIONE AMOR DEI INCHOATUS, VEL MELIUS INCHOATIVE.

Attritio Christiana formalis, & rigorosa est actus doloris de peccatis commissis, cum proposito non peccandi de cætero simpliciter propter motivum pœnæ æternæ, aut Beatitudinis sempiternæ, vel turpitudinis peccati, positivè non includendo, nec excludendo motivum formale divinæ dilectionis. Hic est quæstionis scopus, & de hoc actu sub tam præcisis, & strictis terminis declarato quæritur, an sub aliqua veraci ratione dici possit amor Dei inchoativè, undè sit conclusio.

Attritio est amor Dei inchoativè.

95 Dicendum est simplicem attritionem Christianam secundùm veram notionem esse, & dici posse amorem Dei inchoativè, & radicaliter. Declaratur multipliciter assertio.

I. Omnis supernaturalis actus est inchoativè amor Dei, quia totus ordo supernaturalis ordinatur ad finem supernaturalem, qui est Deus summè diligibilis; Sed simplex attritio est actus supernaturalis, ùt per definita constat. Ergo est inchoativè amor Dei.

II. Omnis actus bonus bonitate ordinis supernaturalis est amor Dei initiativè, quia est aliqua participatio summi boni supernaturalis, quod est Deus; & omne participium est aliquid rei participatæ; Sed attritio simplex est actus bonus bonitate supernaturalis ordinis. Ergò initiativè est amor Dei.

III. Omnis actus, qui est donum Sancti Spiritus, est initiativè amor Dei, quia est vestigium aliquod ipsius Spiritus Sancti, qui essentialiter est amor divinus; Sed attritio simplex ex definitis est donum Sancti Spiritus: ergo est initiativè amor Dei.

IV. Actus elicitus mediâ gratiâ excitante est amor Dei inchoativè, quia gratia excitans intendit finaliter perducere ad unionem affectivam Dei ad hominem, & hominis ad Deum; Sed attritio simplex orta ex timore elicitur media gratia excitante per definita à Trident. *Sess. 6.* ergo est amor Dei initiativè.

V. Bona voluntas ab Augustino charitas est, non quidem formalis: evidens enim est, quod plurimæ bonæ volitiones non sunt actus dilectionis Dei formales, sed initialiter; Atqui attritio simplex est bona voluntas, cùm sit detestativa peccati commissi, & velit illud cavere inposterùm: ergo est amor Dei initialiter.

VI. Omnis actus, quo adimpletur veraciter lex, & mandatum Dei, est inchoativè amor Dei, tum quia secundùm se Deo placet, tum quia est conformis divinæ voluntati, tum quia sicut omne præceptum, sic omnis ejusdem adimpletio ultimatè ordinatur ad dilectionem Dei; Sed actus attritionis adimplet mandatum Dei, quo præcipit nos timere eum, qui potest mittere in gehennam cum proposito adimplendi totam legem: ergo est initialiter dilectio Dei.

VII. Omnis actus, qui habet pro objecto saltem inadæquatum perfectionem aliquam Dei, est initialiter amor Dei, quia quælibet perfectio divina pertinet ad constitutivum summi boni, summè amabilis; Sed attritio simplex respicit pro objecto Deum, ùt potentem infligere gehennam, ùt cum Divo Thoma aliquoties diximus: ergo est amor Dei initiativè.

VIII. Attritio simplex oritur ab ordinato amore concupiscentiæ; Sed amor concupiscentiæ est initialiter amor Dei, quia amor concupiscentiæ respicit Deum Beatificantem, & ratio beatificans est prædicatum ingrediens cumulum perfectionum divinarum: ergo attritio simplex est amor Dei inchoativè.

IX. Actus, qui conatur amovere obicem charitatis, saltem indirectè est amor inchoativus Dei. Docent nostri Theologi, quod homo constitutus in puris naturalibus si peccaret, delinqueret indirectè contrà Deum auctorem supernaturalem, quia poneret obicem gratiæ; Sed per attritionem homo conatur amovere obicem charitatis, videlicet, affectum ad peccatum: ergo saltem indirectè est initiativè amor Dei.

X. Fides initiativè est amor Dei, undè a Scripturis, & Patribus dicitur initium salutis, quæ per dilectionem consummatur; Sed

Sed timor, a quo oritur attritio Christiana a Concilio Tridentino *Sess. 6.* conjungitur cum fide, & spe in ordine justificativo: ergo est initiative amor Dei.

XI. Secundùm Patres primum auxilium spectans ad voluntatem appellatur Charitas. August. *lib. de gratia Christi cap.* 10. loquens de gratia auxiliante ait -- Ut non ostendat „ tantummodò veritatem, verùm etiam impertiat charitatem -- Deus videlicet. Et *cap.* 35. illud idem auxilium vocat -- Inspi„ rationem præstantissimæ Charitatis -- Et alibi. Nomine autem charitatis non intelligunt Patres charitatem formalem strictè dictam, quia ad illam præcedunt plures alii actus imperfectiores; Sed timor servilis, a quo attritio, est primus motus voluntatis, a quo incipit justificatio ex D. Thoma 3. *p. q.* 85 *art.* 5. ergò initiative charitas dici potest.

Primum voluntatis auxilium juxta Patres est Charitas.

XII. Illustrationes, quæ præcedunt internam vocationem ad fidem propriè dictam: assensus ad motiva credibilitatis a Conciliis, a Patribus, a Theologis vocantur fides latè sumpta, & initium justificationis saltem remotum, quia illis operationibus homo incipit attendere ad cognitionem mysteriorum fidei, & affici ad salutem; Sed per attritionem simplicem applicat se homo ad acquirendam justificationem, quæ per charitatem habitualem perficitur: ergo justo titulo appellari potest initiative charitas.

XIII. Actus quo Pater trahit hominem ad Filium, necessariò debet esse initium aliquod charitatis, quia Pater trahit ad Filium, ut Filio uniat, & sola charitate fit unio hæc; Sed attritio simplex est actus, quo Pater trahit ad Filium, quia est actus salutaris, qui a Patre de necessitate progredi debet: *Nemo venit ad me, nisi Pater meus traxerit eum*: ergo attritio est initium dilectionis Dei.

Deus trahit homines charitate.

XIV. Humilitas a Sanctis Patribus dicitur fundamentum omnium virtutum. Cyprianus *Serm. de Nativitate Christi* habet -- „ Humilitas est sanctitatis fundamentum -- Hieron. *Epist.* ad Eust. ait -- Prima virtus „ Christianorum est humilitas -- Bernar. *Serm. de Nativit.* dicit -- Humilitas est fun„ damentum, custosque virtutum -- Ea ratione, quam doctissimè elucidat S. Thom. 2. 2. *q.*161. *art.* 5. *ad* 2. scilicet per modum removentis prohibens, quatenùs evacuat elationem, quæ impedit influentiam Sancti Spiritus, & reddit cor parulum divinæ gratiæ; Sed attritio simplex removet cordis duritiem, licèt non totaliter, quia differt a contritione, quæ est comminutio in minutissimas partes, illa verò in partes grossiores: duritiea autem est impedimentum dilectionis; ideò Deus promittens spiritum dilectionis dixit: *Auferam a vobis cor lapideum, & dabo vobis cor carneum*: ergo justo titulo dici potest charitatis initium.

XV. Motus, qui est aptus secundùm se subjectionis ad finem charitatis, dici potest aliquid charitatis; Sed attritio Christiana est hujusmodi, quia imperari potest a charitate: ergo ad illam aliquo modo spectat.

XVI. Recessus a termino *a quo*, est initium accessus ad terminum *ad quem*: recessus ab uno litore maris est initium accessus ad aliud: recessus ab exilio est initialis accessus ad patriam; Sed attritio simplex est recessus actualis per retractationem peccatorum initu actu ab ultimo fine inordinato: ergo est initium accessus ad ultimum finem verum, qui est Deus.

XVII. Negari non potest, quod immissio acus in pannum, sit introductio initialis setæ; Sed per axioma Augustini decantatum in ore omnium Eruditorum, sicut acus introducit filum, sic timor servilis introducit charitatem: ergo attritio, quæ est timoris proles, est initialiter charitas. Ex hic abondè evidens est attritionem Christianam esse veraciter, & dici initiative dilectionem Dei, initiative amorem justitiæ, initiative justificationem. Desinant ergo Clarissimi nostri Adversarii illam odibilibus locutionibus impetere, ut Populo, novitiisque in Theologiais reddant contemptibilem.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

96 OBJIC. I. Timor formidolosus nequit esse initiative charitas; Sed attritio simplex est timor formidolosus: ergo nequit esse initiative dilectio Dei. Ostenditur assumptum illo Jacobi 2. 19. *Et Dæmones credunt, & contremiscunt.* Ipsis est timor Dæmonum, quia extortus per tormenta; & licèt a fide oriatur, quia tamen timor pœnarum est, ideò inutilis, nulloque modo ad justificationem valens. Et propter hoc subditur. *Vis autem scire homo inanis, quoniam fides sine operibus otiosa est.* Quasi dicat fides, quæ parit timorem, & non opus charitatis otiosa est, nec ordinem habens ad justificationem. Igitur attritio nullo modo est initiative dilectio.

RESP. Dæmones sunt in statu irreparabilis damnationis: peccatores victores sunt in statu salutis assequibilis. Fides Dæmonum non est supernaturalis per assensum ad divinam veracitatem, est omninò coacta propter experimentalem certitudinem pœnarum. Fides Christianorum pœnitentium est omninò libera, & ex motivo supremæ veritatis. Contremiscentia Dæmonum est totaliter violenta, quam nullo modo repellere possunt. Timor attritorum est liber, utpotè ex electione procedens, & ortus a sana ponderatione motivorum rationabiliter impellentium ad timorem. Pavor Dæmonum positivè excludit dilectionem Dei, dum quidquid agunt, ex odio Dei agunt. Attritio Catholica non excludit dilectionem, sed negativè se habet ad illam ex vi motivi, cui innititur; sed ad illam disponit ex parte subjecti, quia illud præparat ad gratiam.

Fides attritorum quoque non est otiosa, non est inanis, quia consurgit adversùs peccata commissa, & adversùs futura; & licèt per solùm opus attritionis non perducat finaliter ad justificationem, disponit tamen ad illam, vel per actum charitatis complendam, vel per Sacramentum. Bern. *Serm.* 15. *in Psal. Qui habitat*, ait -- Est in ipse timor firmissima „ quædam, & efficax materia spei, siqui„ dem maximum quoddam donum Dei timor

 „ est --

„ est — Non quidem Dei inhabitantis, sed moventis, atque ad bonum, quod solùm Deus respicit.

97 OB. II. Actus, qui non operatur in vitam æternam, non potest esse initiativè dilectio; Sed attritio est hujusmodi: ergo non est inchoativè amor Dei. Assumptum ostenditur ex doctrina Christi Domini Jo. 6. 26. *Quæritis me, non quia vidistis signa, sed quia manducastis ex panibus, & saturati estis. Operamini non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam*. Hic Christus reprehendit accessum ad ipsum ex motivo interessato, & declarat non esse operativum in vitam æternam; Atqui attritio nostra est ex motivo interessato: ergo non est manuductiva in vitam æternam.

Argumentum exorbitat. Turba, quam instruit ibi Christus, non credebat in ipsum Fide divina: panes quos quærebant, erant materiales, & motivum ipsorum interessatum erat de corporeis; devotio illa supernaturalis non erat. Fides, cui innititur attritio est vera Christi fides, Christo incorporans. Ipsa attritio est supernaturalis. Interesse est supernaturale, & quidem benè regulatum, utpotè secundùm regulas rectæ rationis, & consiliorum Christi: quapropter spectat ad eumdem ordinem, in quo est charitas, tenditque ad removenda impedimenta incompossibilia cum charitate, ac per consequens illam initiat.

Audiamus iterùm D. Bernar. *Serm.* 58. *in Cant.* — Scitis quam hyemem dicam? timorem illum, qui non est in charitate, „ qui cùm omnes initiet ad sapientiam, neminem consummat, quoniam superveniens „ charitas excludit illum tanquam hyemem „ æstas — Initiat omnes ad sapientiam, idest ad charitatem. Augustinus, & Gregorius locum *Joan. cit.* exponunt de Christianis, qui accedunt ad Christum, hoc est ad Prælatos, ut bona temporalia consequantur. De illis, qui ad Ecclesiam recurrunt ut a prudentioribus protegantur. De Clericis, qui ad sacros Ordines accedunt, non propter Officium, sed propter Beneficium temporale. Quæ nostram difficultatem minimè tangunt.

98 OB. III. Actus initians charitatem stat simul cum charitate, sicut fundamentum initians domum stat cum domo. Sed attritio non stat cum charitate, quia est actus servi; undè dicit Christus Jo. 8. 35. *Servus autem non manet in domo in æternum: filius autem manet in æternum*. Et August. in Glossa ad *cap. 4. primæ Epist. Joan.* ait — Timor servat „ charitati locum, quia veniente, ut illa „ insideat, abscedit — ergo.

Claudicat argumentum. Non omne verè initians rem aliquam permanet cum ea. Granum satum est veraciter initium plantæ, & tamen docente Christo si granum frumenti cadens in terram non fuerit corruptum, manet ipsum. Ostendant satum granum simùl stans cum palea, & spica. Deindè locus *Joan.* est abs re, loquitur enim de servo, qui facit peccatum, nostra attritio detestaturque peccatum, quod factum est, & conatur in ejus destructionem.

Item. Axioma Augustini non est de charitate essentiali, & substantiali, quæ cum timore servili componitur, ùt docuimus ex D. Th., & docent nostri Adversarii, unientes motivum timoris ex gehenna cum amore imperfecto. Loquitur igitur de charitate perfecta; & nihilominùs ad hanc parare locum docet, si parat locum, si disponit, initiat: est enim evidens omnem dispositionem esse initium aliquod formæ. Audiamus Bedam *in cap. 8. ad Rom. v. 15.* — Qui enim „ ideò adhùc benè agit, quia pœnam timet, „ & Deum non amat (amore formali) non„ dum est inter filios. Utinam tamen vel „ pœnam timeat. Timor servus est, chari„ tas libera est. Fac vel timore pœnæ, si „ nondum potes amore justitiæ. Veniat „ domina, & servus abscedet, quia con„ summata charitas foras mittit timorem —

99 OB. IV. Quod charitati opponitur, non potest esse initium charitatis, juxtà illud Christi Domini, *qui mecum non est, contrà me est*; Sed attritio simplex charitati opponitur juxtà illud, *Charitas non quærit, quæ sua sunt*. Omnes autem attriti quærunt, quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi: ergo non potest esse initiativè dilectio.

Attritio non opponitur charitati.

Duo sunt valdè diversa, non operari ex motivo charitatis, & opponi charitati. Valdè diversa sunt non facere eleemosynam pauperi, & pauperem odisse. Duo sunt valdè diversa unum non confiteri, & aliud negare. Nulla operatio, quæ est secundùm dictamen Fidei est contraria charitati, licèt non fit ex motivo charitatis, quia fides operatur per omnes virtutes, quæ inter se differunt propter diversitatem motivorum: quærit quidem attritio, quæ sunt bona pœnitenti, sed hæc sunt etiam per Christum commendata. Amor sui a ratione dictatus Deo placet. Ad fugiendam gehennam, quæ adversatur bono proprio, adhortatur Christus. Ad sperandam Beatitudinem, ùt bonum nostrum, provocant Scripturæ. Attendit attritio ad destructionem peccati sub ratione propria sui motivi, & præscindit ab aliis, sub quibus est detestabile peccatum; sicut v. g. vexatus tentationibus flagellat se, ut eas pellat, præscindens a motivo imitandi Christum, augendi coronam, disponendi cor ad contemplationem &c. nec tamen opponitur illis finibus, ad quos actu explicito non reflectit.

Quod charitati opponitur, peccatum est: attritio a peccato retrahit. Audiamus Bedam *in Comment. ad cap. 11. Rom. v. 21.* — Timor „ ergo non est in charitate, quia perfecta „ charitas foras mittit timorem, sed illum „ servilem, illum, quo cùm se quisque ab „ opere malo abstinet, pœnâ terretur, non „ justitiâ delectatur — (delectatione scilicet formali) Charitati opponi nequit, quod ad charitatem conducit. Attritio ad charitatem perducit. Beda ibidem paulò infrà — „ Sic & timor perducit ad charitatem, & „ perfecta charitas foras mittit timorem —

100 OB. V. Illud, quod in Deum non est ordinabile, non potest esse initiativè dilectio Dei, quæ Deum essentialiter respicit; sed simplex attritio non est in Deum ordinabilis, quia non est ordinabilis vi motivi, quod respicit extremum oppositum motivo charitatis; neque ratione subjecti, quod caret habitu charitatis, in quo apparet disparitas a

casu

casu justi peccatoris venialiter; licèt enim veniale non sit referibile in Deum, justus tamen refertur habitualiter in Deum propter inhabitantem charitatem.

RESP. Secundùm se attritio ordinabilis est in Deum, quia a fide regulatur. Actus spei, quo nobis concupiscimus beatitudinem, & eam consecuturam speramus, optimè est ordinabilis in Deum, & de facto componitur cum actuali dilectione Dei; taliter quod Ecclesia damnaverit doctrinam Episcopi Cameracensis docentis in viris perfectis amorem purum Dei non habere mixturam proprii interesse supernaturalis. Per hoc igitur, quòd attritio habeat pro motivo interesse proprium spirituale, secùs charitas, non impeditur ordinabilitas in Deum, attendendo ad conditionem motivi. Actualiter tamen formaliter, immò & habitualiter in homine peccatore non refertur propter impedimentum subjecti. Sistit in bono proprio secundùm quod est perfectibile e bono naturali, & supernaturali; dispositivè autem respicit finem proprium ipsius charitatis, quod sufficit, ut sit, & dicatur initiativè dilectio.

Doctrina Episcopi Cameracensis de amore puro ab Ecclesia damnata.

Præter dicta appono doctrinam egregiam Salm. N.N. *tract.* 8. *de ultimo fine disp.* 4. *n.* 86. ubi habent, solventes difficultatem de fine ultimo peccantis venialiter -- Alio modo „ posset dici peccans venialiter constituere „ secundùm quid finem ultimum in creatura. Quia cum peccatum veniale etiam in „ homine justo sit dispositio ad mortale, ut „ docet D. Th. *ibi* q. 88. *art.* 3., & per „ peccatum mortale constituat homo finem „ absolutè ultimum in bono creaturæ, qui„ cumque venialiter peccat, tendit disposi„ tivè per talem actum ad hujusmodi finem: „ & hoc pacto potest dici dispositivè, & secun„ dùm quid habere pro fine absolutè ultimo „ bonum creaturæ, non propter aliquam „ relationem actualem, vel habitualem, „ quam habeat de facto ad talem finem, „ sed quia ad illum disponitur -- Cùm ergo longè veriùs, & efficaciùs attritio Christiana disponat ad charitatem, quia est efficaciter retractativa peccatorum, & efficaciter intendit non peccare de cætero, includit votum subjiciendi clavibus peccata; longè etiam veriùs respicit dispositivè, absolutè finem proprium charitatis.

Cumque etiam omnis dispositio sit ipsamet forma in esse viali, ut loquuntur Philosophi, sequitur attritionem Christianam esse initiativè dilectionem Dei. Sanum quapropter est consilium Bedæ loco sæpiùs citato his verbis conceptum -- Quapropter „ timeat Christianus eo usque, donec perfecta cha„ ritas foras mittat timorem &c. Timeat „ autem Christianus non eos, qui corpus „ occidunt, & posteà non habent quid fa„ ciant, sed eum, qui habet potestatem, „ & corpus, & animam in gehennam ignis „ occidere --

ARTICULUS SECUNDUS.

AN ATTRITIO PER ADDITIONEM AMORIS DEI FORMALIS SOLIUS BENEVOLENTIÆ INEFFICACIS CONSTITUATUR IN ORDINE DISPOSITIONIS SUFFICIENTIS AD JUSTIFICATIONEM.

101 CLarissimi Adversarii non agnoscunt attritionem sufficientem pro justificatione, nisi sit cum inchoato Dei amore, vel ex illo, & quidem formali, hoc est, qui respiciat Deum directè sub motivo proprio amoris. Non requirunt tamen amorem Dei perfectum intra Sacramentum, sed aliqualem inchoatum, imperfectum. In assignatione, & explicatione istius initialis amoris non sunt concordes illi, qui primò scripsere de hac difficultate, cum illis, qui decursu temporis secuti sunt. Nunc ferè omnes in uno sensu conveniunt circà mentem, & spiritum, quamvia repetitione illius notionis amoris inchoati, & imperfecti absque alia explicatione nonnparùm confusionis, & obscuritatis patiatur. Nos quia praxim in spiritu, & veritate stabilire contendimus, ad tollendos laqueos conclusimus statum, & conditiones hujus inchoatæ, ut vocant, dilectionis. Undique Augustinum in ore habent, ideò unum, vel alterum locum tanti Doctoris subdemus, in quibus statuit divisionem perfectæ, & imperfectæ dilectionis Dei, ut postmodùm descendamus ad scopum.

Tom. 7. *lib. de Natura, & Gratia c.* 10. habet -- Charitas ergo inchoata, inchoata „ justitia est: Charitas provecta, provecta „ justitia est: Charitas magna, magna justi„ tia est: Charitas perfecta, perfecta justi„ tia est: sed charitas de corde puro, & „ conscientia bona, & fide non ficta; „ quæ tunc maxima est in hac vita, quandò „ pro illa, ipsa contemnitur vita -- *Tract.* 5. *in Epist. Joan.* habet -- Nunquid mox ut na„ scitur Charitas, prorsùs perfecta est? ut „ perficiatur, nascitur; cùm fuerit nata, „ nutritur, cùm fuerit nutrita roboratur, „ cùm fuerit roborata perficitur: cùm ad „ perfectionem venerit, quid erit? Mihi „ vivere Christus est, & mori lucrum -- *Lib. de Gratia, & lib. arbitr. cap.* 17. -- Qui „ ergo vult facere Dei mandatum, & non „ potest, jam quidem habet voluntatem bo„ nam, sed adhuc parvam, & invalidam, „ poterit autem cum magnam habuerit, & „ robustam. Quandò enim Martyres magna „ illa mandata fecerunt, magna utique vo„ luntate, hoc est magna charitate fecerunt, „ de qua charitate ipse Dominus ait, ma„ jorem hac charitatem nemo habet, quàm, „ ut animam suam ponat quis pro amicis „ suis; undè & Apostolus dicit: Qui dili„ git proximum legem implevit: nam non „ adulterabis, non homicidium facies, non „ furaberis, non concupisces; & si quod „ est aliud mandatum, in hoc sermone re„ capitulatur, diliges proximum tuum, sicut „ teipsum.. Dilectio proximi malum non „ operatur. Plenitudo ergo legis, dilectio.

 „ Ipsam

„ Ipsam charitatem Apostolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit. Timor enim non est in charitate, *sicut ait Joan. Evangelista in Epistola sua*, sed perfecta charitas foras mittit timorem: & tamen quamvis parva, & imperfecta non deerat, quando dicebat Domino. Animam meam pro te ponam, putabat enim se posse, quod se velle sentiebat. Et quis istam etsi parvam dare cœperat charitatem, nisi ille, qui præparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit? -- Hæc Sanctus Doctor quem in alio sensu ab eo, quem tribuunt Adversarii, locutum esse, ostendemus posteà ex Commentariis D. Thomæ, & contextibus. Nunc autem descendimus explicare duplicem sensum dilectionis inchoatæ ad scopum difficultatis.

Amor inchoatus apud Clarissimos Adversarios nostros duplex est, alius simplicis complacentiæ, alius obedientialis; Amor simplicis complacentiæ est affectus inefficax de bonis Dei; Amor obedientialis est affectus efficax de bonis Dei, quo videlicet Deus præfertur tanquam ultimus finis omnibus creaturis, & a nobis communiter vocatur amor appretiativus. Dicitur ab ipsis amor inchoatus, quando non est intensus, nec fortis, sed est motus solùm prælativus Dei suprà bona creata, & appellatur a Theologis amor Dei super omnia quoad substantiam. Dividuntque hunc amorem in affectivum, seu afficientem, & effectivum, seu efficientem. Affectivus est ille motus voluntatis, quo homo Deum præfert interiùs omnibus creatis, paratus ejus mandata adimplere. Effectivus est actualis adimpletio mandatorum. De amore obedientiali ità dicto, quia includit voluntatem observandi mandata, in Articulo sequenti agemus, de amore simplicis complacentiæ in præsenti. Status quæstionis est, an dolor de peccatis propter timorem gehennæ habens conjunctum affectum simplicis complacentiæ de bonis Dei, ità tamen quod non præferat affectivè saltem Deum omni creaturæ per modum ultimi finis, sit sufficiens dispositio ad justificationem obtinendam potestate clavium. Hunc dolorem vocant attritionem ab antiquis admissam, prætendunt enim ab illis non fuisse agnitam attritionem absque aliquo Dei amore propter se. Unde fit conclusio.

Dicendum est simplicem attritionem, videlicet, ex motivo gehennæ absque mixtura alterius motivi superioris conceptam, (quæ absolutè insufficiens deprædicatur) nullo modo fieri sufficientem per additionem amoris Dei simplicis complacentiæ superiùs descripti, hoc est inefficacis. Hæc conclusio est evidens in principiis communioribus Adversariorum, & argumento demonstrativo declarat Laurentius Neesen unus ex illis. Et est.

I. Amor Dei non excludens voluntatem peccandi non sufficienter disponit ad justificationem; Sed amor simplicis complacentiæ inefficax non excludit voluntatem peccandi, quia hujusmodi piæ affectiones ergà Deum reperiuntur sæpè in gravissimis peccatoribus, qui dùm abhorrent propter divini nominis reverentiam proferre blasphemiam, actu volutantur in cœno turpitudinis luxuriosæ: ergo ille amor non est dispositio sufficiens.

II. Ostenditur altero argumento demonstrativo in ipsorum principiis. Actus, qui ultimatè non constituit hominem habentem Deum ultimum finem, non est sufficiens dispositio ad justificationem, ob quod motivum negant amorem concupiscentiæ sufficere; Sed inefficax amor complacentiæ non constituit hominem habentem Deum ultimum finem, quia inefficax affectio nequit subordinare Deo totum hominem, omnesque ejus habitudines, quod est necesse ad rationem ultimi finis: ergo non sufficit. *Dispositio ad justificationem.*

III. Ostenditur item ad hominem demonstrativè. De ratione sufficientis dispositionis per ipsos necessaria est aversio a peccatis, & a bono commutabili, ob quod multas Ezechielis auctoritates producunt; Sed inefficax complacentia de bonis Dei impotens est ad ponendam aversionem actualem, & multò magis habitualem a bono commutabili, ad quem effectum necessaria est retractatio efficax: ergo non sufficit simplex complacentia. *Amor inefficax non dicit actualem aversionem a bono creato.*

IV. Ostenditur pariter demonstrativè. Sufficiens dispositio ex ipsis debet esse conversio ad Deum ex toto corde, juxta plurima testimonia Scripturalia, quæ adducunt; Sed simplex amor complacentiæ, hoc ipso, quod inefficax sit, nequit esse conversivus ad Deum ex toto corde: ergo non est sufficiens dispositio.

V. Pœnitentia Antiochi propter timorem habuit adjunctam simplicem complacentiam de bonis Dei; dicitur enim 2 Machab. 9, quod divinâ admonitus plagâ, venit in cognitionem sui; & ità ait v. 12. *Justum est subditum esse Deo, & mortalem non paria Deo sentire*. In his verbis continetur confessio divinæ celsitudinis, adeòque pia quædam affectio ad ipsam; Sed hæc pœnitentia non fuit sufficiens, ut ipsum disponeret ad justificationem, ùt habetur vers. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, a quo non erat misericordiam consecuturus*. Et ob illud, quia non fuit efficax confessio, & complacentia celsitudinis divinæ, nec potuit efficacem retractationem peccatorum imperare: ergo &c. *Pœnitentia Antiochi non fuit sufficiens, quia illius affectio inefficax.*

VI. Dolor de Christi proditione in Juda fuit cum motivo simplicis amoris Dei, ùt patet ex verbis, quibus Proditor concepit pœnitentiam. Matth. 27. 4. *Peccavi tradens sanguinem justum*. Ecce respectum ad Deum habet pro motivo; Sed hæc pœnitentia non fuit sufficiens dispositio pro consequenda justificatione; nec ob aliud, nisi quia efficax non fuit ad spem remissionis concipiendam, licèt ex aliis capitibus bonæ pœnitentiæ conditiones habuerit, sicut docet D. Thomas in Comment. hujus loci. *Dolor Judæ inefficax.*

VII. Pœnitentia, quæ non sufficit ad concipiendum affectum efficacem adversus peccata, inutilis est, seu minimè apta, ut disponat pro justificatione; ùt dicitur de pœnitentia Israelitarum Isaiæ 37. 3. *Quia venerunt filii usque ad partum, & virtus non est pariendi*. Quia ùt advertit ibi Hieronymus, non poterant dicere -- Ecce a timore tuo concepimus, „ & pe-

„ & peperimus spiritum —. hoc est, quia efficacia defuit. Cùm igitur amor illa simplicis complacentiæ omninò inefficax sit, nequit constituere attritionem in ordine dispositionis ad gratiam justificativam. Non est ullo modo dubitandum, quòd simplices velleitates careant vi dispositiva ad justificationem; sunt enim affectiones pigrescentium, qui volunt, & non volunt, idest inefficaciter concupiscunt bonum salutis; undè quidam ex Hebræo, vertunt locum illum Prov. 13. *Vult, & non vult piger, quia non est ei animus*, hoc est, deest illi efficacia. Quare si attritio a nobis descripta non est sufficiens dispositio ad justificationem, prout Adversarii constanter docent, certissimè nullo modo redditur sufficiens per hujusmodi affectiones simplicis complacentiæ inefficacis, quibus abundant scelestissimi quique: undè non est ulteriùs immorandum Scripturis, & Patribus reclamantibus adversùs pœnitentiam inefficacem. Quamvis non producant Adversarii objectiones directè oppositas nihilominùs utile est expendere, quæ proponuntur indirectè.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

102 OBJIC. I. Pœnitentia, quæ latitantem affectum ad peccatum nutrit, non est dispositiva ad salutem; Sed attritio ob timorem pœnæ latitantem nutrit ad peccatum affectionem: ergo non disponit ad salutem: ergo addendus est amor Dei, & justitiæ saltem initialis; Sed simplex complacentia de bonis Dei est ejusdem initialis amor: ergo per illam constituitur in linea dispositionis salutaris. Min. principalem probant quidam omnibus Augustini testimoniis infrà referendis; quibus addunt illud *Jeremiæ* 34. v. 8. 9., & 10., ubi Jerosolymitani obsessi a Nabuchodonosore Rege inierunt pactum cum Sedecia de dimittendis servis, & ancillis Hebræis perpetuò liberis, quos iterùm retraxerunt soloto timore obsidionis, sub quo latebat voluntas illa. Et illud 4. *Reg.* 17. ubi Samaritæ timore grassantium in ipsos leonum, Dominum Cœli colere cœperunt, nec tamen destiterunt adorare Deos alienos, erantque exteriùs Dei veri cultores, intùs simulacrorum. Et illud *Exodi* 7., & *seqq. cap.* ubi Pharao cernens gravissimas plagas Ægyptiorum pollicebatur Populum Dei dimittere, sed ad momentum propulsatis plagis non dimittebat, quia intùs latebat prava voluntas.

His comparant eos, qui timore gehennæ peccata detestantur, quos volunt interiùs peccare, dùm exteriùs bonum faciunt; concludùntque illo Aug. *tract.* 9. *in primam Jo.* — „ Qui timore pœnæ non concupiscit, puta „ quia concupiscit — Porrò hæc innocentia exterior non facit innocentem coram Deo, juxtà illud Matth. 5. v. 28. *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est eam in corde suo*, quamvis in opere reus non sit. Quod pariter in damnatis accidit, hi enim — Do„ lent de peccatis, quæ commiserunt, non „ quia ipsa odiant, sed quia pro iis puniun„ tur. Sic ergo talis detestatio divinæ justi„ tiæ est in eis interior cordis blasphemia — ait D. Th. 2. 2. q. 13. *art.* 4.

Aliquorum ex præclaris Adversariis consonantiam in doctrina non satis percipio. Dùm Scripturis, Patribus, & Conciliis urgentur, in quibus timor gehennæ excellenter commendatur; aperto ore declamant esse honestum, bonum, utilem, & a Spiritu Sancto; cùm posteà adversari eorum systemati reflectunt, dicunt eos peccare actu, qui timore pœnæ ducti bonum operantur; formidolosus illos intùs pravè concupiscere, qui exteriùs a peccato abstinent; quod est fateri practicè non esse utilem timorem, sed perniciosum. Ex quo nostra doctrina magis veritati conformis deprehenditur, cum teneat consonantiam.

Superiùs vidimus, & infrà iterùm videbimus ex testimoniis D. Augustini timorem gehennæ eradicare voluntatem peccandi, & latitantem nequaquam relinquere concupiscentiam actus secundi. Non punit Deus sola opera exteriora, sed jure potiori interiorem affectionem, non urit peccata operis tantùm gehenna, sed multò magis cordis: non concipitur de æternis suppliciis timor per exteriora adminicula, sed per fidei lumina spiritum penetrantia, & cordis medullam; adeòque veraciter gehennam timens totaliter in corde ad terrena frigescit. Non minùs efficaciter laborat in agro Domini spe mercedis servus, quàm amore filius, licèt hic perfectiori motivo ducatur, quàm ille. *Timor gehennæ eradicat voluntatem peccandi.*

Exempla producta a Merbesio ad rem non sunt. Aliis omissis, omnia de pœnis temporalibus sunt, omnia ad mundanum timorem spectant. Illud de dæmonibus nimis certè probat. Quis nescit dæmones omnia ex perversa voluntate agere? Quis nescit detestationem ipsam peccatorum ex odio Dei apertè promanare? Quis nescit nullam in damnatis bonam voluntatem efficacem dari posse? Doctrina D. Augustini recitata est de timore mundano, & servili serviliter operante.

Hæc de propositione principali, quam si permitteremus, subsumpta illatio nil evinceret; nam illa simplex complacentia non potest tribuere illos effectus, cùm inefficax sit, nec latitantem eradicet affectionem, nec apertam. Simplicem Dei amorem habebant Pharisæi illi, qui rutam, & mentam diligentissimè Deo offerrebant, sed interim adulteria, & iniquitates cumulatissimè exercebant, propter quod gravissimè a Christo fuerunt reprehensi. Pharisæus ille, qui bis in Sabbatho jejunabat utique aliqualem Dei amorem habebat, respiciebat omnque per illa bona opera exteriora Deum, ejusque cultum, & tamen tumescebat superbiâ, publicanum insultans.

103 OB. II. Actus, qui non refertur in Deum tanquam in ultimum finem, nullo modo disponit ad justificationem. Sed attritio ex motivo gehennæ non refertur in ultimum finem; si verò addatur simplicis complacentiæ amor, refertur. Ergo per additionem illius constituitur in ordine dispositionis. Min. supponunt certam nonnulli, si enim attritio non habeat cumitem motivum pro-

propriom dilectionie , non est undè habeat, quo referatur ed Deum . A

Mejorem probant sic . Sob præcepto rigorofo tenemur fingols opera, faltem virtusliter in Deum referre , quæ relatio si defit , opus noo est rectum , ac proindè ineptum , ut difpuoet ed justificationem ; porrò præceptum hoc hebetur 1. Corinth. 10. ubi: *Sive ergo manducatis , sive bibitis , sive aliud quid facitis : omnia in gloriam Dei facite* . Verbum illud *facite* , imperativom est, ededqoe ooo puri consilii . Ex eo prioclpio iofert Apostolus comedentes Idolotyta peccere non attendentes ed hooorem Dei, oec ed fraternem charitatem , quæ illatio oulle esset , si purum esset consilium . Præceptum esse intelligir D. Th. 2. 2. *quæst.* 69. *art.* 1. argumento , sed contrà illis -- Omne , quod est B
„ contrarium divioæ gloriæ , est peccatum
„ mortale , qoie ee præcepto tenemur omnia
„ in Dei gloriem facere -- ùt patet 1 *ad Corinth.* 10., & 1. 2. *q.* 100. *art.* 10. *ad* 2. hebet -- Sub præcepto cheritetis contioetur ,
„ ut diligetur Deus ex toto corde, ed quod
„ pertinet , ut omnia referantur io Deum :
„ & ideò præceptum cheritatis implere bo-
„ mo ooo potest , nisi etiem omoie refereo-
„ tor in Deum --

Idem hebetur 1. Corioth. 16. illis . *Vigilate , state in fide , viriliter agite, & confortamini, omnia enim vestra in charitate fiant* . Illud *fiant* . Imperativum , præceptom dicit : *fiant*, & *vigilate* , & *state* cohæreotie suot ; præceptum autem includit, *vigilate* , & *state* . Hiuc ibi D. Thomas hebet -- Idest omnie debent C
„ referri in finem cheritatis , scilicet , ut
„ fient propter Deum , & prosimum -- Et August. *lib. de fide, & operibus cap.*7. -- Quid-
„ quid enim homo velut rectè fecerit, nisi
„ ed pietetem , quæ io Deum est refereiur,
„ rectum dici ooo oportet --

Item ed Colofs. 3. 17. *Omne quodcumque facitis in verbo , aut in opere , omnia in nomine Domini Jesu Christi gratias agentes Deo , & Patri per ipsum* . Ubi D. Th. *lect.* 3. habet --
„ Respondeo, quidem dicunt , quod hoc est
„ coosilium , sed hoc oon est verum -- D

Item repetitor 1. Petri 4 11. *Si quis loquitur quasi sermones Dei : si quis ministrat tanquam ex virtute , quam administrat Deus : ut in omnibus honorificetur Deus per Jesum Christum* . Cui cousonat D. Th. 2. 2. *q.* 44. *art.* 5. ubi -- Præcipitur ergo nobis, ut tota nostre
„ intentio feratur in Deum , quod est ex to-
„ to corde -- Productis variis Petrum testimoniis , & præcipuè Aogustioi, concluduat ineluctebiliter deri præceptum rigorosum de refereodis fingulis operatiooibus nostris in Deum ; quod confirmeut duplici ratiocinio secundùm mentem Augustioi . E

Primum sic efformant. Intentio agentis Christieni dirigitur a charitate, qui tenetur operari secundùm fidem , quæ per dilectionem operetor ; Sed charitas oon elium scopum respicit, quàm Deum oltimum fioem : ergo io eum tenemur dirigere omnes ectiones . Audi Augustinum *lib. de catechizandis rudibus cap.* 11. -- Tuoc enim est verè opus
„ bonum, cùm a cheritate jeculatur egentis
„ ioteutio , & tenquem ed locum suum re-
„ dicus , rursùs in charitata requiescis --

idest in Deum , qui charitas est : Id enim potiori jure necesse est implere in lege nova, quod in veteri ; in ea autem ordinanda erant figuralia in cheritetis Regnum , diceote Augustino *lib.* 3. *de doctrina Christiana c.*c5. --
„ Servabeiur ergo in locutionibus figuretis
„ hæc regula , ut taodiù versetur diligenti
„ coosideretiooe , quod legitne , donec ed
„ Regnum cheritatis interpretatio perduca-
„ tur -- Ergo io lege nove ità versendæ sunt operatiooes , ut perveniant ad Regoum charitatis , hoc est es charitete fiant .

Secundum retiocinium sic efforment . Lege æterne Dei noo est perturbeodus ordo oeturæ , qui hujusmodi est, ut creatura rationalis locum medium teoeet inter Deum , & creatures irrationales : porrò unicuique neturæ locus suus seruatur impulsu suo , quo onequæque inclinetur , & conatur lo locum suum : pondere suo deorsum teodit equa, sursum ignis : pondus autem oeturæ retiooalis est amor. Juxtà illud August. 13. *Confess. c.*9. --
„ Amor meus pondus meum , eò feror quo-
„ cumque feror -- Per emorem ergò debet tenere locum suum . At qui oisi in suis operetiooibus Deum amet , non tenet locum suum , & ordinem perturbat , siquidem netura emoris est subjicere ameotem emeto ; undè si retiooalis creatura creeturem amat , illi subjicitur , & locum suum deserit ; necesse est ergò , quod Deum diligat , & per emorem ei subjicistor, & teoet locum suum. Perturbetur ordo neturæ , si oon etteodatur ordo creetionis , qui est expressus illo versiculo : Proverb. e6. *Universa propter semetipsum operatus est Deus* . Perturbetur si prioclpium , & finis rerum ooo correspondeant ; Deus autem solus est Alphe , & Omega ; igitur omoia ee lege stebilite referende sunt in Deum .

Hinc inferuot , peccata veoialia esse , *oculos pascere picturis* , naras gratis odoribus , aures dulci conceutu , linguem delicatis liquoribus , similiter delectari leudibos , honoribus, pecuniis . Ioferunt, non solum peccari in indifferentibus, sed etiem io optimie ex subjecto moderate ametis propter defectom relationis io Deum . Inferuni aberrere eos , qui dicunt talem impetfectionem in his reperiri , dummodò objectum immedietom honestum habeant .

Ioferunt noo sufficere inteotiooem habituelem , sed requiri actualem dicente D. Th. *in quæst disput. de Charitate art.*11. ad 1.--
„ Hebitualiter refert io Deum, & qui nihil
„ agit, nec aliquid inteodit , ùt dormiens ;
„ sed virtoelitac in Deum referre est egen-
„ tis propter finem ordioentis in Deum .
„ Undè habitualiter referre io Deom , oon
„ cadit sub præcepto : sed virtualiter refer-
„ re omnia in Deum cadit sub præce-
„ pto cheritetis , cùm hoc oihil aliud sit ,
„ quem hebere Deum ultimum finem -- Ad
„ 2. ait -- Hoc pertioere ed perfectionem
„ cheritetis , ad quam omnes teoentor ,
„ quod omnie virtute referantur io Deom ,
„ & hoc modo Apostolus præcipit , quod omnia in gloriem Dei referantur -- Ad 3. hebet -- Virtualiter omnie referre io Deum,
„ cedit sub præcepto cheritetis --

Consonat S. Boneventura apod Bellarminum

minom *lib.* 15. *de Justificatione cap.* 15. ubi habet -- Quo loco non est omittendom, „ quod prudenter monet S. Bonaventura *in* „ 2. *Sent. dist.* 41. *a.* 1. *q.* 3 non sufficere, „ ut opus virtute dicatur io Deum referri, „ si quis ad initiom aoni, vel mensis, vel „ etiam diei generali quadam intentione, „ referat omnia sua futura in Deum; sed „ necesse est, ut illud opus particulare, „ quod posteà faciendom est, referatur in „ Deum. Tunc enim dicontur opera vir- „ tute in Deum relata, cùm intentio præ- „ cedens est vera causa operum, quæ posteà „ fiont; ut si quis apod se certò constituat „ aliquam nummorum summam propter Deum „ pauperibus erogare, ut posteà summam „ illam oblata occasione eroget: is dicitur „ virtute opus suum referre io Deum, etiamsi „ dùm pecunias illas distribuit, nihil de „ Deo cogitet --

Inferont denique omnia opera sigillatim referenda esse in Deum ex imperio charitatis, dicente Augustino *cap.* 121. *in Enchiridio* -- Quod ita fit, ut non referatur „ ad charitatem, nondùm fit quemadmo- „ dum oportet fieri, quamvis fieri videa- „ tor -- Et D. Th. 2. 2. *q.* 23 *art.* 4. ad 2. de charitate loquens, ait -- Ideò exten- „ dit se ad actus totius vitæ humanæ per „ modum imperii -- Concludenter ergo cùm attritio non sit ex imperio charitatis, in Deom non refertur, nec per consequens potest esse dispositio ad gratiam absque superaddito amore Dei saltem simplicis complacentiæ.

Venerandam confitemur pietatem in hoc principio inclusam, & ab omnibus fidelibus practicari singulis momentis sincero corde optamos. Prout tamen sic indigesta profertur a suis Auctoribus, non consonat veritati. Cùm velint omnia opera esse dirigenda in Deum per charitatem, per quam operatur fides, quæ relatio si desit, opus est peccaminosum; sequitur veram esse doctrinam ab Ecclesia damnatam -- Necesse est infide- „ lem in omni opere peccare -- Siquidem ille fide caret ex uno capite, & ex alio subditor hujusmodi præcepto, quod asseritur de jure divino naturali, & positivo. Nec sufficiont coruscationes, quæ fidem propriè dictam antecedunt: tum quia illis non obstantibus plerique remanent infideles negativè, quia sufficienter non proponuntur mysteria Fidei: tom quia sufficiunt illæ ad initiandam fidem, sed non ad adimplendom maximum præceptum dilectionis.

Sequitur veram esse illam aliam damnatam doctrinam -- Omnis humana actio „ deliberata est Dei dilectio, vel mundi; „ si Dei, charitas Patris est, si mundi, con- „ cupiscentia carnis, hoc est, mala -- Nam, vel refertur illa actio in Deum ex imperio charitatis, & est dilectio Dei; vel non refertur, & sistit in creatura, & est dilectio mundi, & est mala, ùt expressè fatetur adversa positio. Sequitur pariter omnia opera peccatorum esse peccaminosa; quia pro illo statu in sensu composito non possunt operari ex motivo, & imperio charitatis, qua carent: hoc autem valdè durum est.

Hoc, ut emolliat Neesen, dicit non esse necessariam directionem per charitatem, quæ sit habitus infusus, sed sufficit affectus sincerus divini amoris, quo Deus diligitur propter se, vel proximus propter Deum, esto nec dum super omnia: undè peccatores, & malos Christianos aliquid ex charitate agere juxtà hunc sensum nihil vetat, veluti dùm propter Deum fide cognitum dant eleemosynam.

Sed hac responsione deseruntur castra, & evertuntur quæcumque congregant Adversarii ad suum finem; illa enim apertè probant necessitatem amoris Dei dilecti super omnia. Hoc genus amoris evincunt Scripturæ adductæ, ùt illa: *Omnia vestra in charitate fiant*. In charitate habitum significat. Evincunt testimonia plurima Augustini, quæ inserunt, quorum vim ad hanc regulam perstringunt traditam *lib.* 1. *de liber. arbitr. cap.* 19. -- Jubet æterna lex „ avertere amorem a temporalibus, & „ eum convertere ad æterna -- Quæ de amore Dei super omnia concludit. Evincunt præcipuæ auctoritates D. Thomæ, quæ de præcepto rigoroso charitatis loquuntur, quod obligat ad amorem super omnia. Evincunt orationes Ecclesiæ, quas proferunt, ùt illa, in qua petimus, ut Deum -- „ in omnibus, & super omnia diligamus -- Evincunt cætera, quæ fabdunt, ùt expendenti fiet notum.

Igitur mandatum de dirigendis omnibus nostris actionibus in Deum eruitur, & reducitur ad præceptum charitatis, quod est præceptum per se primò affirmativum, ùt expressè docet D. Th 1. 2. *q* 100. *art.* 10 *in corp.*, *&* *ad* 2., & alibi. Per se secundò est negativum. Quatenùs affirmativum non obligat pro semper, sed statuto tempore, & tunc tenemur Deum diligere positivè super omnia, omnesque affectiones nostras subdere, & ad ipsum, & in ipsum omnia sunt referenda, sicut explicat S. Doctor in aliquibus ex testimoniis adductis in objectione.

Præceptum charitatis, quatenus positivum non obligat pro semper.

Quatenùs negativum: obligat, ut nihil facismus contrà finem charitatis, & obligat pro semper; cui satisfacit homo, si in suis actionibus objectum proximum honestum respiciat, & positivè finem ultimum non constituat in creatura; ex quo sequitur, quod plurimæ actiones malorum Christianorum sint absque ullo peccato, & moraliter bonæ; quamvis non dirigantur positivè in Deum tanquam ultimum finem propter se directè inspectum; non sunt tamen bonæ ea bonitate, quæ conducit ad coronam propter defectum habitualis charitatis, quo sensu sæpè Augustinus appellat actiones humanas non bonas, immò malas, quandò non diriguntur in Deum. Cùm ergo attritio Christiana simplex habeat objectum honestum, & sit actus positivè bonus, non indiget illo amore inchoato simplicis complacentiæ, aliàs etiam insufficientia.

104 OB. iii. Amor simplicis benevolentiæ est principium amicitiæ; Sed attritio non potest esse dispositio ad justificationem, nisi sit principium amicitiæ: ergo nisi comitem habeat amorem simplicis benevolentiæ. Argumentum habetur apud D. Thom. 2. 2.

q. 27.

q. 27. *art.* 2. ubi -- Sed amor, qui eſt in
„ apperitu iotellectiva etiam differt a bene-
„ volemia, importat enim quamdam onio-
„ uem ſecuodùm affectom amautis ad ama-
„ ıum, io quaoiùm ſeilicer amans æſtimat
„ amatum quodammodò ùt unum ſibl, vel
„ ad ſe pertiueos, & ſie movetur in ipſom;
„ ſed beuevoleuria eſt ſimplea actus volun-
„ tatis, quo volomus alieui bonom, etiam
„ uon præſuppoſita prædicta unione affectus
„ ad ipſum. Sie ergo iu dilectioue ſecuo-
„ dùm quod eſt actus charitatis, includitne
„ quidem benevolentia: ſed dilectio, ſive
„ amor addit unionem affectus, & propter
„ hoe Philoſ. dicit *lib.9. Ethic. cap.5.*, quod
„ beuevolentia eſt principium amieltiæ --
Ad initium ergo divioæ amicitiæ neceſſe eſt, bonum velle Deo ſecundùm ſe, quo affectu caret attritio ea timore pœuæ.

Mirùm eſt, qoantùm ſibi plauſerint hoc argomento qoidam ea Adverſariis ſub eaordio iuealeſceotis diſputationis; velut gladium Goliat de mauu ad mauum per ſchedulas tranſmitteos haoc D. Th. auctoritatem, qua conciudebant, & dari verum Dei amorem, qoi uon juſtificat; & ſine hoc attritionem uou poſſe diſponere ad reconciliatiouem. Evauuit præteuſus, ſicut nebola appareote Sole, Triomphus, obi legitimus ſeuſus innotuit. Pro quo triplea propoſitio præmittitur.

Prima. Duplea diſtinguitur benevolentia, alia iuefficax, & eſt quædam velleitas de booo proaimi; de hac non loqoitur D. Th. Altera eſt affectus efficaa de bono alterius, quo amans eſt paratus deſerere bonom proprium, ot illud velit amico: & de hac loquitur S. Thomas. *Benevolentia duplex.*

Secunda propoſitio. Alia eſt conſideratio benevoleotiæ ea terminis, & ſecundùm ſe; & in hoc ſeoſu ab unioue actuali præſciudit. Alia eſt conſideratio benevolentiæ velut in concreto, & exercita, & hoc ſeoſu coiucidentiam, & coonesionem habet eum conditionibus amoris, adeòque unionem includit, ùt notat Cajetaous, vel saltem ſecum trahit.

Tertia propoſitio. Duplea eſt principiom amicitiæ, aliud diſpoſitivum, aliud conſtitutivum. Diſpoſitivum principium eſt purgatio ſubjecti ab impedimentis, & habilitatio ejuſdem ad formam amicabilem. Priocipium conſtitutivum eſt veluti pars quædam ipſius amicitiæ. Hoc ſecundo ſenſu beoevolentia initiat amicitiam, & ſecundùm hoc loquitur eum Philoſ. D. Thomas, & patet claté ea litera.

Hinc ad primum, In quo ea ſe amare deſiuitur per velle bonum, ac per conſequens per beoevolentiam, ait -- Philoſ. ibi deſinit
„ amare, non ponens totam rationem ipſius,
„ ſed aliquid ad rationem ejus pertioens,
„ in quo maximè manifeſtatur dilectionis
„ actus -- Ex qua doctrina ſic inferimus.
Non datur benevoleotia veras ergà Deom, hoc eſt efficaa, niſi ſit pars actu amicitiæ ipſius Dei: ſed non poteſt dari amicitia Dei abſque juſtificatione: ergo benevolentia veras infert, & conjungitur cum juſtificatione; Atqui non requirunt Adverſarii antè ſuſceptionem Sacramenti diſpoſitionem conjunctam cum juſtificatione. Ergo non requiritur hujuſmodi actus benevolentiæ.

A •Hanc benevolentiam eſſe conjunctam cum onione ad amatum, adeòque cum amicitia ſatis conſtat ea doctrina ad tertium, in quo argoitur beoevolentiam eſſe primum actum charitatis ex eo, quòd Ariſtot. 9. *Ethicor. cap.* 4. dieat quinque pertinere ad amicitiam. Velle amico booom, velle ei eſſe, & vivere, delectabiliter eonvivere, eadem eligere, eidem condolere, & eongaudere; quorum prima duo pertinent ad benevolentiam, habet -- In tantùm illa,
„ quæ Philoſ. ibi ponit, ad amicitiam per-
„ tinent, io qoantùm proveniunt ea amore,
B „ quem quis habet ad ſeipſum, ùt ibidem
„ dicitur, ut ſcilicet hæc omoia aliquis ergà
„ amicum agat ſicot ad ſeipſum, quod per-
„ tinet ad prædictam unionem affectus --
Eece, quòd benevolentia ad amicitiam ſpectat, eamque per conſequeus dicitur initiare, ſecuodùm quòd coincidentiam unionis affectivæ ſecom trahit.

Attritio hoc modò non initiat amicitiam cooſtitutivè videlicet, ſed diſpoſitivè, ac proindè non indiget ſibi ſoperaddi amorem benevolentiæ, qui ſi accedet, erit ad meliùs eſſe, noo autem ad neceſſe eſſe. Ulteriùs amicitia, quam inchoat benevolentia, eſt
C amicitia actoalis, ùt conſtat ea conteatu articuli, & qoæ per actualem amorem exercetur; amicitia autem, ad qoam diſponit attritio, eſt habitualis, quæ conſiſtit iu ipſo habitu gratiæ, & charitàtis juſtificantis, pro qua habeuda noo eſt neceſſariò ſupponenda amicitia per actualem amorem, ſed ſufficit diſpoſitio, & ſubjecti præparatio alterius gradus, qoalis illa eſt, quæ imperatur a ſalutari timore, ſine quo nemo poteſt juſtificari per Eccleſiaſticom *cap.* 1.

105 OB. IV. Attritio diſponens ad juſtificationem debet eſſe illius generis, cujus fuit Pœoiteutia Nioivitarum, quam iu exem-
D plum proponir Tridentinum; Sed illa habuit conjunctum amorem Dei ſimplicis benevoleotiæ, nam -- Vidit Deus opera eorum
„ quia converſi ſunt de via ſua mala &c.
„ Deos porrò nullam rationem habet ope-
„ rum in ordine ad juſtificatiooem, niſi pro-
„ ecdant ea fide, quæ per dilectionem ope-
„ ratur -- Ut enim air S. Auguſt. *Ser.* 138.
aliàs 50. *de verbis Domini cap.* 2. -- Adde
„ charitatem, proſunt omoia; detrahe cha-
„ ritatem, nibil proſunt cætera -- Ità Natalis.

Niuivitarum exemplum proot a Concilio productum noſtrum eſſe elarè infrà
E oſtendemus; Nunc nobis ſufficit, argumentum iſtud eſſe contrà doctrinam Concilii *Seſſ. 6. Can.* 8. ubi canonicè ſtabilit. -- Gra-
„ tis autem juſtificari ideò dicamur, quia
„ nibil eorum, quæ juſtificationem præce-
„ dunt, ſive fides, ſive opera ipſam ju-
„ ſtificationis gratiam promeretur: ſi enim
„ gratia eſt, jam non ex operibus: alio-
„ quin, ùt idem Apoſtolus inquit, gratia
„ jam non eſt gratia -- Argumentum autem
petit opera meritoria, quia petit opera facta per fidem, quæ per dilectionem operatur, hæc autem eſt fides, quæ facit hominem membrum vivom Chriſti; hæc enim fides,

eſt

est fides non mortua, sed formata.

Petit opera, quæ proveniant ea aa charitata, quam ibi Augustinus intendit; Augustinus autem avidentissimè loquitur de charitate perfecta, & habituali. Loquitur de ea, qua veri Martyres moriuntur: de ea, qua Petrus tertiò interrogatus a Christo, *amas me?* rasponditi, *tu scis, quia amo te*. De ea loquitur, quam Christus habuit, quandò normam Prælatarum eaemplo suo docuit, dicens, *Ego sum Pastor bonus*. De ea loquitur, de qua Paulus 1. Cor. 13. *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest*, qui locus incontrovertibiliter est de charitate habituali; Augustinus ergo de charitate fundante meritum agit, ac per consequens vi argumenti exigerentur opera meritoria ante justificationem, quod nemo Catholicus dicet.

Igitur in Ninivitarum pœnitentia duæ sunt partes, prima est dispositionis, alia consummationis; Pœnitentia dispositionis est illa, quam egerunt terroribus plenam, hoc est per simplicem attritionem; Consummationis est contritio ea motivo dilectionis Dei super omnia, qua posita Deus largitus est gratiam justificationis. Nobis autem pro nunc sufficit attritionem simplicem esse dispositionem sufficientem ea propriis; quomodo autem perducat ad consummationem dicemus suo loco.

106 OB. V. Actus disponens ad justificationem non debet esse inimicus justitiæ; Sed attritio aa simplici motivo pœnæ est inimica justitiæ, juxtà regulam D. Augustini, inimicus est justitiæ, qui pœnæ timore non peccat: ergo debat ei admisceri saltem amor Dei simplicis complacentiæ, ut constituatur non inimica justitiæ.

Attritio Christiana, quam nos docemus, est regolata per fidem, est innixa timori, quem habendum præcepit Christus, ast definita ab Ecclesia ùt actus supernaturalis bonus, ac honestus, ac per consequens nequit esse inimica justitiæ. Motus Spiritus Sancti, ejusque donum, qui peccata expellit, quæ veri hostes justitiæ sunt, justitiæ inimicus quomodo esse potest? non omnis creaturæ, suique amor inordinatus est, nec omnis timor pœnæ. Inordinatus est timor, de quo loquitur Augustinus, quia mondanus, quia serviliter agens, hoc est positivè constituans finem ultimum in creatura: & hic inimicus est justitiæ. Aliud est timorem pœnæ non inniti proximè motivo justitiæ; aliud est timorem esse inimicum justitiæ: aliud est servum non esse filium, aliud est servum esse inimicum filii. Primum verum est, secundum est falsum: & si quandoque ità non ast, conditio est timentium, & servientium, non timoris.

Timor pœnæ non semper inordinatus.

ARTICULUS TERTIUS.

AN ATTRITIO EX INCHOATO AMORE DEI SUPER OMNIA INFERAT JUSTIFICATIONEM ANTE ACTUALEM SUSCEPTIONEM SACRAMENTI PŒNITENTIÆ.

107 TAngit Articulus fundamentale principium principalis controversiæ, ad quam totum tractatum dirigimus, quod & Adversarii fatentur, & ob hoc conantur totis viribus illud evertere. Quia sumus in materia gravissima, a qua salus æterna dependet, sunt explicandi clarè, & practicè termini. Jam nobiscum plerique conveniunt non sufficere ad attritionem Christianam amorem Dei inchoatum, qui dicitur simplex complacentiæ inefficax, de qua breviter in præcedenti Articulo, quibus auctoritatem addimus hic Theologiæ Sanctorum, & Gasparis Juenin in suo Historico Dogmatico de Sacramentis, qui sunt duo professi impugnatores simplicis attritionis, & hoc, ut viam præparemus successivè ad aperiendum statum quæstionis.

Theologia Sanctorum *cap. 86. de usu Sacramenti Pœnitentiæ n.* 1029. habet — Secunda ratio, qua prior confirmatur est, quia complacentia Dei, ipsiusque propter se amor in millenis hominum myriadibus invenitur absque ea perfectione, quam ad charitatem perfectam Scriptura, Patresque requirunt, & absq efficaci proposito super omnia non peccandi, insernumque potiùs, quàm peccatum incurrendi, quod ad contritionem perfectam ipsi quoque Adversarii supra n. 1026. postulant; ùt enim Gobat advertit Theolog. experimentali *de Sacram. tract. 6. num.* 93. Millenæ hominum myriades sunt, serium habentes affectum amoris complacentiæ ergà Deum, interim hærentes in luto peccatorum destituti, vel ipso proposito efficaci illinc eluctandi. Amor namque ille hisce exprimitur verbis: gaudeo Deum esse infinitè bonum, & perfectum. Utinam totus Mundus ad Deum, Christique fidem converteretur &c.? Myriades verò hominum eo affectu in Deum feruntur, & seriò feruntur, qui hujusmodi verbis exprimitur, dicto interim efficaci proposito destituti &c.

Secundus, idest Juenin *cap. 2. art.* 1. *tom.* 2. a. 2. habet — Cavere debet impius ea velleitates, seu inefficacia conversionis desideria accipiat pro integra conversione: velleitates hujusmodi cum affectu ad peccatum mortale sæpiùs in hominis corde reperiuntur, ùt suo exemplo hisce verbis docet August. *lib. 8. Confess cap.* 5. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippè ex voluntate perversa facta est libido, & dùm servitur libidini facta est consuetudo, & dùm consuetudini non resistitur, facta est necessitas. In eo verò statu S. Doctor asserit se velleitates illas exper-

„ tum fuisse ; voluntas autem nova , quæ „ mihi esse cœperat , ut te gratis colerem, „ fruique te vellem , Dei sola certa jucunditas nondum erat idonea ad superandam priorem vetustate roboratam -- Exclusa benevolentia inefficaci, ad dilectionem perfectam fit recursus .

Dilectio perfecta dupliciter dicitur . Primò extensivè , secundò extensivè , & intensivè. Extensivè perfecta est charitas, quando ità diligitur Deus, ut præferatur omnibus bonis creatis , sitque vi illius homo paratus ad deserenda omnia bona creata, & toleranda omnia mala potiùs, quàm Deum derelinquere, & peccatum lethale admittere adversùs ipsum . Hic actus , & affectus prælationis Dei omnibus creatis dicitur amor Dei benevolus super omnia : Amor appretiativè major : Amor objective summus: Amor Dei efficax quoad substantiam acceptus .

Extensivè, & intensivè perfecta est charitas, quandò affectus ille prælationis toto conatu , vel simpliciter , vel secundùm omnes vires gratiæ fertur in Deum ; ex quo fortis taliter efficitur , ut valeat hìc , & nunc effectivè sustinere omnes cruciatus, etiam mortem pro Deo ; ità roboratus , ut se solo valeat excludere omnem parvam cupiditatem absque adminiculo timoris servilis, quod non potest facere , (ut Adversarii prætendunt ,) charitas primo modo tantùm perfecta ; proindè postulat radicationem magnam in subjecto.

Amor Dei extensivè, & appretiativè, & objectivè tantùm summus , & super omnia dicitur ab ipsis imperfectus initialis, inchoatus, quia caret summitate intensionis, & compatitur mixtionem timoris servilis . Hunc gradum amoris requirunt in dolore detestativo peccatorum necessariò , & dispositivo ad justificationem Sacramentalem , contenduntque totis viribus nullum odium peccati sufficiens esse , nisi oriatur, vel comitem habeat amorem hunc benevolum super omnia.

Dolorem peccatorum ex isto amore , vocant contritionem imperfectam , & attritionem : voluntque in hoc sensu de attritione locutos Doctores antiquos : affirmant omnes Scripturas , & Patres commendantes timorem deservire, & præparare ad justificationem, semper intellexisse cum conjunctione hujusmodi dilectionis super omnia. Quamvis hæc sit summa sincera horum terminorum , quorum notitia est apprimè necessaria ; placet nihilominùs unius , vel alterius ex Adversariis verba referre abundantioris doctrinæ causa ; & ne videamur diversam doctrinam imponere clarissimis Doctoribus.

Laurentius Neessen *Tract. 5. de virtute Pœnit. dub.* 12. *tom.* 2. probans necessitatem amoris Dei super omnia ad contritionem imperfectam, quam passim veterem attritionem vocat, habet -- Quod autem amor ille „ debeat esse super omnia probatur , quia „ cùm peccator per peccatum mortale se „ totaliter convertat ad creaturam in tantùm, „ ut illam præponat Creatori, quippe in illa „ collocans finem suum ultimum , non po„ test illa aversio a Deo tolli , nisi per ta„ lem actum conversionis ad Deum , quo „ Creatorem præponat creaturæ , quæ est „ actus amoris Dei super omnia --

Et *dub.* 7. *n.* 2. distinctiùs habet -- Præ„ notare oportet, dolorem dupliciter appel„ lari summum , scilicet intensivè , & ap„ pretiativè proportionaliter ad amorem, ex „ quo oritur. Amor intensivè summus est ille, „ qui a voluntate elicitur maximo, quo potest „ conatu ; idque vel absolutè , vel prout „ est adjuta divina gratia . Amor verò ap„ pretiativè summus est ille , quo aliquid „ amamus tanquam summum bonum , plus „ illud æstimantes, quàm omnia alia bona, „ ità scilicet , ut mallemus quodvis aliud „ bonum amittere, quàm illud : & hac ra„ tione Deus est a nobis appretiativè sum„ mè diligendus . Quæ distinctio propor„ tionaliter venit applicanda dolori : nimi„ rùm , ut ille appellandus sit intensivè „ summus , qui intensivè tantus est, ut am„ pliùs augeri non possit : ille verò sit ap„ pretiativè summus , qui est de re tanquam „ summo malo : ità scilicet, ut mallet quis „ quodlibet aliud malum pati , quàm illud „ subire . Et ea propter , sicuti amor ap„ pretiativè summus tendit in objectum , „ quatenùs est summum bonum , ità dolor „ appretiativè summus fugit , & detestatur „ objectum tanquam summum malum : & „ hinc inter intensionem actus , & appre„ tiationem hæc est distinctio , quòd illa se „ tenet ex parte subjecti , & desumitur ex „ gradibus, quibus formæ intenduntur. Ap„ pretiatio verò desumitur ex parte objecti, „ quod judicio rationis appretiatur, seu æsti„ matur super omnia doloris, vel amoris ob„ jecta , quibus præsuppositis dico pri„ mo. Contritio debet esse dolor appretia„ tivè summus : hoc est debet esse de pec„ cato tanquam de summo malo : ità ut „ quis illud super omnia mala detestetur , „ & ità ut mallet quodvis bonum amittere, „ & quodvis malum pati, quam Deum mor„ taliter offendere -- Et hæc contritio sic deffinita illa est, quam appellat imperfectam, quam necessariam requirit ad justificationem in Sacramento , quamque appellare solent attritionem Clarissimi Adversarii .

Methesius *tom.* 2 *Summæ Christianæ dissert.* 4. *de Pœnitentia* frequenter meminit , & explicat inchoatam dilectionem necessariam ad justificationem in Sacramento per amorem Dei super omnia appretiativè, unum tantùm locum afferemus paulò etiam fusiorem, quia sufficit. Postquam conatus est ostendere pluribus necessitatem inchoatæ dilectionis Dei super omnia, ponit quædam consectaria, in quibus colligit suam doctrinam. Primo consectario ostendit timorem servilem esse bonum , sed meliorem si provehat pœnitentes ad amorem. Secundo declarat veram cordis conversionem ad valorem Sacramenti necessariam, Dei super omnia dilectionem exigere, quam inchoatam appellat. Tertio consectario firmat hanc propositionem -- illa „ pœnitentium dilectio , seu charitas debet „ esse saltem inchoata -- adductis paucis ex August. subdit non debere esse habitualem charitatem, deindè descendit explicare qualis esse debeat in hunc modum .

„ Affectus autem sinceri illius amoris „ in Deum in eo positus est, ut vel Catecha-

„ menus,

„ menus, vel pœnitens fidelis diligat Deum super omnia appretiativè, ut loquuntur Theologi non autem necessariò intensivè. Appretiativè quidem illum ipsum pluris faciendo, & majori in pretio habendo, quàm creata omnia qualicumque perfectione fuerint prædita, & quantumque nostros ad usus fuerint necessaria; objectivè autem ei desiderando, & plura, & majora bona, quàm cuilibet alteri, siquidem illi desior, & in iis complacendo, si adsint: non autem necessariò intensivè propter naturæ corruptelam a primi hominis flagitio derivatam, quæ hujusmodi est, ut aliquando intensiori, & ferventiori amore creaturas, quàm Creatorem ipsum diligamus; quamquàm in amore nihil Creatori præponamus, eumque super omnia diligamus, & ad perfectam ejus dilectionem tendamus; etiamsi neque adhùc pravis concupiscentiæ motibus, neque etiam quotidianis, levibus, ac venialibus delictis careamus. Pœnitentem igitur ad justificationem aspirantem, Deum velut omnis justitiæ fontem, & super omnia, & gratuitò diligere incipere necessè est. Nam Deus bifariam considerari potest, vel ùt summum bonum, vel ùt ultimus finis. Si ùt summum bonum spectetur (cùm bonum pro ratione bonitatis diligi oporteat) Deus ùt summum bonum, atque omnem bonitatem in se complexus, summo, & quanto maximo amore debet adamari. Si spectetur ùt ultimus finis, qui non refertur ad aliud, & ad quem cætera omnia referri necesse est, gratuito amore, & afficiendus, & colendus est. Hæc est enim vera, & privata ultimi finis dos, immò essentia, ut propter semetipsum, non propter aliud diligatur &c. —

„ Porrò Augustinus locis laudatis charitatem natam, seu inchoatam in duas quasi partes discecat. Primò enim natam, seù inchoatam charitatem appellat primam veluti charitatis scintillam, qua quis bonæ voluntatis initio donatus legi Dei secundùm interiorem hominem condelectari incipit. Secundò etiam inchoatam charitatem appellat primam illam dilectionem, qua quis Deum propter semetipsum, & super omnia, & proximum propter Deum veluti semetipsum diligit, non quoad vires, & effectum, sed tantùm quoad solum affectum: ità ut licet vel Catechumenus, vel Fidelis pœnitens nondum ardeat magna illa charitate, qua possit pro Christo animam suam ponere, si id persecutionis tempus, & occasio poposcerit, habeat tamen parvam, & imperfectam charitatem, per quam accedente Sacramento justificationis gratiam assequatur pœnitens; igitùr tunc Deum tanquam justitiæ fontem diligere incipit inchoatæ scilicet charitatis solo affectu cum divina mandata servare, & mortem potiùs oppetere, quàm ea violare statuit, & reverà iis obtemperat nisi ad ea perrumpenda graviori quapiam tentatione (ad quam propulsandum nondum idoneas habet vires) impulsus in peccatum ruat voluntarium —

Consectario quarto habet — Ex doctrina superiùs explanata sequitur quartò Catechumenus adultus cum inchoata illa charitate sanctificari per Baptismum, sicut & Pœnitentes Fideles cùm illa ipsa charitate per Pœnitentiæ Sacramentum consequi remissionem peccatorum, atque adeò justificari, & hæc est mens Concil. Trid. *Sess.* 14. cùm ait, contritio imperfecta quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit &c. — Hæc ille, a quo adhuc plura, & plura rescribere possemus.

Gaspar Juenin. centiès doctrinam hanc repetit. Aliquam propositionem subdamus. *Tom.* 2. *Commentarii Historici, & Dogmatici c.* 4. *de Contritionis divisione art.* 2. terminos explicans, & successivè conclusiones stabiliens habet — Charitas actualis, per quam contritio perficitur, vel est perfecta tum extensivè, tum intensivè; vel perfecta quidem extensivè, sed imperfecta intensivè, hoc est, charitas illa vel est Dei super omnia in gradu intenso, vel est Dei super omnia in gradu remisso. Contritionis actus, qui priore charitate informatur, absolutè dicitur contritio perfecta, qui verò informatur posteriore, seu qui præcipuè concipitur ex amore Dei, qui sit quidem super omnia, sed in gradu remisso, appellatur contritio imperfecta, ùt inferiùs suo loco dicetur —

„ Conclusio. Contritio imperfecta, licet ex inchoato Dei amore super omnia concepta sit, ordinariè hominem Deo non reconciliat priusquam Pœnitentiæ Sacramentum actu recipiatur &c. Scriptura docemur primò inchoatum Dei amorem super omnia, seu charitatem extensivè quidem perfectam, sed imperfectam intensivè ordinariè satis non fuisse in lege veteri, ut hominem Deo reconciliaret &c. Docemur secundò eumdem Dei amorem inchoatum super omnia ordinariè satis non esse in lege nova, ut impius extrà Sacramenta Baptismatis, aut Pœnitentiæ justificationem consequatur &c. — Suo posteà loco iterùm facta mentione charitatis perfectæ extensivè, sed imperfectæ intensivè, quærit, quænam sit necessaria in Sacramento, & statuit primam.

Sæpè recitata Theologia Sanctorum *tom.* 10. prout fert titulus; totus est in hac doctrina, & fusissimo labore illam stabilire conatur; nihilominùs unum, vel alterum locum producimus: *cap.* 83., in quo firmare nititur non omnem dilectionem Dei super omnia antè Sacramenti susceptionem justificare, inter alia habet — Sed antè lectorem monitum volo per dilectionem Dei super omnia, quam requirimus, a nobis non intelligi dilectionem super omnia effectu, sed super omnia affectu, quam Lovanienses ideò prædominantem vocant, quia cùm omnem peccandi mortaliter affectum excludere debeat, omni affectu peccandi mortaliter major, & fortior esse debet, atque præ omnibus aliis affectibus in corde dominari. Undè & in

„ isto termino amoris prædominantis usus „ est dudùm - S. Bonavant. 4. *Sent. dist.* 16. „ *art.* 2. *q.* 1., & *cap.*86. cui titulus. *Perfectæ* „ *contritionis ab imperfecta, seu attritione discri-* „ *men:* ait - Discrimen istud non esse pœnès „ motivum, quasi contritio perfecta, non „ imperfecta procedat ea motivo amoris „ Dei propter se, satis demonstrant argu- „ menta hactenùs deducta; quia demon- „ strant etiam imperfectam contritionem „ ea istu motivo procedere debere, ut cum „ Sacramento sufficiat. Neque ergo contri- „ tio imperfecta ideò perfecta est, quia ex „ amore illo procedit, etiamsi amor ille „ affectu sit super omnia, ùt demonstravi- „ mus --

Hæc satis pro recto sensu habendo ex nostris Clarissimis Adversariis, qui jam consoni sunt, ut pro contritione imperfecta, seu attritione exigant dolorem sincerum peccatorum exortum ex amore Dei super omnia appretiativè, seu extensivè, & hanc esse necessariam dispositionem pro Sacramento, & inferiorem nullatenùs sufficere. De hac ergo attritione ità descripta inquirimus in præsenti, an secum trahat justificationem antè actualem susceptionem Sacramenti cum voto tamen illius. Constanter sustinent negativam partem extrà articulum mortis Adversarii, Nos verò affirmativam.

Discrimen amoris, dilectionis, & charitatis. Antè cujus probationem brevissimè noto, hos terminos, amor, dilectio, & charitas, theologicè ità differre, ut amor dicat actum communem appetitui sensitivo, & intellectivo: dilectio dicat actum proprium solius appetitus intellectivi: Charitas dicat habitum; in præsenti tamen omnes hos terminos accipimus pro actu partis appetitivæ rationalis, adeòque indifferenter nunc uno, nunc alio utimur semper tamen in sensu explicato.

STATUITUR CONCLUSIO.

ATTRITIO, SEU CONTRITIO IMPERFECTA EX AMORE DEI SUPER OMNIA, ET SUMMO EXTENSIVE', LICET NON INTENSIVE', ANTE ACTUALEM SUSCEPTIONEM SACRAMENTI PERDUCIT AD JUSTIFICATIONEM, CUM VOTO ILLIUS.

§ I.

PRIMA PROBATIO AD HOMINEM EX SCRIPTURIS, QUIBUS UTUNTUR CLARISSIMI ADVERSARII NOSTRI ADVERSUM NOS.

108 PRima Scriptura, quam ferè omnes afferunt primò, est illa ex Deut. 6. v. 5. de mandato dilectionis, quod primum, & maximum esse Christus docuit. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua.* Matt. 22. 37. Marc. 12. 30. Lucæ 10. 27. Hoc præceptum volunt potissimè obligare Fideles, quando tenentur justificari: Quod negari non potest pro eo casu, in quo non adest copia Confessarii, cùm Ecclesia damnaverit propositionem hanc contentam *num.* 7. in Decreto Innoc. XI. --

Scriptura, quibus Adversantes utuntur probāi oppositum.

„ Tunc solùm obligat, quandò tenemur „ justificari, & non habemus aliam viam, „ qua justificari possumus -- Eo ergo tempore obligat, & præter illud in aliis temporibus, & quidem per se, propter doctrinam ejusdem Ecclesiæ damnantis eam propositionem contentam *n.* 1.

Decreto Alexandri VII -- Homo nullo „ unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere „ actum Fidei, Spei, & Charitatis ex vi „ Præceptorum Divinorum ad eas virtutes „ pertinentium -- Et non aliquandò tantùm, sed sæpè secundùm aliam doctrinam Ecclesiæ proscribentis propositionem *n.* 6. in Decreto Innoc. XI. -- Probabile est, ne singulis qui- „ dem rigorosè quinquenniis per se obligare „ præceptum Charitatis ergà Deum -- Adhuc frequentiùs obligare docuimus in nostris moralibus conferentiis, & a quo salutavi Theologiam certa momenta didici, & probant.

Mendax convincitur Jurius. Ex quo convincitur Mendacii Jurius Sectarius, qui in libro, cui titulus. *Præservativum contra mutationem Religionis* dicens, Ecclesiam tolerare docentes hominem adultum posse salvari, qui Deum tota vita sua non amaverit. Ex eodem principio falsa esse deprehenditur illatio, quàm idem Jurius deducit ex positione nostra de sufficientia simplicis attritionis sequi adultum posse salvari absque ullo actu amoris Dei, cùm toties obligare statuamus, & insuper nostra Schola constanter doceat obligare quemcumque puerum pervenientem ad usum rationis. Indeque pariter apparet calumniosè nos vocari inimicos divini amoris, qui eum sincerè, frequenter obligare volumus. His positis pro principio stabiliendo, sic discurrimus.

Impossibile est implere hoc præceptum, prout obligat pro justificatione consequenda, & justificationem non obtineri. Sed dilectio Dei super omnia solùm extensivè sufficit; hanc enim præcisè necessariam colligunt adversarii: & licet sciam ipsos addere, quandò justificamur medio Sacramento, tamen tenentur conficeri hoc gratis omninò dici ex vi hujus præcepti: tum quia textus nullam prorsùs indicat differentiam inter obligationem justificationis intrà, vel extrà Sacramentum: tum quia præceptum simpliciter dicit, *ex toto corde &c.* cur illud *ex toto corde* accipitur extensivè, & intensivè, ubi justificatio non fit cum actuali sumptione Sacramenti, & solùm extensivè, ubi præsens est Sacramentum? Dicant quæsò, ubi hoc discrimen innuunt verba præcepti hujus. Igitur si cohærenter loqui volunt, & non ad libitum distrahere Scripturam, tenentur dicere, vel requiri summitatem intensionis in Sacramento, vel neque requiri extra Sacramentum. Tum quia Ecclesia in recensitis propositionibus damnatis de eodem præcepto immutato dicit obligare in ordine ad justificationem, quandò non est alia via eam habendi, & aliquando obligare per se. Sed ubi obligat per se ei satisfit per dilectionem super omnia extensivè tantùm, quia modus intensionis non cadit sub præcepto, aliàs ejus omissio esset peccatum, ergo ei fit satis etiam quando urget

urget pro justificatione, adeòque perducit ad justificationem: supponitur enim nullam aliam esse viam justificandi pro tunc.

Sed urgentissimè id evincitur assumendo formam probationis, qua applicant præceptum istud. Assumo verba Marbesii, cui consonantur alii loquuntur *dissertat. 4. de Pœnit. q. 8.* habet — Nam homo per peccatum „ avertitur a Creatore, convertitur ad creaturam, quam infandis amoribus Creatori „ anteponit. Ergo si volt, sicut oportet, ad „ Creatorem regredi, necessè est, ut primùm proposita damnationis pœna per divinam Charitatem creaturæ Creatorem „ anteponat, eumque in omnibus, & super „ omnia diligat — Dilectione inchoata, idest appretiativa, & super omnia extensivè, ut concludunt.

Nunc sic. Per hunc amorem tollitur aversio, & conversio, quam peccatum induxit, & ponitur aversio, & conversio contraria, sed aversio, & conversio posita per peccatum secundùm suam substantiam acceptam, hoc est appretiativè, inducit privationem gratiæ justificantis. Ergo per contrariam aversionem, & conversionem positam per charitatem appretiativam poni debet gratia justificans; est enim inintelligibile, quod charitas appretiativè tantùm summa tollat aversionem, & conversionem quam facit amor mundi, & non inducat formam oppositam, seu non tollat privationem a peccato inductam. Certè intellectus non capit, quod amor sui appretiativè tantùm summus, & non nisi interpretativè præponens creaturam Creatori inducat privationem justitiæ, & amor Dei appretiativus, & directè, & ex intentione præponens Deum creaturæ non tollat illam privationem inducendo formam oppositam. Hoc est ponere opus naturæ esse efficacius, quàm opus gratiæ contrà Scripturas, contrà lumen rationis, contrà D. Th. sæpè inculcantem opera Dei esse fortiora operibus naturæ; ut idem S. Doctor docet in simili 3. *p. q.* 86., & *de Sacramentis* 27. *art.* 3.

Conversio appretiativa charitatis debet habere gratiam.

Ulteriùs derogat perfectioni misericordiæ, & æquitatis Dei; scriptum enim est Deut. 32. 4. *Dei perfecta sunt opera, & omnes viæ ejus judicia: Deus fidelis, & absque ulla iniquitate, justus, & rectus.* Hoc opus dilectionis super omnia est opus Dei, quomodò perfectum est, si non facit illud, quod facit opus hominis illi oppositum? Et quomodò Deus est rectus, & justus, si posita dilectione creaturæ tantùm appretiativè summa, & hoc etiam interpretativè præcisè, auferat justitiam, & posita æquali dilectione Dei, & revocatione illius primæ dilectionis, non reddat eamdem justitiam? Diligenti Deum super omnia promittit Deus vitam, Deutar. 30. *Ut diligas Dominum Deum tuum in toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis vivere.* Alia litera habet. *Ipse enim est vita tua.* Undè dicebat Augustinus — Sicut anima est „ vita corporis, ità Deus est vita animæ — Ubi autem est vita divina, non habet locum peccati mors.

Accipit robur hæc illatio ex eo, quòd ità amanti Deum promittit ibi Deus vitam, & remissionem peccatorum, sicut adoratori Idolorum comminatur mortem, ut habetur vers. 17. *Si autem aversum fuerit cor tuum, & audire nolueris, atque errore deceptus adoraveris Deos alienos, & servieris eis, prædico tibi hodiè, quod pereas.* Totum illud caput tendit ad stabiliendas duas istas promissiones, undè vers. 15. dicitur. *Considera, quod hodiè proposuerim in conspectu tuo vitam, & bonum, & è contrario mortem, & malum;* Atqui per quodcumque peccatum Idololatriæ minimæ intensionis, & per electionem cujuscumque mali lethalis, mors æterna incurritur. Ergo per quamcumque veram dilectionem super omnia non intensam obtinetur vita æterna, quæ est per gratiam justificantem.

109 Secunda Scriptura, quam communiter adducunt, est illa Ezechielis 18. 31. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israel? quia nolo mortem morientis dicit Deus, revertimini, & vivite.* Pœnitenti promittit hic Deus peccatorum remissionem, & justificationem: quod item patet ex vers. antecedenti. *Agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris: & non erit vobis in ruinam iniquitas.* Dicunt hic Adversarii jubet Deus Populum suum recedere a peccatis, & facere sibi cor novum, idest reverti ad Deum suum per sanctam charitatem, a qua desciverat per nefariam cupiditatem; undè colligunt hic præcipi amorem Dei super omnia appretiativè, & non colligunt necessitatem amoris super omnia etiam intensivè.

Nunc sic. Adimplenti hoc præceptum promittit Deus infallibiliter justificationem; Sed per solam charitatem appretiativè summam per ipsos adimpletur hoc præceptum. Ergo posita sola charitate solùm appretiativè summa ponitur justificatio. Charitas verò hæc includit votum adimplendi totam legem, adeòq. etiam legem confessionis; ergo actualis susceptio Sacramenti ex vi hujus præcepti non requiritur, sed sufficit, quod suo tempore recipiatur.

Charitas appretiativè summa justificat.

Independenter ab actuali susceptione Sacramenti textum loqui evidens est, quia loquitur ad Populum non obligatum legi Confessionis Sacramentalis. Quod etiam non requirat textus de necessitate nisi summam appretiationem, planum est ex verbis ipsis. Projicere iniquitates est præponere Deum creaturis malè dilectis, sicut projicere Deum post tergum nostrum, est creaturam præponere Deo. Hoc autem est ipsamet ratio appretiationis summæ. Illa omnia verba *projicite, facite, revertimini, agite pœnitentiam, vivite*, nullam prorsùs insinuant summam intensionem, sed præcisè veracem appretiationem: indefinitæ locutiones sunt, absolutæ sunt, gradualitatem subjectivam nullo modo indicant, sed oppositam.

Illud *revertimini* est per analogiam ad corporalia; in his autem, qui revertitur, recedit a termino ad quem accesserat, v. g. Peregrinus Româ pergens in Patriam suam, veraciter revertitur, etiamsi non velociter ambulet; si tarvarà, & seriò ambulet: ità in sensu spirituali, si seriò, si veraciter derelinquet creaturam, & si non sam-

summo, vel magno conatu intensivo, reverà revertitur; adeòque adimplet promissionem, cui est alligata justificatio.

Pressiùs demonstremus ex hoc capite positionem nostram. Duplex promissio habetur facta Populo Israelis ibi una condonationis, altera condemnationis, utraque iisdem verbis concepta. Vers. 21. dicitur. *Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium, & justitiam: vita vivet, & non morietur. Omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor: in justitia sua, quam operatus est, vivet.* Hic continetur promissio remissionis. Vers. 24. dicitur. *Si autem averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem secundùm omnes abominationes, quas operari solet impius, numquid vivet? omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non recordabuntur: in prævaricatione, qua prævaricatus est, & in peccato suo, quod peccavit, in ipsis morietur.* Hic continetur promissio punitionis.

Dicentibus Israelitis hanc viam æquam non esse, reassumit Dominus. *Cùm enim averterit justus se a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in justitia quam operatus est, morietur. Et cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit justitiam, & judicium: ipse animam suam vivificabit.* Hæc comparatio impii pœnitentis, & justi prævaricantis necessariò ad minùs debet tenere in essentiali conceptu analogiæ, & in primario sensu proportionis, qui est pœnitere, & peccare: mori spiritualiter, & revivere spiritualiter. In his promissionibus ad minùs concedendus est Deus æquè misericors, ac justus.

Nunc sic. Justo peccanti peccato lethali summo præcisè extensivè, & sub gradu remisso aufert Deus vitam spiritualem, & ille moritur spiritualiter. Ergo impio revertenti reversione summa præcisè extensivè, & sub gradu remisso, dat Deus vitam spiritualem, & ille vivit spiritualiter. Non est hic modus declinandi ad dexteram, vel ad sinistram. Justus est Deus, dùm morte spirituali punit peccatum summum malum solùm appretiativè, ut æqualiter misericors sit, vitam spiritualem donare eum oportet pœnitenti conversione summa tantùm appretiativè. Ni hoc concludatur, concludi necesse est Deum magis velle mortem impii, quàm vitam, contrà illud, quod ibidem dicitur num. 23. *Numquid voluntatis meæ est mors impii dicit Deus, & non ut convertatur a viis suis, & vivat.*

Arguit D. Thomas ante actualem susceptionem Sacramenti per virtutem pœnitentiæ remissionem ex eo, quòd in lege veteri dabatur per eandem remissio, *quæst. 27. de Sacramentis, aliàs 86. art. 6. arg. sed contrà*: si ergo tunc per pœnitentiam, per charitatem summam solùm extensivè justificatio dabatur, ut evincit textus; sufficiet eadem in nova lege antè actualem sumptionem Sacramenti.

Tertia Scriptura communis apud Adversarios est illa Joelis 2. 12. illis verbis comprehensa. *Nunc ergo dicit Dominus: convertimini ad me in toto corde vestro in jejunio, & in fletu, & in planctu, & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra, & convertimini ad Dominum Deum vestrum, quia benignus, & misericors est, patiens, & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia.* Dicunt locum hunc applicari ad tempus pœnitentiæ, ut constat illo verbo *convertimini*, quod jam conversis non est applicabile. Dicunt hoc præceptum enunciari iisdem verbis, quibus enunciatur maximum mandatum charitatis; & indè inferunt — Ergo necessariò vera, & sincera „ cordis ad Deum conversio summam Dei „ dilectionem saltem inchoatam flagitat, „ neque pœnitentia ulla esse potest coram „ Deo, quin Divinæ Charitatis igne ferveat — Verba sunt Merbesii.

Nunc sic. Pœnitenti secundùm essentialia, & quæ de necessitate præscribit hæc Scriptura, promittit Deus justificationem, ut textus suadet, & Patrum interpretatio explicat. Sed loquitur de justificatione habenda absque actuali susceptione Sacramenti, cùm directè, & per se primò dirigatur ad Populum Israelis non obligatum Sacramentali pœnitentiæ: aliundè Adversarii ad pœnitentiam deducunt ex hoc loco sufficere dilectionem inchoatam super omnia. Ergo hac posita confertur justificatio absque actuali susceptione Sacramenti: pœnitentia enim sufficiens pro lege veteri ad justificandum, sufficit in nova cum solo voto Sacramenti, quod necessariò requiritur propter propositum de tota lege adimplenda.

Pœnitentia sufficiens in lege veteri sufficit in nova, si votum Sacramenti addatur.

Præceptum contentum in hac Scriptura de modo pœnitentiæ, vel accipitur, ut verba sonant, vel ad mentem Scripturæ: si primum dicatur; nemo justificabitur, qui non habuerit conversionem cum jejunio, & fletu, & planctu, quod tamen apertè Ecclesia non exigit; nec est in potestate hominum secundùm vires gratiæ, quam Deus concedit communi providentia Ecclesiæ. Si secundum. Petimus. Sensus Scripturæ, vel est de conversione in toto corde, totalitate appretiativa tantùm; vel de appretiativa, & intensiva. Si primùm dicatur, habemus intentum, quod per pœnitentiam media charitate appretiativè summa justificetur peccator cum solo voto Confessionis auricularis. Si secundum concedatur; ergo malè inferunt sufficere charitatem inchoatam. Quòd si textum velint explicare per accommodam distributionem: ità quod totalitas appretiativa sufficiat cùm Sacramento actuali; utraque autem extrà Sacramentum, doceant nos, ex quo verbo contextus colligant hujusmodi partitionem.

Deindè doceant nos quomodò Sacramentum suppleat, & æquivaleat lineæ intensivæ, & non æquivaleat lineæ appretiativæ; cùm illud, *in toto corde*, utramque lineam comprehendat; & cùm Sacramentum, & substantiam justificationis, & intensionem respiciat. Dicunt ipsi: Ex vi textus istius in Sacramento requiritur summa appretiativa ipso supplente, quod aliter requiritur de linea intensiva; Dicimus & nos: In Sacramento non requiritur neque totalitas charitatis appretiativa supplente ipso, quòd aliàs requiritur in extrasacramentali justificatione. Dicimus & nos; illud, *convertimini in toto corde*, stat de conversione vitali, & dispositiva a timore Dei æternaliter punientis orta,

quæ

quæ complerur adveniente Sacramento : & congruentiùs ad textum de timore explicetur, quia præcedentibus versiculis terribilia judicii ultimi proponuntur . Cæterùm textus per se , & quoad necessarie agit de sola totalitate appretiationis , quod indicat insuper dictio illa , *scindite corda vestra* . Scissio importat separationem unius partis ab alia, sicut apparet in exemplo vestimenti ibi adducti : separatur autem cor ab externo creaturarum, quandò illis præfertur Deus , qui iisdem prius erat postpositus , quod pertinet ad appretiationem , cùm ergo Deus ibi remissionem peccatorum promittat extrasacramentalem Hebræorum populo, colligitur satis clarè ad eam sufficere pœnitentiam ex amore Dei summo extensivè tantùm .

Quarta Scriptura habetur Jerem. 29. 13. illis . *Quæretis me , & invenietis : cùm quæsieritis me in toto corde vestro ; & inveniar a vobis, ait Dominus* . Cui consimilis illa . *Et reversi fuerint ad te in universo corde suo , & tota anima sua &c. & propitiaberis populo tuo , qui peccavit tibi* . Ubi Adversarii subsumunt ― Atqui ex toto corde ad Deum non convertitur , qui Deum non amat ― Ergo ad veram conversionem necessarius est amor Dei super omnia extensivè .

Et nos subsumimus . Qui Deum amat super omnia extensivè convertitur ad Deum ex toto corde ex ipsis ; Sed Deus promittit clarissimè in his Scripturis remissionem peccatorum convertentibus se ad ipsum ex toto corde. Ergo per pœnitentiam conceptam cùm amore Dei super omnia tantùm extensivè confertur justificatio . Certum est , quod his locis alloquitur Scriptura primariò existentes sub lege veteri Sacramentali pœnitentiæ minimè alligatos , & in illis Fideles novæ legis . Certùm est, quod in illa voce *in toto corde* exprimitur seria conversio . Ex toto corde, hoc est in veritate, hoc est sincerè , hoc est seriò . Qui autem dolet de suis peccatis cum affectu efficaci præferentiæ Dei super omnia , seriò convertitur , adeòque adimplet consilium inclusum in illis promissionibus , & perconsequens justificatur cum solo voto Sacramenti , quod necessariò includitur in proposito adimplendi totam legem , quod etiam requirebatur in conversione apud Patres legis veteris, sicut constat ex conditionalibus, quæ sæpè repetuntur , *si custodierint mandata* .

Quinta Scriptura habetur Zachariæ 1. 3. *Et dices ad eos : hæc dicit Dominus exercituum , convertimini ad me , ait Dominus exercituum : & convertar ad vos, dicit Dominus exercituum* . Ex quo , dicunt Adversarii , colligitur Deum in pœnitentibus exigere sincerum sui amorem , pollicetur enim sese iri conversum ad conversos ad se , ità quod carens amore non possit esse conversus taliter, ut Deus ad ipsum convertatur ― Num quid „ est , amabo , Deum converti ad crea„ turam , nisi Deum diligere creaturam ? „ Atqui licèt ipse prior diligat nos , nun„ quam tamen propriè loquendo convertitur „ ad nos , & diligit , ut filios , nisi sincc„ rum sui amorem ipse nostris pectoribus „ infuderit ― Concludit Merbesius , cùm quo alii .

Nunc nos sic. In hac Scripturæ promittitur conversio Dei ad creaturam conversam, qua Deus eam diligit ùt filiam . Sed nunquam Deus hominem diligit ùt filium , nisi interveniat justificatio . Ergo hic promittitur conversio justificativa; Atqui promittitur homini converso per sincerum amorem Dei super omnia extensivè; hunc enim solùm necessarium colligunt Adversarii ; ergo posita pœnitentia per eum amorem , quem inchoatum proclamant, habetur justificatio .

Hùc adducunt illud Prov. 8. 17. *Ego diligentes me diligo* . Quo inferunt in nobis dilectionem pro conditione requiri, ut diligamur ab ipso Deo . Verùm hoc mirè deservit, ut justificari dicatur homo antè actualem Sacramenti receptionem , & quidem jure meritò , nam non loquitur Scriptura hic de eo amore Dei ad nos , de quo Jo. 3. *Ipse prior dilexit nos* . Iste enim prior amor Dei est collativus auxiliorum , quibus homo indiget ad Fidem , Spem , & Charitatem ; Sed loquitur expressè de dilectione, quæ supponit homines amantes ; ac perconsequens loquitur de amore , qui est redamativus ; Sed ubi est charitas cùm redamatione , ibi est vera amicitia Dei, adeòque vera justificatio, ùt pulchrè docet D.Th. 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. ― „ Sed nec benevolentia sufficit ad rationem „ amicitiæ , sed requiritur quædam mutua „ amatio &c. undè manifestum est , quod „ charitas amicitia quædam est hominis ad „ Deum . 1. 2. *q.* 65. *art.* 5. Charitas non „ solùm significat amorem Dei , sed etiam „ amicitiam quandam ad ipsum , quæ qui„ dem super amorem addit mutuam rede„ mationem cùm quadam communicatione „ mutua ùt dicitur in 8. *Ethic.* Et in *arg.* , *Sed contrà* habet Apostolus *ad Hebr.* 11. dicit , „ sine fide impossibile est placere Deo , „ quod maximè pertinet ad charitatem , ùt „ patet secundùm illud *Prov.* 8. Ego dili„ ligentes me diligo ― Intelligitur itaque iste locus de dilectione, qua Deo placemus ; placere autem nequit homo Deo sine gratia justificante . In quo texto illud etiam est advertendum , quod simpliciter , & absolutè dicitur *diligentes*, quia non est necessaria dilectio summa intensivè .

§. II.

OSTENDITUR EADEM POSITIO SCRIPTURIS NOVI TESTAMENTI .

109 PRimus locus , quem omnes clarissimi Adversarii producunt ex novo Testamento , ut stabiliant necessitatem amoris Dei super omnia extensivè , desumitur ex 14 cap. Joan. v. 23. ubi . *Si quis diligit me sermonem meum servabit , & Pater meus diliget eum , & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus* . Ex quo sic ratiocinantur ; nemo recipit gratiam per Sacramentum, nisi a Deo diligatur . Nemo itaque justificatur etiam in Sacramento, nisi diligat Deum .

Nos sic regerimus ratiocinium ipsorum multò conformiùs ad Textum . Amor hominis ad Deum, de quo Textus, trahit infallibiliter

biliter justificationem, trahit enim redamationem Patris ad hominem descendentis cùm tota Trinitate, & in eo manentis: qui descensus, quæ inhabitatio nova est, nisi per novum modum essendi, idest per gratiam, ùt optimè ibidem explicat S.Thomas. Sed ut verificetur hominem Deum diligere modò quo exigitur a Textu, per Adversarios sufficit amor appretiativè super omnia. Ergò iste se solo absque actuali sumptione Sacramenti infert justificationem. Quod Textus loquatur de amore solùm appretiativè, quantùm ad necessitatem, patet quia Textus indefinitè, & absolutè dicit *diligit*, absolutè autem diligit Deum, qui in affectu eum præfert omni creaturæ; intensio enim dilectionis non constituit simpliciter diligentem, sed magis diligentem.

Quod loquatur independenter ab actuali sumptione Sacramenti patet, tum quia nondùm erat institutum: tum quia nulla mentio expressa: tum quia solùm in voto exigitur in proposito observandi legem inclusa in illis verbis *sermonem meum servabit*: Idest proponit seriò servaturum mandata, quandò occurrerint; non enim in actu omnia possunt occurrere; nec ipsum præceptum Sacramenti Pœnitentiæ semper obligat peccatores in actu, licèt in voto: tum potissimè, quia ibi intendit Christus declarare naturam dilectionis, quæ ex suis intrinsecis habet generare amicitiam; undè Dei dilectio habet ex suo, ut trahat justificationem; quia tamen non est sincera, si desit voluntas servandi suo tempore mandata, ideò annexum habet votum confessionis auricularis.

Secundus locus est Matth. 10. 37. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me, non est me dignus: & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus.* Ex quo sic arguunt. Qui justificatur, est Deo dignus; Sed qui non amat Deum plusquam alia, non est Deo dignus: ergo requiritur ad justificationem amor Dei.

Justificatus est Deo dignus.

Nos sic instamus. Qui est Deo dignus justificatus est; Sed qui diligit Deum super omnia solùm appretiativè, est Deo dignus ex vi hujus amoris. Ergo amor Dei appretiativus separatus ab actuali sumptione Sacramenti infert justificationem. Quod loquatur de amore solùm appretiativè, ipsemet sensus verborum exprimit sine glossa: undè ibi habet S. Thomas — Hortatur Dominus,
„ ut omni amori carnali præponatur — Et hæc præpositio est nota essentialis appretiativæ dilectionis: & quod non comprehendat lineam intensionis, constat insuper ex eo, quod exemplificat in iis rebus, quas justi solent intensissimè diligere absque detrimento amicitiæ Dei.

Tertius locus est 1. ad Corinth. 13. 3. *Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas: & si tradidero corpus meum, itàut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Ex hoc loco vexillum triumphi erigunt, quia apertè Apostolus affirmat excellentissima quæque dona nihil valere sine charitate, ac proindè neq. ipsa Sacramenta. Et sermonem esse de actuali charitate demonstrant antecedentia, quæ sunt de actibus, *& si linguis Angelorum loquar, & si fidem habuero, ita ut montes transferam.* Demonstrant subsequentia, quæ sunt de actibus, *charitas patiens est, benigna est &c.*

Videamus, cujus sit triumphus, præmissis quibusdam propositionibus. Prima est, quam nobis dant clarissimi Adversarii, loqui videlicet Apostolum de charitate actuali. Secunda est, quam nobis exponunt iidem, scilicet loqui Apostolum de charitate ad minùs super omnia appretiativè, & hanc necessariam ad justificationem. Tertia est, quàm dat textus, nempè loqui Apostolum de charitate independenter, seu præcisivè ab actuali sumptione Sacramenti; quod evidens est, tum quia loquitur de charitate secundùm se, quam excellentiorem viam prædicat in cap. antecedenti, ejusque prærogativas, & dignitatem explicat ex propriis sibi intrinsecis: tum quia de ea loquitur, prout infert exercitium multiplicis virtutis, & præcepti, quæ non semper in actu occurrunt, sed statutis temporibus; undè legem Sacramenti includit non ùt actualiter adimplendam, sed suo loco, & tempore juxtà naturam mandati affirmativi, tum quia loquitur de charitate, quæ perseverat in patria, ùt manifestum est ex illis. *Charitas numquam excidit.* Hæc autem omninò præscindit ab actuali sumptione Sacramenti; & reverà quomodocumque Textus detorqueatur, nullus est modus indicandi hic agi de charitate alligata actuali receptioni Sacramenti.

Quarta propositio est loqui Apostolum de actuali charitate cum habituali, & gratia sanctificante, propter quod D. Thomas accedens ad Commentarium hujus Textus præmittit -- Hìc agit de charitate, quæ in-
„ separabiliter concomitatur gratiam gratum
„ facientem -- Et evincitur evidentissimè, tum quia agit de ea charitate, ex cujus carentia homo non habet esse supernaturale, quod tribuitur a gratia sanctificante -- Charitatem
„ autem non habuero, nihil sum; scilicet
„ secundùm esse gratiæ -- subdit D. Thom. tum quia agit de charitate influente in meritum, quod nullo modo datur, nisi detur gratia sanctificans, quæ est principium meriti -- Charitatem autem non habue-
„ ro, nihil mihi prodest, scilicet quantum
„ ad meritum vitæ æternæ -- Ait idem S. Th. tum quia agit de charitate, quæ perseverat in Patria, quæ sola est, quam gratia sanctificans radicat — Charitas nunquam ex-
„ cidit, quia scilicet sicut est in statu viæ,
„ ita permanebit in statu patriæ, & cum
„ augmento -- Idem S. Thom. tum quia agit de charitate, qua posita homo habet esse constitutum in ordine supernaturali, sicùt per animam constituitur parvulus in esse hominis in ordine naturali, forma autem ordinis supernaturalis correspondens animæ in naturalibus, est gratia sanctificans. Tum quia agit de charitate, quæ habet constanter exercere, vel imperare mirabiles virtutum actus ibi descriptos, quos non potest exequi charitas sine gratia sanctificante, quæ est permanens: actualis enim charitas transit. Nunc sic discurrimus.

Charitas sine gratia sanctificante nulla est.

Charitas, de qua hìc Paulus, est charitas actualis præscindens ab actuali sumptione Sacramenti. Sed charitas, de qua hìc Paulus

indi-

indispensabiliter secum habet gratiam gratam facientem . Ergo charitas actualis , de qua hic Paulus, præcisivè ab actuali sumptione Sacramenti secum fert justificationem . Sed charitas, de qua hìc , per Adversarios sufficienter explicatur de charitate super omnia appretiativè , ergo debent concedere , quod hæc fert justificationem præcisivè ab actuali sumptione Sacramenti . Et quod reverà agat Paulus de charitate præscindendo a perfectione lineæ intensivæ fit evidens ex iisdem principiis : jam vidimus ex D. Th. eam esse, quæ augmentum acquirit : Ea est, per quam homo constituitur in esse parvuli , quia sub statu , & gradu imperfecto ; ubi elegantissimè, & veracissimè S. Thom. docet imperfectionem se tenere ex parte infantiæ , non autem ex parte hominis, quia sicut parvulus stante imperfecta ætate veraciter habet veram formam hominis, & est verus homo ; ità habens charitatem secundùm suam esse licèt non intensam , habet veram formam etiam gratiæ sanctificantis, & est verè justus . Quam paritatem prosequemur infra . De ea charitate loquitur Apostolus, per quam opera efficiuntur meritoria . Sed posita gratia sanctificans in minimo gradu intensionis efficit opera meritoria ; ergo charitas etiam non intensa infert justificationem .

Ex eadem Epist. cap. 16. duo loca afferunt Clarissimi Adversarii primus vers. 14. *Omnia vestra in charitate fiant* . Ex quo sic arguunt . Ergo & pœnitentia etiam in charitate facienda est. Secundus vers. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum , sit anathema, Maran Atha.* Ex quo deducunt. Ergo pœnitens sine amore suppliciis adjicitur æternis . Ergo non potest esse justus , qui coram Deo est anathema . Non amans accedit ùt divisus , quia amor est unitivus , ergo non potest justificari .

Sed ad rem nostram utrumque deservit. Certum est, quod in primo texto Paulus non loquitur determinatè de tempore actualis sumptionis Sacramenti , sed indefinitè ; hortatur enim ad referenda omnia in Deum . Certum est etiam , quod loquitur de charitate, quæ secum affert justitiam, quia intendit, quod omnia fiant cum merito, sicut scopus ipse manifestat ; & sufficienter explicat Commentarium D. Th. illis — De fide ergo „ instruit cùm dicit , state , scilicet in fide „ *Ephes.6.* state succinti &c. de bona opera- „ tione cùm dicit , viriliter , idest, fortiter „ agite , quia fides sine operibus mortua est „ *Jacobi* 2. Sed quia bona operatio non est „ attribuenda nobis, sed Deo , ideò subdit, „ & confortamini in Domino . *Psalm.* 30. „ viriliter agite,& confortetur cor vestrum. „ De modo agendi cùm dicit, omnia vestra „ in charitate fiant, idest omnia debent re- „ ferri in finem charitatis , scilicèt, ut fiant „ propter Deum , & proximum . *Ad Coloss* „ Super omnia autem hæc , charitatem ha- „ bete , quod est vinculum perfectionis — Justificati , & justificantis formæ dotes sunt istæ .

Nunc sic . Charitas, de qua hìc Paulus, est charitas non applicata determinatè tempori actualis susceptionis Sacramenti : est charitas sumpta absolutè, & præcisivè a gradu intensionis secundùm substantiam accepta , hoc est, referens omnia in Deum , in qua relatione includitur votum observandi totam legem suis temporibus urgentem ; & ideò etiam conjungit illam Apostolus cum bonis operibus . Sed hæc charitas , ùt vidimus , secùm habet gratiam justificantem . Ergo charitas substantialiter accepta, & ab actuali sumptione Sacramenti præcisa infert justificationem .

Secundus pariter locus nobis proficit . Qui non amat , anathema est , hoc est , divisus a Christo : ergo qui amat, est Christo unitus , ex eodem principio , quod amor est unitivus . Qui non amat , anathema est , adjiciendus suppliciis æternis . Ergo qui amat, glorificandus æternaliter , ad glorificationem nemo jus habere potest absque gratia sanctificante . Igitur Dei amor justificationem infert , & quidem amor substantialiter acceptus, sive ab intensionis gradu præcisus , ideò dicit Scriptura simpliciter : *Si quis non amat* .

Quartus locus est ad Rom. 8. 15. illis . *Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba Pater.* Ex quo loco sic Præclarissimi Adversarii arguunt . Impossibile est justificari Christianum per Sacramenta absque spiritu proprio, & differentialì legis Christianæ . Sed character differentialis est spiritus dilectionis . Ergo impossibile est Christianum justificari absque dilectione . Hìc exultant sicut victores captâ prædâ , ità quod non vereantur appellare opinionem scandalosam eam , quæ tollit obligationem coatritionis .

Verùm quemadmodum simplici jactu pulveris compescitur ingens ebullientium , & perstrepentium Apum rumor , ità levi sufflatione diluitur addensatus tot clamoribus pulvis oculis parvulorum objectus ; Alia pro nunc omissis . En evidens discursus . Nemo Christianorum justificari potest per Sacramenta , nisi per spiritum differentialem novæ legis ; Sed spiritus differentialis legis novæ ab Apostolo hìc descriptus est dilectio, quæ essentialiter supponit justificantem gratiam . Ergo nemo per Sacramenta justificatur , nisi accedat cum dilectione supponente justificationem , adeòque Sacramenta novæ Legis justificant justificatos .

Quod dilectio, de qua hìc Paulus, supponat gratiam justificantem, demonstrat contextus. Ad verba citata sequitur immediatè . *Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro , quod sumus filii Dei ; si autem filii , & heredes : Heredes quidem Dei , coheredes autem Christi* . Filius heres non est nisi justus . Justificat ergo dilectio antè receptionem Sacramenti, & quidem dilectio substantialiter accepta a gradu intensionis præcisa ; de hac enim loquitur Paulus , nullius intensionis mentionem faciens , & solam eam commemorat , quæ distinguit statum liberorum a statu servorum , quæ est sola appretiativa ; sicut solus timor servilis quoad substantiam acceptus constituit servos .

Discrimen inter veterē legem,& novam .

Cæterùm sensus Apostoli legitimus est ; quod lex nova de suo habet vim justificativam ; lex autem vetus non habebat de suo justificare .

ſtificare. Lex vetus licèt eſſet ſervitutis, habebat tamen in præcepto dilectionem Dei, ſicut nos, dictum enim eſt antiquis: *Diliges Dominum Deum tuum ex tota corde tuo*. Lex nova eſt quidem filiationis, ità tamen quod ad eam timor ſervorum etiam ſpectet. In re tam clara ſufficiat auctoritas Joenin unius ex Præclariſſimis Adverſariis *tom. 2. cap. de contritione art. 1.* inquirit contrà Lutherum, an contritio concepta per diſcuſſionem, & terrorem ſit bonus motus; affirmativè reſolvens, ad objectionem, quod timor eſt proprius legis veteris, habet -- Reſp. ad pri-
„ mum gehennæ metum ad utramque legem
„ ſpectare, cùm in utroque Teſtamento
„ Deus graviſſimas pœnas impiis minetur --
Videndus hìc D. Thomas.

Quintus locus celeberrimus adversùs nos habetur 1. Jo. 3. 14. *Nos ſcimus quoniam translati ſumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. Qui non diligit, manet in morte.* Ex quo, inquiunt, ergo pœnitens, qui non diligit Deum non poteſt reſurgere ad vitam.

Et nos connaturaliùs inferimus. Ergo qui diligit, habet vitam gratiæ juſtificantis, quæ ſola directè opponitur, & tollit mortem peccati: & iſte eſt ſenſus Joannis, qui correlativè v. 10. habet. *In hoc manifeſti ſunt filii Dei, & filii Diaboli. Omnis, qui non eſt juſtus, non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem &c.* Ecce diligens eſt filius Dei. Non diligens filius Diaboli. D. Th. hìc --. Hæc eſt mira-
„ culoſa translatio de morte culpæ ad vitam
„ gratiæ -- Charitas enim eſt vita, quia ùt ait Gloſſa, vita carnis anima; vita animæ Deus: Charitas verò conjungit animam Deo. Auguſtinus -- Humilitas nos Deo ſubjicit,
„ puritas jungit, charitas unit -- In *Comment. cap. 8. prioris ad Corinth.* ad illa verba: *Factus ſum velut æs ſonans, aut cymbalum tinniens*, habet -- Recta comparatione utitur: Anima
„ enim per charitatem vivit, quæ vivit Deo,
„ qui eſt animæ vita ſecundùm illud *Deuter.*
„ 30. Ipſe eſt vita tua, undè & 1. Joan. 3.
„ dicitur: *Translati ſumus de morte ad vitam,*
„ *quoniam diligimus fratres, qui non diligit, manet*
„ *in morte* -- Rectè ergo comparat loquelam charitate carentem ſono rei mortuæ, ſcilicet æris, aut cymbali, quæ licet clarum ſonum reddant, non tamen eſt vivus, ſed mortuus; ità etiam locutio hominis charitate carentis quantumcumque ſit diſerta, tamen cenſetur mortua, quia non proficit ad meritum vitæ æternæ.

Locus ergo Joan. agit de dilectione, quæ ſecum fert juſtificationem; Sed loquitur de dilectione quoad ſubſtantiam accepta, & non conjuncta cum intenſione, ùt clarè contextus indicat. Tum quia abſolutè ait, *diligit*: tum quia loquitur de illa, per quam ſatisfacimus præcepto de diligendo proximo, & appretiativa ſufficit: tum quia de ea loquitur, cujus carentia conſtituit non diligentem: carentia autem appretiativæ conſtituit non diligentem: tum quia eodem ſenſu, uſurpat illud *diligit*, ac illud, *Omnis, qui odit fratrum ſuum, homicida eſt*. Porrò ad hoc non eſt neceſſarium odium intenſivè magnum, ſed ſufficit magnitudo extenſiva. Eſt autem certum, quod non loquitur de dilectione pro tempore, quo urget actualis ſumptio Sacramenti, explicat enim ipſam naturam charitatis quoad ſua propria; quare legitimè ſequitur dilectionem ſummam appretiativè ſecum trahere juſtificationem extrà actualem ſumptionem Sacramenti.

Iſta ſunt præcipua loca, quibus utuntur Adverſarii; & ſi quæ alia exhibebunt, faciliter retorquebuntur, ſi attendantur contextus. Nunc nos ſubdimus aliquos textus, in quibus a Deo promittitur juſtificatio, & tamen non indicant niſi ſubſtantialem dilectionem, & pœnitentiam; ut indè ſalutariter colligamus illis actibus poſitis cum voto Sacramenti impium juſtificari.

Prov. 10. 12. *Univerſa delicta operit charitas.* 1. Petri 4. 8. *Quia charitas operit multitudinem peccatorum.* Pſalm. 50. *Cor contritum, & humiliatum Deus non deſpicies.* Iſaiæ 30. 15. *Quia hæc dicit Dominus Deus ſanctus Iſrael: ſi revertamini, & quieſcatis, ſalvi eritis.* Ubi LXX. transferunt -- Cùm ingemueris,
„ tunc ſalvus eris -- Et verſ. 18. habetur. *Proptereà expectat Dominus, ut miſereatur veſtri.* Ezech. 33. 11. *Dic ad eos: vivo ego dicit Dominus Deus: nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius a via ſua, & vivat &c. impietas impii non nocebit ei, in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua.* Et alia cap. 18. Zachariæ 1. v. 3. *Convertimini ad me, ait Dominus exercituum, & convertar ad vos.* Hæc ex veteri Teſtamento.

Matth. 3. 2. *Pœnitentiam agite: appropinquat enim Regnum Cælorum.* Matth. 10. *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Matth. 18. v. 3. *Amen dico vobis niſi converſi fueritis, & efficiamini ſicut parvuli, non intrabitis in Regnum Cælorum.* Lucæ 13. 3. *Niſi pœnitentiam habueritis, omnes ſimul peribitis &c. Si pœnitentiam non egeritis, omnes ſimiliter peribitis.* Act. 3. *Pœnitemini, & convertimini, ut deleantur peccata veſtra.* Apoc. 3. *Si quis &c. aperuit mihi januam, introibo ad illum.* Jacobi 4. *Appropinquate Deo, & appropinquabit vobis.* Ex novo.

Hæc, & plura alia in Scripturis occurrentia indefinitè, & ſimplicitèr loquuntur, & veram exigunt quidem pœnitentiam, converſionem, & dilectionem; ſed intenſam nequaquam in verbis, & verborum ſenſu neceſſariam indicant. Veraciſſima converſio eſt appretiativa reverſio a creaturis ad Deum. Veraciſſima dilectio eſt appretiativa præpoſitio Dei ad creaturas. Veraciſſima pœnitentia eſt, appretiativa deteſtatio peccatorum ſuper omnia mala propter Deum: Quinimmò intenſio non facit veracitatem converſionis, ſed illam ſupponere, & neceſſe debet: intenſio non eſt ipſa vera dilectio; ſed eſt magis ipſius dilectionis. Nemo denominatur currens per velocitatem, ſed per curſum ſubſtantialem. Quare ſubſtantialis pœnitentia, & dilectio Dei appretiativè ſumma ſufficit pro conditione ex parte noſtra, ut Deus ſuam promiſſionem impleat.

§. III.

§ III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX SCRIPTURIS DEPROMPTA.

110 OBJIC. I. Sola charitas perfecta justificat extra actualem sumptionem Sacramenti; Sed non omnis dilectio Dei super omnia extensivè est perfecta charitas. Ergo non omnis statim justificat. Ostenditur assumptum exemplo Petri Apostolorum Principis -- Cui non defuit „ amor Dei propter se affecto super omnia „ cùm *Joan.* 13. Christo dixit. Animam „ meam pro te ponam, defuit tamen Cha„ ritas perfecta, Augustino dicente *lib. de* „ *grat., & lib. arbitr. c.* 17. —

Probationem verbis propriis Theologiæ Sanctorum dedimus, quia ipsa toto *cap.* 83. insudat, ut demonstret non omnem charitatem super omnia esse perfectam, seu justificantem extrasacramentaliter; pro eodem illa duo accipit: & quamvis cæteri Adversariorum eamdem sententiam doceant, ipsam præferm, quia fusiorem reperimus. Quid hoc argumentum proficiat Adversariis, prorsus non apparet; multùm autem nobis prodesse docet Evangelica lectio, quæ affirmat tunc temporis Petrum fuisse justum, & ab omni labe peccati lethalis immunem; dixerat enim ei paulò antè Christus, *qui lotus est, non indiget, nisi ut pedes lavet, sed est mundus totus, & vos mundi estis, sed non omnes*, quod dictum est propter Judam.

Ex quo sic discurrimus. Per Adversarios parva charitas erat tunc in Petro; Sed per Evangelium Petrus tunc erat justus. Ergo parva charitas stat cum justificatione, ergo etiam illam infert. Arguunt Adversarii ex parvitate charitatis Petri non omnem charitatem esse perfectam, ac perconsequens non omnem esse justificantem; sequitur legitima sequela ex eodem principio, parvam, & omnem charitatem super omnia justificare, quia charitas Petri secundùm fidem erat cum justificatione conjuncta.

Parva etiam Charitas justificat.

Merbesius, ut suum systema firmet, dicit parvam illam habuisse Petrum, quando fuit a Christo baptizatus, & cum ea fuisse justificatum. Quod omninò gratis dictum putandum est; Petrus enim priusquam a Christo baptizaretur credendus est mundatus per Circumcisionem sumptam in lege Moysis, quæ erat remedium adversùs peccatum originale, pro quo delendo non erat ei necessarius Baptismus, sed solùm ut Christo incorporaretur. Dicere autem, quod ab actualibus posteà commissis per Baptismum fuerit mundatus, est divinari; erant enim sua remedia in lege Hebræorum pro actualibus, si quæ commisisset Petrus, quibus usum fuisse pium est judicare.

Alio modo possemus regerere argumentum. Petrus justificatus est Christo declarante Jo. 15. 3. simul cum aliis Discipulis medio sermone Christi. *Jam vos mundi estis propter sermonem, quem locutus sum vobis.* Hæc enim mundities est a peccatis, quia comparantur ibi Discipuli palmitibus fructificantibus propter unionem ad vitem. Sermo, de quo ibi, mundativus non est verbum Sacramentale, quo consecratur Baptismus, sed est verbum inflammatorium juxta illud Jerem. 23. *Nunquid non verba mea sunt quasi ignis?* tum quia nulla fit mentio Baptismatis; tum quia in Baptismo solum verbum non mundat, sed verbum, & aqua; Christus autem solo verbo suo ibi tribuit mundativam virtutem: tum quia verbum baptismale non mundat, nisi prolatum a Ministro baptizante, hoc est abluente; Christus autem non protulit verbum consecratorium applicando aquam singulis Discipulis, quia est constans eruditio, quod Christus non baptizaverit omnes Discipulos: tum quia assumit ibi Christus similitudinem palmitis, qui per falcem purgatur, ut fructum afferat; verbum autem Christi doctrinale juxtà Paulum ad Heb. 4. *Vivus est enim sermo Dei, & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, & pertingens usque ad divisionem animæ, ac spiritus.* Tum quia in nota marginali Codicis Evangelici citatur sermo Christi ad *cap.* 13. & 14., qui est doctrinalis. Cùm ergo per Adversarios Petri Charitas tunc parva esset: sive anteà in eo præfuerit excitata ob aliquod motivum, & nutrita sermone Domini, sive tunc fuerit excitata sermone illo Domini: & sine charitate nemo mundetur, sequitur quod parva charitas sit mundativa extrasacramentaliter a peccatis.

Christus non omnes Discipulos baptizavit.

111 OB. II. Charitas — Contritio per„ fecta admodùm vehemens, acris, & in„ censa esse debet, ùt ex *Deut.* 4. *Jerem.* 29. „ *Mich.* 4. *Jerem.* 6. Necnon exemplis eorum, „ quæ in perfectæ contritionis exemplum „ nobis Scriptura proponit, colligunt SS. Pa„ tres *cap.* 79. relati. Talis verò non est „ omnis contritio ex Dei amore propter se „ etiam affectu super omnia: non omnis „ ergo contritio hujusmodi est perfecta — Adeòque non omnis justificans. In cujus confirmationem *num.* 1003. subdit verba Catechismi Romani *part.* 2. *de Pænit. q.* 26., *& q.* 32. *cum Theologia Sanctorum*, cujus sunt verba relata, stat Neesseo eisdem Scripturis utens, & cæteri Adversarii.

Superiùs usi fumus istis Scripturis hìc citatis regerentes eas pro nobis. Nunc sic breviter. Petimus, an Scripturæ indicatæ contineant præceptum, vel consilium. Si consilium, non urgent, quia consilia sunt liberæ electionis. Si præceptum, iterùm petimus, an ùt præceptum comprehendat utramque lineam, totalis videlicet appretiationis, & totalis intensionis. Si dicant, ùt præceptum includere tantùm lineam appretiationis, illiusque totalitatem, non urgent, & stabiliunt nostram doctrinam, quia in amore Dei benevolo super omnia datur hujusmodi totalitas: adeòque per illum amorem adimpletur præceptum, quo adimpleto est posita conditio a Domino exigita, ut donet gratiam justificationis extrasacramentaliter, ad hunc enim casum assumantur illæ Scripturæ ab Adversariis.

Si dicant ùt præceptum comprehendere utriusque lineæ totalitatem, necessè est, quod in Sacramento requiratur charitatem perfectam omninò, quia istis testimoniis utuntur,

ut concludant necessarium esse amorem Dei benevolum super omnia pro justificatione sacramentali, & non quomodocumque, sed ut adimpleatur præceptum, quod tunc maximè urgere affirmant. Cùm ergo negent necessariam esse charitatem perfectam in Sacramento, fateri oportet, quod non cadat sub præcepto utraque totalitas, sed solùm appretiativa.

Ulteriùs, si illæ Scripturæ præcipiunt totalem etiam intensionem, comprehendunt fortiùs totam lineam doloris sensibilis, quia de ista clariùs loquuntur, quam de illa: Deuter. 4. v.29. dicitur. *Si tamen toto corde quæsieris, & tota tribulatione animæ tuæ*. Tota tribulatio animæ non est, si non sit animæ, ut ergo partem sensibilem, & externam. Jerem. 6. *Tribulatio apprehendit nos, dolores ùt parturientem &c. luctum unigeniti fac tibi, planctum amarum*. Micheæ 4. *Dole, & satage Filia Sion quasi parturiens*. Porrò summum dolorem sensibilem necessariam esse nemo affirmat. Igitur in illis Scripturis non præcipitur omnis dolor lineæ intensivæ, sed solius extensivæ; qui per consequens justificationem infert conjunctus cum detestatione peccatorum, & voto Sacramenti.

Auctoritatem Catechismi plerique nihili faciunt in hac materia, diverso tamen fundamento. Quidam dicunt esse unius viri, & Doctoris particularis suis etiam particularibus sententiis addicti, propter quod in pluribus deseritur a Scholia Thomisticæ Doctrinæ non consentientibus. Alii & multò plures affirmant esse mancum in explicatione *cap. 4. Sess. 14* Concilii Tridentini, quia nusquam mentionem facit attritionis; pro integra autem referenda doctrina sanctæ Synodi debuisset attritionis mentionem facere, & explicare.

Nos veneramur Catechismum, ejusque doctrinam, immò pro nobis stare contendimus. Cardo consistit in frasibus, quibus Auctor utitur, quæ sunt -- *Num.* 24. Vehemens
„ quoddam anteactæ vitæ odium. 28. Sum-
„ mum verò, & maximum dolorem, ve-
„ hementissimum animi dolorem: Non so-
„ lùm maxima, sed & vehementissima.
„ 37. Adeò vehementem, acrem, incensum
„ esse oportere, ut doloris acerbitas cum
„ scelerum magnitudine æquari, con-
„ ferrique possit -- Has expressiones adhibet Catechismus, easque adoptant Præclarissimi Adversarii, a quibus (ad evitandas latebras, quæ fugiendæ sunt in re tam gravi, & practica) petimus, an velint Auctorem loqui de summa intensione de necessitate exigita, an de consilio. Si tantùm de consilio, non urget; omnes enim convenimus: Si de necessitate: ergo in Sacramento requiritur dolor summè intensus, & perfectissimus, quia verbis illis conceptis n. 24. & n. 28., & alibi indubiè loquitur de contritione, prout est pars necessariò assumenda in Sacramento, & ejusdem constitutiva. Quod cùm ipsi summè intensum dolorem in Sacramento non postulent, necesse est dicere Catechismum non loqui de summa intensione, vel solùm eam consulere.

Quo sensu Catechismus vehementissimum exigat dolorem in Sacramento Pœnitentiæ.

Directè. Cathechismus illis frasibus solùm summam appretiationem necessariam exponit. Ostenditur multipliciter. I. *N.* 28. ità summum, & maximum dolorem de peccatis suscipiendum esse dicit -- Ut nullus
„ major excogitari possit -- Quæ locutio, si sit de intensione, non potest salvari, quia requirit intensionem ulterioris gradualitatis incapacem, contrà bonam philosophiam proclamantem qualitates habere gradualitatem sincategorematicè infinitam: contra Scripturas adhortantes, ut qui justus est, justificetur adhùc. Contrà Ecclesiam orantem, ut Deus concedat augmentum Spei, Fidei, Charitatis, aliarumque virtutum. Si verò explicetur de appretiatione, vera est locutio, quia non datur alia majoritas super illam.

II. Ibidem postulat summum dolorem ad æqualitatem summæ dilectionis Deo debitæ, & affirmat eodem genere loquendi charitatis, & contritionis magnitudinem significari per Scripturas; Atqui magnitudo dilectionis intensivæ non cadit sub obligatione præcepti charitatis, sed solùm magnitudo extensiva, ùt ipsius Auctoris Magister docet D. Thomas, a quo non vult recedere in suis sententiis; immò a quo accepisse videtur hanc paritatem, habet namque S. Doctor *in cap. 22. Matth.* -- Et ideò dicit, di-
„ liges Dominum, non timeas, quia dili-
„ gendus est sicut primum diligibile, quia
„ ipse finis primus est; sed quæcumque
„ alia diliguntur ùt ad finem, qui ergo
„ diligit Deum, ùt finem diligit in toto
„ corde. *Joel.* 2. Convertimini ad me in
„ toto corde vestro &c. -- Hæc est doctrinalis resolutio explicans naturam præcepti charitatis, & solùm dolorem summè extensum comprehendit.

III. Ibidem in secunda ratione vult odium peccati debere esse summum, sicut summus est amor Dei, quia peccatum est summum malum, sicut Deus est summum bonum; Atqui tantùm amorem summè extensum ibi ponit. Ergo etiam solùm summam extensionem doloris. Accipe verba Catechismi -- Omnibus verò rebus Dei amorem
„ anteponendum esse, ità ut ne vitæ quidem
„ conservandæ causa peccare liceat, apertè
„ nos docent illa Domini verba: qui amat
„ Patrem, aut Matrem plusquam me, non est
„ me dignus, & qui voluerit animam suam
„ salvam facere, perdet eam -- Vides egregiam solius doloris summè appretiativi declarationem.

Catechismus exigit summum amorem solùm extensivè.

IV. In tertia ratione ibidem, affert dictum B. Bernardi *de dilig. Deo circà med.*, modum diligendi Deum esse ipsum diligere sine modo, & infert -- Ità peccati detesta-
„ tioni nullus modus definiatur -- Atqui est certò certiùs, quod ipsum diligere Deum sine modo non intelligitur a D. Bernardo necessarium esse de præcepto, siquidem ibi diversos gradus dilectionis distinguit, quorum aliqui pertinent ad justos ordinarios, alii ad extraordinarios. Ergo pariter Catechismus non requirit de necessitate præcepti contritionem sine modo. Aliud est igitur dignitas causæ videlicet immensitas divinæ bonitatis merens diligi infinito amore, (& ità de peccato,) aliud est, quod cadit sub obligatione præcepti.

V. Ibidem. Perfectam adeò contritionem expostulat, quæ omnem ignaviam, & socor-

focordiam excludat . Deteftatio peccati excludens omnem focordiam , & ignaviam excludit, & opponitur cuilibet peccato veniali, peccatum veniale etiam aliqua focordia , & ignavia eft ; Sed dubio-procul de neceffitate præcepti in pœnitentia impiorum non eft neceffaria contritio exclufive cujuslibet venialis. Ergo Catechifmus non intendit fummam doloris intenfionem cadere fub præcepto , quamvis commendabilis , & optabilis fit .

VI. *Num.* 29. Diftinguit Catechifmus veram,& efficacem contritionem a perfecta — „ Quamquam fi id minus confequi nobis „ liceat , ut perfecta fit , vera tamen , & „ efficax contritio effe poteft — Non eft autem vera , & efficax, nifi fit fuper omnia appretiativè ; ergo in hac linea non caret perfectione ; caret ergo in alia linea intenfionis , adeòque hæc non agnofcitur neceffaria , fed folùm laudabilis , & utilis .

VII. Ibidem refolvit , nonnullis interdùm majorem ex filiorum , quàm ex peccati turpitudine doloris fenfum capere, qui tamen veram habere poffunt contritionem.Si autem, ubi dicit vehementiffimam debere effe contritionem , intelligeret vehementiam intenfivam neceffariam effe , fas effet , quod effet major dolor fenfus ex turpitudine peccati , quàm ex obitu filiorum ; impoffibile enim eft , quod vehementiffimus dolor fubjectivus non commoveat fenfum .

VIII. *Num.* 32. 33. 31. recapitulando ea , quæ funt effentialia , & neceffaria ad contritionem contradiftinctivè ab illis , quæ pertinent ad perfectionem , verbis fimplicibus , & indefinitis ponit , odiffe univerfa peccata, voluntatem confitendi, & fatisfaciendi , propofitum non peccandi de cætero, reftituendi ablatum , & dimiffionem injuriarum. Deindè concludit in hæc verba — Hæc „ funt , quæ in contritione Fidelibus obfer„ vanda funt, cætera,quæ ad hanc rem e Pa„ ftoribus facilè colligi poterunt , efficient „ quidem , ut in fuo genere contritio fit „ magis perfecta , & abfoluta ; verùm adeò „ neceffaria exiftimanda non funt , ut fine „ his veræ , & falutaris pœnitentiæ ratio „ conftare non poffit — Quibus declarat ad veritatem contritionis fufficere lineam appretiationis , reliqua ad perfectionem accidentalem pertinere .

Ubi verò *num.* 37. figna admirationis mens , fubdit — Ut enim hoc concedamus „ contritione peccata deleri , quis ignorat „ illam adeò vehementem , acrem , incen„ fam effe oportere , ut doloris acerbitas „ cum fcelerum magnitudine æquari,confer„ rique poffit ? — illis frafibus nihil aliud exprimit , & exprimere intendit , nifi dolorem veracem appretiativum . Repetit illos terminos — Vehementem,acrem,incenfam — & quidem optimè, ut denotent actum debere effe fincerum , firmum , efficacem , abfolutum . Et prætee dicta convincitur ex illis — Ut doloris acerbitas cùm fcelerum „ magnitudine æquari, conferrique poffit — Eft autem manifeftum,quod loquitur de magnitudine fcelerum extenfiva, non intenfive, cùm major pars criminum ab hominibus perpetrentur modica intenfione : cùm manifefta experientia conftet peccata Fidelium effe intenfivè inæqualia , & tamen fub eadem frafi comprehendit omnia .

Deindè fi æqualitatem intenfivæ lineæ expoftularet , rem impoffibilem expofceret ; nullus enim hominum abfque revelatione fcire poteft fui peccati gradualitatem intenfivam . Ulteriùs magnitudo fcelerum concrefcit etiam ex duratione;fi ergo loqueretur de adæquatione doloris cum magnitudine fcelerum extrà lineam appretiationis , oporteret dolorem effe etiam diuturnum , quod eft contrà Catechifmum , & contrà Adverfarios faltem plerofque . Prætereà magnitudo fcelerum augefcit per delectationem ecrciorem , & fenfibilem , fi ergo loqueretur de adæquatione extrà lineam appretiationis, neceffe effet , contritionem fore acrem , vehementem etiam quoad fenfum , quod Catechifmus non exquirit . Cogimur ergo ipfum intelligere de vehementia, & intenfione appretiativæ lineæ .

Cumque tota difficultas in hoc confiftat, ut peccator ferium, abfolutum , & efficacem actum doloris de commiffis peccatis propter divinam bonitatem fuper omnia dilectam , eliciat , ideò fapiffimè fubdit Catechifmus paucos ad hunc gradum pervenire , & pauciffimos hac via juftificari. Hoc opus, hic labor, ut homo fenfibilis fenfibilibus affectus , & ad fenfibilia converfus feriò , abfolutè, & efficaciter Deum præferat invifibilem omnibus creaturis; & præconceptum affectum ad illas feriò, abfolutè, & efficaciter deteftetur. Hic totus cardo , hic totus conatus, hic fcopulus totus frangendus . Propter quod ficut notat idem Catechifmus ibidem *num.* 37. neceffe fuit, ut Clementiffimus Dominus faciliori ratione communi hominum faluti confuleret , quod quidem admirabili confilio effecit , cùm claves Regni Cœleftis tradidit, quæ remittunt culpam fub dolore lineæ inferioris ex motivo inferiori concepta , utpotè faciliori ; fiquidem aptiori ad movendum hominem fenfibilem ; & hoc eft motivum pœnæ gehennalis apprimè accommodatum conditioni naturæ humanæ mobili de facili a terribilibus .

Supplent claves, & perficiunt contritionem iftam imperfectam , quam attritionem vulgariter dicimus, & hoc eft, quod intendit Catechifmus *num.* 38. illis — Etenim ex Fi„ dei Catholicæ doctrina omnibus credendum , & conftanter affirmandum eft ; fi „ quis ità animo affectus fit, ut peccata ad„ miffa doleat , fimulque impofterùm non „ peccare inftituat , & fi ejufmodi dolore „ non afficiatur , qui ad impetrandam ve„ niam fatis effe poffit , ei tamen cùm pec„ cata Sacerdoti ritè confeffus fuerit, vi „ clavium fcelera omnia remitti, ac condo„ nari , ut meritò e Sanctiffimis Viris Pa„ tribus noftris celebratum fit Ecclefiæ cla„ vibus aditum in Cœlum aperiri : de quo „ nemini dubitandum eft , cùm a Concilio „ Florentino decretum legamus , Pœniten„ tiæ effectum effe abfolutionem a peccatis. „ *Advertenda eft illa locutio*. Et fi ejufmodi „ dolore non afficiatur , qui ad impetran„ dam veniam fatis effe poffit — Ex enim alludit ad Concil. Tridentinum *Seff.* 14. *c.* 6., ubi

Claves attritionem perficiunt.

ubi describit contritionem imperfectam ortam ex motivo gehennæ, vel turpitudinis peccati, quam vi clavium sufficere statuit ad remittenda peccata. Fuit sermo circà Catechismum, ut concionis fideli doctrinarum rectus sensus ejusdem appareret.

112 OB. III. D.Magdalena absque dubio veri nominis contritione compuncta, priusquam domum Pharisæi ingressa, ad pedes Domini se prostravit, lavit lacrymis, capillis tersit, osculata est, corde scisso præ magnitudine doloris, importuna convivio, opportuna beneficio. Sed hoc non obstante non fuit justificata, nisi post tempus aliquod pœnosissimæ contritionis, ut testantur verba Salvatoris. Lucæ 7. 47. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Dilexit in præterito, remittuntur in præsenti, ut intelligamus non statim a concepta contritione fuisse justificatam -- Accessit ad Dominum immunda, ut recederet munda; „ accessit ægra, ut rediret sana &c. nam „ quare fecit illa omnia, nisi,ut sibi Salvator „ dimitteret peccata -- Ait August. *hom.* 23. *inter* 50., *&* *hom.* 33. Et Greg. habet -- Nondùm lota, sed lavanda ad fontem Misericordiæ cucurrit, convivantes non erubuit -- Non ergo, cum protinùs peccator diligit, & dilectivè compungitur, remittuntur peccata.

Nullus ex Præclarissimis Adversariis, quos viderim, omittit argumentum istud, cui nostri contraponunt multò plura exempla ex Scripturis, in quibus habemus Deum largitum esse indulgentiam peccatorum post brevem contritionis seriæ morulam. Sed iis omissis, quærimus primò ab Adversariis, quo certo fundamento possunt ostendere Magdalenam accessisse contritam ad domum Pharisæi. Operà illa exteriora piissima fieri potuerunt absque dubio nondum præconcepto efficaci affectu dilectionis super omnia, nondum scisso veraciter corde detestatione absoluta criminum. Fieri potuerunt impulsu gratiæ moventis, & excitantis ad præparandam animam, ut constat exemplis. Hortatur Daniel Nabuchodonosorem, ut eleemosynis peccata sua redimat, idest, ut per opera pietatis disponat cor ad suscipiendam gratiam contritionis expiativæ. Ninivitæ priusquàm conciperent veracem contritionem dilectivam, gravissima pœnitentiæ opera exercuerunt, quibus habiliores se reddiderunt pro recipiendo auxilio ad dilectivum dolorem eliciendum. Ecclesia suadet consuetudinariis, ut mortificationes aliquas, orationes, eleemosynas, & alia bona opera adimpleant, quibus studeant cor emollire ad sinceram pœnitudinem.

Magdalena contritio efficax.

Quærimus 2. Quo fundamento adstruant a maculis criminum non fuisse mundatam, nisi quando Christus protulit illa verba, & non priùs, posito quod fuerit contrita prævié. Verba illa hoc non firmant; quia dicta narrativè, sicut contextus indicat. Explicata qualitate dilectionis per exemplum fœneratorum, Christus voluit explicare specialem dilectionem Dei ergà peccatores, exponendo qualiter plura peccata Mulieri dimisit. Modum narrativum continere dictam positionem suadet altera, quæ subnectitur. *Cui autem minùs dimittitur, minùs diligit.* Non enim hic continetur sensus actualis dimissionis peccatorum alicui concessæ; sed est sermo merè explicativus, & doctrinalis.

Directè ad argumentum. Remissio peccatorum est triplex, plena, plenior, & plenissima. Plena, ubi dimittuntur peccata quantùm ad culpam, & reatum pœnæ æternæ. Plenior, ubi dimittitur macula mortalis, & venialium, & multum etiam de pœna temporali. Plenissima, ubi tota pœna remittitur, & peccatorum reliquiæ tolluntur. B. Mariæ Magdalenæ verbo Salvatoris absolutorio fuit concessa plenissima remissio ab omni culpa, ab omni reatu pœnæ æternæ, & temporalis, & a reliquiis peccatorum. Non loqui Christum de dimissione pura peccatorum quantùm ad maculam, manifestum efficitur ab altera propositionis parte: *Cui minùs dimittitur*, illud *minùs* nequit applicari de culpa, quasi quod, vel aliquid culpæ dimittatur, aliquid non, vel aliqua peccata quoad culpam dimittantur, aliqua non; hoc enim evidenter est falsum; lethalia enim, vel omnia simul delentur, vel nullum.

Remissio peccatorum triplex.

Quod optimè probat, & explicat D.Th. motivo triplici 3. *p. de Sacramentis q.* 27. *aliàs* 86. *art.* 3., qui *art.* 5. ad propositum habet, primo respondens -- Deus hominem perfectè curat: sed quandoque subitò, sicut „ Socrum Petri statim perfectæ sanitati restituit, ità ut surgens ministraret illis. „ *Lucæ* 4. Quandòque autem successivè, sicut „ dictum est de Cæco illuminato. *Matt.* 8. „ Et ità etiam spiritualiter quandoque tanta „ commotione convertit cor hominis, ut „ subitò perfectè consequatur sanitatem spiritualem, non solùm remissa culpa, sed „ sublatis omnibus peccati reliquiis, ùt patet de Magdalena *Lucæ* 7. Quandoque „ autem prius remittit culpam per gratiam „ operantem, & postea per gratiam cooperantem successivè tollit peccati reliquias -- Sanat totaliter Magdalenam Christus, quia multùm dilexerat: sanat nunc etiam totaliter omnes, quotquot multùm diligunt. Sanat, qui diligunt, sed non multùm, illis essentialem tribuens sanitatem, quæ maculis peccatorum opponitur; sed non sanat totaliter ab omnis pœnæ reatu liberans, & peccatorum reliquiis.

Dicta Patrum intelliguntur de mundatione, sanatione, & lotione perfecta; & si contrita accesserit (ùt supponit objectio) tamen adhùc ægra erat, adhùc nondum lota, adhùc immunda, quia non totaliter sanata, & mundata a reliquiis peccatorum; quia habituum vitiosorum inquinamento fœdata, licèt enim habitus vitiosi in justo non remaneant in esse habitus, idest cum prædominio, remanent tamen cum inclinatione ad objecta mala, suoque pondere trahunt animam ad pristinas pravas motiones, & vincerent, nisi vis gratiæ obsisteret. Si posteà supponatur B.Magdalenam non accessisse ad domum Pharisæi veri nominis contritione compunctam, ùt verbis utar Adversariorum, tunc Patrum testimonia possunt accipi in sua plenitudine, nam eo casu accessisset, sicut non contrita, ita & non sanata essentialiter. Hæ sunt solutiones solidæ,

quæ

qua componunt Scripturas, & Patrum dicta; quæ rormatim non debent accipi, & indigesta, sed coordinata.

113 OB. IV. Paulus haud dubiè conversus est, atq. ex dilectione contritus, ubi vocem Domini de Cœlo audivit: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Sed ea tunc non fuerunt ei dimissa peccata, sed post tres dies suscepit Baptisma, cùm Ananias dixit. *Exurge, & baptizare, & ablue peccata tua*. Ergo non omnis charitas est perfecta, & protinus delet peccata. A maculis ergo peccatorum fuit Paulus purgatus per Baptismum — Significa„ tis etiam per cæcitatis squammas in oculis „ ejus. Quemadmodum enim illæ cæcitatis „ squammæ ex oculis, sic peccatorum ma„ culæ ex anima ipsius non ceciderunt, nisi „ per susceptum ab Anania Baptismum — Verba sunt Theologiæ Sanctorum.

Lubentissimè proferimus hujusmodi argumenta, quia ex ipsis Adversariorum dictis mirè nostra doctrina confirmatur. Dicit peccatorum maculas ex anima cecidisse, ubi ab oculis ceciderunt squammæ, & hoc factum fuisse per susceptum Baptismum. Hoc est evidenter contrà Scripturam, quæ tradit clarè squammas cecidisse ab oculis antè Baptismi susceptionem. Act. c. 9. legimus Ananiam dicentem. *Saule frater, Dominus misit me Jesus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, ut videas, & implearis Spiritu Sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis ejus tanquàm squammæ, & visum recepit: & surgens baptizatus est*. Act. 22. Paulus narrans suam conversionem dicit. *Veniens ad me, & adstans dixit mihi* (Ananias) *Saule frater respice. Et ego eadem hora respexi in eum: at ille dixit Deus Patrum nostrorum &c. & nunc quid moraris? exurge, & baptizare*. En manifestè S. Paulus in oculis sanatus antè Baptismum; immo in primo ingressu ad Ananiam. Ad probandum Paulum in prostratione non fuisse conversum, atque contritum afferuntur, quæ dixit, nempe: *Domine, quid me vis facere?* quæ nonnisi animi præparationem innuunt.

Cæterum videamus quid dicat S. Th. 1. 2. *q.* 113. *art.* 10. quærens an justificatio impii sit miraculosum opus: posita distinctione operis miraculosi ait — Tertio modo „ in operibus miraculosis invenitur aliquid „ præter solitum consuetum ordinem cau„ sandi effectum, sicut cum aliquis infir„ mus sanitatem perfectam assequitur subitò „ præter solitum cursum sanationis, quæ „ fit a natura, vel arte, & quantùm ad „ hoc, justificatio impii quandoque est mi„ raculosa, & quandoque non. Est enim „ iste communis, & consuetus cursus justi„ ficationis &c. Quandoque verò tam vehe„ menter Deus animam movet, ut statim „ quamdam perfectionem justitiæ assequa„ tur, sicut fuit in conversione Pauli, ad„ bibita etiam exteriùs miraculosa prostra„ tione, & ideò conversio Pauli tanquam „ miraculosa in Ecclesia commemoratur ce„ lebriter — Vide lector, qualiter D. Th. affirmet tunc Paulum fuisse justificatum, nec ab Angelico discrepant Interpretes.

Pauli conversio.

Cui concinit Augustinus *Serm.* 14 *de Sanctis* — Jam parat se ad obediendam, qui „ priùs sæviebat ad persequendum, jam „ formatur ex Persecutore Prædicator, ex „ lupo ovis, ex hoste miles, ovis audiat „ quid facere debeat — Nec aliter verificari possunt Patrum dicta extollentia magnitudinem illius conversionis, & excessum efficaciæ divinæ gratiæ: nec posset D. Bernardus *Ser. 1. de Conversione Pauli* proponere actum illum in exemplum perfectæ conversionis; nec appellaret verbum illud plenum, vivum, efficax, & omni exceptione dignum. Quare verba illa *baptizare, & ablue peccata tua* subsistunt optimè, quod & Adversarii debent fateri, cùm admittant ex perfecta contritione aliquando impios justificari, & teneri posteà ad sacramentalem Confessionem.

Verba constitutiva formæ baptismalis secundùm se semper sunt ablutiva peccatorum, sicut aqua naturalis per se est sordium mundativa, aliundè oritur, quod hic, & nunc pannum a sordibus nequaquam mundet. Contritio extrasacramentaliter justificans, votum secum habet suscipiendi Sacramentum. In re Baptismus susceptus a justificato purgat a venialibus, a reatu omnis pœnæ temporalis, & in Paulo a reliquiis peccatorum: clara res est in Scripturis aliquando debitum pœnæ vocari peccatum. Recepit insuper Paulus Confirmationem in gratia, dona gratis data; quare repletus est Spiritu Sancto, sicut dixit Ananias.

Scriptura debitum pœna vocat aliquando peccatum.

114 OB. V. Cornelius Centurio contritus erat dilectivè, antequam accederet ad Petrum; prædicatur enim *Act.* 10. Vir Religiosus, ac timens Deum, faciens eleemosynas plures plebi, & deprecans Deum semper, sed ea tunc non erat justificatus, tum quia Petrus ipsum docuit credere in Christum, cui omnes Prophetæ testimonium perhibent remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, qui credunt in eum: tum quia suscepit Baptismum — Credidit itaque Cornelius, & „ accepto Baptismo remissionem accepit; „ Atqui, quæ Baptismatis, eadem & re„ conciliationis est causa, Augustinus *lib. 7.* „ *de adulterinis conjug. in fine* — Illatio est Theologiæ Sanctorum, & aliorum Adversariorum.

Nescio qualiter inferre studeant in Baptismo Cornelium suscepisse remissionem, si clarissimè ante susceptionem illius justificatum fuisse constat ex Scripturis vers. 44. ubi: *Adhuc loquente Petro verba cecidit Spiritus Sanctus super omnes, qui audiebant verbum*. Ad prædicationem Beati Petri conceperunt fidem explicitam de Christo, & contritionem novam de peccatis. Sed priusquam accederet ad Petrum Centurio fuerat justificatus; quod abundè indicat Scriptura illis elogiis vers. 2. *Religiosus, ac timens Deum. Faciens eleemosynas multas plebi, & deprecans Deum semper*. Non solùm ergo justus, sed & pius. Quæ duo cum peccato non componuntur. Vers. 4. Angelus dixit ei. *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*. Et repetitur vers. 31. Nullum porrò opus bonum est Deo gratum simpliciter absque gratia justificante, nec meritorium simpliciter apud Deum. Vers. 22. *Cornelius Vir justus, & timens Deum, & testimonium habens ab universa gente Judæorum*.

Cornelius ante Baptismi susceptionem justificatus.

rum. Non solùm justus appellatur, sed eximii testimonii. Vers. 34. S. Petrus ad Cornelium alludens ait. *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timet Deum, & operatur justitiam, acceptus est illi*. Si operator erat justitiæ, justus erat.

A

Ideò potuit optimè S. Gregorius *hom.* 9. *in Ezechiel.* dicere de Cornelio propter sua bona opera -- Constat, quia hoc petiit, „ undè meruit exaudiri -- Et *homil.* 19. fusè ostendit, quod habuit fidem in Deum, sine qua nemo ei placere potest, nec bona opera facere; & subdit -- Fidem ergo habuit, „ cujus operationes, & eleemosynæ placere „ Deo potuerant. Bona autem actione pro- „ meruit, ut Deum perfectè cognosceret, „ & Incarnationis ejus Mysterium crederet, „ quatenùs ad Sacramentum Baptismatis „ perveniret -- Quibus Cornelium ex tunc justificatum declarat.

B

Plenam responsionem accipiamus a D. Thoma, quem inaniter putant pro se stare Adversarii 3. *p. de Sacram. quæst* 10. *aliàs* 69. *art.* 4. *ad* 2. habet -- Dicendum quod sicut „ dictum est, quod remissionem peccatorum „ aliquis consequitur antè Baptismum, se- „ cundùm quod habet Baptismum in voto, „ vel explicitè, vel implicitè: & tamen „ cùm realiter suscipit Baptismum, fit ple- „ nior remissio quantùm ad liberationem a „ tota pœna; ità etiam antè Baptismum „ Cornelius, & alii similes consequuntur „ gratiam, & virtutes per fidem Christi, „ & desiderium Baptismi implicitè, vel ex- „ plicitè, postmodùm tamen in Baptismo „ majorem copiam gratiæ, & virtutum con- „ sequuntur: unde super illud *Psal.* 22. Su- „ per aquam refectionis educavit me, dicit „ Glossa, Per augmentum virtutis, & bonæ „ operationis educavit in Baptismo -- Vide qualiter causam nostram suis argumentis promovent Adversarii. Auctoritas inducta ex D Augustino *lib.* 2. *cap. ult. de Adult. conjug.* nullatenus est ad rem pro casu Cornelii; loquitur enim de Catechumenis conjugatis in mortis articulo baptizandis.

C

D

515 OB. VI. (1. Jo. 4. 17. habetur -- „ In hoc perfecta est Charitas Dei nobiscum, „ ut fiduciam habeamus in die Judicii. „ Aug. *tract* 9 *in* 1. *Joan.* Quid est habere „ fiduciam in die judicii? non timere ne „ veniat dies judicii. Hoc autem timent in- „ numeri homines, quibus inest aliqua Dei „ propter se dilectio etiam affectu super „ omnia. Rursùs *vers.* 18. Timor non est „ in charitate: sed perfecta charitas foras „ mittit timorem, quoniam timor pœnam „ habet, qui autem timet, non est perfe- „ ctus in charitate. Sed non omnis dilectio „ Dei propter se etiam affecta super omnia „ foras mittit timorem, ut apparet, quoti- „ diè in multis, quorum Dei propter se „ amor, quamvis affectu super omnia, ob „ suam equidem imperfectionem indiget „ stimulo timoris) -- Discurrit citata Theologia Sanctorum.

E

Non videmus vim hujus argumenti adversùs scopum præsentis Articuli. Nullus Catholicorum negat inæqualitatem in gradibus charitatis. Concedunt contrà Jovinianum dari charitatem minorem, majorem, & maximam. Sed cardo est, an charitas vera, & si non perfecta justificationem inferat cum voto tantùm Sacramenti: nos affirmativam docemus cum Scripturis: ipsi, ut nos impugnent, non debent laborare, ut ostendant non omnem charitatem esse perfectam, sed ut probent veram charitatem, & si non in gradu perfecto non inferre justificationem.

A

Nos docet Scriptura justos differre, sicut stellam a stella. Stella est etiam, quæ maximæ magnitudinis non est, sed quæ minimæ; ità justus est etiam, qui perfectam non habet charitatem, habet tamen veram. Docet nos B. Jo. Epist. eadem v. 7. *Et omnis, qui diligit, ex Deo natus est*. Si natus ex Deo filius utique adoptionis: Qui, *diligit*, inquit, absolutè, non qui taliter, vel tantùm diligit, *Omnis*, inquit, non aliquis tantùm, vel quidam solùm. Eodem sensu accipitur ibi *diligit*, quo versu sequenti accipitur, *non diligit*. *Qui non diligit, non novit Deum*. Non diligit non accipitur de non dilectione intensa, de non dilectione in gradu summo; sed de non dilectione absolutè, & quoad substantiam accepta: Quia omnia carentia dilectionis constituit non filium, seu aufert filiationem Dei.

B

Quoniam verò Adversariorum momenta nobis affabrè adstipulantur, operæ pretium erit illius Epistolæ, ubi de charitate, texturam perpendere. Bis agit Joan. ibi de dilectione absolutè; & bis de dilectione perfecta. Vers. 7. agit de dilectione simpliciter. *Omnis, qui diligit*. Vers. seqq. proponit exemplum dilectionis Christi, & ad illius imitationem hortatur; & quia charitas ad imitationem Christi est perfecta, subdit vers. 12. *Si diligamus invicem, Deus in nobis manet, & charitas ejus in nobis perfecta est*. Vers. 16. iterum loquitur de charitate simpliciter. *Deus charitas est, & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo*. Duobus vers. seqq. agit de charitate perfecta expellente timorem. Utrobique charitati absolutè, & simpliciter sumptæ tribuit Scriptura justificationem tanquam effectum. Primo loco, qui diligit *natus est*, secundo loco. *Qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo*: Charitati verò perfectæ tribuit alios effectus, qui sunt proprietates justificationis, ut fiducia specialis de propria salvatione, expulsio timoris &c.

C

D

Timor, qui a charitate perfecta foras mittitur, multiplex est. Primus timor est affectus quidam desperationis conscientiæ. Secundus est timor mundanorum, quo quis ne Parentes, vel Amicos, vel Principes offendat, violat mandata Dei. Tertius est timor serviliter servilis, qua quis gehennam timet propter commodum proprium tanquam ultimum finem positivè inspectam; & hi tres timores expelluntur etiam a charitate simpliciter, & non perfecta intensivè.

Timor, qui a charitate expellitur multiplex.

E

Quartus timor est conversorum, quo incipientes cruciantur metuentes non fuisse sibi remissa peccata præterita. Quintus timor est scrupulosorum, quo anxiantur, ne actibus suis Deum offendant. Sextus timor est imbecillium, quo conculti fugiunt persecutiones Tyrannorum, paupertatem, infamiam.

Sep-

Digitized by Google

Septimus est timor formidantium, qui servientes Deo damnationis sententiam riment. Octavus est rimor initialis, quo culpa, & pœna timetur. Nonus est timor filiorum, quo Divina Majestas veneratur. Sed omnes isti timores componuntur cum charitate, & justificatione: certum enim est, quod, & recenter conversi ad Deum, & scrupulosi, & pusillanimes, & formidulosi, qui proficientes dicuntur, & timentes pœnam, & culpam, & filii possunt esse amici Dei: possunt affectivè, & effectivè observare mandata Domini: *Numquid omnes Apostoli*, clamat Paulus, *Numquid omnes Prophetæ*, *Numquid omnes Doctores*. Sunt in corpore molles carnes, dura sunt ossa, sunt fluidæ partes, sunt delicata membra, sunt diversi generis organa, sic & in Christo.

Timor reverentialis cum perfectissima charitate componitur.

Quinque priores timores foras mittit charitas perfecta intensivè, nunquam ultimum. Beatus tamen Joannes non loquitur de quolibet timore, sed de diffidentiali; loquitur enim de eo, qui contraponitur fiduciæ, quam tribuit perfecta charitas; quæ fiducia non est spes communis existens in omnibus justis; sed specialis quædam fiducia, quamdam velut certitudinem salutis progerminans. Cæterum eximiæ probitatis Viri miratam timore experti sunt spem de æterna salute metuentes. Horrebat Hieronymus diem ultimum. Rigebat S. Ephræm inferni tormenta excurrens; Pavebat Hilarion ad præsentis mortis aspectum; & similes charitate ferventes. Ex his patet extrasacramentalem justificationem non tribui præcisè charitati perfectæ, qua tali intensivè, patet etiam charitatem veram, & vivificatricem componi cum multiplici specie timoris, adeòque non rectè infertur ex mixtura alicujus timoris, quem charitas perfecta rejicit, non dari in subjecto justificationem, vel eam non indici per charitatem non perfectam intensivè.

116 OB. VII. (Totus Psalmus sextus „ induxit animam peccatricem filiali affectu, „ magna etiam de peccatis amaritudine suspi„ rantem ad Deum præ eorum remissione, & „ dicentem v. 4. *Et tu Domine usquequò*. Quæ „ procul-dubio verba sunt diligentis, fiduciæ„ que filialis, qua etiam plenus est v. 5. ubi „ misericordiam petit, ut Deum in æternum „ laudet: *Quoniam non est in morte, qui memor* „ *sit tui, in Inferno autem quis confitebitur tibi?* „ nec tamen anima illa remissionem statim „ accepit. Ut enim Aug. in Psal. 6. laudata „ verba expendens, *Sed tu Domine usquequò* — „ Quis, inquit, non intelligit animam lu„ ctantem cum morbis suis, diù autem di„ latam a Medico, ut ei persuadeatur, in „ quæ mala se præcipitaverit. Quod enim „ de facili sanatur, non multùm cavetur... „ Nondum enim tam perfecta erat hæc ani„ ma, ut ei dici possit, adhuc loquente te, „ ecce adsum) Eadem, quæ supra Theologia Sanctorum.

Istud argumentum quanti sit momenti palam fiet afferendo omnes Doctorum sententias circà materiam hujus sexti Psalmi. Jo. Chrys. *homil. 2. de cordis compunctione* negat materiam hujus Psal. esse peccatum David, quia repugnat titulus, qui est pro Octava, idest, pro judicii die. S. Hieronymus *in traditionibus Hebraicis ex 2. Regum* sentit David gravi morbo laborasse per sex menses in Hebron, priusquam ibi inungeretur super Israelem; quo tempore nondùm commiserat peccatum. Vatablus cum pluribus aliis putat gravatum David morbo lethali, propter quem ipsius inimici exultabundi moriturum credebant, a quo liberatus agit Deo gratias; quem morbum concepisse existimat Jansenius vi doloris propter homicidium Uriæ, & Adulterii.

Alii communiùs dicunt materiam hujus Psalmi fuisse persecutiones, quas David passus est ab inimicis suis, & potissimè tempore rebellionis Absalonicæ; & certum est, quod de inimicis, a quibus liberatus fuit, loquitur iste Psalmus, in quo Sanctus Propheta multam pœnitentiam promittit pro impetranda liberatione, quam obtinuit, ùt patet ex ultima medietate. In istis expositionibus nihil est pro Adversariorum scopo; quia, vel ad peccatum non reducitur ille Psalmus, vel ad reatum pœnæ temporalis sequentem peccatum; & non dubitamus graviorem pœnitentiam requiri, ut reatus totalis extinguatur: & ista sanatio adæquata per satisfactionem diù differtur, ut multum ipsius origo caveatur, & verissimum est, quod non statim recipitur hujuscemodi remissio.

Reatus pœnæ temporalis non statim condonatur.

Alia expositio est, quod materia hujus Psalmi sit non solùm inimicorum persecutio; sed etiam morbi spirituales animi, & præcipuè debilitas virium ad resistendum vitiosis affectionibus. Sed nec hæc expositio favet Adversariis, quia optimè componitur sanitas substantialis animæ cum hujusmodi morbis. Non statim ac aliquis justificatur, totaliter corroboratur, quod constat in principiis Adversariorum; concedunt ipsi justificari hominem per dilectionem imperfectam cum Sacramento, & tamen hujusmodi justificati non statim consequuntur omnimodam sanitatem a morbis spiritualibus. Ex quo ergo David ibi luctaretur cum morbis spiritualibus, non colligeretur tunc temporis caruisse justificatione. Optimè dicit Augustinus, sed in alio sensu ab eo, quem tribuunt arguentes. Agit de perfecta sanatione quoad reliquias peccatorum, quoad remissionem pœnæ temporalis; & est propositio familiaris D. Aug., quod pœna sit productior, ut culpæ gravitas concipiatur, & perpendatur.

Reliquiæ peccatorum muniti.

Cæterùm aliunde non concludit argumentum; quia voces illius Psalmi, voces sunt, quas sæpè assumunt Viri heroicæ sanctitatis; cùm enim nemo certus sit odio, an amore dignus sit, ad præterita crimina reflectentes gravissimè anxiantur, & gravissima pœnitentialia exercent, ùt innumera exempla in sacris Historiis fidem faciunt; quare ex quo David pœnitentium lamenta ibi promat, non est signum ea tunc non fuisse justificatum. Adde affectus prioribus versiculis expressos esse timoris servilis; post quos duos, vel tres affectus ad amorem spectantes subdit S. David, post quos immediatè se exauditum fuisse a Deo fatetur; adeòque fuisse justificatum, de quo gratias agit: porrò cognitio experimentalis, vel revelatione media de exauditione est beneficium alterum distinctum a beneficio,

cujus exauditio est, & eo posterius; ex quo colligere fas est, priori aliquo adhuc tempore fuisse justificatum, ac per consequens ad primos affectus dilectivè pœnitentes. Hæ sunt Scripturæ, quas reperire potui apud Clarissimos Adversarios contrà nos.

§.° I V.

OSTENDITUR CONCLUSIONIS NOSTRÆ FIRMITAS AUCTORITATE D. AUGUSTINI.

Singulariter D. August. consignatur præsens paragraphus, quia inter Patres specialissimus Patronus a Clarissimis Adversariis assumitur, qui singulis momentis Augustinum proclamant. Curabimus igitur transcribere aliquot ex illis textibus, quibus ipsi uti consueverant in favorem suæ positionis; & ostendemus deservire nobis circà præsentem cardinem de efficacia veracis dilectionis ad inferendam justificationis gratiam, etiam quando non est in grado intenso.

117 Primus locus desumitur ex *Tract. 5. in Epist. 1 Jo. ad cap. 3.* illis verbis conceptus — „ Certè jam manifestum est, unde dicat, & „ qui non diligit, inquit, fratrem suum. „ Dilectio ergo sola discernit inter filios „ Dei, & filios Diaboli — Hic Augustinus loquitur innegabiliter independenter ab actuali susceptione Sacramenti; & explicat naturam dilectionis secundùm se, ejusque pretium intrinsecum, ùt contextus demonstrat ab omnibus videndus. Hic innegabiliter agit de dilectione appretiativè super omnia secundùm se, & simpliciter præcisivè ab intensione, ut manifestat contextus: hic apertè affirmat dilectionem constituere filium Dei: ergo dilectio appretiativè super omnia infert justificationem.

Reperit iterùm immediatè post eandem doctrinam: enumeratis quibusdam piis operibus communibus justis, & injustis, ait — „ Non discernuntur filii Dei a filiis Diaboli, nisi charitate. Qui habent charitatem „ nati sunt ex Deo, qui non habent, non „ sunt nati ex Deo. Magnum judicium, „ magna discretio. Quidquid vis, habe, „ hoc solùm non habeas, nihil tibi prodest. „ Alia si non habeas, hoc habe, & implevisti „ legem &c. Hæc est margarita pretiosa, „ charitas, sine qua nihil tibi prodest quodcumque habueris: quam si solam habeas, „ sufficit tibi — Vides efficaciam charitatis ad inferendam justificationem, & ad conferendam vim meritoriam. Vides loqui apertè de charitate præcisivè ab intensione: tum quia reperit semper simpliciter, & sine addito, *charitas*: tum quia loquitur de charitate, quæ adimpletur præceptum, cui satisfit per actum dilectionis non intensiùs perfectum: tum quia loquitur de charitate contrapositivè ad ejusdem carentiam, per quam constituuntur filii Diaboli; sed carentia quælibet dilectionis in minima intensione constituit filium Diaboli: ergo charitas etiam non intensa constituit filium Dei.

Scio, quod posset D. August. exponi de charitate habituali. Sed scio etiam, quod hoc non admittunt Adversarii, qui propositionem ab ipsis citatam volunt expressè intelligi de charitate actuali, & hoc constanter sustinent, nec aliter dicere possunt, si ex eo loco inferre prætendunt actum dilectionis esse necessarium pro dispositione ad Sacramentum. De actuali tamen loquitur Augustinus, qui de ea dilectione loquitur, per quam adimpletur lex, quæ odio fraterno contraponitur: loquitur consequenter ad superiùs dicta in eodem Tractatu; ut — Hoc „ mandatum Christi dilectio vocatur, per „ hanc dilectionem peccata solvuntur — Mandata de actibus sunt. Nota iterùm per dilectionem solvi peccata. Ut — Qui facit „ contrà charitatem, & contrà dilectionem „ fraternam non audeat gloriari, & dicere „ natum se esse ex Deo — Actibus violatur fraterna dilectio. Actualis ergo dilectio infert nativitatem, qua fiunt filii Dei. Ut — „ Audiat securitatem de alio loco Scripturæ, Charitas cooperit multitudinem pec- „ catorum —

Ulteriùs dato, quod loqueretur de dilectione habituali, adhùc essemus in tuto: quia si charitas habitualis minimæ intensionis justificat formaliter, charitas actualis, etiam non intensa infert justificationem, quia ea sufficit ad dirigendas omnes operationes in ultimum finem, per quam directionem meritoria sunt opera justificatorum. Loqui in prædicta Aug. de charitate non perfecta intensivè constat apertè, ex eo quòd post descendit ad explicandam charitatem summè perfectam intensivè; tum exemplo Petri ter respondentis Christo dicenti: *Amas me plus his?* tum exemplo Christi rogantis in Cruce pro Crucifixoribus: tum exemplo Stephani, & Pauli ponentium animas suas pro fratribus.

Secundus locus est ibidem versùs mediam ejusdem columnæ illis conceptus — Redeat unusquisque ad cor suum. Si ibi in- „ venerit charitatem fraternam, securus sit, „ quia transit a morte ad vitam. Jam in „ dextera est. Non attendat, quia modo „ gloria ejus occulta est, cùm venerit Do- „ minus tunc apparebit gloria ejus — Hic loquitur de charitate, quæ secum habet justificationem, quæ sola est vera vita in ordine supernaturali, quæ sola tribuit jus ad gloriam: loquitur de charitate secundùm se, & præcisivè a sumptione actuali Sacramentorum: loquitur de charitate actuali, tum quia loquitur de charitate adimpletiva præcepti, tum quia loquitur consonè ad dictum Apostoli dicentis: *Qui diligit fratrem translatus est a morte ad vitam*, tum quia loquitur contrapositivè ad odium fraternum.

Loquitur de charitate præcisivè ab intensione: & quia loquitur de ea absolutè sine addito: & quia contrapositivè ad odium fraternum — Nun pateris fratres leve esse „ odisse, aut diligere: audite, quod sequitur, „ omnis, qui odit fratrem suum, homicida „ est &c. vivit ille, & iste jam interfector „ judicatur. Omnis, qui odit fratrem suum, „ homicida est — Vides æqualitatem inter odium, & dilectionem. Sed quodlibet odium actuale lethalis gravitatis in grado non intenso infert mortem: ergo omnis dilectio actualis verè appretiativè super omnia in

grado

grado non intenso inferre vitam illi morti oppositam: tum quia clarissimè infrà descendit ad applicandam charitatem intensivè perfectam; de qua Christus. *Majorem charitatem nemo habet, quàm ut animam ponat pro amicis suis*.

Tertius locus ibidem — Si quis tantam habuerit charitatem, ut sit paratus pro fratribus etiam mori, perfecta est in illo charitas. Sed numquid mox, ut nascitur jam prorsùs perfecta est? ut perficiatur, nascitur, cùm fuerit nata nutritur: cùm fuerit nutrita roboratur: cùm fuerit roborata perficitur: cùm ad perfectionem venerit quid dicit? Mihi vivere Christus est, & mori lucrum: optabam dissolvi, & esse cum Christo — Hoc loco utuntur Adversarii ad inferendum dari charitatem imperfectam veri nominis, & super omnia, necessariam ad justificandum in Sacramento.

Sed eodem nos utimur, & quidem conformiùs ad mentem Augustini, ut ostendamus charitatem illam dictam imperfectam inferre justificationem prævié ad actualem sumptionem Sacramenti. Certum est, quod loquitur Augustinus de charitate secundùm se, & præcisivè a sumptione actuali Sacramenti, loquitur sub eodem ordine de charitate nata, nutrita, roborata, & perfecta; ex confessione autem Adversariorum, de charitate roborata, & perfecta non agit cum ordine ad actualem sumptionem Sacramenti; aliàs deberent docere charitatem roboratam, & perfectam requiri necessariò pro dispositione in Sacramento; adeòque neque de nata, & nutrita loquitur cum ordine ad actualem sumptionem Sacramenti. Certum est, quod illa charitas veri nominis est nata; si nata vitam habet, & vivum constituit habentem, justumque efficit; implicat enim, quod in subjecto sit nata, & viva, & vitam suam non tribuat subjecto.

D. Augustinus describit ibi charitatem ad analogiam hominis, qui nascitur, nutritur, roboratur, perficitur in virum crescens; est autem certum, quod homo natus est verus homo ejusdem omninò speciei, ac roboratus, & perfectus: puer natus non habet quidem vires ad ea, quæ homo roboratus facit; per illud tamen robur non constituitur vivens, & homo, sed supponitur: ità illa charitas nata est vera charitas, & ejusdem speciei cum perfecta, facitque justum essentialiter: non habet quidem vires, quibus faciat opera excellentia, quæ facit roborata, & perfecta; per illud tamen robur non constituit justum, sed supponit: constituit justum cum addito videlicet fortem.

Quartus locus habetur *tom. 5. lib. 15. de Trinitate cap. 18.* — Dilectio, *inquit*, diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis. Nullum est isto dono excellentiùs. Solùm est, quod dividit inter filios Regni æterni, & filios perditionis æternæ. Dantur & alia per Spiritum Sanctum munera, sed sine charitate nihil prosunt. Nisi ergo tantùm impertiatur cuiq. Spiritus Sanctus, ut faciat eum Dei, & proximi amatorem a sinistra non transfertur ad dexteram — Repetit infrà similia ad rem, quibus constat Augustinum in eo constantem esse, ut teneat substantialiter acceptam charitatem inferre justificationem dividentem inter filios &c.

Quintus locus habetur *tom. 7. lib. 1. de gratia Christi cap. 21.* — Charitas autem, quæ virtus est, ex Deo nobis est, non ex nobis, Scriptura teste, quæ dicit, Charitas ex Deo est, & omnis, qui diligit ex Deo natus est, & Deum cognovit, quia Deus Charitas est. Secundùm istam charitatem melius intelligitur dictum; qui natus est ex Deo non peccat, & quia non potest peccare, quia charitas, secundùm quam natus est ex Deo, non agit perperam, non cogitat malum — Quem locum Adversarii intelligunt de charitate actuali; cumque D. August. describat charitatem secundùm se absque actuali conjunctione cum Sacramento, sequitur ipsam charitatem substantialiter acceptam inferre justificationem extrasacramentaliter, quæ est nativitas ex Deo &c.

Sextus locus habetur *Serm. 50. de verb. Dom. Tom. 10. cap. 2.* in explicatione illius dicti Apostoli 1. *Cor.* 13. — Si linguis hominum loquar &c. Ecce venitur ad passionem: ecce venitur, & ad sanguinis effusionem, venitur, & ad corporum incensionem; & tamen nihil prodest, quia charitas deest. Adde charitatem prosunt omnia: detrahe charitatem, nihil prosunt cætera — Habes hic charitatem simpliciter dictam: habes charitatem constituentem opera meritoria: habes charitatem non conjunctam cum actuali sumptione Sacramenti. Sed secundùm expositionem Adversariorum agit Augustinus ibi de charitate actuali, ergo fateri coguntur ex mente Augustini charitatem substantialiter acceptam inferre justificationem.

Loqui verò de charitate non intensa suadent etiam, quæ subdit immediatè — Quale bonum est charitas ista fratres? quid pretiosiùs? quid luminosiùs? quid firmiùs? quid utiliùs? quid securiùs? Multa sunt Dei dona, quæ tamen habent, & mali, qui dicturi sunt, Domine in nomine tuo prophetavimus, in nomine tuo Dæmonia ejecimus, in nomine tuo virtutes multas fecimus. Nec respondebit ille, non fecistis. Non enim in conspectu tanti Judicis audebunt mentiri, aut jactare, quæ non fecerunt: sed quia charitatem non habuerunt; respondebit omnibus illis, non novi illos. Quomodo autem habet, vel exiguam charitatem, qui etiam convictus non amat unitatem?

Septimus locus habetur *tom. 10. Ser. 7. de tempore*, qui est tertius de natali Domini, ubi Augustinus agit de remissione peccatorum media pœnitentia vera: quæ autem sit, ità describit — Sed videte, qualis esse debeat pœnitentia, quia multi dicunt se esse peccatores, & tamen illos delectat peccare. Professio est non emendatio. Accusatur anima non sanatur. Pronunciatur offensa, non tollitur. Pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei — Ecce justificationem infert vera pœnitentia, & quidem extrasacramentaliter, agit hic Augustinus de pœnitentia virtute, de pœnitentia

quam facimos, non de pœnitentia quàm suscipimos: Nullus hic nexus cum actuali susceptione Sacramenti.

Ecce *amor Dei*, inquit substantialiter acceptus: *& odium peccati*, substantialiter acceptum: præscinditur a summitate intensionis; magnitudo appretiationis attenditur: Quod etiam sequentia confirmant — Quan-
„ do si pœniteos, ut sibi amarum sapiat in
„ animo, quod ante dulce fuit in vita, &
„ quod te priùs oblectabat in corpore, ip-
„ sum te cruciat in mente, jam tunc benè
„ ingemiscis ad Deum, & dicis, Tibi soli
„ peccavi, & malum coram te feci &c.
„ compungat pœnitentia criminum, quos
„ hucusque transpunxit delectatio volupta-
„ tum — His sola quantitas appretiationis exprimitur.

Octavus locus habetur *tom. 7. lib. de natura, & gratia* illis — Charitas ergo inchoa-
„ ta, inchoata justitia est: charitas prove-
„ cta, provecta justitia est: charitas magna,
„ magna justitia est: charitas perfecta, per-
„ fecta justitia est: sed charitas de corde
„ puro, & conscientia bona, & fide non
„ ficta, quæ tunc maxima est in hac vita,
„ quando pro illa ipsa contemnitur vita. —
In triumphum attollunt Adversarii locum istum, quem explicant de charitate actuali: nomine inchoatæ charitatis intelligunt dilectionem Dei appretiativè super omnia, quæ crescit per gradus enumeratos: Illa inchoata charitas non justificat; sed necessaria est in Sacramento ad justificandum ex ipsis.

Sed hic triumphus clades est. En ala-rissimè. Illos omnes gradus comprehendit Augustinus illa parenthesi — Sed charitas
„ de corde puro, & conscientia bona, &
„ fide non ficta — Sed ubi non est gratia justificans, non est cor purum, non est conscientia bona: ergo loquitur Augustinus de charitate inserente veram justitiam justificantem: ergo illa inchoata justitia, justificans gratia est. Et ità reverà est. Res ut areseat, priùs debet habere esse suum. Et quando primò recipit suum esse, tunc inproprietate incipit esse: gratia sanctificans est ipsum esse hominis in ordine supernaturali: tuncque inchoare dicitur, quando primò tribuitur. Optimè ergo inchoata charitas, inchoata justitia, quia illa dilectio super omnia infert gratiam justificationis, quæ anteà non erat.

Clari sunt Augustini termini: illud —
„ Provecta justitia, magna, perfecta, ma-
„ xima — gradus justitiæ inchoatæ evidenter exprimit, non novas substantiales justitias; si autem gradus superadduntur, & non novæ justitiæ substantialiter acceptæ, oportet, quod inchoata justitia sit ipsa sanctitas, & gratia sanctificans primò collata. Tenet semper Augustinus consonantiam inter charitatem, & justitiam, ùt patet ex textu: si ergo charitas inchoata est veri nominis dilectio super omnia, sed graduali intensione imperfecta; justitia inchoata debet esse veri nominis justitia, hoc est gratia sanctificans, sed non in gradu intenso: hanc esse mentem Augustini videbimus infrà explicantes D. Th. 2. 2. q. 23.

Omitto referre aliam locum *tom. 7. lib. de gratia, & libero arbitrio cap. 17.*, ubi dicit parvam Petrum habuisse charitatem, quando dixit se paratum mori pro Christo, quia in superioribus vidimus tunc temporis Petrum fuisse justificatum. Alia plura S. Doctoris loca expendere possemus; sed hæc delibasse sufficiat, nonnulla dicturi seq. Articulo.

§. V.

SOLVUNTUR AUCTORITATES AUGUSTINI CONTRA ADDUCTÆ.

118 OBJIC. I. Eadem est ratio de remissione peccatorum per contritionem antè, & post Baptismum; sed per contritionem dilectivam super omnia non delentur peccata commissa antè Baptismum: ergo neque post commissa. Producunt Adversarii celebrem sententiam D. Augustini *tom. 9. tract. 13. in Jo. pag. 4.* ubi —
„ Quantamcumque enim Catechumenus pro-
„ ficiat, adhuc sarcinam iniquitatis suæ
„ portat: non illi dimittitur, nisi cum ve-
„ nerit ad Baptismum. Quomodo non ca-
„ ruit Populus Israel Populo Ægyptiorum,
„ nisi cum venisset ad Mare Rubrum: sic
„ pressuris peccatorum nemo caret, nisi cum
„ ad fontem Baptismi pervenerit — Non igitur inchoata charitas Dei super omnia sufficit homini justificando antè Sacramentum.

In triumphum erigunt hanc auctoritatem Clarissimi Adversarii, cui velint nolint succumbant. Auctoritas ista omninò universalis est, nullum excipit tempus, nullum excludit Catechumenum; cùm tamen Adversarii constanter concedant eam charitatem sufficere ad justificandum pro mortis articulo, & etiam quando charitas intensa est, & de intensione etiam loquitur S. Doctor, ùt illud verbum *Quantamcumque proficiat* aperiè indicat. Quantumcumque proficiat, hoc est, sive modico, sive magno, sive maximo incremento. Quare cogunt locum ipsimet explicare; hinc Gaspar Juenin illum interpolat hac nota. *Secundùm viam ordinariam.*

Cæterùm quidam intelligunt illam auctoritatem non de Catechumenis dilectoribus Dei, sed de neglectoribus Baptismi, quæ solutio fundamentum habet in contextu: Quærit ibi duo Augustinus: primùm cur oportuerit Dominum baptizari, & cur non solùm ipse, sed & alios voluerit baptizari a Joanne: primò respondet — Quia
„ multi contempturi erant Baptismum, eo
„ quòd jam majori gratia præditi videren-
„ tur, quàm viderant alios Fideles — Et prosequitur id explicare. Secundò respondet: ne videretur melior Baptismus Joannis Baptismo Domini, & exponit propositionem suam. Deindè subdit — Ad hoc autem viam
„ præbuit Dominus noster Jesus Christus,
„ sicut audistis fratres, ne quis arrogans eo,
„ quòd habeat abundantiam alicujus gratiæ,
„ dedignetur baptizari Baptismo Domini.
„ Quantumcumque enim Catechumenus pro-
„ ficiat &c. — Ecce de quibus Catechumenis agit, & quibus applicat doctrinam

arrogantibus, dedignantibus baptizari.

Deindè ille terminus *proficiat* indifferens est, ut intelligatur de profectu solùm doctrinali circà Mysteria Fidei, præcepta, & ritus Ecclesiæ; & de profectu exterioris exercitationis in iis, quæ pertinent ad Disciplinam Ecclesiasticam, etiam de profectu in quibusdam virtutibus moralibus præcisè: vel ut intelligatur de profectu veraci in charitate; ità quod ille Catechumenus in veritate Deum diligat super omnia. Intellectus de primo profectu non est ad rem; ut autem intelligamus de secundo profectu, contextus non iudicat, & multò minùs cogit ad eam intelligentiam.

Sed demus loqui Augustinum de Catechumeno dilectione proficiente in charitate, negandum est eum velle non esse essentialiter justificatum: solùm vult non esse plenè justificatum, hoc est liberatum a reatu, & pœnæ æternæ, & temporalis, a captivitate venativa diaboli, a reliquiis peccatorum, ab ardoribus concupiscentiæ, & ab aliis corollariis peccati originalis, & actualis. Per Baptismum sanatur plenè, remittitur reatus omnis pœnæ æternæ, & temporalis, fit membrum Christi in re, adeòque eximitur a potestate diaboli, temperatur ardor concupiscentiæ, aliisque pluribus bonis abundat.

Iterùm mens Augustini patet ex illo alio verbo (*sic pressuris peccatorum non caret*) quid sunt pressuræ peccatorum, nisi molestiæ peccatorum; reatus pœnæ gravantes: paritas etiam quam adducit de Israelitis non nihil juvat. Antequam Israelitæ essent in tuto per transitum Maris Rubri, aufugerant de manibus Ægyptiorum, sed non erant extrà omne periculum propter instantem Pharaonem persequentem. Consimiliter amans Catechumenus antè Baptismum justificatur per dimissionem peccatorum, sed plenè non liberatur, nisi demergatur totaliter Pharao in aquis baptismalibus.

119 OB. II. Prima peccatorum dimissio solùm fit per Baptismum: ergo secunda peccatorum condonatio non fit, nisi per Sacramentum Pœnitentiæ; ergo inchoata charitas super omnia non justificat extrasacramentaliter. Producunt August. *tom 9. lib. 1. de Symbolo ad Catechumenos ad articulum de remissione peccatorum*, cujus verba integra referimus, ut mens Doctoris legitima habeatur — „ Ergo tribus modis dimittuntur peccata in „ Ecclesia, in Baptismate, in Oratione, in „ humilitate majoris pœnitentiæ: tamen Deus „ non dimittit peccata, nisi baptizatis. „ Ipsa peccata, quæ primùm dimittit, non „ nisi baptizatis dimittit. Quando? quando baptizantur. Peccata, quæ postea „ orantibus dimittuntur, & pœnitentibus, „ quibus dimittit, baptizatis dimittit. Nam „ quomodo dicunt Pater noster, qui non„dum nati sunt? Catechumeni quandiù „ sunt, super illos sunt omnia peccata eo„rum. Si Catechumeni, quantò magis Pa„gani —

Plaudunt ad hanc auctoritatem Aug, si tamen ipsi adscribenda, arguentes, verùm ipsosmet Adversarios ferit, qui tenent inchoatam charitatem in mortis articulo justificare, qui tenent aliquando charitate perfecta impiis peccata dimitti; Illa enim verba *peccata, quæ primùm dimittit, non nisi baptizatis dimittit*: illa alia, *Catechumeni quandiù sunt, super illos sunt omnia peccata eorum*, indefinita sunt, universalia sunt, tempus mortis includunt, tempus perfectæ charitatis comprehendunt. Itaque scopus Augustini est declarare remissionem peccatorum non dari extra Ecclesiam Dei, non conferri nisi baptizatis, quia per Baptisma efficitur homo actu membrum Ecclesiæ, cùm antecedenter, quamvis justus non esset, nisi in voto, seu merito.

Quando dicit peccata primùm dimitti in Baptismo, loquitur de illis, qui baptizantur absque charitate Dei super omnia: Quando etiam dicit Catechumenos, quandiù sunt, supra se habere peccata sua, loquitur de Catechumenis non contritis, sed simpliciter de attritis. Augustinus non sibi contradicit; tenet enim apertè Baptismum in voto sanctificare, quare citata propositio ad non contritos limitanda venit. *Lib 4. de Baptismo* contrà Donatistas *cap. 22. 23.* habet — Quod „ etiam, atque etiam considerans, invenio „ non tantùm passionem pro nomine Christi „ id, quod ex Baptismo deerat, posse sup„plere, sed etiam fidem, conversionemque „ cordis, si fortè ad celebrandum myste„rium Baptismi in angustiis temporum „ succurri non potest —

Baptismus in attritis delet peccata.

Cap. 25. — Quibus rebus omnibus „ ostenditur, aliud esse Sacramentum Bap„tismi, aliud conversionem cordis, sed „ salutem hominis ex utroque compleri: nec „ si unum horum defuerit, ideò putare de„bemus consequens esse, ut & alterum de„sit; quia & illud sine isto potest esse in „ infante, & hoc sine illo potest esse in la„trone complente Deo, sive in isto, sive in „ illo, quod non ex voluntate defuisset: „ cùm verò ex voluntate alterum horum „ defuerit, reatu hominem involvi. Et „ Baptismus quidem potest inesse, ubi con„versio cordis non fuerit: conversio autem „ cordis potest quidem inesse non percepto „ Baptismo, sed contempto non potest. „ Neque enim ullo modo dicenda est con„versio cordis ad Deum, cum Dei Sacra„mentum contemnitur — Quibus declarat Augustinus antè actualem sumptionem Baptismi Catechumenum cordis conversione justificari, cordis autem conversio habetur, ubi adest dolor de peccatis dilectivus super omnia. Remissionem extrasacramentalem dari Augustinus pro lapsis post Baptismum, docet ipso textu objectionis, ubi tribus dimitti peccata tradit, oratione, pœnitentia, Baptismate.

120 OB. III. D. Augustinus compatitur perennium multitudini tempore persecutionis propter absentiam Ministrorum, & fugam: sed superflua esset hujusmodi compassio, si teneret contritionem substantialiter acceptam justificare: ergo id illi non est attribuendum. Producunt verba *Epist. 180.* ad Honoratum, quæ sunt — An non cogi„tamus cum ad istorum periculorum per„venitur extrema, nec est potestas ulla fu„giendi, quantus in Ecclesia fieri soleat ab „ utro-

„ utroque seau , atque ab omai ætate con-
„ corsos , aliis Baptismum flagitantibus ,
„ aliis recoociliationem , aliis aliam pœoi-
„ tentiæ ipsius actionem , omnibos coosola-
„ tionem, & Sacrameotorum confectionem,
„ & erogationem ? ubi si Mioistri desont ,
„ qoaotùm caltiom sequitur eus, qui de isto
„ secolo , vel nuu regeneratl exeunt , vel
„ ligati ? quantus est loctus etiam fidelium
„ suqrum, qui secum eos in vitæ æternæ re-
„ quie non babebont ?

Absentibus sacris Ministris Populus periclitatur.

Plorima sunt bona , qolbus privantur Fideles defectu Mioistrorum tempore persecutioois ; & plurima sont mala, quæ eveniant. Pereunt pleiique infaotiom non baptizati, qoibos aliad medium salutis non ast. B Pereout plerique adultorum simplici attritione de peccatis doleutes, hoc est timore pœnæ, quæ tooc magis movet , qoia adjuvari neqoeunt per actualem susceptiouem sacrameotalis Pœnitentiæ : pereuot alii io lege nou sofficicoter instructi : pereuot alli iostructi , sed uimio pusilauimitatis spiritu præoccapati, ooo valent ad cor redire , & sustinere , qui præseotibos Ministris adbortatoribos, instructoribas, confortatoribos, viriliter agerent , & salvareot auimas soas . Pereont ex justis pleiique , qoi careotes robore gratiæ , qoam Sacramenta conferont , recedunt lostantibus miuls . Ad hæc alludit Aug.

C 121 OB IV. Charitas perfecta, qoæ sit perfecta jostitia, debet esse talis , ut affectus Divini amoris hìc, & ounc iam fortis sit, & validas, ot etiamsi hìc, & nunc præseus foret occasio fustioeodi non solùm jacturam rerum temporalium, sed & vitæ propriæ: sostioeodi etiam gravissimus cruciatus osqoa ad ipsam mortem , aa omoia sustineret, potiùs quàm a charitate Dei recedere; sed amor Dei soper omoia inchoatus uoo est hojusmodi : ergo auo sufficit ad Infereudam justificatiooem extrasacrameutalem .

Producoot D. August. *Epist.* 144. Ubi --
D „ Qoemadmodum ad peccaodom nullus vos
„ cogebat timor , sed ipsios libido , volup-
„ tasque peccati ; sic ad joste vivendum
„ ooo vos supplicii metos urgeat, sed ducat
„ delectatio , charitasqoe justitiæ ; & hæc
„ quidam qoaotùm mihi videtur uondum
„ est perfecta , sed qoodammodo adulta
„ jostitia . Neque eoim frostrà præmitteret ,
„ humanom dico propter iofirmitatem car-
„ nis vestræ , nisi qoia plus aliqaid diceo-
„ dom fuit , si jam illi ferra portaissent &c.
„ Justitia verò sic aroaoda ast , ot ab ejos
„ operibus etiam pœoa corporis nos cobi-
„ bera oou dabeant ; atqui inter maons
E „ crodeliom loimicorum luceaot opera no-
„ stra coram homioibus , ut qoibos placere
„ possunt , glorificent Patrem nostrum, qui
„ io Cœlls est . Hinc est , qood illa fortis-
„ simus justitiæ dilector exclamat . Quis oos
„ separabit a charitate Christi? Tribulatio,
„ an aogustia &c. vide quemadmodom non
„ utcomque air , qoia nos separabit a Chri-
„ sto : sed ostendeus, unde nos cohæreamus
„ Christo ; quis nos , inquit , separabit a
„ charitate Christi ? Charitate igitor Chri-
„ sto , nou pœnæ timore cohæramos --

Hujosmodi argumeota doctrioam nostram declaraut , & confirmant . Si ad perfectam justitiam , hoc est , ad eam , qoa A constituit hominem jostom , requiratur illa dilectionis magoitodo , quam describit objiciens , seqoitur Sacrameotom cum inchoata charitate ooo justificare , qood ipsi negant . Quia Sacramentom non supplet illam magnitudinem , cùm certam sit in majori parte jostificatorum pœnitentium nou reperiri suscepto Sacramento illam excelleotiam fortitudinis præteosæ . Evidens ast , & da fide indubitatum , sicut justitiam , ità & charitatem iaoctificatorum gradus habere perfectiores ; suot eoim sanctificati , Sancti , & Saoctiores , & Sanctissimi : porrò grados charitatis Paoli ab Aogu- B stino recensitos tauet supremum apicem perfectioois ; ideò Paulum vocat io superlativo fortissimam dilectorem : & infrà justissimom appellat habeotem illam charitatem , quam lamioosissimam iosctibit . Quis aotem credet Augustinom sentire , qood sola charitas hojus characteris sit jostitia jostificaus ? Injurias est tanto Doctori , qoi talia cogitat , nam sub specle alendæ charitatis ad desperationem peccatores , qoos tam peramanter Deus vocat , & expectat , adigit .

Cousolit itaqoa Augustinus ; & adhortatur, ot ad eam perfectionem pervaoiant Fi- C deles . Cæterùm ex eodem loco colligitur dilectionem gradus inferioris inferre justificationem . I. Quia dicit , qood ad justè viveodum moveat oos charitas jostitiæ , sicut ad peccaudum movit voluptas : sed voluptas ad peccaudum sufficieos , & ad constitueodum impium uoo est oecessè, qood sit somma inteosivè ; sed sufficit , qood sit a lege probibita, etiamsi affecto remisso eam homo amplectator libera electione : ergò ad justè viveodum nou est uecessaria charitas inteusivè summa .

II Ut illam charitatem dlcat non esse adhoc perfectam ducitur ab auctoritate Beati D Pauli ex 6. ad Rum. citata : sed apertè Paolus loquitor de jastificatis, ut ibidem sæpè repetit , & couclusivè v. 22 babet . *Nunc verò liberati a peccato , servi autem facti Dei babetis fructum vestrum in sanctificationem , finem verò vitam æternam* . Ergu supponit Augostiuus illam imperfectam charitatem esse justitiam jostificaotem . Charitas igitor summa appretiativè sufficit , & noo requiritur lutensivè magna , & multò miuùs maxima , quamvis ad istam sint omoes hortaodi , & umoes ad eam asseqoeudam alliicieodi ; sed io magna domo sunt , & vasa aorea , & argentea , & ex lapidibus pretiosis ; & omoia cara sunt E Domino .

122 OB. V. Secondùm Augustiaum charitas perfecta, ac proindè per se justificaos, vicisse debet omnem cupiditatem rerom temporaliom . *Tom. 3. lib. de agone Christiano cap. ult.* habet -- Perfecta charitas , nec copidi-
„ tatem habet seculi , nec timorem seculi ,
„ idest , nec cupiditatem , ot acqoirat res
„ temporales , nec timorem oe amittat res
„ temporales -- Sed sobstaotialis dilectio Dei super omoia non est hojusmodi : ergo ista secuodùm Augostinum non est per se justificativam .

RESP. Aogustinus non reqoirit pro

justi-

justificatione perfectam charitatem ad sensum Auctoris objicientis explicatam: cupit quidem, ut omnes ad eam perveniant, & ad eam hortatur; cæterùm nequaquam exigit eam perfectionem pro acquirenda justificatione. Admittit ibi gradualitatem in charitate justificatorum. Admittit parvulos Christo natos, quos salutari consilio instruit -- Et cum parvuli sumus, majorum cibos non appetamus, sed nutrimentis saluberrimis crescamus in Christo, accedentibus bonis moribus, & Christiana justitia, in qua est charitas Dei, & proximi perfecta, & firmata: ut unusquisque nostrum de diabolo inimico, & Angelis ejus triumphet in semetipso in Christo, quem induit -- Ecce quomodo agnoscat inter Christo natos, & justificatos, & parvulos, qui cibis majorum non sunt nutriendi, & adultos, qui crescunt, & perfectos quos propositio objicientis comprehendit. His remanet nostra doctrina egregiè roborata.

123 OB. VI. Si dilectio Dei super omnia infert justificationem, omnis diligens Deum super omnia esset homo perfectus, & sanctus. Sed hoc dici nequit juxta Augustinum -- Perfecta enim charitas perfectam faceret justitiam, & non haberet, quare timeret: immò haberet, quare desideraret, ut transeat iniquitas, & veniat Regnum Dei, *tom. 9. tract. 9. in Epist. Joan.* -- (Quousque anima ad istum gradum contritionis non pervenerit, quamvis gemebunda, & plangens ad remissionem peccatorum accesserit, illam tamen nondum obtinet.) Concludit Neassen.

Adhuc amplius exigere videtur Augustinus, nimirùm, ut secundùm præsentem cordis dispositionem homo fatis fortis sit ad illa sustinenda, idest mala, non solùm patienter, sed etiam delectabiliter, quia ibidem habet August. -- Sunt enim homines, qui cum patientia moriuntur: sunt autem quidam perfecti, qui cum patientia vivunt. Quid dixi? Qui adhuc desiderat istam vitam, quando illi venerit dies mortis patienter tolerat mortem. Luctatur adversùm se, ut sequatur voluntatem Dei, & hoc potiùs agit animo, quod eligit Deus, non quod eligit voluntas humana, & ex desiderio vitæ præsentis fit lucta cum morte, & adhibet patientiam, & fortitudinem, ut æquo animo moriatur. Iste patienter moritur. Qui autem desiderat, sicut dicit Apostolus, Cupio dissolvi, & esse cum Christo, non patienter moritur, sed patienter vivit, delectabiliter moritur -- Sic recitata Theologia Sanctorum.

RESP. Profectò omnia confunduntur hujusmodi ratiociniis. Evidens est, quod Augustinus in hac propositione agit de charitate perfecta, immò perfectissima: sed cardo est, unde colligant hanc perfectionem charitatis esse necessariam ad justificationem ex mente Augustini, hoc nusquam ostendent. Ille, qui patienter moritur conando sequi voluntatem Dei; sed non moritur delectabiliter, salvatur ne, an damnatur? Damnari non dicit Augustinus, nec dicere

Augustinus non exigit perfectam charitatem ut quis justificetur.

potest: ergo ad salutem non requirit Augustinus eam perfectionem charitatis, qua homo moriatur patienter, & delectabiliter. Quod autem dicitur de hoc gradu, dicitur de aliis in linea intensiva, dummodò integra servetur linea appretiationis.

Audi Augustinum paulò antè ibi loquentem -- Quantùm autem mortificat iste, qui timere cœpit diem Judicii, membra sua super terram tantùm surgunt, & corroborantur membra cœlestia. Membra autem cœlestia omnia opera bona. Surgentibus cœlestibus membris, incipit desiderare, quod timebat. Timebat enim ne veniret Christus, & inveniret impium quem damnaret: desiderat, ut veniat, quia inventurus est pium, quem coronet. Jam cum cœperat desiderare venientem Christum casta anima, quæ desiderat amplexus Sponsi, renunciat adultero; fit virgo interiùs ipsa Fide, Spe, & Charitate -- Nonne hic clarè ponit per primos gradus charitatis hominem justificari? nonne per charitatem inchoatam, ùt vocant Adversarii? nonne per illam, quæ incipit ex timore servili propter diem Judicii?

Sed ulteriora premamus. Infrà columna sexta -- Diligendo amici facti sumus, sed inimicos ille dilexit, ut amici efficeremur. Prior dilexit nos, & donavit nobis, ut diligeremus eum. Nondum diligebamus eum, diligendo pulchri efficimur &c. Anima verò nostra, fratres mei, fœda est per iniquitatem, amando Deum pulchra efficitur &c. Quomodo erimus pulchri amando eum, qui semper est pulcher? Quantum in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo -- His in aperto est substantialem dilectionem justificare, gradualem magis justificare: illa causalis, quantùm in te crescit amor, tantùm crescit pulchritudo, quia charitas est animæ pulchritudo, insuperabilis est: quia charitas ipsa quoad substantiam accepta, pulchritudo est, sanctitas est.

Illud sophisma. Si charitas inchoata justitiam infert, omnis amans esset perfectus homo, & sanctus, diluimus in superioribus. Petimus ab Adversariis, an Puer quinque annorum, qui non potest terram fodere, sicut vir triginta annorum, sit perfectus homo? Quod ipsi respondebunt, nostrum erit. Dicent esse Puerum perfectum hominem in linea essentiali, secus in linea accidentali, & quantitativa: ità amans Deum super omnia appretiativè est perfectus justus in linea essentiali, secus in linea accidentali, & intensiva.

124 OB. VII. Sentit Augustinus eam dilectionem Dei non justificare, qua habita ipse non est factus justus: sed contritione dilectiva super omnia ipse non est factus justus: ergo sentit illam non justificare. Producunt Aug. *lib. 8. Confess. cap. 12.* dicentem -- Dicebam hæc, & flebam amarissima contritione cordis mei. *Alibi*. Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & gestabamus verba tua transfixa visceribus. *Lib. 9. cap. 4. n. 8.* Quas tibi Deus meus voces dedi cum legerem Psalmos David cantica

fide-

„ fidelia, & fontes pietatis excludentes turgidum spiritum: rudis in germano amore tuo, Catechumenus in villa, cum Catechumeno Alipio feriatus, matre adhærente nobis muliebri habitu, virili fide, anili securitate, materna charitate, Christiana pietate? Quas tibi voces dabam in Psalmis illis, & quomodo in te inflammabar ex eis, & accendebar eos recitare, si possem, toto terrarum Orbe adversùs typum generis humani? —

His non possumus negare contineri actus Divini amoris; & tamen ad calcem ejusdem capitis habet — Et insinuati sunt „ mihi in profundo nutus tui, & gaudens in fide laudavi nomen tuum. Et ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, quæ mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant. Et *cap. 6. n. 2.* „ Baptizati sumus, & fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ — (Sancto igitur Doctori persuasum fuit inchoatam Dei charitatem super omnia Catechumenos etiam minimè inertes, & pigros Deo passim non reconciliare priusquam Baptismatis Sacramentum actu suscipiatur.) Juxta conclusionem hanc deducit supra intentum.

RESP. Ultra votum probat argumentum, requiri videlicet non inchoatam charitatem ad Sacramentum sumendum, sed vehementem, sed summam, sed maximam: *Amarissima contritione*, se flere dicebat Augustinus, non amara tantùm, non inchoata tantùm. Capite illo quarto recensiti affectus compuncti cordis, si sincerè perpendantur verborum significationes, non sunt imperfectæ charitatis, non inchoatæ contritionis, sed valdè intensæ: si ergo tanta contritio non justificat, & tantam habuit Augustinus antè Baptismum, tanta erit necessaria; nec erit vera positio Adversariorum, quod charitas perfecta sit perfecta justitia. Verba attendantur S. Doctoris — Me securum esse „ non sinebat — Optimè instructus circa Dei judicia, & cordis humani inscrutabilitatem, securitate carere confitebatur, quod cum justificatione optimè componitur; immò verè justificatorum vera vox est, de justitia sua non esse securos. Justificatus utique erat, & quidem excellenter, qui dicebat. *Nihil enim mihi conscius sum. Sed non in hoc justificatus sum: qui autem judicat me Dominus est.* 1. Cor. 4.

Deindè loquitur Augustinus de securitate, & remissione plena peccatorum, quæ in Baptismo habetur per condonationem omnis culpæ, & pœnæ; quod clarè manifestant verba *cap. 6.* — Baptizati sumus, & „ fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ — Quia plena in Baptismo fit remissio: si alicujus pœnæ reatus remansisse intellexisset, sollicitudo vitæ præteritæ aliqua remansisset; sicut remanet sumpto Sacramento Pœnitentiæ. Fugit sollicitudo, quia totaliter deletur vita præterita dicente ipso August. *lib. 2. de peccatorum meritis cap. 28.* — Si continuò „ (post Baptismum) consequatur ex hac „ vita migratio, non est omninò, quod ob„noxium hominem teneat solutis omnibus, „ quæ tenebant — Quare jure meritò exultabat Augustinus, ut ibidem prosequitur explicare, quoniam nulla sarcina peccatorum gravatum se sentiebat, nulli obnoxium pœnæ propter tot crimina commissa, exemptum a diaboli jugo: factum Christi membrum agnoscebat se, extinctis non quidem, sed valdè, & valdè repentibus concupiscentiæ ignibus, ad quæ bona consequenda, & firmanda multum contulerat Baptisma.

§ VI.

DEMONSTRATUR VERITAS NOSTRÆ CONCLUSIONIS AUCTORITATE DIVI THOMÆ.

PLurima afferre possemus pro re nota ex D. Thoma, verùm brevitati consulendo illa seligimus, quibus utuntur Clarissimi Adversarii ex in ipsos regerendo; deindè subdemus nonnulla, quæ ipsi omittunt.

Regeruntur in Adversarios textus Angelici Doctoris, qui ab ipsis adducuntur.

Primus locus ab Adversariis adductus desumitur ex *lib. 3. contrà Gentiles cap. 157. num. 2.* in illis verbis — Offensa non nisi per „ dilectionem tollitur — Sed, inquiunt, in sacramentali justificatione tollitur offensa: ergo ad eam requiritur dilectio, non quidem perfecta: ergo inchoata.

RESP. Eo loci vult D. Th., quod hæc dilectio per se afferat justificationem cum voto Sacramenti, quod semper intelligitur. Accipe verba totius contextus — Offensa „ non nisi per dilectionem tollitur, sed per peccatum mortale homo offensam Dei incurrit: dicitur enim, quod Deus peccatores odit in quantùm vult eos privare ultimo fine, quem his, quos diligit, præparat. Non ergo homo potest a peccato mortali resurgere, nisi per gratiam, per quam fit quædam amicitia inter Deum, & hominem — Gratia faciens amicitiam cum Deo est gratia justificans etiam in minimo gradu. Hæc autem habetur per dilectionem, per quam tollitur offensa; hic enim est processus D.Th., ut optimè advertit Ferrariensis. Ibi autem D. Th. de dilectione secundùm se loquitur; & ideò de inchoata contenti sunt Adversarii: ergo hæc tollit offensam, & infert justificationem extrasacramentaliter, de qua loquitur.

Secundus locus adducitur ab Adversariis ex *lib. 4. contrà Gentiles cap. 72.*, ubi dicitur agere de Pœnitentia Sacramentali in illis — Hæc verò mentis reordinatio (quæ „ requiritur, ut scilicet mens convertatur „ ad Deum, & avertatur a peccato) sine „ gratia esse non potest, nam mens nostra „ debitè ad Deum converti non potest sine „ charitate, charitas autem sine gratia ha„beri non potest — Hìc subsistunt Adversarii textum obtruncantes, qui integrè prolatus noster est.

Accipe quod sequitur — Ut patet ex „ his, quæ in 3. lib. dicta sunt. Sic igi„tur per contritionem, & offensa Dei tol„litur, & a reatu pœnæ æternæ liberatur, „ qui cum gratia, & charitate esse non po„test; non enim æterna pœna est, nisi per „ separationem a Deo, cui gratia, & cha„ritate homo conjungitur. Hæc enim mentis „ reor-

„ reordinatio , quæ in contritione consistit,
„ ex interiori procedit , idest a libero ar-
„ bitrio -- Innegabiliter concedit ipsam
contritionem ex suis afferre gratiam justifi-
cationis , & probat per essentialia ipsius ,
quæ incompossibilia sunt cum ipso peccato .

Quia tamen S. Thomas apprimè nobis favet nonnulla perpendenda sunt . Inquirit ibi quomodo fiat perfecta sanatio a morbo spirituali per peccatum inducto , ad quam necesse est , quod reparentur deordinatio mentis a Deo , reatus totius pœnæ, & debilitatio naturalis boni, resolvit fieri ab intrinseco, & ab extrinseco , ab intrinseco fit per contritionem, quæ reparat deordinationem mentis , & reatum pœnæ æternæ .

Quomodo spiritualis sanetur morbus juxta D. Th.

Ab extrinseco per Sacramenta sub hac distributione : si Sacramentum sit Baptismus ritè susceptus , reparet reatum totius pœnæ etiam temporalis : si sit pœnitentiæ, distinguit ; vel contritio præcedens est vehemens, & tunc Sacramentum Pœnitentiæ in re non est necessarium ad reparandum totum reatum pœnæ temporalis , quia reparatur per contritionem, si contritio non sit vehemens, tunc Sacramentum reparat reatum magna ex parte pœnæ temporalis , facta jam reparatione a deordinatione mentis, & a reatu pœnæ æternæ per contritionem , quàm absque actuali susceptione Sacramenti cum solo proposito suo tempore confitendi fieri docet , & hoc ter repetit ; quibus casibus Sacramentum pleniorem tribuit remissionem a pœnæ temporalis debitæ, & confert majorem gratiam. Audiatur S. Thomas -- In hac verò sanatio-
„ ne spirituali Christo conjungimur secun-
„ dùm operationem nostram divina gratia
„ informatam , undè non semper totaliter ,
„ nec omnes æqualiter remissionis effectum
„ per hanc conjunctionem consequuntur .
„ Potest enim esse conversio mentis in Deum,
„ & in detestationem peccati tam vehemens,
„ quod remissionem peccati perfectè homo
„ consequitur non solùm quantùm ad purga-
„ tionem culpæ, sed etiam quantùm ad re-
„ missionem totius pœnæ , hoc autem non
„ semper contingit . Undè quandoque per
„ contritionem, amota culpa, & reatu pœnæ
„ æternæ soluto , ùt dictum est , remanet
„ obligatio ad aliquam pœnam temporalem,
„ ut justitia Dei salvetur, secundùm quam
„ culpa ordinatur per pœnam . Cùm autem
„ subire pœnam pro culpa judicium quod-
„ dam requirat , oportet , quod pœnitens ,
„ qui se Christo sanandum commisit , Chri-
„ sti judicium in taxatione pœnæ expectet ,
„ quod quidem per suos Ministros exhibet
„ Christus , sicut & cætera Sacramenta --

Ex hoc habemus I. dari contritionem vehementem , seu perfectam , quæ perfectè sanat etiam a pœna temporali . II. dari contritionem non vehementem, seu imperfectam, quæ sanat a culpa , & pœna æterna , sed non a temporali . III. Sacramentum Pœnitentiæ sub contritione imperfecta non producere remissionem culpæ, & pœnæ æternæ, sed illam supponere , sed producere remissionem pœnæ temporalis , & augmentum gratiæ . IV. Sacramentum Pœnitentiæ aliquando causare remissionem etiam culpæ, & pœnæ æternæ ; quod tunc accidere oportet, quando Pœnitens accedit absque dolore dilectivo , sed cum alio inferiori , qui alius esse nequit , nisi simplicis attritionis .

Dlationes ex Doctrina Angelici.

Tertium locum desumunt Adversarii *de Veritate q. 28. art. 3. Argum. ult., sed contrà ,* illis -- Justificatio impii non fit sine chari-
„ tate -- Utique super omnia licet inchoa-
te , volunt ipsi Adversarii .

Sed accipe integrum textum -- Quia ,
„ ùt dicitur *Prov.* 10. Universa delicta ope-
„ rit charitas. Sed charitas cum sit quædam
„ amicitia , cùm redamatione est , ùt patet
„ per *Philos.* 8. *Eth.* Mutuus autem amor
„ requirit in utroque usum liberi arbitrii --
Atqui charitas , quæ est amicitia Dei , non stat sine gratia justificationis : ergo charitas inchoata affert justificationem ; & hoc utique fuis , ùt patet ex probatione, quam ponit D. Thomas .

Quartus locus est ibidem *in corpore art.* illis -- Mens autem humana aliquo modo
„ tangit Deum eum cognoscendo, vel aman-
„ do ; undè & in adultis, qui possunt Deum
„ cognoscere , & amare requiritur aliquis
„ usus liberi arbitrii , quo Deum cogno-
„ scant , & ament ; & ista est conversio ad
„ Deum , de qua dicitur *Zach.* 1. Con-
„ vertimini ad me , & ego convertar ad
„ vos --

Sed conversio ibi descripta est conjuncta cum gratia sanctificante : ergo ille amor (utique inchoatus , ùt Adversarii dicunt) infert justificationem extrasacramentaliter ; loquitur enim ibi Doctor independenter a Sacramento apertè : esse conjunctam cum gratia constat clarè ex toto contextu , & ex titulo articuli , & ex paritate justificationis puerorum .

Quintus locus est ibidem *art. 4. in corpore* illis -- Sic ergo in justificatione impii
„ liberum arbitrium movetur in Deum mo-
„ tu Fidei , Charitatis , & Spei : oportet
„ enim justificatum in Deum converti aman-
„ do ipsum cum spe veniæ --

Sed iste amor, quem inchoatum dicunt Adversarii , per D. Thom. ibidem ad primum est effectus gratiæ sanctificantis infusæ -- Moveri in Deum per liberum arbi-
„ trium sequitur quodammodo ordine na-
„ turæ gratiæ infusionem , non autem tem-
„ pore , ùt infrà patebit . Gratiæ autem
„ infusio est unum eorum, quæ requiruntur
„ ad justificationem , undè non sequitur
„ propter hoc , quod motus liberi arbitrii
„ in Deum justificationem sequatur -- Sed actus dilectionis in Sacramento præcedit de necessitate tempore absolutionem : ergo antè illam secum affert justificationem .

Sextus locus est ibidem *art. 5. in corpore* illis -- Sicut autem conversio in Deum fit per
„ hoc, quod homo cognoscit Deum per Fi-
„ dem , & eum amat , & gratiam deside-
„ rat , seu sperat , ità oportet , quod con-
„ versio liberi arbitrii in peccatum fit per
„ hoc , quod homo se peccatorem cogno-
„ scit , quod est humilitatis, & pecca-
„ tum præteritum detestatur , ut pigeat fe-
„ cisse , & iterare non velit . *Ad primum* .
„ Dilectio non potest esse sine detestatione
„ ejus, quod a Deo separat ; & ideò propter
„ motum dilectionis in Deum requiritur in

justificatione peccati detestatio —

Cùm autem loquatur D. Th. de dilectione conjuncta cum gratia justificante, sequitur, quod illa dilectio antè actualem sumptionem Sacramenti justificationem inferr. Nec aliter esse potest ex mente S. Doctoris, qui capressè docet ibidem *art.* 8., quod semper contritio, quæ est dolor dilectivus, est conjuncta cum gratia sanctificante; & ab eadem procedit in genere effectivo; licèt eam præcedat in genere causæ dispositivæ: dispositio autem tempore præcedens gratiæ infusionem est attritio ùt ibidem docet. Ex quo principio sequitur, quòd quando solutio sacramentalis producit gratiam sanctificantem, dispositio eam tempore præcedens non est contritio, hoc est actus doloris dilectivi, sed alia ordinis inferioris.

Quod contritio sumpta ùt pars Sacramenti gratiam inferet antè Sacramentum, quod non est, nisi prolata forma absolutionis, constat ex solutione primi argumenti præcitati *art.* 8. Intendebat enim illud probare, quod contritio non sit causa dispositiva justificationis, sed instrumentalis, quia contritio est causa sacramentalis; ex eo quòd pœnitentia sit Sacramentum novæ legis, causat gratiam, eamque non causet ratione aliarum suarum partium, scilicet confessionis, & satisfactionis, quæ gratiam, & remissionem culpæ præsupponunt, relinquitur quod id faciat contritio, & ipsa sit causa sacramentalis remissionis.

Cui per hæc respondet — Pœnitentiæ Sacramentum habet conferre gratiam ex virtute Clavium, quibus Pœnitens se subjicit. Contritio igitur si secundùm se consideretur, non se habet ad gratiam, nisi per modum dispositionis; sed si consideretur, inquantùm habet virtute Clavium in voto, sic sacramentaliter operatur in virtute Sacramenti Pœnitentiæ, sicut & in virtute Baptismi, ùt patet in adulto, qui habet Sacramentum Baptismi in voto tantùm; ex hoc igitur non habetur, quod contritio sit causa efficiens remissionis culpæ per se loquendo, sed virtus Clavis, vel Baptismus — Porrò contritio, quæ est pars Sacramenti est charitatis inchoatæ: ergo hæc justificat in voto solo Sacramenti.

Perpende S. Thomam concedere suppositum argumenti, videlicet, quod non solùm satisfactio, sed etiam confessio supponat culpam remissam. In *resp. ad 7. secundæ partis* explicat, qualiter etiam ratione sui, & per modum dispositionis incompossibilis contritio peccatum expellat — Ex illa ratione non sequitur, quod remotio culpæ præcedat contritionem, quia per ipsam contritionem quodammodò culpa remittitur, sicut per calorem in summo expellitur forma aquæ & ità non sunt simul; & similiter, nec culpa, & contritio — Advertas etiam, quod semper utitur verbo, *Contritio*, absolutè, & simpliciter; adeòque ipsa secundùm substantiam accepta extrasacramentaliter justificat.

Septimus locus ab Adversariis affertur ex 1. 2. *q.* 113., quæ tota est de justificatione, & requisitis ad illam. *Art.* 4. quo resolvit requiri motum fidei, ad primum ait — Cùm motu Fidei est etiam motus charitatis. *Art.* 5. Oportet, quod in justificatione impii sit motus liberi arbitrii duplex: unus, quo per desiderium tendat in Dei justitiam, & alius quo detestetur peccatum — Utrumque verò ad primum dicit esse actum charitatis — Quia ad eamdem virtutem pertinet prosequi unum oppositorum, & refugere aliud, & ideò sicut ad charitatem pertinet diligere Deum; ità etiam detestari peccata, per quæ anima separatur a Deo — *Art.* 7. *ad* 2. habet — Propter hoc enim homo detestatur peccatum, quia est contrà Deum, cui vult adhærere — Quod repetit *art.* 8. in resolutione ad primum. *Art.* 3. palàm ostendit se agere de justificatione tam intra, quam extrà Sacramentum: ex quo infert Theologia Sanctorum deductivè charitatem requiri in Sacramento.

Ut mens S. Doctoris dignoscatur, spectandum est illud, cui innititur ex *art.* 3. quo resolvit in adultis ad justificationem requiri motum liberi arbitrii. Solvit primum argumentum desumptum ex peritate puerorum, & narratione facti cujusdam ab Augustino relati, dans disparitatem inter pueros, & adultos, de quibus loquitur, ait — Sed si quis aliquando habuerit usum liberi arbitrii, & postmodum eo careat, vel per infirmitatem, vel per somnum, non consequitur gratiam justificantem per Baptismum exterius adhibitum, aut per aliquod aliud Sacramentum, nisi priùs habuerit Sacramentum in proposito, quod sine usu liberi arbitrii non contingit. Et homo ille, de quo loquitur Augustinus renatus fuit, quia & priùs, & posteà Baptismum acceptavit — Ecce quod non loquitur de actuali sumptione Sacramenti, de qua est quæstio. Ecce quod charitas, quam arguens exigit in Sacramento, justificat extra Sacramentum.

Quod constat pariter ex citato textu ex quarto *art.* certum est, quod fides formata non est, quamdiù homo non est justificatus, nunc verba integra D. Th. accipe — Motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus. Unde simul in justificatione impii cum motu fidei est etiam motus charitatis — Cæterùm hìc S. Th. eamdem repetit doctrinam, quàm retulimus ex disputatis; hoc est de charitate, quæ est effectus productus a gratia justificationis; ac perconsequens non de charitate, quæ tanquàm essentialis dispositio requiratur ad actualem sumptionem Sacramenti, quæ tempore præcedit absolutionem.

Accipe, quæ profert *art.* 8. — Quæ requiruntur (videlicet prædicta quatuor) ad justificationem impii tempore quidem sunt simul &c. Sed ordine naturæ unum eorum est prius altero, & inter ea naturali ordine, primùm est gratiæ infusio, secundùm motus liberi arbitrii in Deum &c. & ideò naturali ordine primum in justificatione impii est gratiæ infusio: secundum est motus liberi arbitrii in Deum —

Dubio-procul loquitur hic de motu liberi

liberi arbitrii charitatis, quæ essentialiter coexistit cum justificatione: sed innegabiliter actus pœnitentis essentialiter requisiti (confessione forte externa excepta) non necessario coexistunt cum actuali perfectione Sacramenti; sed sufficit si præcesserint per aliquod spatium temporis non extractati. Unde absque dubio valet Sacramentum, & fructuosum est, si fidelis domi se præparet, deinde Ecclesiam absque alia repetitione formali actuum internorum petat, & Confessarium quærat, & clavibus sua peccata subjiciat; non ergo D. Th. agit de illa dispositione, sed de ea, per quam homo extrasacramentaliter justificatur.

Octavus locus pro stabilienda necessitate dilectionis in Sacramento habetur 3. *p.* *q.* 26. *de Sacramentis*, aliàs 85. 3. *p.* *art.* 5. ubi Angelicus enumerat actus pœnitentiæ, sic — Quorum actuum primum principium „ est Dei operatio convertentis cor secun- „ dùm illud *Thren. ult.* Converte nos Domi- „ ne ad te, & convertemur. Secundus „ actus est motus fidei. Tertius est motus „ timoris servilis, quo quis timore sup- „ pliciorum a peccatis retrahitur. Quar- „ tus actus est motus Spei, quo quis sub spe „ veniæ consequendæ assumit propositum „ emendandi. Quintus actus est motus „ Charitatis, quo alicui peccatum displicet „ secundùm seipsum, & non jam propter „ supplicia. Sextus actus est motus timoris „ filialis, quo propter reverentiam Dei aliquis „ emendam Deo voluntarius affert — Huic addunt, quæ ad primum subdit — Pec- „ catum primò incipit homini displicere „ (maximè peccatori) propter supplicia, „ quæ respicit timor servilis, quam propter „ Dei offensam, vel peccati turpitudinem, „ quod pertinet ad charitatem —

Exultant hic Adversarii. Verùm ibidem D. Th. de pœnitentia formalissimè ut virtus specialis est agit, & de actu charitatis, & pœnitentiæ, qui est conjunctus actu cum habitu charitatis, & pœnitentiæ infusæ. Hoc palam fit ex *art.* 6. *seq.* inquirens, num pœnitentia sit prima virtutum — Secundùm hoc „ igitur dicendum est, quod actus quidam „ laudabiles etiam tempore præcedere pos- „ sunt actum, & habitum pœnitentiæ, sicut „ actus Fidei, & Spei informium, & actus „ timoris servilis. Actus autem, & habitus „ charitatis simul sunt tempore cum actu, & „ habitu pœnitentiæ, & cum habitibus alia- „ rum virtutum. Nam sicut in secunda parte „ habitum est in justificatione impii simul „ est motus liberi arbitrii in Deum, qui est „ actus fidei per charitatem formatus, & „ motus liberi arbitrii in peccatum, qui est „ actus pœnitentiæ —

Ecce actus charitatis tempore simul est cum habitu charitatis: actus pœnitentiæ tempore est cum habitu pœnitentiæ infusæ: sed evidens est, quod habitus charitatis, & habitus pœnitentiæ infusæ non est, nisi sit gratia sanctificans: ergo actus charitatis, & actus pœnitentiæ, de quibus hic, justificationem simul tempore secum habet: sed per Adversarios loquitur hic D. Thomas de charitate essentialiter accepta: ergo hæc simul ac est, infert justificationem; adeòque extrasacramentaliter.

Hi sunt præcipui textus, quos proferunt Adversarii: alios adducunt ex *q.* 84., & 85. 3. *p.*, qui non sunt ad rem; quia his locis intendit tantùm D. Th. declarare diversum modum tendendi adversùs peccatum, quem habet charitas, prout est virtus distincta a speciali virtute pœnitentiæ, & justitiæ. Alios ex 4. *sent.* *dist.* 20. *q.* 1. *art.* 1. ubi agit de pœnitentia Antiochi, quam nullam affirmat, quia ex timore pœnæ: & ex *lect.* 3. super *cap.* 12. *ad Hebr.*, ubi dicit non esse veram pœnitentiam, quæ est ex timore pœnæ.

Nullus autem ex istis est ad rem, nam primo loco agit de timore pœnæ temporalis, qualis erat infirmitas Antiochi; item secundo loco ubi contraponit illam disjunctivam, vel damni temporalis, & exemplificat in pœnitentia Esau dolentis propter vendita, & amissa primogenita; quem ex alio capite non sincerè pœnituisse docet in scontatis *dist.* 14. *lib.* 4., quia in corde retinebat spiritum vindictæ, dicebat enim, *venient dies luctus Patris mei &c.* nos autem loquimur de dolore peccatorum veraci, & sincero ex motivo timoris gehennæ a Deo infligendæ, quam ut justus Judex præscripsit in pœnam peccatorum: quare licèt attritio Christiana non sit vera pœnitentia, prout ly *vera* signat actum primariæ lineæ, & rigurosæ, & ex suis justificantem, est tamen vera pœnitentia, prout ly *vera* signat actum lineæ secundariæ, & ex alieno perducentem ad justificationem.

§. VII.

PRODUCUNTUR AUCTORITATES DIRECTE' S. TH. IN CONFIRMATIONEM POSITIONIS, QUOD CHARITAS INCHOATA, HOC EST, QUOAD SUBSTANTIAM ACCEPTA APPRETIATIVE' TANTUM SUMMA INFERAT JUSTIFICATIONEM EXTRASACRAMENTALITER.

125 PRæcedenti paragrapho examinavimus loca potiora, quibus Adversarii utuntur ex libris D. Th., & clarè vidimus stare pro causa nostra, in præsenti adducemus nonnulla, quæ nostram evincunt sententiam. *Auctoritates D. Th. adducuntur, quæ nostræ favent sententiæ.*

Primum ratiocinium. Charitas, quam quilibet tenetur habere pro quocumque tempore, infert justificationem separata ab actuali sumptione Sacramenti, quod ex se planum est, cùm Sacramentum non sit pro omni tempore necessarium; & charitatis præceptum pluries, & frequenter obliget. Sed charitas quoad substantiam accepta ea est, quam tenetur quilibet quolibet tempore habere: ergo extrasacramentaliter habet justificare. Assumptum habet D. Thom. ad Annibaldum *lib.* 3. *dist.* 29. *quæst. unica art.* 4. obi quærit, an omnes teneantur habere charitatem perfectam. In argumento, sed contrà dicit — „ Sufficit ad salutem habere charitatem: „ ergo non est necesse habere perfectam „ charitatem —

In corp. *art.* habet — Duplex est perfe- „ ctio charitatis viæ: una est secundùm in- „ tensionem, ut scilicet perfectè diligat: „ alia secundùm objecta, vel opera, ut

„ per-

perfecta faciat : unaquæque autem harum perfectionum dupliciter attenditur in charitate ; uno modo quantùm ad esse , inquantùm est perfecta in specie sua; & ad hanc omnes tenentur , quia sine hac non potest esse charitas : alia est perfectio quantùm ad benè esse : & in hac perfectione secundùm aliquos distinguendum est : quia ad interiorem perfectionem , quæ est per intensionem tenetur quis tendere , quamvis non teneatur habere -- Quantùm ad perfectionem, quæ est per opera , nec tenetur tendere , nec tenetur habere , sed non contemnere ; Opera enim perfectionis sunt æstimabilia .

2. 2. *q.* 184. *art.* 2. *ad* 3. habet -- Potest autem circà dilectionem proximi duplex perfectio attendi , sicut & circà dilectionem Dei : una quidem , sine qua charitas esse non potest , ut scilicet homo nihil habeat in affectu , quod sit contrarium dilectioni proximi . Alia autem sine qua charitas inveniri potest : quæ quidem attenditur tripliciter &c. -- Et infrà 186. *art.* 2. *ad* 2. repetit , & ad primam dicit omnes teneri ; & importat summam appretiationem , quæ optimè explicatur per id , quod in affectu nihil habeatur contrarium fini ultimo .

Secundum ratiocinium. Charitas emundationem faciens peccatorum præteritorum , & futurorum per ea , quæ sunt suæ lineæ , utique cum justificatione connectitur independenter ab actuali sumptione Sacramenti . Sed charitas inchoata hoc facit ex suo munere : ergo ex suo infert justificationem . Assumptum habet S. Th. 3. *sent. dist.* 29. *q.* 1. *art.* 8. *quæstiunc.* 1. ubi -- Sicut in augmento corporali distinguuntur diversæ ætates secundùm diversos notabiles effectus, in quos natura proficit , quos priùs exercere non poterat ; ita etiam in augmento spirituali assignantur gradus diversi charitatis secundùm aliquos notabiles effectus , quos in habente charitatem charitas relinquit . Primus ergo effectus charitatis est, ut homo a peccato discedat : & ideò mens charitatem habentis in primis circà hoc maximè occupatur , ut a peccatis præteritis emundetur , & a futuris præcaveat : & quantùm ad hunc effectum dicitur charitas incipiens -- Ecce charitas incipiens constituit primam ætatem in augmento spirituali : ergo secum habet vitam spiritualem gratiæ sanctificantis ; non enim nisi vivens augetur, & ætatem habet, ùt constat exemplo quo utitur ex naturalibus .

Obiter infero solutionem ad primum , quo objicitur impossibile esse illud præceptum diliges Dominum Deum ex toto corde tuo : & est -- Præceptum illud quodammodò servatur in via , quantum ad perfectionem viæ -- (ut nempè nihil dilectioni Dei præponatur, inquit, nota Nicolai,) ut sciamus per solam perfectionem essentialem lineæ , videlicet appretiativè adimpleri præceptum de diligendo Deo ex toto corde .

Doctrinam istam clariùs proponit 2. 2. *q.* 24. *art.* 9. ubi inquirit , an convenienter distinguantur tres gradus charitatis, incipientis, proficientis, & perfectæ. In argumento. Sed contrà , ait -- Augustinus dicit super primum Can. Joan. Charitas cùm fuerit nata, nutritur, quod pertinet ad incipientes : cùm fuerit nutrita, roboratur, quod pertinet ad proficientes : cùm fuerit roborata, perficitur, quod pertinet ad perfectos --

Tertium ratiocinium . Supplens vices Sacramenti quoad effectum justificandi vim habet inferendi justificationem extrasacramentaliter ; sed contritio substantialiter accepta supplet vices Sacramenti quoad effectum justificandi : ergo est justificativa extrasacramentaliter .

Adeamus S. Th. 4. *ad Annibaldum dist.* 4. *art.* 4. ubi -- Sciendum tamen, quòd quamvis prædicta duo suppleant vicem Baptismi quantùm ad ultimum effectum, qui est gratiæ infusio , & culpæ remissio , non tamen quantùm ad primum , qui est characteris impressio ; aliàs contritus non indigeret Baptismum suscipere . Pœnam etiam Baptismus sanguinis totaliter tollit ; sicut & Baptismus aquæ ; non autem contritio quælibet , nisi sit valdè intensa -- Ecce quam benè distinguit contritionem substantialiter acceptam a contritione intensa : Ecce quàm benè quantitati intensivæ attribuit pœnæ remissionem , & quantitati essentiali attribuit culpæ remissionem : quare legitima constructio illius dicti est : quælibet contritio tollit culpam , sed non quælibet tollit pœnam .

Quartum ratiocinium . Remittens maculæ reatum antè realem oris confessionem peccatorum exhibitam habet efficaciam ad inferendam gratiam justificationis . Sed contritio essentialiter accepta antè actualem oris confessionem peccatorum est remissiva reatus culpæ: ergo contritio essentialiter accepta ; & non ùt intensa efficaciam habet inferendi gratiam justificationis . Assumptum habet D. Thomas *lib.* 4. *ad Annibaldum dist.* 16. *q. unica art.* 1. ubi inquirit , an contritio , confessio , & satisfactio sint partes pœnitentiæ ; distinctione supposita inter pœnitentiæ Sacramentum , & pœnitentiam virtutem, ait .

„ Nec secundùm contritionem fit commutatio pœnæ æternæ in Purgatorium : secundùm satisfactionem fit temporalis pœnæ absolutio : & per confessionem notificatio culpæ Deo per Sacerdotem , & ideò &c. -- Ad 2. quo intenditur a partibus excludi confessio , quia antè illam est remissam peccatum , ait -- Dicendum , quod quamvis dimittatur peccatum antè confessionem in actu , non tamen antè confessionem in proposito -- Idem habet *art.* 3. *seq. ad* 2.

Quod autem nomine contritionis intelligat dolorem ex dilectione inchoata Dei super omnia , clarè fit ex eodem , qui ubi intelligit contritionem perfectam, semper ponit verbum illam perfectionem indicans: & ipsemet ibid. *q.* 2. *art.* 2. -- mentem suam aperit dicens -- Dicendum, quod in contritione duplex est dolor . Unus in voluntate, qui non est aliud, quàm displicentia peccati : & in hoc consistit essentia contritionis. Alius in sensualitate &c. -- Sed circà hoc non egemus probationibus, ipsimet Adversarii nostri

faten-

fateutur , quod contritio, quæ est para Sacramenti est contritio non ea dilectione perfecta , sed ax dilectione inchoata .

Idem *q.* 10. *supplem. art.* 1. , *& in corp. & ad* 1. quo atgnitur per coortitionem præcedentem confessionem remitti peceatom. -- „ Dicendam , quod contritio habet votum confessionis annexam ; & ideò eo modò liberat a culpa pœnitentes , sicut desiderium Baptismi baptiaendos -- Contritio absolutè, contritio simpliciter , perpetua voa est D. Th. non intensa , non perfecta totaliter , quia sentit sobstantiam ipsius vim justificativam habere .

Quintum ratiocinium . Virtus habens essentiam virtutis in gradu remisso non ast virtus perfecta secundùm mentem Adversariorum . Sed contritio habens essentiam coortitionis in gradu remisso est remissiva peccatorum , & justificativa ea bis , quæ habet in sua lioea independenter ab actuali sumptione Sacramenti ; ergo non requiritur anticitio perfecta intensivè . Assamptum habet S. Thomas *lib.* 4. *ad Annibaldum dist.* 16. *art.* 5. ubi inquirit , an peccata venialia tolli possint absque contritione ; & sibi objicit -- „ Minima contritio sufficit tollere omnia mortalia : ergo cum distantia iofinita sit inter mortala , & veniale nulla contritio requiritur ad tollenda venialia -- Retento antecedente , respondet ad consequentiam dando disparitatem .

Ad primum -- Minimus dolor &c. dicendum , quòd quamvis sufficiat minimus dolor in genera doloris spiritualis in contritione , dolor tamen maximus est respecta aliorum dolorom -- Maximus argo ast in lioea generica , & comparativa , quia est in apice appretiationis, cùm Deum præferat cuicumque alteri objecto .

Quod autem loquatur in sensu prædicto lineæ appretiativæ , præter alia loca babetur *q.* 3. *suppl. art.* 1. ubi inquirit , an contritio sit major dolor , qui esse possit in natura ; & habet -- Sicut suprà dictam est, in contritione est duplex dolor ; onor est in ipsa voluntate , qui ast essentialiter ipsa contritio , quæ nihil aliud est , quàm displicentia præteriti peccati , & talis dolor in contritione excedit omnes alios dolores : quia quantùm aliquid placet, tantùm contrarium ejus displicet : finis autem super omnia placet , cùm omnia propter ipsum desiderentur : & ideò peccatum , quod a fine ultimo avertit , supec omnia displicere debet -- En qoam candido discursu contritionem explicat per summam appretiationem , qua ultimus finis præferendus est omnibus aliis ; quæ prælatio in nullo alio dolore est possibilis , quia nihil aliud præter Deum ultimi finis rationem obtinet .

Hoc clariùs fit ea S. Doctor *q.* 5. *suppl.* aliàs 36. *de Sacramentis art.* 3. Inquirit utrùm parva contritio sit sufficiens ad deletionem magoorum peccatorum .

„ Ad primum ergo dicendum , quòd medicinæ spirituales habent efficaciam infinitam, quæ in eis operatur ; & ideò illa medicina , quæ sufficit ad curationem peccati parvi , sufficit atiam ad curationem magni: sicut patet de Baptismo, quo, & magna, & parva solvuntur : & similiter ast de contritione , dommodò ad rationem contritionis pertingat -- Parva contritio dubio-procul est charitas inchoata .

Sed audiendus est ibidem Commentator Porrecta in Appendice pro Ecclesia Dei . Quantæ autem eruditionis , & soliditatis sint illi Appendices , quos tuci summæ D. Th. addidit, orbis totus literarius fidem facit : & quia mirificè rem explicat , totom Appendicem rescribo , sic .

„ Ex Articulo habes primò quomodo per rationem ostendas maritò a sacris literis esse insinuatum , quod parva contritio formata , est sufficiens ad deletionem magnorum peccatorum . Hoc autem insinuatum est 1. *Petri* 4. Charitas operit multitudinem peccatorum , & *Prover.* 10. Universa delicta operit Charitas. Non enim tantam , vel tantam charitatem dicunt Scripturæ operire multitudinem peccatorom , sed simpliciter charitatem . Ac si dicant per hoc : Charitas secundùm naturam suam , ex consequenti , sive parva, sive magna fuerit , operit, & multitudinem , & universitatem delictorum --

„ Et verè id , quod convenit alicui secundùm ipsius naturam , convenit illi, sive parvo , sive magno . Quia enim habere animam rationalem convenit homini secundùm naturam ipsius hominis ; Ideò homo , sive mas , sive fœmina , sive parvus , sive magnus habet animam rationalem . Quoniam igitur operire quæcumque peccata convenit charitati secundùm naturam charitatis (ut intendunt Scripturæ suprà adductæ) ideò secundùm illas dicendum est , quod parva etiam charitas sufficit ad deletionem magnorum delictorum , nec tantùm aliquorum , sed universorum , quod enim dicit Petrus multitudinem peccatorum , hoc vocat liber Proverbiorum universa debita ; ità quod accipit iy *multitudinem* ùt includendo aliqua , non excludit quædam alia , sed ut omnia indifferanter in quantumcumq. multitudine sint , includit --

„ Cùm igitur contritio non nisi ex virtute charitatis, operiat , idest deleat peccata , sequitur manifestè , quod a Scripturis illis per tales auctoritates insinuatum ast , quod contritio parva sufficit ad remissionem magnorum peccatorum . Contritio enim , sicut & alia, tantùm operatur , quantùm sua virtus se extendit, seu quantùm ex virtute sua habet ad operandum : quæ contritionis virtus , idest efficacia est ipsa Charitas *art.* 2. *ad tertium* .

„ Item id ipsum , quod in principio Appendicis insinuatum est a Concil. Parisiensi *lib.* 1. *cap.* 6. sic . Perpendat quisque : si in charitate manet , Deum manere in se : si charitatem non babet, non Deum , sed hostem animæ suæ habitare in se. Cùm charitate quippe cuncta bona, sine charitate verò nulla haberi possunt &c. definitio charitatis (ùt Doctores nostri tradunt) est bona voluntas : Ergo quicumque bonam voluntatem non habet , charitatem non habere comprobatur ; & „ ideò

,, ideò pacem, quæ Christus est, qui bonæ ,, voluntatis non est, habere non merent ,, &c. miserabilitèr planè decipiuntur pleríque, qui sine charitate, aut Deo in hac ,, mortalitate placere, aut ad eum sine illa ,, se putant pervenire. Hæc ibi.

,, Si ergo habens charitatem secundùm ,, Concilium habet Deum in se manentem, ,, cuncta bona, voluntatem bonam, pacem ,, Christi, placetque Deo, & nullum horum potest haberi ab aliquo, dùm manet, ,, vel in uno peccato mortali, clarè sequitur, quod secundùm Concilium illud, ,, Charitas existens in aliquo tollit omnia ,, peccata mortalia ejus. Ex consequenti ,, ergo dixit per hæc virtualiter Concilium, ,, quod contritio charitate, etiam parva ,, formata magnorum peccatorum est remissiva. Ex prædictis in Appendicibus, antè ,, Concilium intellige has ex illo bonas deductiones. Facient, & hæc pro juvamine Appendicis articuli primi, licèt non ,, secundi, quoniam primus charitatem, secundus non quamcumque, sed gradum, ,, & sanè magnum charitatis requirit -- Hæc Appendia.

Ut concordes hoc ultimum, de primo, & secundo articulo scias, quod primus agit de contritione, ut remissiva culpæ, secundus verò de remissione etiam totius pœnæ temporalis; pro primo effectu sufficit charitas, pro secundo magna charitas requiritur.

Sextum ratiocinium. Actus charitatis essentialiter acceptus, hoc est, ut est dilectio Dei super omnia tanquam ultimi finis, non ùt intensa, est actus virtutis non informis. Sed actus bonus non informis est necessariò conjunctus cum gratia sanctificante. Ergo actus charitatis absolutè acceptus connectitur cum justificatione. Assumptum ità proprium est D. Thomæ, ut sit primum principium ipsius indubium, quod charitas non possit esse informis.

Accipe aliqua loca ex innumeris. 2. 2. *q. 24. art. 12. ad 5.* -- Unde patet, quod cha- ,, ritas non potest remanere informis, cùm ,, sit ultima forma virtutum ex hoc, quod re- ,, spicit Deum in ratione finis ultimi, ùt di- ,, ctum est -- Attende causalem -- ex hoc, ,, quod respicit Deum in ratione finis ultimi -- non dicit ex hoc, quod tantùm, vel taliter, sed absolutè, quia secundùm suam essentiam illud habet. Idem *q. 45. art. 4. & q. 136. art. 3. 3. p. q. 79. art. 1.*

Duo alia momentosa ratiocinia possemus subdere, sed quia congruentiùs locum habent in duobus seqq. paragraphis, nunc omittimus: Interim iterùm advertimus pro retinenda concordia dictorum Sancti Thomæ; quod remissio peccatorum alia est a culpa, & pœna æterna; alia est a culpa, pœna eterna, & a pœna temporali, & alia etiam a reliquiis peccatorum: Ad remissionem peccatorum primo modo sumptam contritio substantialiter completa, seu perfecta sufficit, ad remissionem secundo, & tertio modo sumptam valdè intensa requiritur.

§. VIII.

SOLVUNTUR TEXTUS, QUI SOLENT IN OPPOSITUM ADDUCI EX D. THOMA.

126 OBJIC. I. Benevolentia est actus charitatis: sed benevolentia non est conjuncta cum gratia justificationis: ergo non omnis charitas est justificativa: ergo non omnis est perfecta. Totum habetur 2. 2. *qu. 27. art. 2.* ubi inquirit S. Doctor, an amare secundùm quod est actus charitatis sit idem quod benevolentia; posita distinctione horum actuum quoad partem sensitivi appetitus, & intellectivi, habet ad rem. *Textus qui in oppositum ex D. Th. ad[…]*

,, Sed amor, qui est in appetitu intel- ,, lectivo etiam differt a benevolentia: im- ,, portat enim quandam unionem secundùm ,, affectum amantis ad amatum, in quantùm ,, scilicet amans æstimat amatum quodam- ,, modò unum sibi, vel ad se pertinens: & ,, sic movetur in ipsum, sed benevolen- ,, tia est simplex actus voluntatis, quo vo- ,, lumus alicui bonum, etiam non præsup- ,, posita prædicta unione affectus ad ipsum. ,, Sic ergo in dilectione secundùm quod est ,, actus charitatis includitur quidem bene- ,, volentia, sed dilectio, sive amor addit ,, unionem affectus. Et propter hoc Phil. ,, dicit ibidem, quod benevolentia est prin- ,, cipium amicitiæ --

Quando efferbuit Romæ disputatio de sufficientia attritionis quidam ex Adversariis hanc auctoritatem, quasi convincentem ad plurimos, & ad me etiam transmiserunt; sed illud accidit, quod Augustinus profert, occasione contradictionis intentatæ ab Hæreticis adversùs Fidem Catholicam profundiùs perpendi momenta, & diligentiùs inspecta, magis firmari, & elucescere veritatem. Sed multipliciter evanescit argumentum.

I. Quia est a disparatu. Quæ connexio: benevolentia est velle alicui bonum absque præsupposita unione affectus: ergo attritio in Sacramento non sufficit absque amore: ergo requirit D. Th. necessariò dilectionem Dei super omnia? Quæ connexio: ergo amor Dei super omnia non infert justificationem? Quæ connexio: ergo datur aliquis actus charitatis non conjunctus cum gratia justificante? nulla sanè, quia S. Th. supponit esse distinctam a charitate. Ad summum evincitur dari aliquem affectum erga summum bonum, qui non est justificativus; quod ab omnibus conceditur: simplices affectiones non justificare nos etiam docuimus, sed quid hoc ad scopum nostrum?

II. Quia est a negatione expliciti ad negationem impliciti, & coincidentiæ. Benevolentia secundùm suum explicitum conceptum non exprimit unionem, sed non negat; potest enim optimè coincidere cùm unione, & amore: optimè elucidat ibi Cajetanus. Non exigit secundùm se benevolentia conditiones amoris, compatitur tamen eas, & unionem ipsam; & quando est

actus

actus charitatis semper secum habet unionem, sine qua charitas esse nequit; supponitur autem ab arguentibus benevolentiam esse charitatis actum: ergo secum habet unionem.

III. Quia est a non præsupposito ad non illatum. Benevolentia aliud est, quod non præsupponat unionem ex suo conceptu, aliud est, quod non inferat. Illud primum concedit D. Thomas. Hoc secundùm negat, & oppositum docet: expressè enim affirmat, quod benevolentia est principium amicitiæ utique proximum, ùt litera ostendit. Agit de veraci benevolentia, quæ est efficax velle alteri bonum affectivè; hoc autem efficax velle amorem infert, qui facit amicitiam.

Deindè confirmatur nostra positio. Affirmat ibi D. Th., quod amor, & dilectio facit unionem cum objecto amato: tum in corpore *art.*, tum *ad 2.*, *& ad 3.*, & in argumento, sed contrà habet — Dicendum, „ quod Philosophus dicit in eodem libro, „ quod benevolentia neque est amicitia, „ neque est amatio, sed est amicitiæ principium: sed charitas est amicitia, ùt su„ prà dictum est: ergo benevolentia non „ est idem, quod dilectio, quæ est charitatis „ actus — Ex quo discursu sequitur legitimè omninò, quod dilectio sit actus charitatis, adeòque cum amicitia Dei: ergo quotiès diligitur Deus super omnia, vel supponitur, vel infertur amicitia Dei: neque hic valet effugium ad intensam dilectionem, cùm agat de essentiali actuum distinctione, ùt patet.

127 OB. II. Charitas tempore præcedens gratiam non est cum gratia: sed datur charitas præcedens tempore gratiam. Ergo absque gratia. Accipe totum ex 2. *Sentent. dist.* 3. *q.* 3. ubi inquirit, an Angelus in statu suo naturali dilexerit Deum plusquam se, & omnia alia: & sibi primò objicit — „ Videtur quod non, sic enim Deum dili„ gere est actus charitatis, qui charitatem „ non habentis esse non potest: sed Angeli „ in isto statu charitatem non habebant, „ quæ sine gratia non est, cùm nunquam „ sit informis: ergo videtur, quod non „ dilexerunt Deum plusquam se — Cui respondet —

„ Dicendum, quod actus charitatis „ potest dici dupliciter: vel qui est ex cha„ ritate, & hoc non est, nisi in habente cha„ ritatem: vel qui est ad charitatem non „ sicut meritorius, vel generativus, sed sicut „ præparativus: & sic actus charitatis antè „ charitatem habitam haberi potest: si„ cut facere justum est antè habitum ju„ stitiæ —

Hìc habemus charitatem actualem antè habitualem anterioritate temporis: tum quia eodem instanti est incompossibile habere, & non habere charitatem habitualem: tum quia præcedit, sicut facere justa habitum justitiæ, ubi est præcedentia temporis: Habemus charitatem illam actualem esse super omnia, quia infrà dicit esse propter habitudinem finis. Habemus charitatem Dei super omnia non esse perfectam aliquando, cùm perfecta sit inseparabilis a gratia, & charitate habituali. Sunt reflexiones sæpè citatæ Theologiæ Sanctorum.

RESP. Cum primùm audita est Romæ hæc auctoritas D. Thomæ ab erudito Viro in Discursu Academico recitato in Archigymnasio Sapientiæ commovit plerosque; cumque interrogatus respondérim me nunquam de ea cogitasse, evulgatum est me palinodiam de attritione cecinisse. Verùm talia scrutando defecisse asserere non dubitavi, quia inde non colligitur loqui S. Thomam de actuali charitate perveniente ad essentiam charitatis: superiùs palam vidimus D. Thomam duplicem agnoscere contritionem, ac proinde consequens dilectionem duplicem, aliam, quæ non pertingit ad essentiam contritionis, seu dilectionis, aliam, quæ ad essentiam pertingit; illa est insufficiens ad delenda peccata, tum extrà, tum intrà Sacramentum, utpotè inefficax, vel naturalis; secunda per se est illativa remissionis peccatorum quamvis intensione parva.

Si Adversarii volunt in contexto sumere charitatem imperfectam, debear dicere esse naturalem; quod ità verùm esse videtur, ut erraverint quidam credentes sentire D. Thomam cum Pelagianis, dilectionem naturalem videlicet disponere ad gratiam justificationis, confirmantes dictum suum ex doctrina S. Th. respondentis eidem Argumento *Quodl.* 1. *art.* 8. *ad* 2., quæ coincidit cum præsenti: status quæstionis, qui est de Angelo constituto in naturalibus, idem innuit. Idem colligitur ex ibidem additis de diligente Deum charitatem habitualem non habente, ait enim — Sed cum dicitur „ de carente charitate, quod diligit Deum „ propter se ipsum, ly *propter* denotat ha„ bitudinem finis, & non efficientis proxi„ mi, nisi sicut Deus in omni natura ope„ rante operatur.

His suppetias fert diversitas terminorum, quibus usus est confirmans idem prorsùs argumentum *in Summa* 1. *p. q.* 66. *art* 5. *ad* 4. ibi enim affirmat, quod actus dilectionis, charitatis est Dei ùt beatificantis supernaturaliter, quem hoc modò non poterat respicere Angelus in statu naturali constitutus.

Igitur quando in præallegata auctoritate mentionem facit charitatis actualis intelligit dilectionem naturalem; & rationes quas adducit ad probandum Angelum diligere Deum super omnia, concludunt de dilectione naturali, ùt ex dictis palam fit.

Quando igitur dicit Theologia Sanctorum illud *propter habitudinem finis*, significare dilectionem super omnia (quod non in prima ratione, de qua est lis, sed in secunda habetur) oportet, quod ostendat esse super omnia in ordine supernaturali, quod nunquam ecit, (nisi nostram adoptet doctrinam mox subdendam) quia nullus actus supernaturalis a nobis elici potest, qui non fit a Deo efficiente proximo per suum auxilium, quia in via D. Th. in supernaturalibus tota ratio proxima agendi est virtus supernaturalis. Et tamen negat in ea secunda ratione D. Thomas illum actum esse a Deo efficiente proximo.

Si ergo Adversarii ex contextu volunt colligere illam charitatem esse imperfectam coguntur admittere loqui S. Thom. de dilectione

ctione naturali, adeòque non pertingant ad essentiam charitatis, quod ipsorum causæ nihil proficit, sed derogat doctrinæ D. Th. qui semper a principiis Hæreticorum, quorum malleus est, recessit.

Alio modo non prodest illis auctoritas ista, quod evincitur hoc discursu. Vel intelligunt loqui D. Th. de actu præparativo proximè connexo cum charitate habituali extrà Sacramentum, vel intrà Sacramentum: aut de actu præparativo proximè non connexo, nec extrà, nec intrà Sacramentum: si intelligunt de actu præparativo non connexo, nec intrà, nec extrà Sacramentum inutiliter laborant, ut inferant ex hoc loco necessitatem dilectionis in Sacramento, & dari aliquam dilectionem, quæ non sufficit ad justificationem extrà, sed sufficit intrà Sacramentum. Si intelligunt loqui de actu præparativo proximè connexo extrà Sacramentum, non adversantur nobis; charitas enim illa infert justificationem; & erit quæstio de nomine circà coexistentiam in eodem instanti, vel in diverso instanti immediato.

Si intelligunt loqui de præparativo intrà Sacramentum connexo, injuriam faciunt D. Th, qui loquens de actu elicito ab Angelis in statu naturali, pro quibus nulla sunt instituta Sacramenta, perperam intelligeret illum actum esse præparatorium ad charitatem habitualem intrà Sacramentum: fateri ergo tenentur, quod ipsorum explicatio non assequitur mentem S. Doctoris.

Teneamus ergo cohærentiam. Datur actualis charitas super omnia in principiis D. Th. supernaturalis præparatoria ad charitatem habitualem, & gratiam; sed illa eadem charitas subsequitur ad gratiam habitualem in genere effectivo. In omnibus suis scriptis, tum ad *Annibaldum 4. dist. 17.*, tum *de verit. de justificatione impii*, tum *4. sent.*, tum *1. 2. q. 113.* sub eodem titulo; & alibi pluriès, quorum loca, & verba aliquot superiùs retulimus, docet motum liberi arbitrii, hoc est contritionem, & dilectionem in signo naturæ præire gratiam remissivam peccatorum in genere dispositivo, & pro eo signo non esse meritoriam, in alio verò signo subsequitur in genere effectivo ad gratiæ infusionem, & pro eo signo dilectio est meritoria, non quidem gratiæ, quàm præsupponit, sed gloriæ. Circa hanc veritatem videndi sunt Doctissimi nostri Salmaticenses *de justificatione disp. 3. dubio 3.* ubi ostendunt hoc eruditissimè.

Nec valet, quod loquatur in auctoritate præallegata de carente charitate, adeòque de præcedentia temporis, ne cogamur simul ponere carentiam, & formam; quia etiam in locis citatis loquitur de carente gratia, cùm loquatur de justificatione impii; & tamen salvat illud inconveniens, quia instantaneè hæc fiunt.

Nec valet, quod exemplificet in facere justa, quod præcedit tempore habitum justitiæ, quia exemplum præcisè assumit ad explicandam præcedentiam actus ad habitum, non autem modum, quia actus dilectionis super omnia disponit proximè ad charitatem habitualem, secus facere justa ad habitum justitiæ.

Nec valet, quod hæc solutio videatur non concordare cum secunda explicatione, ubi dicitur, quod in habente charitatem habitualem actualis charitas est etiam a Deo agente effectivo proximo, secus in carente charitate habituali, quia supponendo, quod in utroque agat de actuali supernaturali optimè conciliatur; In eo enim, qui præsupponitur justus, & elicit actum dilectionis super omnia, ille actus connaturaliter pro omni signo exit a Deo agente media gratia infusa, tum in esse auxilii sumpta, tum in esse formæ completæ operantis per principia proxima connaturalia, qualia sunt habitus. In eo autem, qui supponitur impius, ille actus exit a Deo operante media gratia, ut præcisè habet rationem auxilii moventis; non verò ut habet rationem formæ completæ per sua principia proximè agentis, loquendo de illo actu pro illo signo, pro quo intelligitur præcedere, & præparare in genere dispositivo; & hoc est non esse a Deo proximè effectivè, sed sicut Deus in omni natura operante operatur.

Quoniam autem sumus fundati supra firmam petram, damus, quod D. Thomas in omnibus illis pluribus locis, in quibus ponit contritionem, & dilectionem super omnia præcedere, & subsequi ad gratiæ infusionem, non loquatur de una, & eadem gratia; sed de duplici gratia ad hunc sensum, ut dilectio tanquam dispositio præcedens justificationis formam oriatur ab infusione gratiæ, quæ est auxilium fluens, & meritoria vitæ æternæ, subsequatur ad infusionem gratiæ, quæ est forma sanctificans (quomodo Joannes a S. Thoma, plerique alii Doctores primi nominis explicant S. Thomam) semper tamen dilectio Dei super omnia est connexa cum gratia sanctificante illativè, eo modo quo dispositio ultima est connexa cum forma, & fatentur ore pleno auctores, qui prædicto modo explicant D. Th.

Nec aliter dici potest, cum locutiones D. Th. sint satis evidentes. Sic igitur quando in objectione cit. dicit dari charitatem actualem ex charitate, loquitur de dilectione Dei super omnia in justo, in quo supponitur charitas habitualis: quando autem dicit dari charitatem ad charitatem habitualem, loquitur in eo, qui tunc justificatur, in quo dilectio Dei præparatoria oritur ab auxilio transeunti, sed proximè disponit, & disponendo infert gratiam justificationis, sive hoc fiat totum in instanti, sive fiat in diversis instantibus, ut accidit in naturalibus, parùm nobis refert, dummodò habeamus infallibilem connexionem inter essentialem dilectionem Dei super omnia, & gratiæ justificativæ infusionem.

Quod hanc connexionem intendat D. Th. etiam in ea dilectione, de qua in objectione, habemus ibidem sufficiens argumentum. Objicit sibi quinto loco ex Divo Dionysio. Bona naturalia in Angelis remanent etiam post peccatum: sed constat, quod peccator, homo, vel Angelus non diligit Deum super omnia: ergo videtur, quod neque in statu naturalium. Cui respondet —
„ Bona naturalia, prout in esse naturæ absolutè considerantur, remanent integra
„ post

„ post peccatum; tamen pervertuntur quantùm ad rectum ordinem, quem habebant „ in gratia, vel virtute: & hanc rectitudinem consequebatur super omnia Deum „ diligere -- Igitur super omnia diligere ponitur connexum cum gratia sanctificante, sine qua non habetur rectitudo intenta; & per consequens diligere super omnia est in ordine supernaturali.

Hanc eandem connexionem cum gratia sanctificante, & illa dilectione, quæ nobis objicitur, evincitur ex doctrina *Quodliberi primi art.* 8. ubi proponit eandem quæstionem sic. Utrùm primus homo in statu innocentiæ dilexerit Deum super omnia. 2. loco sibi objicit. Diligere Deum est maxima præparatio mentis humanæ ad gratiam consequendam: primus autem homo in statu illo ponitur gratiam non habuisse, sed sola naturalia: ergo non dilexit Deum plusquam seipsum, & super omnia. Cui respondet.

„ Dicendum, quod naturali dilectione, „ qua Deus super omnia naturaliter diligi„ tur, potest aliquis magis, & minùs uti, „ & quando in summo fuerit, tunc est sum„ ma præparatio ad gratiam habendam -- idest ultima, & infallibiliter connexa cum gratia sanctificante juxtà intentionem argumenti. Sed quid est dilectionem naturalem esse in summo? Est ne esse in summo intensionie? absit verbum blasphemiæ a D. Thoma, quòd actus quamvis perfectissimus ordinis naturalis sit dispositio ad gratiam sanctificantem, nec proximè, nec remotè.

Loquitur igitur de summa dignitate, & excellentia, quæ tunc accidit, quandò connotat comitem actum dilectionis supernaturalis, non in sensu effectivo, quasi quòd dilectio naturalis causet supernaturalem; neq. in sensu formali, quasi quòd dilectio naturalis disponat ad supernaturalem; hæ blasphemiæ sunt: sed in sensu concomitanti propter coincidentiam, & coexistentiam dilectionis supernaturalis. Videantur eruditi Salmat. Nostri *de necessitate gratiæ ad q.* 119. 1. 2. *disp.* 3. *dub.* 5 §. 5. *ad solut.* 4., & hoc est magis, vel minùs uti dilectione naturali, illam conjungere, vel non conjungere cum excellentia dilectionis supernaturalis.

128 OB. III. Dilectio, quæ potest esse in non habente gratiam justificantem, non est connexa infallibiliter cum justificatione; sed dilectio Dei super omnia potest esse in non habente gratiam gratum facientem: ergo non est connexa cum justificatione. D. Th. 2 *sent. dist.* 28. *ar.* 3. inquirens, an homo absq. gratia possit implere præcepta. Sibi objicit 2. loco. Charitas non potest sine gratia haberi: sed dilectio charitatis est in præcepto. *Matt.* 22 ergo non potest sine gratia haberi. Cui respondet.

„ Dicendum, quòd sicut virtutum alia„ rum actus dupliciter considerari possunt, „ vel secundùm quòd sunt a virtute, vel „ secundùm quòd antecedunt virtutem: „ ità etiam est de charitate: potest enim „ aliquis etiam charitatem non habens, di„ ligere proximum, & Deum (etiam su„ per omnia, & quidam dicunt) & hoc di„ ligere intelligitur actus charitatis sub præ„ cepto directè cadere; & non solùm se„ cundùm quòd a charitate procedit -- Quid clariùs?

Nil evincit argumentum. Dupliciter aliquis actus virtutis potest connecti cum gratia gratum faciente. Primò, tanquam cum aliquo antecedenti a quo dependet. Secundò, tanquam cum aliquo quod infert. Primò modo cum gratia connectuntur omnes actus virtutum eliciti a justis, sive ab illis, qui ante operationem constituti sunt justi. Secundò modo connectuntur illi actus, qui sunt ex natura sua inferentes justificationem cum voto Sacramenti, quales sunt actus primarii virtutis pœnitentiæ, & charitatis. De his ultimis est quæstio inter Theologos, an etiam in alio genere causarum, & diverso signo naturæ procedant ab eadem gratia sanctificante. Ex mente D. Th. isti actus antecedunt, & subsequuntur eandem gratiam in diverso genere causarum, ut sufficienter patet ex pluribus superiùs insinuatis.

Præcepta quomodo sine gratia adimpleantur.

Hic tamen nihilominùs D. Th. respondet argumento, præscindendo a sua propria doctrina. Quærebat, an absque gratia possint impleri præcepta: distinguit de adimpletione secundùm substantiam, & de adimpletione secundùm intentionem legislatoris intendentis constituere virtuosum, seu quod actu fiat ex habitu virtutis: primam adimpletionem concedit, quòd fiat absque gratia, quæ sit habitus; licèt non absque gratia, quæ sit auxilium. Secundam adimpletionem negat posse fieri absque gratia, quæ sit habitus: & contrà se arguens de charitate, quæ est inseparabilis a gratia habituali: respondet aliis adhærendo, quòd in peccatore etiam ille actus charitatis ab auxilio transeunti elicitur, quod sufficit ad intentum ipsius, ut ostendat non posse absque gratia impleri præcepta.

Cæterùm nusquam intellexit, quòd separetur a gratia sanctificante illativè, & consequenter, vel concomitanter; quod & modus ipse arguendi, & modus ille respondendi indicat. Optimè nota marginalis id advertit, illis -- Non ità quidem, ut cha„ ritatem non habentes intelligantur, qui „ sunt, & manent in affectu peccandi, „ vel in statu peccati, ut sic; sed qui ad „ charitatem (habitualem) se disponunt, „ quam nondum habent -- Se disponunt ultimatè, & proximè. At remotè tantùm disponunt etiam reliquæ virtutes.

Sed habemus meliorem sermonem non solùm per recursum ad connexa principia D. Th. sed ibidem. In responsione ad primum docet, quòd non quomodocumque observata præcepta perducunt ad vitam æternam -- Sed solùm secundùm quòd opera, „ quæ præcipiuntur, charitate informata „ sunt; secundùm quòd cadunt sub inten„ tione legislatoris: & hoc modo planum „ est, quod sine gratia servari non possunt -- Sine gratia videlicet habituali. Ecce quòd ubi est charitas, quæ est forma actualis, & proxima operum, est gratia habitualis, quæ est forma operum radicalis. Actus dilectionis super omnia ex quo respicit finem ultimam, non aliundè est forma actualis, & proxima virtutum, ùt docet centiès D. Th., & ideò intraositivè semper est conjuncta cum habituali forma.

Est axioma vulgatum, quòd in dile-

ctione Dei adimpletiva præcepti charitatis coincidat res præcepta, & finis præcepti, secus in aliis præceptis, quia saltem illativè secum trahit gratiam habitualem, & habitus virtutum infusarum. Id explicat contextus in corpore articuli -- Sed intentio „ legislatoris est, ut in 2. Ethic. dicitur, „ Cives facere bonos, & per assuetudines „ operum, quæ præcipiuntur, inducere ad „ virtutem: & huic consonat verbum Apo„ stoli 1. *Timoth.* 1. Finis præcepti charitas „ est: ad hoc enim data sunt præcepta „ legis, ut homines in dilectione Dei, „ & proximi instituantur: est ergo inten„ tio legislatoris, non tantùm, ut hæc ope„ ra fiant, sed ut ex charitate fiant --

Ecce quando elicitur dilectio Dei, & proximi, fit finis præcepti; ità quòd primus actus originativè acceptus non fit ab habente gratiam sanctificantem, in quo solùm ibidem purificatur cum aliis virtutibus, sed consecutivè, & pro toto instanti, seu consummativè acceptus, est habens gratiam sanctificantem, per quam subsequentes actus sunt etiam originativè ex charitate.

129 OB. IV. Dolor sufficiens debet esse major de uno peccato, quàm de alio; quia unum peccatum est majus alio; sed dolor dilectivus essentialiter acceptus non est major de majori peccato: ergo non est sufficiens. Dixerat S. Doctor *in Suppl. quæst.* 3. *art.* 1. *ad* 4 quantitas displicentiæ de aliquo re debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius: & ideò requiritur, quòd de majori peccato quis doleat magis: quia ratio doloris est major in uno, quàm in alio, scilicet offensa Dei. Ibidem *art.* 3. Si igitur talis sit dolor contritionis, ut non sit secundùm quantitatem malitiæ, nec major de majori peccato, licèt in amore charitatis fundetur, ùt dicit cit. argumento, Sed contrà, equidem non sufficit ad remissionem peccatorum, nec proinde ad perfectam contritionem. Verba sunt Theologiæ Sanctorum componentis argumentum ex duobus locis D. Th.

Ex eodem *art.* 1. *cit. q.* 3. *suppl.* arguit Natalis ab Alexandro requiri dolorem maximum adducto hoc argumento, Sed contrà -- Secundùm August. omnis dolor in „ amore fundatur, sed amor charitatis, in „ quo fundatur dolor contritionis, est maxi„ mus -- Ergo &c.

In primis regerimus argumentum in Adversarios, sic. Per ipsos requiritur dolor major de uno peccato, quam de alio. Sed dolor ex inchoata charitate per ipsos non est major de uno peccato, quàm de alio; non enim est perfecta contritio. Ergo dolor dilectivus inchoativè non sufficit in Sacramento Pœnitentiæ: ergo requiritur contritio perfecta: ratio enim D. Th. urget de dolore Sacramentali, & non Sacramentali, vel nihil valet, cùm sit ab intrinsecis constitutivis.

Pro sincera, & lucida explicatione notandum est, quòd in peccato duplex est quantitas malitiæ, & deformitatis, objectiva scilicet, quæ & extensiva dicitur; & subjectiva, quæ & intensiva vocatur. Intensiva pensatur penès majorem radicationem in subjecto, & conatum voluntatis: objectiva pensatur penès majorem æstimabilitatem unius comparatè ad aliud, ut cum dicimus magis esse æstimabile aurum, quam palea. D. Thomas evidenter loquitur de eo, quod est objectivè, & comparativè majus.

Refero fideliter summam illius resolutionis ad 4. posito illo axiomate, Quantitas displicentiæ de aliquo re debet esse secundùm quantitatem malitiæ ipsius. Descendit explicare, unde quantitas peccati sit mensuranda, assignatque duo capita: Primum ex eo, in quem peccatur, secundum ex eo, cui nocet. Ex primo oritur offensa Dei, ex secundo separatio a Deo, ùt pœna quædam est, & culpa ùt inductiva separationis, quatenùs pœna est. Secundùm hanc lineam ponit hunc ordinem. Peccatum, ùt Dei offensa simpliciter debet magis odisse: Deindè ùt nocivum debet magis odisse, quatenùs dicit separationem a Deo tanquam pœnam, quàm ipsam culpam secundùm quod est inductiva separationis a Deo ùt pœna est.

Unde mensuranda sit quantitas peccati.

Præter hæc dicit, in peccato esse considerandam quantitatem aliam malitiæ accidentalis penès præteritum, & præsens, & resolvit, quòd præsens magis displicet quàm præteritum. Deindè ponit comparationem pœnæ, & culpæ. Datur pœna, quæ habet inseparabilem offensam Dei ùt separatio a Deo: Est pœna, quæ habet annexam perpetuitatem ùt pœna inferni. Et resolvit, quòd prima illa pœna eodem modo cavenda est, sicut etiam culpa.

Secunda pœna, ait -- Est magis, quàm „ culpa simpliciter fugienda: si tamen ab „ eis separetur ratio offensæ, & considere„ tur tantùm ratio pœnæ, minùs habent de „ malitia, quàm culpa, in quantùm est „ offensa Dei, & propter hoc minùs debent „ displicere -- Quibus concludit quantitatem malitiæ comparativam, & extensivam, nec verbo quidem mentionem faciens malitiæ intensivæ; quapropter quantitas displicentiæ non se tenet ex parte subjecti, seu non est intensionis, sed extensionis; adeòque nullimodè ex hoc loco requiri contritionem intensivè perfectam, inferri valet. Clarescet responsio legenti S. Doctorem.

Nunc videamus, quomodo in 3. *artic.* salvet, & doceat dolorem esse majorem de uno peccato, quàm de alio, utique loquendo de majori objectivè, & extensivè in ratione Divinæ offensæ, quæ major concretivè accepta, ab ipso supponitur in uno peccato, quàm in alio, sicut constat ex resolutione articuli, & ad 3. distinguit duos casus. Primus, in quo per dolorem distinctum de singulis peccatis homo dolet; & tunc formaliter ille dolor de majori peccato est major, quia directè fertur in quantitatem malitiæ specificæ, & offensæ illius.

Secundus casus est, quando uno actu homo dolet de omnibus peccatis simul, & tunc virtualiter dolor ille major est de uno peccato, quàm de alio; quia virtus contritionis per quamdam distributionem afficit peccata, prout sunt in se, adeòque secundùm majorem, vel minorem gravitatem ipsorum: Virtutem hanc continet natura ipsius motivi, cui innititur, quòd expanditur cum proportione ad objecta, in quæ fertur.

Pro-

Probat doctrinam suam pulchro illo, & verissimo exemplo de eo, qui diligit totum aliquod, diligit enim omnes ejus partes ordine suo -- Sicut, qui aliquam Com„ munitatem diligit, virtute singulos dili„ git, plus, & minùs secundùm eorum „ ordinem in bono communi; & similiter, „ qui dolet de hoc, quòd Deum offendit „ de diversis, implicitè dolet diversimodè „ secundùm quòd plus, vel minùs per ea „ Deum offendit -- Nec aliter esse potest, quia hæc est conditio, & natura motivorum in qualibet scientia, vel potentia respiciente plura objecta habentia diversam excellentiam.

Argumentum Natalis Alexandri refellitur.

Illud quod additur a Natali superiùs pariter explicatum est, & patet clarè ex littera, qualiter dicat S. Thomas contritionem maximum dolorem, & amorem charitatis maximum. Non agit de maximo intensivè, sed de maximo appretiativè; quia versatur circà ultimum finem, cui nihil potest æquari: cùm ergo motivum dolendi sit maximum, nec habeat simile, ideò ex suo genere, & specie dolor contritionis est maximus -- „ Quia quantùm aliquid placet, tantùm „ contrarium ejus displicet: Finis autem „ super omnia placet, cùm omnia propter „ ipsum desiderantur: & ideò peccatum, „ quod a fine ultimo avertit, super omnia „ displicere debet -- Quid clariùs.

Hæc sunt, quæ mihi occurrerunt in libris Adversariorum ex D. Thoma directè contrà scopum præsentis difficultatis, alia suis aptè locis referam.

§. IX.

EX ALIIS PRINCIPIIS ADVERSARIORUM DEDUCITUR VERI NOMINIS CONTRITIONEM, QUAM INCHOATAM APPELLANT, EXTRASACRAMENTALITER SEMPER JUSTIFICARE.

130 CUm cardo principalis controversiæ de sufficientia simplicis attritionis in Sacramento dependeat, etiam fatentibus Adversariis, tanquam a fundamentali principio ab eo, quòd charitas inchoata inferet, vel non inferet justificationem antè actualem susceptionem Sacramenti, in præsenti ad rem placet expendere quædam alia principia Adversariorum.

Primum principium. Vox non omnium Adversariorum est, contritionem veri nominis (utor verbis ipsorum) ex inchoata charitate justificationem inferre solo voto Sacramenti in mortis articulo deficiente copia Confessarii, & in aliis casibus statim adducendis: ergo semper justificat ante actualem sumptionem Sacramenti cum voto ejusdem suscipiendi suo tempore, & secundùm præceptum Divinum explicatum ab Ecclesia, quod obligat statuto tempore, cùm sit præceptum affirmativum, ut docet D. Thomas *quæst. 6. supplem.* aliàs 37. *de Sacram. art. 5.*

Hæc consequentia mihi videtur innegabilis, posita veritate antecedentis; quia non invenitur in Sacris Scripturis diversum Sacramentum Baptismi, vel Pœnitentiæ institutum, unum pro articulo necessitatis, seu mortis, aliud pro tempore vitæ. Unum reperitur in Scripturis. Unum in Conciliis. Unum in Patribus: si ergo illud unum in voto justificat in articulo mortis, illud unum justificat in voto extrà articulum mortis, & semper, quotiès adest dispositio illa, sub que justificat in mortis articulo.

Ostenditur a pari. Quia putant Adversarii attritionem simplicem nostram non esse sufficientem dispositionem in Sacramento Pœnitentiæ, consonanter tenent Sacramentum Pœnitentiæ cum attritione, nec tempore vitæ, nec articulo mortis, nec in alio casu subsistere, & prodesse, & causare gratiam justificationis: ergo quia cum contritione inchoatè dilectiva votum Sacramenti, seu Sacramentum non actualiter sumptum justificat in articulo mortis, in casu scandali &c. semper non actualiter susceptum cum illa eadem contritione inchoatè dilective justificabit. Mortis articulus, scandali occasio, non supplent per ipsos defectum attritionis simplicis: ergo mortis articulus, scandali occasio non supplent defectum contritionis inchoatè dilectivæ; vel si supplent, supplebunt etiam quolibet tempore, in quo non urget positivum præceptum affirmativum Confessionis.

Charitas inchoata si cum voto Sacramenti justificat, id provenit ex promissione Divinis Scripturis manifestata; Atqui certò certiùs Scripturæ nullam faciunt distinctionem temporis. Omnes universales, omnes indefinitæ, nec una proferri potest exceptiva pro illis casibus.

Præceptum charitatis clamans Deum esse amandum ex toto corde unum est; ubique clamat eodem modo, & ut ex toto corde impleatur magis urget in mortis articulo, ubi de tota æternitate deliberatur. Cur ergo adimpletur tunc per inchoatam charitatem justificativam: cur in occasione scandali & non in occasione sacrificandi, & non aliàs, & non ordinariè?

Præceptum conversionis ad Dominum per Adversarios clamans faciendam esse ex toto corde unum est, ubique clamat, eodem modo, tempora non excipit, nec loca, nec personas, cur igitur limitatur? comminationes de æterna damnatione si pœnitentiam non agimus, ubique eædem sunt, non aliæ pro morte, & aliæ pro tempore vitæ. Si charitas inchoata ex suo conceptu infert justificationem, semper inferret, sive hæc, sive illa sit occasio, cùm ejusdem rationis sit semper.

Antecedens pro veritate non indiget probatione, quia est commune principium Adversariorum; nihilominùs ne jejuni videamur eruditione, aliquot Auctores subjiciam ex illis, qui ex professò de his agunt. Do primum locum Laurentio Neesen, qui *Tom. 2. Theolog. tract. 5. de virtute pœnitentiæ dub. 5.* examinato puncto, an charitas inchoata semper justificet, subjicit. Petes, an contritio imperfecta se sola extrà susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ quandoque justificet.

Doctrina Laurentii Neesen.

RESP. affirmativè, & quidem, quod

id

id præstet in mortis articulo , communis est Ecclesiæ sensus , Deo per misericordiam suam supplente defectum Sacramenti . (Affert responsionem quamdam Innocentii III. , & D. Bernardum *cap. 9. Meditationum* : & addito salutari monito ad Pastores, iterùm petit .) An extrà mortis articulum contritio imperfecta nonnunquam justificet ?

RESP. (affirmativè, sic enim in veteri lege David cum imperfecta contritione putator fuisse justificatum . Item Maria Magdalena , Latro in Cruce , Cornelius Centurio , & alii , Deo hoc illis privilegium largiente, qui non alligatur Sacramentis.) Digneris Amice Lector hic duo adnotare .

Primum. Hic Auctor supponit Mariam Magdalenam fuisse justificatam ex imperfecta charitate , & in probatione secunda suæ thesis , quòd videlicet imperfecta contritio non sufficit , ostitur exemplo Magdalenæ , quæ quamvis maximè contrita veniam non est consecuta , nisi quandò audivit , remittuntur tibi peccata tua .

Secundum . Imperfecta contritio per hunc Auctorem est vera pœnitentia ; de ea enim intelligit Bernardum loc. cit. dicentem -- Si fortè peccator verè pœniteat -- Sed verè pœnitentibus Deus in Scripturis promittit remissionem peccatorum , si animum habent suo tempore adimplendi Divina præcepta : ergo semper extrasacramentaliter ex contritio justificat ; quia tamen articulus mortis ex improviso superveniens impedit adimpletionem actualis susceptionis Sacramenti , quæ tunc est in præcepto, ideò dicit Bernardus Deum supplere .

Item . Supponit Davidem , Magdalenam , Centurionem sanctificatos per contritionem inchoatæ dilectionis . Sed in omnibus istis casibus locutiones Scripturales promissivæ remissionis sunt universales : ergo quoties datur contritio ex inchoata charitate , datur remissio . Assumptum ostenditur . Pœnitens David dicit . *Cor contritum , & humiliatum Deus non despicies* . Cùm Magdalenam sanctificavit Christus dixit indefinitè . *Cui minùs dimittitur , minùs diligit* . Occasione Cornelii baptizati dixit Petrus . *In veritate comperi , quia non est personarum acceptor Deus : sed in omni gente , qui timet eum , & operatur justitiam acceptus est illi* . Notandum, quòd David , & Magdalena justificati sunt ex inchoata charitate absque Sacramento, & extrà articulum mortis.

Gaspar Juenin *tomo 2. de Sacram. cap 4 de contrit. art. 1. §. 5.* habet -- Licèt contritio , quæ concipitur ex motivo inchoatæ charitatis Dei super omnia , ordinariè impium Deo non reconciliet priusquàm Pœnitentiæ Sacramentum actu suscipiatur, id tamen præstat in articulo necessitatis , si cum voto Sacramenti conjuncta sit -- Probat ex praxi Ecclesiæ. Deindè se remittit ad ea , quæ dixit de Baptismo *q 8. cap. 2. art. 1. conclus. 3* , ubi firmat, Baptismum in voto in casu necessitatis delere peccatum Catechumeni, qui illud detestatur ex imperfecta Dei charitate super omnia, quam opinionem vocat consentaneam Scripturæ , & Traditioni .

Contritio perfecta juxta Juenin justificat impium in articulo necessitatis si cum voto Sacramenti conjuncta sit .

Subdit primam probationem istis terminis conceptam . (*Joelis 2.* hæc habentur ,
„ Omnis quicumque invocaverit nomen Domini salvus erit : Hæc etiam *Matth. 7.*
„ Omnis, qui petit accipit . Generales sunt
„ illæ sententiæ , nec aliqua exceptione circumscribuntur . De omnibus igitur , qui
„ Deum per charitatem rebus creatis anteponunt, intelligi debent .) Hæc ratio est efficacissima pro nostra positione .

Et sic instauratur . Quia illæ propositiones sunt generales ex parte subjecti importantis personas , ideò comprehendunt per Auctorem omnes , sive Catechumenos , sive non detestantes peccata ex inchoata dilectione : ergo quia sunt generales ex parte verbi importantis tempus , comprehendit omne tempus, sive mortis, sive non , sive periculi , sive non, dummodò peccator detestetur ex inchoata dilectione Dei super omnia . Non est rationabilis ratio determinans tempus , & non determinans personas in illis Scripturis .

Florentius de Cocq Canonicus Ordinis Præmonstratensis *tomo 4.*, cujus titulus est : *Principia totius Theologiæ Moralis , & Speculativa* , ex Scriptura &c. deprompta *Sect. 15. de Contritione* habet -- Dicendum 2. attritio
„ sufficiens in Sacramento aliquando se sola
„ justificat absque reali perceptione Sacra-
„ menti , idque in casu mortis , dum deest
„ copia Confessarii, quando, ùt ait S. Ber-
„ nardus *epist. 77.* voluntas pro facto repu-
„ tatur : quando factum excludit necessitas.
„ Idem docet S. Augustinus *lib. 4. de Bap-*
„ *tismo c.22.* invenio non tantùm passionem
„ pro nomine Christi, id quod ex Baptismo
„ deerat posse supplere , sed etiam fidem ,
„ conversionemque cordis si fortè ad cele-
„ brandum mysterium Baptismi in angustiis
„ temporum succurri non potest . Hæc au-
„ tem attritioni initiali omnia dicto casu
„ possunt competere --

Idem docet Florentius de Cocq .

Ad auctoritatem D.Augustini citatam noom adverto , quod ibidem S. Doctor doctrinâ, & exemplo Centurionis,& amicorum ejus , docet etiam extrà articulum mortis absque Baptismo dari justificationem , dummodò Baptismus non contemnatur , ac proindè ex hoc etiam confirmatur nostra positio : Hoc enim nos asserimus , quod toties quis justificetur , quoties detestatur peccata ex inchoata dilectione , si non contemnat Sacramentum Pœnitentiæ, sed habeat verum propositum subjiciendi se clavibus tempore suo, quando urget præceptum secundùm determinationem Canonicam , vel quam primum poterit ; sicut ipsi Clarissimi Adversarii dicunt de contritione perfectissima , ùt vocant , quæ & in articulo mortis , & extrà justificat , si tamen Sacramentum non contemnatur ; sine cujus actuali sumptione non salvaretur, si illo taliter contritus in articulo mortis posset illud accipere , & non acciperet .

Natalis Alexander *Tom. 1. Theologiæ Moralis Dogmaticæ lib. 2. de Sacramento Pœnitentiæ propositione 6. art. 2.* facta sibi objectione , quod damnaretur imperfectè contritus casu, quod mors superveniret , si extrasacramentaliter non justificaret , quod tamen videtur esse contrà Scripturas : respondet .

(Aliud

(Aliud esse ferendum judicium de homine in extremis posito, qui non habeat copiam Sacerdotis, apud quem peccata deponere, & a quo beneficium absolutionis consequi possit, & de homine, cui præstò est Sacerdos, cui peccata confiteri, & a quo absolvi possit. Posterior enim quamvis attritionem cum amore Dei super omnia supponatur habuisse ab illo tamen amore excidit, nec verè aversam a peccato, & ad Deum conversam habeat voluntatem, quia contempti, vel neglecti Sacramenti reus est. Prior verò si Sacramentum non contemnat, non negligat, sed vehementer desideret, si contritione imperfecta &c.)

Verùm a statu quæstionis declinare videtur. Non dubitat, quod contemptor Sacramenti excidat a charitate. Qui esset contritus in summo grado, & Sacramentum contemneret, excideret ab illa, etiam si charitatem haberet super omnes Seraphim, sive in articulo mortis, sive extra. Non est contemptor Sacramenti, qui potens hodiè illud suscipere, vult expectare usque ad diem Dominicum, quo die obligatio currit exempli gratia; vel etiam si non obliget præceptum, tamen vult differre, quia commodiùs, & devotiùs in die festo sumet.

Peterem etiam libenter, an moribundus esset Sacramenti contemptor, si potens vespere habere copiam Confessarii, stante judicio prudenti Medicorum de sufficienti aptitudine pro die crastino, vellet expectare usque crastinum, quia manè sibi præsens est, an si casu aliquo inopinato moreretur per noctem cum sola tunc temporis contritione imperfecta salvaretur? Si non est contemptor Sacramenti propter dilatam confessionem motivo illo prudentiali existimato, cur erit contemptor Sacramenti sanus, qui expectare vult tempus urgens præcepti, vel diem commodiorem?

Qui lethaliter peccavit quantumvia summa contritione pœniteat, tenetur peccata sua subdere clavibus: si iste actu habens vehementissimam contritionem habeat simul omninò commodam copiam Confessarii, & differat, vel ut expectet tempus obligatoriæ Confessionis, vel ut lucretur aliquam Indulgentiam ratione alicujus festi, esset ne contemptor Sacramenti? Si negetur: cur erit contemptor imperfectè contritus? Si est contemptor: ergo nullus unquam justificatur extrasacramentaliter, nisi in articulo mortis, etiam vehementissimè contritus.

Sæpè recitatæ tomi decimi Theologiæ Sanctorum *cap.* 83. habet -- Attritio ex Dei
„ propter se super omnia amore licèt imper-
„ fecto, ex speciali Dei misericordia, me-
„ ritoque Passionis Christi, absque actuali
„ sumptione Sacramenti, licèt non absque
„ voto ipsius, justificat in articulo mortis,
„ dùm actualem susceptionem excludit im-
„ possibilitas, non voluntas --

Probat auctoritate Ambrosii, Augustini, & Innocentii III. prout in Can. Apostolicam *de Presbytero non baptizato*. Auctoritate Bern. epist. 77., Theobaldi Stampensis epist. ad Episcopum Lincolniensem. Concil. Chariag. IV., Vasensis, Arelatensis II., Aurelianensis I., Toletani XI., quæ admittunt faciendas esse oblationes pro baptizatis mortuis acceptâ pœnitentiâ antè actualem absolutionem. Quibus omnibus subscribit Natalis Alexander. Ultimò probat a paritate martyrii. Circà hæc duplicem innuo reflexionem.

Prima est ad Can. Apostolicam, ubi resolutio Innocentii circà salutem illius Presbyteri non baptizati, qui tamen se crediderat baptizatum, tota innititur illi causali -- „ Quia in Sanctæ Matris Ecclesiæ Fide, & „ Christi nominis confessione perseveravit -- Hæc autem causalis manifestè indicat, quod Innocentius supponit cum longè antè mortem fuisse justificatum, & in ea perseverasse usque ad extremum; cumque Adversarii supponant imperfectam dilectionem habuisse, sequitur apertè hanc quolibet tempore justificare.

Secunda reflexio est ad rationem adductam a Theobaldo inclusam in illis verbis -- „ Nisi fortè putetur in mala, quàm in bono „ efficacior inveniri voluntas apud Deum, „ qui charitas est, & promptior esse ad ul- „ ciscendum, quam ad remunerandum, „ misericors, & miserator Dominus -- Sub quo verissimo principio reperio invincibile argumentum. Æquè ad minùs est Deus misericors, ac justus. Sed posito quolibet vero peccato lethali minimæ intensionis quolibet tempore, justitia Dei aufert ab homine illo gratiam. Ergo posito quolibet verò odio peccati ex dilectione Dei super omnia minimæ intensionis quolibet tempore misericordia Dei restituit gratiam.

Infrà ex doctrina citatorum Conciliorum dabimus satis evidens argumentum. Interim circà paritatem de Martyrio, quod extendit Auctor ad casum morientium pro assistentia peste laborantium, hæc indicare placet. I. Ille actus non est charitatis imperfectæ. II. Martyrium ex opere operato justificat. III. Martyrium delet culpam, & pœnam totam; nullum autem horam intercedit in justificatione per charitatem inchoatam.

Discrimen inter charitatem inchoatam, & Martyrium.

His addam Merbesium inter Adversarios facilè principem *tom.* 2. *de Pœnit. dissert.* 4. *q.* 24. Quærit utrùm ex contritio, quæ ordinariè peccatorem non justificat antè Sacramenti perceptionem, aliquando sufficiat ad justificationem, adeòque ad salutem. Et habet (respondeo varios casus assignari a Theologis, in quibus præfata contritio, Deo ità volente, Sacramenti vicem, virtutemque suppleat. Primus casus est mortis articulus &c. Secundus &c. quando est fundati metus, aut imminet periculum alterius peccati, & præsertim gravioris incurrendi &c. Tertius est, quando quis, vel omninò non potest, vel difficillimè potest opportuno tempore adire Sacerdotem, a quo absolvatur; v. g. si habitet apud Infideles, aut detineatur in vinculis, aut alio id generis impedimento prohibeatur &c.)

Momenta probationum desumit ex D. Bernardo *epist.* 77. ad Hugonem de Sancto Victore *cap.* 2., a quo tres rationes recitatis Mellifluí verbis eruit, & applicat; totam libenter transcriberem, nisi prolixio vetaret. Doctrinam fideliter referam, quoniam Auctor

nunc

nunc est præ manibus Eruditorum; & una subsumpta propositione, addita absque ulla sophismatis umbra, constabit, aut nihil illas valere pro casibus recitatis, aut pro omni tempore, quo quis conteritur ex inchoata charitate super omnia.

Prima ratio Bernardi desumitur ex martyrio, quod justificat, & exindè infert contritum morte præventum absque Sacramento non damnari, clauditque suum ratiocinium S. Doctor -- Damnabit Fidelem suum „ Deus? damnabit, inquam, hominem „ pro se etiam paratum mori? -- Applicat rationem istam Merbesius ad suos casus, in quibus ille homo habet fidem, habet charitatem, desiderat Sacramentum, paratus mori, quam flagitium committere, ut concludat non damnari.

Subsumimus nos. Atqui quotiescumque Fidelis detestatur peccatum ex inchoata dilectione super omnia hæc reperiuntur, aliàs non est dilectio Dei super omnia; quod verò non suscipiat actu Sacramentum, non est; quia nolit, non est, quia non desideret, sed ast, quia non urget obligatio tunc suscipiendi secundùm declarationem Ecclesiæ, paratus illud suscipere suo tempore debito; adeòque non peccat: ergo etiam tunc justificat: sicut misericordia Dei casibus illis assistit; ità istis assistit, quotiès non vult obligare tunc ad illud præceptum Deus.

Secunda ratio B. Bernardi petitur ex eo, quòd qui capetit Baptismum, quem suscipere non potest, loquatur in Spiritu Sancto, adducto eo Pauli testimonio. *Nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto*, quam rationem sic claudit -- Salvatorem „ habet habitantem per fidem in corde, & „ in ore per confessionem, & cum Salvatore „ re damnabitur? -- Accommodat suis casibus Merbesius producto Concilio Arausicano II., & Tridentino definientibus neminem credere, sperare, & pœnitere posse, sicut oportet, sine Spiritu Sancto; adeòque illi homines conteruntur movente Spiritu Sancto, ac per consequens non damnantur.

Atqui subsumimus nos, in omni casu contritio ex inchoata dilectione Dei super omnia est movente Spiritu Sancto, sine quo est impossibilis dilectio Dei supernaturalis: ergo in omni casu salvat, & infert justificationem.

Tertia D. Bernardi ratio est ex quo voluntas pro facto reputatur, ubi factum excludit necessitas, quam roborat eo principio, quod promptior non est in Deo voluntas ad ulciscendum, quam ad remunerandum &c. quam rationem suis casibus Merbesius aptat.

Nos subsumimus. Deus, qui non est promptior ad ulciscendum, ubi agitur de peccato, voluntatem acceptat pro facto, non solùm quando peccator non potest adimplere voluntatem suam impeditus, sed quocumque tempore, quo potens spontè non adimplet. Ergo Deus voluntatem pro facto acceptat, quotiès pœnitens detestatur peccatum, sive possit, sive non possit sumere Sacramentum, dummodò illud non contemnat, & omittendo non peccet. Illatio videtur firma.

Probat 2. Merbesius suam positionem A auctoritate Ecclesiæ desumpta ex Concilio Carthaginensi IV. anno 349. cap. 79., ex Concilio Vasense an. 442. Can. 2., ex Arelatensi II. an. 452. Can. 22., ex Conc. Tolet. XI. an. 675. Can. 22., quorum summa est, Ecclesiam consuevisse offerre oblationem illis, qui morte præventi non habuerunt Sacramentum reconciliationis, quod esse nequit, nisi supponat Ecclesia illos contritione imperfecta justificari supplente vicem Sacramenti.

Argumentum alludit ad publicas pœnitentias. Verùm nihil evincit; videantur quæ Tract. de Pœnit. fusè diximus, ubi B probatum est ex antiqua Ecclesiæ disciplina Pœnitentes, qui gradus omnes Pœnitentiales percurrere debebant, ante solemnem reconciliationem fuisse Sacramentali absolutione donatos.

Concludit Merbesius resolutionem suam testimonio Theobaldi Stampensis, qui floruit sub anno 1099. superiùs indicati, ex quo pro suo intento excipit istas tres propositiones. *Prima* -- Si quis prædicat, & prædicando „ temerè definiat aliquem non posse salvari „ quacumque hora manus suas pœnitentiæ „ dederit, fallitur, nec Catholicè sentit. „ *Secunda*. Quia non solùm superfluæ cogi- C „ tationes, sed etiam pravæ actiones antè „ vim compunctionis fugiunt. *Tertia*. Pa- „ tet, quod quicumque bonam voluntatem „ habebit in terris, pacem indubitanter, & „ gloriam consequetur in Cœlis. Amen --

Propositiones istæ, si pro casibus ab Auctore recensitis valent, tenent etiam pro omnibus aliis, in quibus absque peccato susceptio actualis Sacramenti potest omitti attente illatio eas expendenti. Alio principio ab Adversariis deprompto ad hominem probatur nostræ positionis veritas. Sic. Per quodlibet peccatum mortale tollitur omnis charitas habitualis, & omnis gratia sancti- D ficans. Ergo per quemlibet dolorem detestativum ex vera charitate, seu dilectione Dei super omnia essentialiter accepta tollitur omne peccatum habituale; sed hoc fieri nequit absque gratia justificante: ergo quælibet dilectio Dei super omnia substantialiter accepta est connexa cum gratia justificationis, vel originativè, vel illativè.

Illatio ostenditur ex principiis, quibus utuntur Clarissimi Adversarii ad probandum antecedens, quæ habet Laurentius Neessen *tom. 2. tract. 3. de tertia Virtute Theol. dub. 4.* Primam rationem desumit ex 18. *Ezech.*, de quo satis.

E Adducit alteram Scripturam ex 1. Cor. 6. ubi. *Neque fornicarii, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures Regnum Dei possidebunt*.

Cui facilè reponitur illud 2. ad Timoth. 4. 8. *In reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus Judex: non solùm autem mihi, sed & iis, qui diligunt adventum ejus*. Et illud Jacobi 1. 12. *Accipiet coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se*. Quæ continent vim æqualem pro contrario.

Secundam rationem his verbis conceptam promit, (cui fundamentaliter adhæret) pro-

proponit hanc quæstionem: Petes, quænam sit ratio, cur quolibet peccato mortali amittatur charitas perfecta.

„ RESP. Quia per quodlibet peccatum „ mortale tollitur motivum formale charitatis, quod est Deus tanquam ultimus finis super omnia diligibilis, quia per „ quodlibet peccatum mortale Deus postponitur creaturæ, ad quam homo se peccando convertit: sublato autem motivo „ formali tollitur charitas; nec enim tunc „ potest illa operari, siquidem nullus habitus operatur, nisi circà objectum suum, „ prout substat objecto formali; nec enim „ habet esse, nisi propter operari —

Quam rationem versat D. Thomas pluriès, & 2. 2. q. 24. art. 12.

Attamen sic instatur. Omnis actus dilectionis Dei super omnia contrariatur peccato, tollit motivum formale peccati, quia tendit ex sua ratione in Deum, tanquam ultimum finem super omnia diligibilem, cùm per quemlibet actum dilectionis super omnia creatura postponatur Deo, ad quam homo se peccando converterat. Ergo per quemlibet actum Dei dilectionis super omnia tollitur quodlibet peccatum lethale.

Declaratur vis argumenti adducto altero discorso D. Th. ibidem loquendo de habitu charitatis infusæ, qui ait — Et ideò sicut „ lumen statim cessaret esse in aere per hoc, „ quod aliquod obstaculum poneret illuminationi Solis: ità etiam charitas statim „ deficit esse in anima per hoc, quod aliquod obstaculum ponitur influentiæ charitatis a Deo in animam. Manifestum est „ autem, quod per quodlibet peccatum mortale, quod Divinis præceptis contrariatur, ponitur prædictæ infusioni obstaculum: quia ex hoc ipso, quod homo eligendo „ præfert peccatum divinæ amicitiæ, quæ requirit, ut Dei voluntatem sequamur, consequens est, ut statim per unum actum peccati „ mortalis habitus charitatis perdatur —

Nunc sic nos ad hominem. Sicut statim cessat in aere obscuritas hoc ipso, quod ponitur illuminatio Solis, vel tollitur obstaculum illuminationi; ità deficit in anima peccati obscuritas hoc ipso, quod ponitur influentia charitatis, vel tollitur infusioni obstaculum. Sed diligendo Deum super omnia ex hoc præcisè tollitur illud obstaculum, quia homo diligendo præfert divinam amicitiam peccato; vult enim sequi divinam voluntatem: ergo per omnem actum dilectionis Dei super omnia tollitur peccatum. Et benè advertendum est, quod D. Th. formalissimè arguit ex ratione ipsa essentiali dilectionis, non autem ex qualitate intensionis, vel alterius perfectionis.

Dices cùm Theologia Sanctorum. Conversio tollit aversionem quoad affectum, non quo ad culpam, quæ semel admissa non tollitur per solam retractationem, sed per solam Dei condonationem, quæ ponitur, quando est illa displicentia peccati, quam Deus exigit; vult autem perfectam extrasacramentalem, ùt Scripturis, & Patribus constat. Summa responsionis hæc est.

Sed contrà. Sicut Scriptura, & Patres ponunt commensurationem inter dispositionem, & justificationem; ità ponunt commensurationem inter pœnam, & culpam: ergo sicut Deus non donat justificationem, nisi contritio sit valdè vehemens, & intensa; ità non infliget pœnam æternam, privationem suæ amicitiæ, nisi culpa sit valdè vehemens, & intensa; vel sicut stante imperfecta contritione, seu conversione non donat Deus justificationem, nisi addatur actualis susceptio Sacramenti; ita posita aversione imperfecta, hoc est, substantia peccati mortalis non aufert Deus suam amicitiam, & gratiam, nisi addatur aliquid aliud æquivalens vehementissimæ malitiæ: Hanc illationem nequit admittere illa Theologia absque errore, deserat ergo suam, qua stante, stare oportet hanc aliam.

Duplex oppositio peccatum inter, & charitatem.

Duabus viis apud Theologos explicatur oppositio mutua peccati, & charitatis, ac gratiæ. Prima tenet physicè ad invicem expelli, secunda sustinet non physicè, sed moraliter; hoc est peccatum demeritoriè expellere charitatem, & gratiam, charitatem dispositivè moraliter, gratiam verò formaliter.

Si primum adoptetur, admittere fas est, quod sicut posito quocumque peccato habente essentiam culpæ lethalis sub minima intensione expellitur quælibet charitas, & gratia; ità posito quocumque actu dilectionis Dei super omnia habente essentiam dilectionis sub minima intensione expellitur quodlibet peccatum; quia oppositio inter hæc duo non habetur ratione intensionis, sed ratione essentiæ, ùt evidens est.

Si secundum dicatur, idem propugnandum est, quia sicut Deus per Scripturam statuit ad præsentiam peccati auferre justitiam, ità ad præsentiam pœnitentiæ statuit restituere sanctitatem, ùt jam ostendimus. Sufficit nunc Ezechiel. cap. 18. vers. 26 27. *Cum enim averterit se justus a justitia sua, & fecerit iniquitatem, morietur in eis: in injustitia, quam operatus est, morietur. Et cùm averterit se impius ab impietate sua, quam operatus est, & fecerit judicium, & justitiam: ipse animam suam vivificabit.* Quare peccati remissio habetur per divinam condonationem; sed Deus promisit se peccatum condonaturum posita pœnitentia dilectiva substantialiter super omnia, loquendo de remissione extrasacramentali: ergo &c.

Per easdem reflexiones corruit responsio, quæ datur huic instantiæ: Amans Deum propter se spiritualiter vivit: Vita autem animæ gratia est. Responsio hæc est. Duplex est vita, una inchoata per Spiritum Sanctum moventem, & nondum inhabitantem, altera perfecta per Spiritum Sanctum inhabitantem, gratiamque sanctificantem. Priori vita vivit omnis Deum propter se amans, non posteriori.

Sicuti duplex vita spiritualis, ita duplex mors.

Contrà hanc responsionem stat nostra replica insuperabilis. Lethaliter peccans mortuus est spiritualiter: mors verò spiritualis duplex est: una per Diabolum moventem, & nondum inhabitantem, quæ tunc datur quando concipitur homo actu peccans in priori naturæ ad maculam habitualem, & privationem gratiæ: quæ dicitur mors inchoata, & vialis. Altera perfecta per Diabolum

bolum inhabitantem media privatione gratiæ, & macula habituali, quæ remanet post actum peccati (quando dicimus per Diabolum inhabitantem, nolumus dicere, quod A
Diabolus inhabitat personaliter in peccatore, hoc erroneum est, sed propter effectum juxta illud Scripturæ, Omnis, qui peccat ex Diabolo est.)

Duplicem vitam illam dicit constare. Theologia illa ex 63. propositione inter Bajanas damnata. Duplicem mortem, quam nos explicuimus, desumimus a Fide, & a Theologia distinguente peccatum actuale a macula habituali; & a propositione 56. inter easdem damnata, quæ habet -- In peccato „ duo sunt, actus, & reatus: transeunte „ autem actu, nihil manet, nisi reatus, B
„ sive obligatio ad pœnam -- remanet ergò aliquid aliud actu transeunte, videlicet macula habitualis.

Hac veritate posita sic discurrimus. Posita vita inchoata per dilectionem Dei super omnia non ponitur vita perfecta per gratiam sanctificantem: ergo posita morte inchoata per actualem aversionem a Deo, non ponitur mors perfecta per maculam habitualem, seu per ablationem gratiæ sanctificantis. Nequit Theologia Sanctorum admittere hanc illationem, deserat ergo suam, ex qua hæc infallibiliter sequitur.

Igitur aliud est justificatio formalis, C
aliud est justificatio dispositiva, vel causalis. Credimus cum Catholicis, quod justificatio formalis non habeatur ab actu charitatis, sed a gratia sanctificante; sed dicimus, quod charitas actualis, seu meliùs loquendo, detestatio peccatorum dilectiva Dei justificat dispositivè per infallibilem connexionem, & illationem cum gratia sanctificante; ea proportione qua ex peccato actuali consequitur habituale. Sæpè enim hoc indicavimus illis locutionibus: charitas infert justificationem: secum trahit justificationem: connectitur cum justificatione &c.

Contrà alteram distinctionem insuperabiliter retorsio eadem fit, quam facit ad hanc D
instantiam Theologia Sanctorum. Omnis, qui ex toto corde ad Deum convertitur, in gratiam statim recipitur: sed omnis qui ad Deum ex amore Dei propter se super omnia convertitur, toto corde convertitur: ergo. Respondet majorem esse veram si ly *ex toto corde* significet idem, quod ex corde perfecto: secus si significet idem, quod ex amore Dei propter se super omnia præcisè. Cùm non omnis amor ejusmodi sit charitas perfecta.

Nunc nos sic. Omnis, qui ex toto corde a Deo avertitur, statim decidit a gratia. E
Sed omnis, qui peccat lethaliter, seu præfert creaturam Deo, toto corde avertitur a Deo: ergo &c. Sic respondemus majorem esse veram si ly *ex toto corde* idem sit, quod ex corde perfecto, hoc est vehementissima malitia: secus si significet idem, quod ex amore creaturæ propter se super omnia præcisè. Cùm non omnis amor ejusmodi sit malitia perfecta. Admittet ne illa hanc distinctionem? Absit a Viris Catholicis.

Itaque jam vidimus, quod tàm in bono, quàm in malo est duplex esse perfectum; unum in linea essentiali, alterum in linea accidentali. Dilectio Dei super omnia non in gradu intenso habet perfectionem essentialem, & constituit cor perfectum essentialis lineæ: & amor creaturæ super omnia non in gradu intenso est malitia essentialis, & constituit cor perfectum in malitia lineæ essentialis. Dilectio Dei super omnia, qua vehemens, qua intensa est perfectio accidentalis, & constituit cor perfectum etiam in linea accidentali; ità pariformiter de amore creaturarum. Undè quemadmodum posito amore creaturarum super omnia essentialiter accepto homo recedit a gratia, & ab ea cecidit; ità posita dilectione Dei super omnia essentialiter accepta homo recipitur in gratiam. Volumus facere hujusmodi retorsiones utendo distinctionibus Theologicis clarissimæ Adversariæ Theologiæ Sanctorum, ùt appareat qualiter doctrina opposita inconsequenter procedat, secus nostra, quæ semper cohæret; & consonantiam Scripturarum mirificè tenet.

Rem hanc absolvimus manifesta auctoritate Concilii Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 4. illis verbis concepta -- Docet præpereà, & „ si contritionem hanc aliquando charitate „ perfectam esse contingat, hominemque „ Deo reconciliare priusquam hoc Sacra„ mentum actu suscipiatur, ipsam nihil„ ominùs reconciliationem ipsi contritioni „ sine Sacramenti voto, quod in illa inclu„ ditur non esse adscribendam -- Hic nisi velimus vim verbis inferre, palam fit semper detestationem peccatorum ex dilectione Dei super omnia afferre justificationem ante actualem susceptionem Sacramenti, quamvis non absque voto.

Dices cum Estio. Concilium non asserere id semper evenire, sed solùm aliquando, videlicet in casu necessitatis, & martyrii.

Verùm hoc est cæcutire in meridie. Evidens est, quod ille terminus *aliquando*, non conjungitur cum parte posteriore, videlicet, *hominemque Deo reconciliare*, sed conjungitur, ùt liquet apertissimè, cum priori parte, videlicet, *si contritionem contingat esse charitate perfectam*: & sensus planissimus est: Quamvis contritio, quæ charitate perficitur, hominem Deo reconciliet ante actualem susceptionem, nihilominùs hoc facit in voto Sacramenti. Non indigemus in hoc immorari, quia non esse Estium audiendum circà hoc docent ipsimet Clarissimi nostri Adversarii, & ipsa grammaticalis constructio rem evincit.

Quapropter ipsi respondent Concilium loqui de charitate perfecta, tùm extensivè, tùm intensivè; non autem de charitate perfecta solùm extensivè: Theologia Sanctorum distinguit charitatem specialiter dictam, & charitatem generaliter dictam, de prima loqui Concilium, non de secunda dicit, adjiciens Tridentinos Patres actum charitatis generaliter dictæ admisisse in homine exoptante, sed non obtinente justitiam, ùt Tridentinæ Historiæ Eminentissimus Auctor ostendit *lib.* 8. *cap.* 14, quibus involucris involvit lucem Concilii Trident.

Cæterùm gratis exponunt Concilium Tridentinum de charitate perfecta extensivè, & intensivè, cum nullum hujus vestigium exhi-

eabibeat. Simpliciter utitur verbo *Charitatis*. Nullo ætitue additumento; portò charitas simpliciter prolata, & multò magis absque addito, stat pro substantia charitatis; omnia enim denominatio a famosiori desumitur; famosiùs autem in qualibet re est ejus essentia. Patres Tridentini non nisi ductu Scripturatum, & ad sensum ipsatum Decretum illud firmaverunt; sciebant optimè Scripturas usurpare nomen charitatis, & dilectionis modò simpliciter, & absque addito; modo cum addito *perfecta*, si intellexissent de perfecta charitate, addidissent illam modificationem, & debuissent addere, ut de sana doctrina constaret.

Ipsa grammaticalis constructio mentem Concil. planè declarat: non dicit charitate perfecta, sed contritionem perfectam charitate, hoc est, constitutam per charitatem, hoc est, habentem esse per charitatem. Sunt hæc duo diversa satis: contritionem perfectam charitate, & charitate perfecta. Primum importat, quod contritio illa inter sua constitutiva includat divinæ bonitatis dilectionem. Srcundum quòd hæc dilectio sit summa, & perfecta.

Eugenius in instructione Armenorum dicit omnia Sacramrnta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia; nec indè sequitur quòd ees debeant esse prrfectæ, similiter de verbis, & de persona, & de intentione Ministri, quia illud verbum *perfici* cadit supra Sacramenta, & stat pro constitui, & non cadit super constitutiva Sacramentorum; ita in casu nostro.

Deindè dato, quòd subintelligatur particula illa *perfecta*, quare debet ampliari ad perfectionrm intensivam? Perfectum dicitur omne per suam essentiam constitutum: & primaria vocabuli intentione *perfectum* stat pro integritate essentiali, quia hæc est fundamentum ulterius, & velut substantia; adeòq perfectio extensiva, quæ est essentia charitatis, sufficit, ut charitas perfecta dicatur. Uno verbo, constructio illius propositionis est; Quando contritio, idest, peccatorum detestatio est ex motivo charitatis, tunc justificat ante actualem sumptionem in solo voto: & constat per adversativam sequentem de contritione imperfecta, quæ ex motivo gehennæ, vel peccati turpitudinis concipitur.

§ X.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

131 OBJIC. I. Vox Patrum est, quòd sententia Petri præcedit sententiam Cœli: sed si dilectio Dei super omnia inferret justificationem ante actualem sumptionem Sacramenti, hoc non esset verum: ergo illam non infert. Deindè Eucharistiæ effectum ordinariè non recipiunt Fideles absque Eucharistia actu sumpta: ergo neque pœnitentiæ. Denique unanimiter Patres mediis Scripturis demonstrant absolutionem sacramentalem necessariam esse ad remissionem peccatorum habendam: ergo non supponitur habita. Hæc Estius.

Verissima est illa Patrum vox, quia via Clavium non est purè declarativa criminum, sed verè deletiva. Sacerdos novæ Legis non est simplex Inspector lepræ, quemadmodum Antistes Legis veteris, sed est curativus, & sanativus instrumentaliter. Nihil autem hoc facit ad infirmandam causam nostram, quia illud solùm verificatur, quando Ministri exercent personam, & actum Judicis, tunc solùm habent explicatam auctoritatem; nec semper etiam tunc sententia Petri sententiam Cœli præcedit; sed solùm quando Pœnitens accedit ad Sacramentum Confessionis cum dispositione tantùm sufficienti; propter quod & Christus quandoque misit leprosos ad Sacerdotes, quos tamen priùs in via sanavit. Quia ubi abundavit delictum, ibi superabundavit, & gratia.

Duplex medium justificationis reliquit Ecclesiæ Christus: unum formaliter sacramentale, aliud solùm sacramentale in voto; sive unum *ex opere operato*, aliud *ex opere operantis*; deditque Christus exemplum sanando quandòque infirmos nullo signo exteriori adhibito, aliquando signo exteriori adhibito; non debuit charitas in statu gratiæ privari eo privilegio, quod habebat in lege veteri, inferendi videlicet justificationem ante actualem sumptionem Sacramentalis absolutionis, quæ tunc in solo typo erat figurata. Et quia lex Christi amoris est, perficere debuit hoc privilegium non minuere. *Justificationis medium, duplex.*

Secundum non urget, quia effectus proprius sacramentalis ùt talis in nullo Sacramento habetur absque actuali sumptione Sacramenti. Ulteriùs omnis effectus Sacramenti est *ex opere operato*: cæterum augmentum gratiæ secundùm se, quod datur in Eucharistia, optimè haberi potest frequenter per fervorem, & desiderium ardens sumendi Corpus Christi, quod evenit in plerisque Viris piis: Deindè propter peculiarem necessitatem concessum est Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ, ut & in re, & in voto sanctificent.

Tertium nullius roboris est. Sacramentum Pœnitentiæ, prout est necessarium necessitate medii, non obligat determinatè ùt in re susceptum, sed vel in re, vel in voto, & hæc est vera Ecclesiæ Doctrina: prout autem est necessarium necessitate præcepti, obligat statuto tempore juxtà naturam præcepti affirmativi, de quibus suo loco.

132 OB. II. Quod aliquando Ecclesia Romana non suscepit, minùs verum videtur esse: sed Ecclesia Romana non suscepit per quinque Secula, quod absque actuali sumptione Sacramenti justificatio haberetur: ergo non videtur concedenda. Assumptum probatur ex ea praxi, quòd non communicaret preces, & oblationes offerendo pro illis, qui obierant pace non habita, vel Baptismate non suscepto.

Hujus exemplum habemus in Leone Magno epist. 91., quæ est ad Theodorum Forojuliensem, ubi hæc — Si autem aliquis „ eorum, pro quibus Domino supplicamus, „ quocumque intercepius obstaculo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, &

 „ prius-

„ priusquam ad constituta remedia perveniat, temporalem vitam humana conditione finierit; quod manens in corpore non receperit, consequi exutus carne non poterit -- Eaque ducitur ratione, quod illorum acta, & merita discutere divino judicio sit reservatum.

Idem sentit Gelasius in Concil. Romano congregato pro absolutione Misseni Comani Episcopi, illic -- Nec nos jam mortuis „ veniam præstare deposcant, quod nobis „ possibile non esse manifestum est. Alia „ est causa superstitum, alia defunctorum -- Idem Vigilius Papa in suo Constituto de tribus capitulis.

Hæc eruditio non est ad rem, quia non est pro omnibus casibus, sed pro quibusdam tantùm, videlicet, excommunicationis, & hoc neque etiam constanter. Hinc Magnus Ambrosius Oratione Funebri pro Valentiniano Juniori Catechumeno defuncto adhortatur Populum, ut oblatione offerat pro illo -- Pio requiem ejus poscamus affectu „ &c. animam piam Mariis oblationibus „ prosequamur --

Patres Concilii IV. Carthag. Can. 79. habent -- Pœnitentes, qui attentè pœnitentiæ leges exequuntur, si casu in itinere, „ vel in Mari mortui fuerint, ubi ejus subveniri non possit, memoria eorum, & „ Orationibus, & Oblationibus commendetur --

Patres Arelatensis Concilii Can. 12. habent -- De his, qui in pœnitentia positi, „ vitam excesserunt, placuit nullum vacuum „ communione debere dimitti; sed pro eo, „ quod honoravit pœnitentiam, oblatio illius recipiatur -- Hi omnes Patres filii erant Ecclesiæ Romanæ.

Opinio Leonis Magni, Gelasii, & Vigilii Pontificum circa excommunicatos.

Tres Pontifices laudati illius erant opinionis, quod mortui in excommunicatione non possent ab illo vinculo absolvi, eo quia non sunt ampliùs ut mortui sub jurisdictione directa Prælatorum Ecclesiæ, sed peculiariter subsunt Dei judicio; propter quam etiam rationem aliquorum opinio erat, quòd nequirent mortui excommunicari: loqui verò eos Pontifices de excommunicatis certum est: & contextus indicat.

Pro Leone Magno, de quo fortè aliqua suspicio haberi potest, fidem facit Concilium Maciense, quòd cap. 8. habet -- De mortuis „ in excommunicatione, de quibus S. Leo „ sic decrevit. Horum causa judicio Dei „ est servanda, in cujus manu fuit, ut talium obitus usque ad communionis remedium differetur: nos autem, quibus viventibus non communicamus, mortuis „ communicare non possumus --

Non erant tamen tunc temporis circa hoc constantes in unum Præsules Ecclesiæ, quod evincitur ex Concilio Toletano XI. Can. 12. ubi -- De his autem, qui accepta „ pœnitentia, antequam reconcilientur ab „ hac vita recesserint, quamquam diversitas præceptorum de hoc capitulo habeatur, illorum tamen sententia nobis placuit, qui multiplicem numero de hujusmodi humanitùs decreverant, ut & memoria talium in Ecclesiis commendetur, „ & oblatio pro eorum delicto a Presbyteris recipiatur --

Post V. & VI. generalem Synodii prævaluit usus absolvendi ab excommunicatione mortuos.

Posterioribus verò Seculis prævaluit praxis, & absolvendi ab excommunicatione mortuos, & ligandi saltem declarativè; incœpit hoc a quinta, & sexta Generali Synodo, quæ plerosque in vita nequaquam damnatos de hæresi, vel illius suspicione, defunctos anathemare ligaverant; & ex adverso defunctos in statu pœnitentiæ incœpleto absolverunt.

Sufficit auctoritas Innocentii III., qui solvit motiva S. Leonis: *extrà de sententia excommunicationis cap.* 28. ubi habet -- Potest „ tamen, & debet ei Ecclesiæ beneficio „ subveniri, ut si de ipsius viventis pœnitentia per evidentia signa constiterit, de„ functo etiam absolutionis beneficium impendatur. Nec obstat, quòd Ecclesiæ legitur attributa potestas ligandi, atque „ solvendi homines super terram, tanquam „ non possit solvere, & ligare sub terra „ sepultos. Et quod legitur, non communicemus mortuo, cui non est communicatum & vivo: cùm & si communicatum non fuerit, communicandum tamen illi „ fuisset, quem non contemptus Religionis, „ sed necessitatis articulus impedivit, & in „ certis casibus a Canonibus denotatis ligasse legatur Ecclesia mortuos, & solvisse --

Ex eodem Innocentio habemus duo exempla. Primum relatum cap. *Debitum*, *de quodam Judæo*, qui seipsum baptizaverat in articulo mortis defectu Ministri, de quo ait, si continuò decessisset ad cœlestem Patriam protinùs evolasset. Secundum relatum cap. *Apost. de Presbytero non baptizato*, de quo incunctanter, ait, post mortem fuisse adeptum æternam gloriam, & pro eo offerri preces jussit.

DICES. S. Fulgentius expressè negat Catechumenum morte præventum salvari absque Baptismo; non ergo sentit contritionem dilectivam in voto justificare. Accipe verba ad Ferrandum, a quo fuerat interrogatus de quodam Æthiope inter competentes Catechumenos, qui amisso usu rationis, lavacro sacræ regenerationis ablutus fuit; hunc vitam æternam consecutum docet; non consecuturum si absque Baptismo decessisset, illis -- Non dicimus illum sine Baptismi „ Sacramento sola Confessione potuisse salvari &c. Qui enim crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit. Illum itaque „ Adolescentem, quia credidisse, & con„ fessum fuisse novimus, ideo per Sacramentum Baptismatis salvum fuisse firma„ mus: qui si non baptizaretur, non solùm „ nescientes, sed etiam scientes, nullatenùs salvaretur; via enim salutis in Confessione, „ salus in Baptismate -- Clara sunt hæc.

Hæc solùm intelligit S. Pater in casu insufficientis dispositionis, non autem pro casu dispositionis sufficientis per dilectionem, aliàs dictum illud doctrinam contineret, quam Ecclesia non acceptat; certum enim est, quòd Baptismus in voto sufficit ad salutem; sicut & Martyrium absque Sacramento, quod etiam grammaticalis constructio illius contextus excluderet.

131 OB. III. Fide certum est absolutionem Sacramentalem esse peccatorum veraciter

Digitized by Google

citer delevimus: sed si contritio justificaret absque actuali sumptione Sacramenti ille articulus esset falsus. Ergo. PROB. assumptum. Patres ad absolutionem sacramentalem requirunt vitam media charitate in peccatore absolvendo, juxta exemplar a Christo nobis relictum, qui Lazarum peccatoris figuram a mortuis excitatum tradidit Apostolis solvendum.

Præstat pro omnibus audire Gregorium Magnum *homil.* 26. *in Evang.* -- Causæ pen-
„ sandæ sunt, & tunc ligandi, atque sol-
„ vendi potestas exercenda. Videndum est,
„ quæ culpa præcessit, aut quæ sit secuta
„ pœnitentia post culpam: ut quos Omni-
„ potens Deus per compunctionis gratiam
„ visitat, illos Pastoris sententia absolvat.
„ Tunc enim vera est absolutio præsidentis,
„ cum æterni arbitrium sequitur Judicis.
„ Quod benè quatriduani mortui resuscita-
„ tio illa significat, quæ videlicet demon-
„ strat, quia prius mortuum Deus vocavit,
„ & vivificavit dicens: Lazare veni foras,
„ & postmodum is, qui vivens egressus
„ fuerat, a Discipulis est solutus, sicut scri-
„ ptum est: Cùmque egressus esset, qui fue-
„ rat ligatus institis, tunc dixit Discipulis:
„ Solvite eum, & sinite abire. Ecce illum
„ Discipuli jam viventem solvunt, quem
„ Magister resuscitaverat mortuum. Si enim
„ Discipuli Lazarum mortuum solverent,
„ fœtorem magis ostenderent, quàm virtu-
„ tem: ex qua consideratione intuendum
„ est, quod illos nos debemus per Pasto-
„ ralem auctoritatem solvere, quos Aucto-
„ rem nostrum cognoscimus per suscitantem
„ gratiam vivificare -- Idem Aug. *Ser.* 67. aliàs 8. *de verb. Dom.*

Hæc doctrina offendiculum fuit aliquibus errandi in fide, quia ex praviter intellecta dixerunt potestatem clavium non habere vim supra culpam, sed solùm supra pœnam: inferentes ex facto Lazari a Domino prius resuscitati, absolutionem sacramentalem semper præsupponere peccatorem justificatum; quam hæresim nunc supponimus reprobatam per ea, quæ dicuntur de Sacramento Pœnitentiæ.

Clarissimi Nostri Adversarii explicant hunc locum de vita, quæ habetur per inchoatam dilectionem, quæ requiritur antè absolutionem, & ex ipsis non justificat; quorum aliqui adducunt pro se D. Thom. *Opusc.* 22. *cap.* 2., *& q.* 7. *supplem. art.* 1., & Aug. *loc. cit. ser.* 67. *de verb. Dom.*

Sed non bene id colligunt, quia vita, quam Lazaro tribuit Christus non fuit vita imperfecta, inchoata, sed perfecta in esse omninò essentiali per veram unionem animæ ad corpus, quod est de fide; a vera formali morte ad veram formalem vitam fuit translatus Lazarus; non fuit vivificatus solùm per spiritum moventem, & non inhabitantem, sed per veram corporis formam.

Christus Lazaro vitam perfectā tribuit.

Discipuli nullum dederunt motum intrinsecum vitalem Lazaro, nullumque principium vitæ, vitalisque operationis; sed solum abstulerunt impedimentum extrinsecum quo impediebantur membra, ne per ea anima expeditè exiret in motus exteriores: hæc de fide sunt; quapropter si analogia tenet, in peccatore non est admittenda vita solùm inchoata, sed verè formata, qua vere iter vivat vita formali, quæ est per gratiam sanctificantem, aliter analogia nulla est.

Vel consequenter fateri debent Adversarii, per inchoatam dilectionem super omnia Dei propter seipsam veram vitam gratiæ sanctificantis inferri antè sacramentalem absolutionem, si ad eam referunt analogiam; & tunc rectè citare poterant D. Thom., qui locum hunc versans antè absolutionem sacramentalem per veri nominis contritionem justificari docet peccatorem. In utroque loco videlicet *in Comment. in Joan.*, *& Opusc.* 22. *cap.* 2. improbata hæresi negantium in Ecclesia dari potestatem supra culpam; & docet quandoque hominem justificari per contritionem antè actualem sumptionem Sacramenti, quandoque non justificari, nisi in ipsa actuali sumptione, quando, scilicet, non est plenè contritus, hoc est, quando detestatur peccatum medio dolore, qui non attingit essentiam contritionis.

Resolvit insuper non debere Sacerdotem impendere beneficium absolutionis, nisi adverterit signa compunctionis -- Per hoc
„ ergo non ostenditur, quòd Sacerdos non
„ absolvat, aut non debeat dicere, Ego te
„ absolvo; sed quod eum non debet absol-
„ vere, in quo signa contritionis non videt,
„ per quam homo justificatur interiùs a Deo
„ culpa remissa -- *Opusc. cit.* ubi primo respondet, illud argumentum nihil valere, quia a metaphoricis desumptum.

In Comment. in Joan. aliam solutionem præmiserat ex D. Aug. *lib.* 83. *Quæst.* videlicet, illud exemplum Lazari non esse de peccatore, qui a morte peccati transit ad vitam gratiæ, sed de justo, qui transit de morte corporis hujus ad vitam immortalis gloriæ. Videat Lector, quod D. Th., & Augustinus pariter *cit. ex Serm.* 8. *de verb. Dom.* consona nostris docent.

Expressè tenet Lazarum non fuisse ab Apostolis resuscitatum, sed a Christo: ab Apostolis fuisse soluta vincula solùm, quibus impediebatur, ne posset liberè ambulare; non abstulerunt vincula vitæ contraria, sed motui exteriori solùm, quibus secundùm analogiam pro vinculis solutis per Discipulos, non potest intelligere Augustinus vincula culpæ; sed vincula concupiscentiarum, quæ Sacerdotes solvunt consilio: vincula temporalis pœnæ, vincula censurarum, quibus ligati, liberi non possunt ambulare coram Ecclesia, quamvis veraciter coram Deo vivant vitâ gratiæ habitualis, & habeant motus virtutum vitales, & meritorios. Videatur Augustinus.

134 OB. IV. Concilium Tridentinum negat contritione hominem justificari extrà articulum necessitatis absque actuali sumptione sacramentali: quod duobus probant Adversarii. Primum ex *cap.* 4. *Sess.* 14., ubi quando docet, contritionem charitate perfectam reconciliare in voto Sacramenti, de perfecta omninò intelligit; quia expunctam voluit Canonem, quo damnabatur, quisquis negaret contritione, qua Pœnitens Divinâ gratiâ per Christum cooperante dolet de peccatis propter Deum cum proposito consi-

tendi, & satisfaciendi, remitti peccata: eo ducti Patres Canonem non approbàrunt, quia Calaritanus Episcopus admonuit eam esse sententiam Cajetani, & Adriani, ex Hist. Card. Pallavicini *lib.* 12. *cap.* 10.

Cajetani autem sententia habetur in Summula verbo *Contritio*, n. 1. illis — Con-
„ tritio tria exigit, displicentiam de pec-
„ catis commissis super omne odibile, pro-
„ positum vitandi super omne vitabile, &
„ propositum confitendi, seu satisfaciendi
„ &c. & scito, quòd hujusmodi vera con-
„ tritio dupliciter inveniri potest, scilicet
„ formata, vel informis, hoc est, cum
„ gratia, & charitate, & sine illa —

Secundum desumunt ab eodem Concil. *Sess.* 13. *cap.* 7., ubi præcipit Sacerdotibus sibi consciis de gravibus, ne celebrent non præmissa Confessione Sacramentali, illis —
„ Ne tantùm Sacramentum indignè suma-
„ tur, statuit illis, quos conscientia peccati
„ mortalis gravat, quantumcumque etiam
„ se contritos existiment, habita copia Con-
„ fessoris, præmittendam esse Confessionem
„ Sacramentalem — Si autem credidissent contritionem justificare, non existimassent Sacerdotes illos esse in periculo indignæ sumptionis Patres Trident.: sentiebant ergo rarò dari contritionem justificantem.

Regula pro intelligentia Tridentini.

Hic necessè est præmittere certam veritatem, quam publica in disputatione solidissimè tradidit Eminentissimus quidam piissimus, & Doctissimus Cardinalis, quæ est. Regula pro vera doctrina Tridentini non est, quod facere Patres aliquando sunt meditati, sed quod de facto fecerunt. Decreta, Canones, Capita, quæ de facto extant, quæ de facto cusserunt, sunt fontes veritatis, his adstitisse Spiritum Sanctum consummativè certum est. Plurima utique tacta sunt in Congregationibus, sed non omnia tradita sunt; pluriès diversimodè formata sunt Decreta, quæ non sunt ultimatè sub ea forma edita.

Quarè non rectè Adversarii, tam sæpè recurrunt ad ea, quæ in Congregationibus dicta sunt, vel efformata sunt, quæ consummatè non sunt admissa; illa enim non sunt putei aquarum viventium, quos fidelibus ad bibendum, & hauriendam salutis sapientiam ultimatè aperuit Sanctus Spiritus. Historiæ autem Auctor Eminentissimus, ut suas partes fideliter expleret, omnia debuit referre.

Nunc ad rem nostram. Concilium revera nunc in Decretis extantibus statuit absolutè, contritione reconciliari hominem in voto Sacramenti; sed non eo modo cussit doctrinæ Decretum, quo posset videri latum adversùs Catholicos Doctores; quià præ oculis Patres habebant illud unum, ut sana principia salutis darent; sed non læderent reverentiam, quam merentur Auctores Christiani. Idem hìc evenit cum Cajetano, quod cum Scoto, ne ejus opinionem tangerent circà modum quo contritio, confessio &c. sunt partes Sacramenti Pœnitentiæ, modum elegerunt, quo reverà statuerunt requiri tres partes, nec omiserunt hanc veritatem, nec variaverunt Patres, sed sub illa constructione tradiderunt, quæ non præjudicaret Subtili Doctori.

Ità in nostro casu; Spiritu Sancto dictante prout jacet, tradita est doctrina illa;
A est enim apposita illa particula *contritionem charitate*, quæ exprimit absque æquivocatione, debere esse motivo dilectionis Dei propter se super omnia; quod minùs clarè exprimebatur in verbis præmeditati Canonis; particula enim *proptèr Deum* indifferens erat ad Deum summè dilectum, vel non summè dilectum, aut etiam ad Deum beatificantem, vel punientem.

Cæterùm propositio Cajetani, prout jacet, est recta; in sua namque illa definitione non exprimit motivum unum, quo illa tria sunt adimplenda, immò eam exponit sub modis dicendi, qui convenire possunt contri-
B tioni elicitæ, vel ex motivo Dei dilecti propter se super omnia, vel ex motivo Dei beatificantis, aut punientis; quolibet ex illis motivis illa tria posita a Cajetano impleri possunt, quod est planum; ac proindè optimè dixit aliquandò esse formatam, ut quando est ex primo motivo; aliquandò informem, quando ex secundo motivo, quæ & si contritio imperfecta dicatur, & veriùs attritio, nihilominùs est vera contritio, hoc est, detestatio vera peccati, quo sensu loquitur Cajetanus; idest de vera detestatione peccati.

Secundum quod ex eodem Tridentino affertur nostrum mitam est. Pro cujus rectè
C intelligentia contextus integer est tenendus, qui est — Quare communicare volenti re-
„ vocandum est in memoriam ejus præcep-
„ tum, probet seipsum homo. Ecclesiastica
„ autem consuetudo declarat eam probatio-
„ nem necessariam esse, ut nullus sibi con-
„ scius mortalis peccati, quantumvis sibi
„ contritus videatur, absque præmissa sacra-
„ mentali Confessione ad sacram Euchari-
„ stiam accedere debeat &c. — quibus manifestum facit Concilium per se dari præceptum de sacramentali absolutione pro dispositione ad Eucharistiam in conscio peccati lethalis; de quo adimplendo admonet
D Fideles. Cæterùm supponit pro certo, contritionem inferre justificationem in voto solo Sacramenti: quod ex tribus ostenditur.

Primum est. Docet omnes sacras functiones (inter quas sunt administrationes activæ omnium Sacramentorum, quæ in peccato mortali nequeunt exerceri licitè) sanctè esse faciendas, & tamen non præscribit Confessionem, sed supponit sanctè tractari media contritione, excipit propter specialem reverentiam, ob singularem sanctitatem, Eucharistiam.

Secundum est: illis locutio. *Quantumvis sibi contritus videatur*. Clarè denotat, Concilium supponere, quod contritio justificet in
E solo voto Sacramenti; qua suppositione uti Catholicos posse adverti, ac proindè suggerit, quod eo principio non obstante datur obligatio Sacramentalis Confessionis pro consecratione Eucharistiæ, vel sumptione.

Tertium est inclusum illis verbis —
„ Quod si necessitate urgente Sacerdos abs-
„ que prævia Confessione celebraverit, quàm
„ primùm confiteatur — supponit hìc Sacerdotem media contritione esse dispositum pro eo casu, ac proindè justificatum; quia secluso casu ignorantiæ, nunquam licet scienter cum statu peccati sumere Eucharistiam.

Re-

Respondet Theologia Sanctorum, quod ex Silvio didicisse ait ; Scilicet illa permissione declarari solùm a novo peccato excusari, & per hoc tunc Sacerdotem non indigeè accedere, fierique posse, quod ille justificetur per Sacramentum, quia Sacramenta vivorum producunt per accidens primam gratiam ; aliàs in gravi anxietate constituerentur in eo casu Sacerdotes, quia cum rarissima sit perfecta contritio ex Catechismo, non possunt regulariter præsumere illam se habere.

Pro excusando a novo peccato præcisè non esset necessaria contritio, sed sufficeret ipsa necessitas, & negatio contemptus Sacramenti, ùt in pluribus aliis casibus accidit. Veritas est, quod illa permissio non potest excusare a novo peccato, nisi supponat contritionem justificare, quia nulla necessitas excusat suscipiens Eucharistiam scienter in peccato mortali a sacrilegio, quia dispositio ad illam necessariò est status gratiæ prudentialiter creditus, vel ad minùs positivè non exclusus certa cognitione.

Discrimen inter Sacramenta vivorum, & mortuorum.

Hæc est essentialis differentia inter Sacramenta vivorum, & mortuorum, quod illa supponunt (excepto casu ignorantiæ) vitam gratiæ in suscipiente, secus ista. Non excusat necessitas a sacrilegio, si quis accedat ad Sacramentum Pœnitentiæ sine dolore sufficienti, & hoc scienter; ita non excusat necessitas a sacrilegio, si quis scienter in lethali sumat Eucharistiam; sicut a sacrilegio non excusaret necessitas, si quis sciens consecraret aquam vino coloratam. Si ergo contritionem non justificare supponeret Concilium, permitteret quod Sacerdos scienter accederet cum lethali, ac per consequens peccaminosè; quia tamen contritionem justificare supponit, ideò ad illam cohortatur Sacerdotem, ut saltem cum prudentiali cognitione status salutis sumat Eucharistiam.

Deindè Concilium non accipit illud *non indigeat* præcisè negativè, sed etiam positivè, positiva autem non indigentia nequit haberi; nisi contritio supponatur reconciliare cum voto Sacramenti; quia tamen dari potest, quod Sacerdos putet se habere contritionem, & habeat solam attritionem, & hoc invincibili ignorantia, tunc secundùm sententiam probabilem Eucharistia produeit primam gratiam: cæterùm si neque attritionem haberet, eam non produceret; nusquam autem legi, quod Sacramenta vivorum causent gratiam primam per accidens in eo, qui accedit scienter in peccato mortali absque prudentiali cognitione de statu gratiæ; quod evenire necessè est in principio Adversariorum.

Illud quod addit de nimia anxietate, est voluntarium, quoniam non habet locum, si teneatur doctrina Concilii, quod contritio justificet, apud quos non reperiet Adversarius illud additamentum *perfecta* : nec rectè applicat Catechismum, quem toties repetit, cum concxivè illum examinando ostenderimus pro nobis esse.

Constat per doctrinam Ecclesiæ contritionem esse dispositionem sufficientem ad susceptionem Sacramenti vivorum in eo, qui est lethali obstrictus; unde in Pontificali Clementis VIII. præscribitur, quod conscius lethalis criminis accessurus ad suscipiendum Sacramentum Chrismatis, vel confiteatur, vel doleat; quod non diceret, nisi supponeret contritionem justificare.

Placet ad Cajetanum redire, qui noster est. *Tom. 1. Opusc. tract. 4. quæst. 1.* inquirit, an attritio fieri possit contritio, & clarè explicat, qualis sit contritio informis per ipsum, qualis formata. Contritio acquisita ex non motivo charitatis informis dicitur. Contritio charitate informata vocatur ab ipso formata: in resolutione duo dicit. Primum, quod illa prima contritio non differt tantùm secundùm intensionem a secunda, pro quo hæc habet — Et quod nec differunt
„ penès magis, & minùs ex eo, patet quod
„ minimus gradus hujusmodi displicentiæ
„ sufficit ad charitatem operientem multi-
„ tudinem peccatorum, quod ex Ecclesiæ
„ testimonio comprobatur: credimus enim
„ omnes, tàm nosmetipsos, quàm alios
„ esse in charitate, cùm ad hujusmodi displi-
„ centiam quantumcumque remissam perve-
„ nimus — Hæc clara sunt, cur a Clarissimis Adversariis non recitantur?

Secundum quod dicit est, eam fieri ultimam dispositionem ad justificationem, ac per consequens contritionem formatam, si accedat divina motio dilectiva; en ejus verba — Aliter ergo dicendum mihi videtur,
„ quod gratuita Dei motio est, quæ hujus-
„ modi acquisitam contritionem efficit ulti-
„ mam dispositionem ad gratiam, seu cha-
„ ritatem; ità quod ex hoc ipso, quod Deus
„ non per aliquod superadditum donum
„ habituale, sed per gratuitam dilectionem,
„ qua dignatur uti nostra acquisita con-
„ tritione ùt dispositione ultima ad suum
„ proprium opus, quod est charitas, quæ
„ infunditur, transfertur nostra contritio
„ in fore ultimam dispositionem pro gratia
„ habituali: juxtà illud *Hierem.* Ad Deum
„ postquam convertisti me, pœnitentiam egi — Ecce qualiter detestatio peccati, ùt summum odibile, non ex motivo charitatis, si elevetur per motionem actualem supernaturalem per Cajetanum evadit dispositio ultima ad gratiam justificantem. Hæc elevatio intelligenda est in eo sensu, quod medio auxilio homo elicit actum supernaturalem ex motivo charitatis.

Habes hic regulam, quâ rectè explices plerosque Scholasticos docentes attritionem differre a contritione penès esse formatam, & esse informe, vel quod est idem contritionem aliam esse formatam, aliam informem: Informis est detestatio acquisita, seu ex non motivo Charitatis: Formata est detestatio ex viribus gratiæ ex motivo charitatis. Prima non est conjuncta cum justificatione. Secunda est conjuncta; quarè non rectè arguunt ex prima contritionem non esse justificativam, vel in Sacramento requiri detestationem ex motivo dilectionis Dei super omnia.

§. XI.

§. XI.

SCOTI MENS EXPONITUR.

135 OBJIC. V. Contritio essentialiter accepta non est connexa cum justificatione secundùm Tridentinum *Sess. 6. cap.* 8. per modum meriti, quod adversùs Hæreticos ostendunt Bellarminus *lib. 1. de Pœnit. cap. 1.*, Stapletonius *in Promptuario Catholico in Festo S. Mariæ Magdalenæ*, & Scholastici communiter. Sed neque est conjuncta ex natura rei; hoc enim error est, cùm beneficium Divinæ Misericordiæ sit remissio peccatorum, prout idem Concilium post Scripturas docet, & plurimi Scholasticorum graviter carpunt oppositum: Atqui Divina Misericordia promisit remissionem peccatorum non cuilibet contritioni, sed intensæ: ergo hæc requiritur ad justificationem in voto Sacramenti tantùm.

Subsumptam minorem putant evincere eo principio, quod usque ad Seculum XV. sub tempore Cajetani, & Silvestri communiter sustinebant attritionem differre secundùm magis, & minùs a contritione, & illam docebant sufficere ad justificationem intrà Sacramentum, hanc autem in voto Sacramenti; ad cujus probationem

Scotum referunt exquirentem ad veram pœnitentiam dilectionem Dei *ex 4. Sentent. dist. 14. q. 1.* illis — Oportet, quod pœnitentia „ sit actus ordinatus, & maximè ex circum„ stantia finis &c. idest ex dilectione Dei, „ *quæst. 2. in fine* — Pœnitentia non est vera, „ quantùm ad finem pœnitentiæ sine chari„ tate — Allegatque duo loca Augustini.

Ostendunt 2. *ex distinct. 20. quæst. unica* ubi ostendit pœnitentiam in extremis vix veram pœnitentiam posse esse, quia — Ad „ hoc, ut displicentia valeat, oportet, quòd „ sit debitè circumstantionata, & maximè „ circumstantia finis, & principii activi „ principalis, ut scilicet sit voluntaria „ propter Deum — Descendit deinde ostendere qualiter tunc temporis prævalente timore non possit haberi nisi difficulter voluntaria displicentia propter Deum, concludens cum Augustino non esse solùm timendum Judicem, sed etiam diligendum.

Ostendunt 3. ex reportatis ad *distinct.* 20. 4. *Sent.* ubi docet, ut sit dispositio sufficiens ad gratiam, debet esse voluntaria detestatio ex debita circumstantia finis, videlicet ex timore filiali.

Quod verò requirat contritionem intensam, probant *ex 4. dist. 14. q. 2.* ubi dicit motum detestationis peccati, prout est offensivum Dei continuari, & intendi usque ad infusionem gratiæ, & tunc motum vocat attritionem. Probant *ex dist. 17. quæst. unica §. ad argumenta*, ubi docet, quòd contritio potest esse tanta, idest intensa, ut etiam antè Confessionem deleatur peccatum. Probant *ex 20. dist. quæst. unic.* ubi docet, quòd certa intensio requiritur nota Deo ad contritionem, quæ sit sufficiens ad deletionem culpæ. Probant ex reportatis *dist.* 20., ubi exigit contritionem vehementem, seu detestationem, ut sit sufficiens ex congruo ad remissionem peccati; sicut vehemens fuit delectatio prior in peccato.

Libenter proferimus hoc argumentum, quamvis jam enervatum; quia ex fontibus Scoti speramus non modicum luminis addere nostræ positioni. Major propositio ab omnibus Catholicis admittitur ad hunc sensum, quòd dispositio ad gratiam non habeat rationem meriti de condigno: si verò accipiatur, prout comprehendit meritum etiam de congruo, non conceditur ab omnibus Orthodoxis: Doctor enim Subtilis apertè docet pœnitentiam virtutem delere extrà Sacramentum culpam, & etiam pœnam ùt meritum de congruo; cujus loca refert, & sequitur Cardinalis Brancatus *Tom. 2. de Pœnitentia disp. 15. art. 6.*

Minor etiam propositio admittitur ab universis Catholicis ad hunc sensum, quòd ex propria virtute naturali contritio non habeat justificationem inferre; si verò illud ex natura rei accipiatur per modum dispositionis physicæ, non ab omnibus negatur; Insigniores enim Thomistæ contendunt pœnitentiam esse dispositionem physicam, & non tantùm moralem; & optimè explicant, qualiter reverà remissio peccatorum est proprium, verumque beneficium Divinæ Misericordiæ. Cùm in his duabus propositionibus non consistat cardo objectionis, non est opus immorari in illis enucleandis.

Veniamus ad rem nostram. Ut ostendimus, veraci detestationi dilectivæ promisit Deus in Scripturis peccatorum remissionem, præscindendo ab intensione. Illud autem principium prætensum commune usque ad Seculum XV. (quod contritio, & attritio differant penès magis, & minùs) est adeò pluralitate modorum dicendi confusum, quòd vix apparet, qualiter accipiendum sit ab ipsismet Adversariis contrà nos: indico aliquos modos dicendi.

Quandoque magis, & minùs accipitur, prout cadit supra speciem, quo sensu Equus, & Leo differunt magis, & minùs in prædicato irrationalitatis, & secundùm hanc acceptionem attritio a contritione differt specie, adeòque motivo. Quandoque accipitur magis, & minùs extensivè, quatenùs attritio tendit in peccatum non sub ratione summi odibilis, contritio verò tendit sub ratione summi odibilis; & sub hac explicatione differunt in ratione objecti formalis, sicut benè notat Cajetanus *Opusc. cit.* Quandoque accipitur illud magis, & minùs ordine, quatenùs attritio dicitur detestatio peccati virtute acquisita, contritio verò dicitur detestatio peccati ex dono gratuito.

Aliquando accipitur magis, & minùs penès extrinsecam formationem: ut attritio dicatur detestatio, quæ nondum est formata gratia, ex quocumque motivo detestetur peccatum, & contritio, quæ est formata gratia. Alio sensu accipitur minùs, & magis, videlicet, penès efficaciam, & inefficaciam, ità quòd attritio dicatur detestatio peccati cum quadam velleitate non peccandi; contritio verò sit detestatio cum voluntate efficaci non peccandi. Quandoque accipitur illud magis, & minùs in sensu proprio in linea intensiva;

ità

ità quòd intensior detestatio peccati dicatur major, minùs intensa dicatur minor; & sic prima dicatur contritio, secunda attritio.

Cùm ergo ex hac diversitate locutionum oriretur magna confusio Concil. Trid. nobis tradidit differentiam ex parte motivi, ità quòd absoluta locutione detestatio peccati ex motivo charitatis dicatur contritio; detestatio autem ex motivo turpitudinis peccati, vel gehennæ, vel æternæ beatitudinis, dicatur attritio, aut cum additu contritio imperfecta, quam reverà distinctionem includunt aliqui ex præcitatis modis dicendi.

Scotus triplicem agnoscit dolorem.

Nunc veniamus ad Scotum. Triplicem dolorem agnoscit Subtilis concurrere ad nostram justificationem, Contritionem, quæ est dolor gratiâ formatus, Attritionem, quæ est dolor informis, Attritionem, quæ est dolor necessarius ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut possit causare primam gratiam; & hic tertius dolor in proprietate dicendus est attritio. Dolor duobus primis modis acceptus differt secundùm magis, & minùs formâ extrinsecâ, esse formati videlicet, & non formati. Tertius ab aliis duobus differt secundùm magis, & minùs formaliter, hoc est specificè.

Ut probemus primum dictum adducimus Cardinalem Brancatum, qui id non uno loco advertit. *Artic. 5. cit. disput.* producto quodam testimonio Scoti infrà referendo, subdit — Ubi nota, quòd more antiquorum „ vocat attritionem actum illum, qui sine „ Sacramento est causa gratiæ, & remissio„ nis peccati; quia ipsi vocabant contritio„ nem actum illum, quando erat formatus „ gratiâ — *Art. 6.* posita mente Scoti circà modum, quo pœnitentia virtus delet culpam, & pœnam sine Sacramento in re, subdit — Adverte tamen, & valdè nota, quòd „ Scotus interdùm cum antiquis S. Thom., „ Alensi, D. Bonaventura, ùt infrà, actum „ illum pœnitendi, qui sine Sacramento ju„ stificat (qui a nobis vocatur contritio) „ vocat attritionem, ita in *locis cit.*, & alibi „ sæpè (*loca cit.* sunt in principio art. 4. „ *dist.* 14. *q.* 1. 9., *& q.* 2. *part. quæst. R.*, „ *& q.* 4. *D.*, *& dist.* 19. *in fine*, *& dist.* 20. „ *A.*) in quibus antequam talis actus con„ jungatur cum gratia, appellatur attritio; „ infusâ verò gratiâ, appellatur ab iisdem „ contritio, & actus formatus, idest infor„ matus gratiâ: interdùm illum eumdem „ actum vocat contritionem; ità in *dist.* 15. „ *q.* 1. *R. dist.* 22. *q. unica supra* T. Ita quòd, „ vel dicendum est, quòd ipse cum antiquis „ actum pœnitendi potentem delere pecca„ tum sine Sacramento censeat dicendum „ esse attritionem pro eo tempore, quo gratia „ non est infusa, contritionem verò dùm „ unitur gratiæ: vel dicendum, quòd ipse „ Scotus quasi prævidens modum loquendi „ Modernorum, qui actum illum potentem „ justificare sine Sacramento in re vocant „ contritionem, eum verò, qui non sic ju„ stificat, vocant attritionem; existimarit „ litem esse de nomine, in re verò conve„ nire Antiquos cum Modernis — Hæc doctrina Brancati est verissima, & lucem diffundit, qua mirificè nostra doctrina confirmatur; Adversariorum verò infirmatur, ùt paulò pòst videbimus.

Tertium illum dolorem, qui reverà est nostra attritio, evincit discursus, quo Subtilis Doctor declarat, qualiter Sacramentum Pœnitentiæ producat primam gratiam, & remissionem peccatorum: reprobatâ sententiâ dicentium Sacramentalem absolutionem esse præcisè declarativam. Ita igitur ratiocinatur 4. *dist.* 14. *q.* 4.

„ Et sequeretur ulteriùs inconveniens, „ quòd nunquam Sacramentum Pœnitentiæ „ posset esse secunda tabula, quia nunquam „ liberaret naufragum a periculo submer„ sionis. Dicitur ergo, quòd ita Deus re„ quirit dispositionem de congruo ad hoc, „ ut conferat peccatori gratiam per Sacra„ mentum, & hoc non quòd alliget poten„ tiam suam Sacramentis: qui tamen sine „ illa dispositione prævia, & congrua, quæ „ sufficeret, conferat per Sacramentum „ gratiam; & hæc est majoris misericordiæ, „ scilicet, duplicem viam instituere, per „ quam justificetur peccator, quàm ipsum „ ad unam viam arctare. Sicut ergo adul„ tus primam gratiam delentem originale „ potest habere duplici via, vel ex bono „ motu disponente ad illam de congruo, „ vel ex susceptione Baptismi; ita in pro„ posito —

„ Hoc declaratur sic, quia ad primam „ susceptionem gratiæ requiritur aliquis „ motus meritorius de congruo. Ad secun„ dam autem non requiritur, nisi volunta„ ria susceptio Baptismi, & sine fictione, „ hoc est, cum intentione suscipiendi quod „ confert Ecclesia, & sine actu, vel volun„ tate peccati mortalis; ita quòd in primo „ requiritur aliquod opus intrinsecum ali„ quo modo acceptum tanquam meritum „ de congruo, in secundo solùm requiri„ tur opus exteriùs cum amotione impedi„ menti interioris. Non solùm ergo attri„ tus per aliquod tempus usque ad certum „ instans in ultimo instanti recipit gratiam „ delentem peccatum tanquam per virtutem „ meriti de congruo, ùt declaratum est in „ solutione præcedente.

„ Sed non habens talem actum, qui „ sufficiat ad meritum de congruo, sed tan„ tùm habens voluntatem suscipiendi Sa„ cramentum Ecclesiæ, & sine obice peccati „ mortalis actualiter sibi facto; vel in vo„ luntate inhærentis recipit non ex merito, „ sed ex pacto Divino effectum istius Sacra„ menti, ut sic parùm attritus, etiam attri„ tione, quæ non habet rationem meriti ad „ remissionem peccati, volens tamen reci„ pere Sacramentum Pœnitentiæ, sicut di„ spensatur in Ecclesia, & sine obice peccati „ mortalis in actu, in ultimo instanti illius „ prolationis verborum, in quo scilicet est „ vis Sacramenti istius, recipiat effectum „ Sacramenti, scilicet, gratiam pœnitentia„ lem, non quidem ex merito, quia dispo„ sitio interior non erat sufficiens per mo„ dum meriti, sed ex pacto Dei assistentis „ Sacramento suo ad effectum illum, ad quem „ instituit Sacramentum: alioquin non ap„ paret quomodo Sacramentum Pœnitentiæ „ esset secunda tabula, si nunquàm per ipsum, „ ùt Sacramentum est, posset recuperari se„ cunda gratia amissa, sed tantùm per attri„ tionem,

„ tiooem, tanquam per præviam dispositio-„ nem, & per cooiritionem, tanqoam per „ dispositiooem cemplerivam --

Argumemo primo respondens concedeodo, qood fioe Sacrameoro dimittator peccatom, de dimissione per Sacrameotom subdit -- Nec ramen sequitur, quòd per „ Sacrameotum non dimittator, qoia si alia „ dimissio quandoque non adsit, ista non „ deficit, & illa mioùs reqoirit, scilicet, „ inteotionem sosciplendi Baptismum, sive „ Sacramentum Pœoitentiæ sine obice con-„ trà effectom ejus.

Secundo argomeoto respondens, ait -- „ Coocedo ergo, quòd ante perceptionem „ dignam pœoitentiæ oporiet suscitari, vel „ simpliciter, & tonc per Pœniteotiæ Sa-„ cramentum non deletur peccatum, sed „ gratia, quæ iosuit, aogetor, vel susci-„ tari secondùm qoid, scilicet, ut babeat „ aliqoalem displicentiam de peccatis, & „ propositum cavendi de cætero, & ve-„ lit suscipere Sacrameotum Pœnitentiæ, in „ quo attritio fit cootritio, & tunc susci-„ tatur simpliciter per Sacrameotum -- Hæc ibi 4. *Sent. dist.* 14. *q.* 4.

Nisi velimus spontè excæcari, docet hic Scotus duplicem dolorem attritionis specie diversum. Primus est, qui habet ratiooem meriti de congroo, & justificatiooem causat absque Sacramento in re: Secundus est, qoi caret ratiooe meriti de congroo, & neqoit inferre justificatiooem absque Sacramento io re, sufficit tamen in Sacrameoto. Hæc autem differeotia non habetor ex majori, vel minori inteosiooe actus ejusdem speciei, sed ea diversitate esseotiali, eo quia secuodus est ordinis ioferioris, hoc est, ex motivo inferiori, ùt sufficienter demoostrant locutiones, quibus utitur Scotus.

Nooc descendo ad solutionem objecto-rum, seu potiùs ad applicationem doctrinæ. Omoia, quæ addocta sunt pro probatiooe primæ partis, videlicet, quòd ad veram pœnitentiam requirat Scotus detestatiooem ex dilectione Dei, vera sont, sed clarissimè in omnibus illis loqoitor de ea pœnitentia, quæ est justificativa absqoe Sacramento in re, quam vocat qoaodoqoe attritionem, & ioformem, quandoqoe contritionem, & formatam in-senso explicato. Hæc soot maoifesta.

Solvitur argumentum.

Ea, quæ prodocuot ad osteodeodum contritionem debere esse intensam, ut josti-ficet extra Sacramentum, nollateoùs urgent. Primus locos desomptus ex 4 *dist* 14. *q.* 2. ubi dicit cootritiooem, seu verius attritionem contionari, ioteadi usque ad termioum, qoem præfixit Deos; qua locutione videtur exprimere granditatem inteosivam, explicatur legitimè a Cardinali Brancato, sed longè meliùs a conteato.

Ioteodit ibi osteodere Scotus ordinem, qui iotercedit ioter motum dispositivom, & gratiæ infusionem, & ioter ipsum motum, prout est attritio, & contritio. Stabilit itaqoe, quod ille motus non est necessariò virtutis generatæ, sed sofficit, qood sit generativus. Stabilit, quòd ille motus de congroo jostificativus oon præcedit solùm natura gratiæ iofusionem, sed etiam tempore, oon determioans sit ne illud tempos unum instans, vel plura.

Stabilit deindè pro tota illa duratione, quæcumqoe sit, quæ præcedit gratiæ iofusio-
A nem, illom motom esse informem, adeòque attritionem, si verò contingat perseverare illom motum osqoe ad illud iostans, in quo fit gratiæ infosio, tunc formatur, & fit contritio, & dici potest dispositio concomitans, qoia revera illa duratio, soli Deo est cognita, ideò dicit Deo cognita, seu nota. Termioos, qoem Deus præfixit attritiooi illi, est termioos esseotialis, hoc est, coodirio illa, ut sit detestatio benè circumstantionata, videlicet, ex motivo divinæ dilectioois, qoi terminus pro certo soli Deo ootus est, qoi scrutator profunda cordis bomaoi; adeòqoe
B ipsi soli notum est instaos, qoo babet rationem meriti de congroo in sensu Scoti.

Nec est aliod mysterium ibi prætensum a Sobtili Doctore, apud quem etiam, ut benè explicat Cardioalis Braocatos, illud verbom *intendi*, ooo stat pro gradoali latitodioe lineæ iotensivæ, sed pro substantia ipsios actos; quia aliqoaodo contiogit incipere motum displiceotiæ ex motivo ioferiori, sub qoo ooo sofficit ad rationem dispositiooia sufficieotia, & per conatom sob motivo altiori promovetor usque ad propriam rationem contritiooia: veriùs tameo pro *intendi* iotelligit Scotos firmari, seo dorare, hoc est,
C permanere ad distinctioaem illios motos, qui in subjecto non permaoet osque ad infusiooem gratiæ, ac proiode est syoooimum cum contiooari, & hoc est, qood facit revera ad inrentum Doctoris.

Sed si qois adboc contendat, licèt immeritò, coocederem loqui Subtilem de inteosiooe, & doratione rigorosa, adbùc tamen ad propositum nibil evinceretor. Certum est, qoòd ibi Scotos qoærit, in quo geoere causæ pœnitentia deleat pœnam, & colpam: certum est etiam, quòd Scotus *dist.* 15. sequenti docet per contritionem inteosam deleri non solùm colpam, sed etiam pœoam tempora-
D lem, magis, vel minùs, prout est intensior, vel non, ipsa detestatio; ita quod dicat aliquando totam pœnam remitti, illis -- Licèt „ aliqoando cootritio sit tam intensa, ut „ deleat totam pœnam, tamen præceptum „ de pœna ioffigenda non est irrationa-„ le --

Et proleqoitur declarare, cur sit ratiooale, quia datur pro communi hominum, in quo raro cootiogit, cootritio sufficiens ad totam pœoam -- Qoia regulariter contritio „ oon est, nisi satisfactio partialis, & præ-„ cepta generalia dantor propter remedium „ generale, & secondùm illas coodirioner,
E „ quæ inveniuntur in bomioibus, ùt in „ pluribus -- Qoare cum Scotus, ùt dictum est, agat de modo, quo concorrit pœnitentia ad remissiooem colpæ, & pœnæ; qoamvis meotionem faceret inteosionis, non potest restringi ad remissionem culpæ de necessitate, sed debet distribui accommodè ad culpam, & pœoam.

Et hic interim aliud sigoum accipe in verbis immediatè recitatis, io qoibos iodicat regolariter, & ùt in ploribus contritiooem non esse iotensam, & tameo frequenter docet adultos justificari attritione absqoe Sacramento in re; non ergo requirit intensam

ad

ad culpæ solius remissionem, & pœnæ æternæ.

Secundum ex 17. *dist.* productum voluntariè interpretatur de intensione. Illud verbum *tantis*, ut clarè patet, idem est, ac sufficiens: Tanta, idest, habens conditiones circumstantionatæ contritionis. Prima certum tantitas est essentia, & de hac Scotus.

Tertium, quod producitur ex *dist.* 20. meo quidem judicio ad rem non adducitur. Illa locutio *motus intensior* non accipitur a Scoto in sensu gradualitatis intensivæ, sed pro conatu electivo. Contextus, ni fallor, rem declarat. Scotus ibi probat difficilem esse veram pœnitentiam interiorem in extremis, quod quadruplici momento concludit, nunc temporis esse usum rationis impeditum, hominem timoris passione occupatum, inveteratis malis habitibus incurvatum, vix esse dominum suorum actuum, non posse displicentiam de peccato elicere, ac si sanus esset; adeòque prærequiri motum intensiorem, hoc est, conatum fortiorem, ut possit pertingere ad rationem sufficientis voluntarii.

Pro *intensiori* intendit etiam bonam circumstantiationem, quæ sufficiat ad constituendam contritionem in esse essentiali contritionis. Omissis propositionibus anterioribus, quibus prædictus sensus fit planus; accipio Corrolarium secundum, ubi — In-
„ firmo jam ad articulum istum deducto
„ suadendum est, ut secundùm suam possi-
„ bilitatem laboret ad pœnitentiam ordina-
„ tam, ut scilicet non obstante dolore, vel
„ timore, utatur ratione, quantùm potest;
„ & nitatur habere displicentiam volunta-
„ riam propter finem debitum, scilicet, pro-
„ pter Deum, & conitatur malæ inclinatio-
„ ni habitus, & delectationum præsentium,
„ & laboret ad displicentiam, quantùm po-
„ terit habere, licet brevem —

His manifestè patet non loqui Subtilem Doctorem in sensu exposito ab Adversariis, sed in nostro. Et quod non requirat intensionem in eorum sensu, evinci potest etiam ex responsione ad 3., ubi dicit, quòd homo in extremis illis constitutus potest peccare saltem interiori complacentia, ac per consequens habet etiam æqualem facultatem, ut possit displicentiam habere etiam de commissis peccatis: adeòque salus, & damnatio est illi æquè possibilis. Subsumo nunc, sed per peccatum mortale solùm essentialiter acceptum, quod absque graduali intensione potest tunc homo elicere, damnabitur: ergo per contritionem essentialiter acceptam debet posse salvari.

Quartum ex repertatis productum nullam majorem vim habet super illud, quod Scotus habet in *distinct.* 20. 4 *Sent.* eandem enim promovet quæstionem, scilicet, An in extremis sit dabilis pœnitentia vera; & resolvit eodem modo possibilitatem concedens, sed difficilem affirmans, & probans: Agit manifestè de pœnitentia justificante, vel cum susceptione actuali Sacramenti, vel cum susceptione per solùm votum — Deus potest
„ justificare peccatorem dando ei gratiam,
„ & remittendo culpam cum Sacramento
„ Pœnitentiæ, vel cum contritione habita
„ per se in extremis, quantùm est ex parte
„ ejus per pœnitentiæ virtutem, quæ potest
„ sufficere ad salutem sine Confessione —

§. XII.

SOLVUNTUR QUÆDAM ALIA ARGUMENTA.

136 OBJIC. VI. Ideò dilectiva contritio infert justificationem, quia ejus motivum est perfectum; adeòque etiam perfectam denominat contritionem. Sed hoc nihil probat; non enim ad perfectionem actus sufficit excellentia motivi, sed etiam prærequiritur modus, quo voluntas ea sinit se moveri. Rationem tangit Cardinalis de Lugo *disp.* 5. *de Pœnit. sect.* 3. *n.* 21. illis — Quòd motivum in se sit ex-
„ cellens, & potens ad illum excessum cau-
„ sandum, non arguit de facto voluntatem
„ ferri in objectum cum illo excessu; potest
„ enim voluntas non amare objectum quan-
„ tumvis cum ea excellentia proponatur,
„ & potest etiam amare illud pro dignitate,
„ seu quantùm amari meretur &c. nec vi-
„ detur repugnantia, quod de facto aliquis
„ amet Deum, non tamen perfectissimo illo
„ amore super omnia —

Nomen illud *perfectum* æquivocè usurpatur. Difficultas est, an ad contritionem justificativam dispositivè absque Sacramento in re requiratur perfectio intensiva, vel sufficiat sola extensiva; Adversarii primam volunt, in modo posteà arguendi unam confundunt cum altera. Nemo nostrum somniavit ad perfectionem actus sufficere excellentiam objecti propositam. Requirit motum, & conatum voluntatis in objectum sub illo motivo, sed difficultas est, an necessarius sit conatus summus intensivè, hunc ad perfectionem consummatam essentialem requiri nullus sanus Theologus docere potest, cùm sit evidens lineam intensivam ad genus accidentalium pertinere.

Quo jure citetur ab Adversariis pro se De Lugo profectò non video: tum quia *sect.* 8. ibidem totis viribus insurgit adversùs Sylvium exigentem contritionem summæ intensionis perfectam, ut sufficiat ad justificationem absque Sacramento in re; ipse verò De Lugo sufficere essentialem pluribus contendit: tum quia ibi agit de perfectissimo amore essentiali, hoc est prælationis super omnia; non autem intensionis, ad quam perfectionem prælationis requirit adhæsionem firmam voluntatis, idest, quòd affectu absoluto, & sincero voluntas præferat Deum omni alio amabili, odioque habeat peccatum super omne odibile. Videat Lector Eminentissimum Cardinalem, qui clarus est. Et hìc breviter noto, nec non multi faciant aliqui Theologi immensam, ùt vocant, Auctorum Sylvam, quos producunt Adversarii, quia ad rem productos valdè paucos deprehendarunt.

Abs re ab Adversariis citatur Card. De Lugo.

137 OB. VII. Pari ratione discurrendum est de charitate, ac de fide; sed quamvis fides nitatur motivo excellentissimo divinæ

veracitatis, non omnis est fides perfecta, dicente Augustino *Serm. 39. de verb. Dom.* -- „ Fides perfecta vix invenitur in terra. Ec- „ ce plena est Fidelibus Ecclesia. Quis non „ montes transferret si plena esset fides ? „ Attendite ipsos Apostolos; dimissis suis, „ calcata spe seculi, Dominum non seque- „ rentur, nisi magnam haberent fidem. Et „ tamen si plenam haberent fidem non „ dicerent Domino: Auge nobis fidem -- Ergo etiam charitas, quamvis nitatur excellentissimo motivo divinæ bonitatis, non omnis est charitas perfecta, adeoque justificativa.

Si argumentum urget, jure dicendum erit sequentes valere illationes. Fides ergo hic descripta, & consimiliter charitas requiritur, ut sit perfecta, ut sit justificativa. Ergo vix justus reperitur in terra, ut de fide perfecta dicit Augustinus vix inveniri in terra. Ergo cum milleni, & milleni Sanctorum non transtulerint montes, nec perfecti, nec Sancti fuerunt. Ergo cum quandiu sumus in via, fides, & charitas semper sint intensibiles, & semper debeamus dicere, Domine adauge nobis fidem, spem, & charitatem, nullus poterit justificari; quia ex vi argumenti arguens videtur petere fidem, & charitatem perfectam, qua major dari non possit, qua habita nequeat Domino dici, Auge Fidem, & Charitatem.

Cæterum argumentum nobis favet. Fides in linea fidei perfecta est, hoc ipso, quòd firmiter adhæret Deo loquenti, etiamsi non sit summa in intensione. Hæc fides verè constituit Christianum, verè facit membrum Christi, verè incorporat Ecclesiæ. Ita charitas in linea charitatis, si veraci affectu non summo intensivè præferat Deum omni amabili, constituit verum dilectorem Dei, facit membrum Christi vivum, adeoque amicum. Fidei perfectio, de qua Augustinus, est in ordine ad opera imperanda excellentia, quæ ad substantiam justificationis, sanctitatis, ac salutis neutiquam sunt necessaria.

138 OB. VIII. Charitas, quæ tempore præcedit justificationem, non est causativa gratiæ sanctificativæ. Sed datur vera dilectio Dei, quæ tempore præcedit justificationem. Ergo non omnis vera dilectio Dei est justificativa. Totum probant testimonio Cardinalis Bellarmini *lib. 1. de justificat. c.13.* ubi loquens de quarta dispositione, ait -- Porrò „ dilectionem aliquam priorem esse remis- „ sione peccatorum, vel tempore, si sit di- „ lectio imperfecta, vel certè natura, si sit „ perfecta, & ex toto corde, atque ad eam „ disponere, docet in primis Ecclesiasticus „ *cap. 28.*, docet item Apostolus Joannes „ *Epist. 1. cap. 3*, docet denique Concilium „ Arausicanum *Can. ultimò*. Deus, inquit, „ fidem, & amorem sui priùs inspirat, „ ut Sacramenta Baptismi fideliter requira- „ mus --.

Charitas, quæ præcedit justificationem tempore est charitas imperfecta essentialiter, idest, quæ non pervenit ad essentiam veræ dilectionis Dei: & hæc non est justificativa. Si autem accipiatur charitas, quæ essentialiter est perfecta, sed intensivè imperfecta, hæc præcedit natura justificationem, & eam infert. Et de hac secunda procedit status quæstionis cum Adversariis.

Bellarminus nobiscum omninò sentit; & ideò libentissimè acceptamus ejus auctoritatem. De dilectione primo modo accepta infra habet ad primum -- Deus prior diligit nos, & diligendo facit justos, sed „ paulatim, & per certa media. Quos enim „ diligit, primùm vocat ad fidem, tum spem, „ & timorem, & dilectionem inchoatam in- „ spirat, postremò justificat, & perfectam „ charitatem infundit.

Bellarminum pro nobis stare ostenditur.

De dilectione secundo modo accepta ibidem ad secundum habet -- Nemo diligit „ Deum ex toto corde, & perfectè, ut ejus „ dilectio propriè charitas dici possit, nisi „ Spiritum Sanctum inhabitantem habeat, „ ut Apostolus scribit: tamen imperfecta, „ & inchoata dilectio sine Spiritu Sancto „ inhabitante haberi potest, quamvis non „ sine auxilio Dei speciali, ut ostendimus „ *in lib. 6 de gratia, & lib. arb.* --.

Quid autem ibi dicat audiamus. Posita divisione dilectionis Dei Auctoris bonorum naturalium, & supernaturalium; iterùm dividit sic -- Alia est perfecta, alia „ imperfecta, idque tribus modis: alia „ enim est perfecta, quoniam est dilectio „ Dei super omnia, quæ videlicet Deum „ rebus omnibus anteponit. Alia imperfe- „ cta, quoniam afficitur quidem ergà Deum, „ sed nondum illum rebus cæteris præfert --

Deinde illam primam, quæ est super omnia, dividit in perfectam extensivè, & intensivè, & in perfectam effectivè, hoc est, perseveranter usque ad impletionem omnium mandatorum. Ubi, quæ est super omnia tantùm extensivè, imperfectam vocat comparativè ad eam, quæ est etiam intensivè, & simpliciter, quæ est super omnia uno actu, vocat imperfectam comparativè ad eam, quæ est etiam effectivè.

Deinde progreditur ostendere, quod omnes isti actus sunt per auxilium gratiæ, etiam ille, qui est dilectio imperfecta absolutè, hoc est, quæ non præfert Deum cæteris rebus: de qua ibidem ad quandam objectionem respondens, habet -- At id quidem „ verum est, quoniam dilectio imperfecta, „ qua Deus non anteferiur omnibus rebus „ non meretur nomen charitatis, neque „ implet legem, neque conveniunt illi en- „ comia, quæ passim tribuuntur in divinis „ literis charitati: tamen ex iisdem locis „ convincitur imperfecta illa dilectio do- „ num esse Dei, & ex solis naturæ viribus „ haberi non posse --

Productis diversis auctoritatibus ad intentum, & ultimo loco Concilium Arausicanum subdit -- Et intelligamus non so- „ lùm perfectam charitatem esse Dei do- „ num, sed etiam imperfectam, & inchoa- „ tam, subjungit, fidem, & amorem Dei „ nobis primùm inspirari, ut Baptismum „ fideliter requiramus, & deinde, quæ Dei „ sunt placita implere possimus. Ubi vides „ amorem Dei quemdam imperfectum non „ esse ex natura, sed a Deo inspirari, & „ per eum perduci hominem ad justificatio- „ nis gratiam -- In quem sensum explicat Trid. *Sess.6. cap. 6.*

Hæc

Digitized by Google

Hæc fidelissimè ex Bellarmino. Ex quo habemus primò dilectionem inchoatam, quæ tempore præcedit justificationem, de qua Arausicanum, non esse super omnia essentialiter, quia Deum non præfert rebus creatis. Habemus 2. Dilectionem, quæ præfert Deum creaturis esse perfectam in linea essentiali, & hanc præcedere naturâ gratiam justificantem. Habemus 3. Trident. *Sess. 6. cap. 6.* per illa verba *incipiunt diligere* loqui de dilectione inchoata, quæ non pervenit ad essentiam dilectionis super omnia.

Ex quibus colligat Lector Bellarminum stare pro nobis, & Adversarios nostros longè in diverso sensu accipere charitatem inchoatam ab eo, quo antiqui accipiunt, & longè in diverso sensu usurpare locum illum Trid., quem explicant de dilectione super omnia. Porrò amor, quo quis diligit Deum sibi bonum, suique glorificatorem, est amor ille imperfectus, quo quis afficitur ergà Deum, sed non eum præfert cæteris rebus.

Hic tamen mirandum occurrit, qua fide Clarissimi nostri Adversarii producant pro se Bellarminum, & tenemur de hoc admonere Lectorem, ut non nisi visis fontibus in hac materia illis assensum præbeat. Bellarminus *lib. 2. de Pœnit. a cap.* 8. usque ad 15. robustissimè docet solam contritionem appretiativè acceptam, & non intensivè cadere sub præcepto, eam justificare solo voto Sacramenti; & productis decem, & septem objectionibus contrà se comprehendit quidquid Adversarii nostri ex Patribus, & Scripturis collegerunt; ipsi porrò multum deferendum est, nam cum temporibus Trident. scriberet, & doceret adversùs Hæreticos, optimè novit illius doctrinam.

Quid Bellarminus de contritione sentiat.

139 OB. IX. Doctrina adstruens contritione imperfecta causari remissionem peccatorum facilem reddit viam justificationis. Sed hæc tanta facilitas est contrà Divinam Scripturam, contrà unanimem Sanctorum Patrum sententiam. Contrà bonum etiam spirituale peccatorum, quia judicio Sanctorum Patrum Ambrosii, Augustini &c. incentivum tribuit delinquendi; siquidem, ùt Augustinus dicit *Serm. 34. de diversis cap.* 12. si tam facilis post enormia crimina est repetita reconciliatio peccatoris — Ludus „ illi esset peccando cadere in mortem. — Argumentum Theologiæ Sanctorum ad mentem cæterorum Adversariorum elaboratum.

Profectò hic esset transcribendum totum caput quintum de vera, & falsa pœnitentia apud D. Augustinum, nihil meliùs ad rem: totum, quod Auctores, de quibus ibi, erroris damnati jactabant, proportionali applicatione proferunt nostri Adversarii, conferantur, ut appareat, an mentiar.

„ Dicunt enim, & si semel peccantibus
„ post Baptismum valeat pœnitentia, non
„ tamen sæpè peccantibus proderit iterata,
„ alioquin remissio ad peccatum esset inci-
„ tatio. Dicunt enim, quis non semper
„ peccaret, si redire semper posset? Dicunt
„ enim Dominum incitatorem mali, si sem-
„ per pœnitentibus subveniret; & etiam ei
„ placere peccata, quibus semper præstò est
„ gratia. Errant autem, immò constat ei
„ peccata multum displicere, qui semper
„ præstò est ea destruere; si enim ea amaret,
„ non ita semper destrueret, sed conserva-
„ ret, atque ut sua munera foveret —

Cæterùm revera assumptum Adversariorum est falsum, videlicet, facilitari viam justificationis per hoc, quod contritio imperfecta intensivè, sed perfecta extensivè, prout est sensus quæstionis, inferat remissionem peccatorum; siquidem in hoc est major difficultas, quod habeatur dolor de peccatis prælativè super omnia: hìc est scopulus, quod diligatur Deus prælativè super omnia: Hic labor, hoc opus, quod cor hominis prælativè avertatur a creaturis, & convertatur ad Deum. Hùc tendunt Scripturarum testimonia inclamantia ex toto corde conversionem, ut absolutam prælationem evincant Dei super cætera amabilia: Hùc respiciunt urgentia Patrum dicta, ut conatum voluntatis sincerum obtineant, qua ultimus finis præeligatur. Non igitur adest somniata facilitas veniæ; eaque propter optimè justificatio impii per solam inchoatam dilectionem habetur.

ARTICULUS QUARTUS.

AN ATTRITIO SIMPLEX DISPONENS AD JUSTIFICATIONEM REGULETUR AMORE SPEI THEOLOGICÆ, VEL AMORE CONCUPISCENTIÆ.

140 NOviter, qui nobiscum sentiunt circà efficaciam simplicis attritionis, partiti sunt in duplicem classem in assignando amore, quo attritio dirigitur. Una contendit amorem illum non debere esse concupiscentiæ, sed amorem spei Theologicæ: altera contendit esse amorem concupiscentiæ; ita fervidè decertant, sicut olim pro Helena pugnatum est. Quare ne deficiat exacta discussio attritionis, brevissimè satisfacere duxi propositæ quæstioni, quæ explicatis terminis evanescit, & ad idem revocatur. Non est tamen modicæ utilitatis terminorum clarificatio ad tollendas æquivocationes, quæ apud nostros Adversarios subingrediuntur in puncto principalis controversiæ. Pro cujus intelligentia

Suppono, quod objectum primarium quod Spei sit beatitudo æterna, sive Deus ipse ùt summum bonum nostrum, ùt docet D. Th. 2. 2. *q.* 17. *art.* 2. illis — Spes, de
„ qua loquimur, attingit Deum innitens
„ ejus auxilio ad consequendum bonum spe-
„ ratum. Oportet autem effectum esse causæ
„ proportionatum, & ideò bonum, quod
„ propriè, & principaliter sperare debemus,
„ est bonum infinitum, quod proportionatur
„ virtuti Dei adjuvantis. Nam infinitæ vir-
„ tutis proprium est ad infinitum bonum
„ perducere. Hoc autem bonum est vita
„ æterna, quæ in fruitione ipsius Dei con-
„ sistit. Non enim minùs aliquid ab eo
„ sperandum est, quam sit ipse, cùm non
„ sit minor ejus bonitas, per quam bona
„ creaturæ communicat, quam ejus essentia,
„ & ideò proprium, & principale objectum
„ Spei est Beatitudo æterna — Quod repetit in solutione argumentorum.

Objectum Spei æterna Beatitudo.

Objectum charitatis divinum bonum propter se.

Sappono 2. Objectum principale charitatis esse divinum bonum propter seipsum; ùt docet D. Th. 2. 2. q. 23. *art.* 5. *per tot.* sed referam solùm ad . -- Charitate diligitur Deus propter seipsum. Unde una „ sola ratio diligendi attenditur principali- „ ter a charitate, scilicet divina bonitas, „ quæ est ejus substantia secundùm illud *Ps.* „ 105. Confitemini Domino, quoniam bo- „ nus --

. De charitate *art.* 2. babet -- Et hæc „ est charitas, quæ Deum propter se dili- „ git. *Art.* 4. Charitas diligit Deum ra- „ tione sui ipsius, & ratione ejus diligit „ omnes alios in quantùm ordinantur ad „ Deum. *Art.* 8. Proprium, & per se ob- „ jectum charitatis est Deus, & quidquid „ ex charitate diligitur, ea ratione diligi- „ tur, qua ad Deum pertinet. *Art.* 10. „ Objectum autem charitatis est summum „ bonum -- Et alibi pluries.

Sæpè Angelicus dicit objectum charitatis esse summum bonum nostrum, esse Deum in quantum est objectum beatitudinis nostræ, esse divinam bonitatem, ut est radix beatitudinis nostræ, in quibus locutionibus illæ particulæ reduplicantes non appellant supra beatitudinem nostram, ùt est bonum nostrum, nostrique perfectivum, a nobisque possidendum; hoc enim est error in principiis D. Th siquidem sub hac formalitate pertinet ad spem; sed appellant supra rationem *quo*, & seorsum facit, quod divina bonitas, prout est in se integra in omni linea est objectum charitatis, hoc est divina bonitas ùt integrata per bonitatem pertinentem ad quamlibet lineam sit objectum adæquatum charitatis: Deus non est objectum beatitudinis nostræ quomodulibet acceptus, sed prout est in se, & inter formalitates bonitatis est, quod sit beatificativus aliorum, quæ perfectio, si ei deficeret, non esset summum bonum: Uno verbo esse beatificativum prout est perfectio intrinseca Dei, prout est in se constitutiva summi boni, est objectum divinæ charitatis.

Hæc plana sunt. Sed accipe unum, vel alterum locum. 2. 2. q. 17. *art* 8. distincto duplici amore perfecto, & imperfecto, habet -- Primus autem amor pertinet ad cha- „ ritatem, quia inhæret Deo secundùm „ seipsum: sed spes pertinet ad secundum „ amorem, quia ille, qui sperat, aliquid „ sibi obtinere intendit -- Et *q.* 23. *art.* 6 ubi resolvit charitatem esse excellentissimam virtutem propter perfectionem objecti supra cæteras, & ait -- Fides autem, & spes at- „ tingunt quidem Deum secundùm quod ex „ ipso nobis provenit, vel cognitio veri, „ vel adeptio boni: sed charitas attingit ipsum „ Deum, ut in ipso sistat, non ut ex eo „ nobis aliquid proveniat --

Amor concupiscentiæ respicit bonum proprium.

Suppono 3. Amorem concupiscentiæ habere pro objecto bonum proprium. Hoc in aperto est.

Angelicus Doctor 1. 2. *q.* 26. *art.* 4 inquirit, an amor convenienter dividatur in amorem amicitiæ, & in amorem concupiscentiæ: resolvit affirmativè, & sic discurrit -- Sicut Phil. dicit 2. *Reth.* Amare est velle „ alicui bonum. Sic ergo motus amoris in „ duo tendit, scilicet in bonum, quod quis „ vult alicui, vel sibi, vel aliis, & in illud, „ cui vult bonum. Ad illud ergo bonum, „ quod quis vult alteri, habetur amor con- „ cupiscentiæ: ad illud autem, cui aliquis „ vult bonum, habetur amor amicitiæ, hæc „ autem divisio est secundùm prius, & po- „ steriùs. Nam id, quod amatur amore „ amicitiæ, simpliciter, & per se amatur, „ quod autem amatur amore concupiscen- „ tiæ, non simpliciter, & secundùm se ama- „ tur, sed amatur alteri --

Et ad 3. habet -- In amicitia utili, & „ delectabili vult quidem aliquis aliquod bo- „ num amico, & quantùm ad hoc salvatur „ ibi ratio amicitiæ, sed quia illud bonum „ refert ulteriùs ad suam delectationem, & „ utilitatem, inde est, quod amicitia uti- „ lis, & delectabilis in quantùm trahitur „ ad amorem concupiscentiæ, deficit a ra- „ tione veræ amicitiæ --

Bonum proprium non est bonum linea determinata.

Suppono 4. Bonum proprium non esse bonum unius determinatæ lineæ, sed esse omne bonum cujuscumque lineæ, dummodò ordinetur ad proprium suppositum tanquam ad finem *cui*. Itaque bonum proprium idem est, ac perfectivum proprii suppositi, seu propriæ naturæ convenicns, sive per modum utilis, sive delectabilis, sive honesti, sive ordinis naturalis, sive supernaturalis, quia natura humana in omni ordine est perfectibilis.

Egregia Philosophi Doctrina.

Et hic notanda occurrit egregia doctrina Aristotelis 9. *Ethic.* ubi docet illum esse magis sui amatorem, qui sibi meliora, & majora bona vult -- Magis autem videba- „ tur talis homo sui amator: nam ea sibi „ tribuit, quæ pulcherrima maximèque „ bona, & gratificatur ei, quod sui ipsius „ potissimum, in omnibusque illi obtempe- „ rat -- Quod cum aliis, quæ ibi ponit Philos. elucidat D. Th. *lect.* 9 sic.

„ Postquam Phil. ostendit, qualiter di- „ catur aliquis amator sui secundùm quod „ est exprobrabile, hic ostendit qualiter ali- „ quis dicatur amator sui secundùm quod „ est laudabile &c. & dicit quod talis, qui „ studet excellere in operibus virtutum, ma- „ gis videtur esse Philautius, idest amator „ sui, quam ille, qui tribuit sibi superabun- „ dantiam bonorum sensibilium. Probat „ propositum duabus rationibus, quarum „ prima est: quia tantù magis aliquis amat „ seipsum, quantùm majora bona sibi attri- „ buit: sed ille, qui studet superexcede- „ re in operibus virtutis, tribuit sibi opti- „ ma, quæ scilicet sunt maximè bona, sci- „ licet bona honesta: ergo talis maximè „ diligit seipsum. Secundam rationem po- „ nit: quia talis largitur bona ei, quod est „ principalissimum in ipso, scilicet intelle- „ ctui, & facit, quod omnes partes animæ „ intellectui obediant: tantù autem aliquis „ amat illud, quod est principalius in eo: „ & ita patet, quod ille, qui vult superex- „ cellere in operibus virtutis maximè amat „ seipsum --

Ex his palam fit, quod etiam tunc homo est maximè amator sui, quando sibi vult bona divina, quia & hæc sunt perfectiora bona, & ordinantur ad perficiendum illud,

quod

quod in eo eſt principalius. Itaque bonum proprium abſtrahit ab illicito, & licito, ab utili, delectabili, & honeſto, a naturali, & ſupernaturali, & divino, dummodò ſoſpiciatur ùt bonum ſibi.

Motus in proprii boni duplex.

Suppono 5. Quod motus in bonum proprium dupliciter fit juxta regulas rationis, & contrà regulas rationis: primus honeſtus dicitur, ſecundus inhoneſtus. Ad primum pertinet, quod dicit Pſal. 118. 20. *Concupivit anima mea deſiderare juſtificationes tuas.* Et alibi. Ad ſecundum ſpectat, quod dicit Pſal. 61. 11. *Rapinas nolite concupiſcere.* In quo non eſt ulteriùs immorandum, cum res ſit evidens. His poſitis. Sit concluſio.

Attritio ab amore concupiſcentiæ regulatur.

Dicendum eſt, quod attritio propriè dicta diſponens ad juſtificationem regulatur ab amore concupiſcentiæ, ſeu ad amorem concupiſcentiæ pertinet. Concluſio probatur. Attritio propriè dicta eſt deteſtatio peccati ob motivum gehennæ fugiendæ, vel beatitudinis acquirendæ: ſed hæc deteſtatio regulatur ab amore concupiſcentiæ: ergo attritio propriè dicta ad amorem concupiſcentiæ pertinet. Declaratur minor. Omnis fuga, & omne odium, & omnis timor fundatur in amore alicujus boni, ùt certum eſt: timor autem, & fuga gehennæ, prout eſt nociva, non niſi ex amore ſui commodi oritur, qui nihil aliud eſt, quam amor concupiſcentiæ. De hoc non videtur eſſe dubium, ſed ſolùm quatenus dicit amorem beatitudinis: ſed neque circa hoc eſt aliqua rationabilis ſuſpicio. Nam omne quod amatur ùt ſibi bonum, amatur amore concupiſcentiæ, ùt viſum eſt: ſed Beatitudo amatur ùt ſibi bonum, ùt evidens eſt, ergo amatur amore concupiſcentiæ; hinc D. Th. 1. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 2. ait — Beatitudo maximè
,, amatur tanquam bonum concupitum,
,, amicus autem amatur tanquam id, cui
,, concupiſcitur bonum — Quod ulterius clareſcet.

Amor Spei Theologicæ eſt amor concupiſcentiæ.

Amor Spei Theologicæ non eſt niſi amor concupiſcentiæ: ſed pars adverſa vult, quod ſimplex attritio pertineat ad amorem ſpei Theologicæ. Ergo vult, quod pertineat ad amorem concupiſcentiæ. Major conſtat ex ſuppoſitis, & ratio eſt clara. Amor ſpei Theologicæ debet tendere in objectum idem in quod ſpes tendit; amatur enim quod ſperatur: ſpes verò tendit in bonum divinum ùt a ſperante poſſidendum, adeòque ſperanti bonum. Ergo amor ſpei Theologicæ tendit in bonum divinum ùt ſperanti bonum, ac per conſequens eſt amor concupiſcentiæ, niſi velimus nova nomina inducere ad idem ſignificandum.

Et hæc eſt mens D. Th. pluribus in locis, 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. inquirens, an charitas ſit prior ſpe, diſtinguit duplicem amorem perfectum, quo aliquis ſecundùm ſe amatur, & imperfectum — Quo quis amat
,, aliquid non ſecundùm ipſum, ſed ut illud
,, bonum ſibi ipſi proveniat, ſicut homo amat
,, rem, quam concupiſcit &c. Sed ſpes per-
,, tinet ad ſecundum amorem, quia ille, qui
,, ſperat, aliquid ſibi obtinere intendit.
,, *Q.* 26. *art.* 3. *ad* 3. Dicendum, quod hoc,
,, quod aliquis velit frui Deo, pertinet ad
,, amorem, quo Deus amatur amore concu-
,, piſcentiæ — Spes autem eſt, quæ vult Deo frui.

De *Virtutibus quæſt. unica de Spe art.* 3. habet — Eſt autem duplex amor, unus qui-
,, dem imperfectus, alius autem perfectus.
,, Imperfectus amor alicujus rei eſt, quando
,, aliquis rem aliquam amat, non ut ei bo-
,, num in ſeipſa velit, ſed ut bonum illius
,, ſibi velit, & hic nominatur a quibuſdam
,, concupiſcentia, ſicut cum amamus vinum
,, volentes ejus dulcedine uti, vel cum ama-
,, mus aliquem hominem propter noſtram
,, utilitatem, vel delectationem. Alius au-
,, tem eſt amor perfectus, quo bonum ali-
,, cujus in ſeipſo diligitur, ſicut cum amando
,, aliquem, volo quod ipſe bonum habeat,
,, etiam ſi nihil indè mihi accidat. Et hic
,, dicitur eſſe amor amicitiæ, quando aliquis
,, ſecundùm ſeipſum diligitur, onde iſta eſt
,, perfecta amicitia, ùt dicitur *in* 8. *Ethic.*
,, Charitas autem eſt non quicumque amor
,, Dei, ſed perfectus amor, quo Deus in
,, ſeipſo diligitur. Ad hoc autem, quod ali-
,, quis bonum divinum ſecundùm ſe diligat
,, inducitur ex bonis a Deo provenientibus,
,, quæ ſibi quis vult, & ex malis, quæ Deo
,, inhærendo vitat: Quantùm ad vitationem
,, malorum pertinet ad hunc amorem timor,
,, quantùm verò ad conſecutionem bonorum
,, pertinet ad ſui amorem ſpes, quæ eſt mo-
,, tus tendens in aliquid adipiſcendum, ſicut
,, dictum eſt, unde utrumque horum ſecun-
,, dùm propriam rationem derivatur ex im-
,, perfecto Dei amore — Quo nihil melius;
ex quo habetur attritionem, & ùt ex motivo gehennæ, & ùt ex motivo beatitudinis pertinere ad amorem concupiſcentiæ, & hunc eſſe amorem Dei imperfectum.

Quo non obſtante amor concopiſcendi Beatitudinem non pertinet elicitivè ad ſpem, quia objectum terminativum ſpei eſt bonum arduum, motivum verò eſt divina omnipotentia adjuvans; amor verò terminatur ad bonum præſcindendo a conditionibus ardui, & movetur ab ipſamet bonitate, ùt bona concupiſcenti. Deinde amor eſt partis concupiſcibilis, ſpes autem eſt partis Iraſcibilis, ùt docet D. Th. 1. 2. *q.* 25. *art.* 1. adeoque a ſpe elici nequit.

Driude amor beatitudinis æternæ quantùm eſt ex ſe affectivè efficax ſtat in illis, qui ſalutem æternam deſperant, adeoque ſpe carent, & ratio eſt, quam tangit D. Th. 2. 2. *q.* 40. *art.* 4. *ad* 3., quia deſperatio importat quemdam receſſum a re deſiderata propter exiſtimatam impoſſibilitatem adipiſcendi. De eo enim, quod ſub amore, & deſiderio noſtro non cadit, non datur deſperatio, & quo vehementior eſt amor, & fortius deſiderium ex deſperans acriùs anxiatur. Accidit in humanis, quod Medicus, Filius, Uxor vehementiſſimè affectivè diligant ſalutem infirmi, & nihilominùs illam deſperent propter lethalia ſigna mortis. Plerique ardentiſſimè amant, & faciunt, quantùm poſſunt, ut dignitatem aliquam acquirant, quam ſæpè conſequi deſperant.

SOL-

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSÆ PARTIS.

141 OBJIC. I. Attritio disponens ad justificationem debet oriri ex amore Dei casto; Sed amor concupiscentiæ non est amor castus Dei, quia est amor sui. Ergo attritio disponens ad justificationem non debet oriri ex amore concupiscentiæ. Totum habetur ex D. August. *Ser.* 178. aliàs 19. *de verbis Apostoli c.* 10. -- „ Aliud est timere pœnam, aliud est amare „ justitiam. Amor castus in te esse debet, „ quo amore desideras videre non Cœlum, „ non terram, non campos liquidos maris „ &c. sed desidera videre Deum tuum, ama„re Deum tuum: quia dictum est, dile„ctissimi filii Dei sumus, & nondùm appa„ruit, quod erimus. Scimus autem, quia „ cum apparuerit similes ei erimus, quo„niam videbimus eum sicuti est. Ecce „ propter quam visionem sis bonus, ecce „ propter quam noli facere malum -- In hanc autem visionem tendit spes, ergo amore spei attritio disponens debet dirigi.

Antequam argumento satisfaciam advertere oportet quosdam modernos Theologos, qui nobiscum sentire profitentur sola differentia amoris spei contenti, hostes esse, non amicos, quia sub amore spei tegunt rigorosum amorem Dei charitatis, & eo vehementiùs illum intendunt, & urgent, quo a rigore videntur alieni.

Duplex bonorum spiritualis amor castus.

Nunc. Amor castus in hac auctoritate D. Augustini non est aliud, quàm amor bonorum supernaturalium, & ideò illum explicat per contrapositionem ad bona terrena, quo sensu enarratione in *Psalm.* 43. ait — „ Exigitur a te, ut tu eum gratis colas, non „ quia dat temporalia, sed quia præstat æter„na -- Porrò dupliciter bona supernaturalia diligi possunt. Primò ut ordinata ad amantem tanquam ad subjectum *cui*. Secundò ut ordinata ad Deum propter seipsum. Primò modo dilecta pertinent ad amorem concupiscentiæ, seu spei. Secundò modo dilecta pertinent ad amorem amicitiæ.

Uterque iste amor est castus, & supernaturalis, sed primus est imperfectus, secundus est perfectus, sicut charitas est virtus perfectior spe. Eodem modo accipit hic Augustinus amare justitiam, idest amare bona æterna, non temporalia. Attritio autem simplex nostra, & propriè dicta in hoc sensu oritur ab amore casto, quia ab amore supernaturalium, & supernaturali; attritus enim detestatur peccata, ne in æternum puniatur carentiâ visionis Dei, aliisque pœnis supra ordinem naturæ.

142 OB. II. Attritio disponens ad justificationem debet inniti spei divinæ misericordiæ, ut docet Tridentinum *Sess. 6. c. 6.*, sed ut inniatur spei divinæ misericordiæ non potest dirigi amore concupiscentiæ; quia spes innixa divinæ misericordiæ est virtus Theologica bonum divinum in se respiciens pro objecto; amor autem concupiscentiæ non potest esse Theologicus, quia respicit bonum proprium, quod est suppositio intrinsecum; bona autem extrinseca non dicuntur propria. Ergo debet assignari alius amor; adeoque spei terminantis in bonum divinum.

Hoc involucro utebatur olim Durandus, ut negaret spem immediatè terminare in Deum, sed ipse concedebat, quod est verissimum, amorem spei, & concupiscentiæ esse eundem: falsum est autem apertissimè inter bona propria non annumerari nisi intrinseca subjecto; enumerantur omnia, quæ habent rationem convenientis ipsi supposito; quapropter res etiam extrinseca potest terminare immediatè motum spei, & amoris concupiscentiæ: Hinc aqua in fonte decurrens apprehensa ut refrigerativa, & conveniens ad sedandam sitim terminat immediatè motum appetitus sitientis.

Neque tollitur immediatio terminationis objecti in esse objecti per hoc, quod mediat aliqua actio applicativa: fertur voluntas immediatè in bonum, licèt debeat applicari media cognitione: Agens ignis immediatè respicit passum, quamvis intermediet actio: extrema immediatè uniuntur, licèt intercedat unio. Porrò bonum divinum, quod respicit spes, est bonum divinum quoad nos, idest ut ex eo nobis aliquid conveniens procedit; quo modo diligitur per amorem concupiscentiæ, nec alius amor, qui dicatur spei, fingendus est.

143 OB. III. Attritio disponens debet dirigi amore recto, sed amor concupiscentiæ non est rectus, quia est mercenarius; omnis autem amor mercenarius est malus, ex D. Th. 2. 2. *q.* 19. *art.* 4. *ad* 3., & 3. *sent. dist.* 26. *q.* 1. *ad* 5. qualis autem non sit mercenarius docet D. Bernardus *Serm.* 8. *de diversis* -- „ Numquid mercenarius eum quis æstimet, „ qui paternæ hiniat hereditati, eamque „ toto affectu expetit, & expectat, quam „ nimirùm filii mercedem esse, non merce„narii Propheta testatur; cum dederit, in„quit, dilectis suis somnum, ecce heredi„tas Domini filii merces, fructus ventris -- Ergo alio meliori amore dirigi debet, & hunc vocamus amorem Spei.

Sed meliùs deberent dicere amorem charitatis, cui opponitur amor mercenarius, & hunc respicit intentio argumenti. Si nomine amoris mercenarii intelligant, operari propter mercedem, hæreticum est dicere esse malum, nam doctrina fidei docet nos posse agere intuitu mercedis, unde dicebat Psal. 118. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas in æternum propter retributionem.* Et de Moyse Paulus dicebat ad Hebr. 11. *Aspiciebat enim in remunerationem*. Et ipse Deus provocat nos ad benè operandum intuitu præmii. Deut. 12. 28. *Observa, & audi omnia, quæ ego tibi præcipio, ut benè sit tibi, & filiis tuis post te in sempiternum*. Quibus, & aliis pluribus inhærens Concil. Trid. *Sess. 6. Can.* 26. damnat sub anathemate hunc errorem.

Quid sit amor mercenarius.

Audiamus a D. Th. quid sit amor mercenarius: loco 1. cit. habet -- Amor mer„cenarius dicitur, qui Deum diligit propter „ bona temporalia, quod secundum se cha„ritati contrariatur, & ideo amor merce„narius semper est malus. *Secundo loco habet*. „ Facere aliquod propter commodum tem„porale, facit actum mercenarium; non

„ autem

„ autem facere propter remunerationem
„ æternam: quia continentia non sibi suffi-
„ cit ad salutem, si pro solo amore pudici-
„ tiæ retineatur, ut dicitur libro de Dog-
„ matibus ...

Hanc Spem, quæ expectat retributionem secundum se, vocat virtutem propriè dictam 2. 2. *q.* 17. *art.* 1. — Et ideò patet,
„ quòd spes est virtus, cùm faciat actum
„ hominis bonum, & debitam regulam at-
„ tingentem — Hoc autem est propriam virtutis, ut perficiat potentiam ad actum bonum, ad quem non est naturaliter determinata; Spei autem affectus est bonus, quia innititur divino auxilio, & tendit in Beatitudinem æternam juxta regulas præscriptas a Scriptura, adeoque spes est virtus propriè dicta. Quamvis autem sit una virtus, alia perfectior, unus actus alio laudabilior, nihilominùs omnis actus virtutis est optimus, non quidem absolutè, sed in propria specie; quia habet rectitudinem in propria materia secundùm proprias regulas rationis, & exit a potentia completa in actu primo, unde verificatur illud Philos. 7. *Physic. textu* 17. Virtus est dispositio perfecti ad optimum.

Hæc omnia conveniunt spei Theologicæ, & amori concupiscentiæ in æternam felicitatem, & propter hoc dixit D. Th. *eod. art.* 1. *cit. ad* 3. Quod ille, qui sperat est imperfectus, secundùm comparationem ad id, quod sperat obtinere, quod nondum habet —
„ Sed est perfectus, quantùm ad hoc, quod
„ jam attingit propriam regulam, scilicet
„ Deum, cujus auxilio innititur —

D. Bernardus ibi distinguit duplicem amorem Dei, perfectum, & imperfectum; imperfectus est, qui respicit ad præmium, perfectus, qui aliquid non desiderat, neque felicitatem, neque gloriam, sed solùm adhærere Deo propter ipsum. Dicit quidem, quod ille prior est filiorum, quia non nisi filiis, hoc est, justis in executione datur hereditas, sed non negat posse esse in non justo, in quo datur Fides, & Spes informis, nec potest negare.

144 OB IV. Attritio disponens ad justificationem debet Deo subordinari, & non Deum subordinare; sed amor concupiscentiæ Deum subordinat: ergo ab amore concupiscentiæ non dirigitur attritio. Objectum amoris concupiscentiæ ordinatur tanquam ad finem ad concupiscentem: Deus autem nequit ordinari ad creaturam tanquam ad finem; hæc enim subordinatio importat subjectionem Dei ad creaturam. Igitur Deus non potest esse terminus amoris concupiscentiæ, neque eo per consequens dirigitur attritio disponens.

Vide quo tendat argumentum. Intendit attritionem non esse bonam, nisi sit conjuncta cum amore charitatis, ad quod ostendendum assumit amorem concupiscentiæ. Sed amorem concupiscentiæ, qui ad Spem Theologicam pertinet, & ad regulas Fidei elicitur, frustrà declamat quis inordinatum.

Duplex est finis ad quem aliquid ordinari potest. Finis *cui*, & finis *cujus gratia*. In amore concupiscentiæ non requiritur ordinatio ad concupiscentem, nisi tanquam ad finem *cui*; Deum autem ordinari ad creaturam ut ad finem *cui* nulla est inordinatio perfectivi ad perfectibile. Si ordinaretur etiam ut ad finem *cujus gratia*, tunc esset imperfectio. Non est autem necesse, ut positivè referatur ad Deum tanquam ad finem *cujus gratia* amor concupiscentiæ, ut sit honestus, sed sufficit, ut sit referibilis, & actualis relatio privativè non excludatur.

Hinc in peccatore dantur Fides, & Spes, ut veræ virtutes, licèt non sub statu virtutis: sicut etiam dantur virtutes acquisitæ, quia in propria linea habent propriam perfectionem, nec excludunt privativè ordinem charitatis, sed potiùs ex sua natura isti subordinantur. Quare in peccatore amor concupiscentiæ ipsius Theologicæ Spei sistit in bono proprio negativè, non autem privativè excludendo relationem ad Deum, aut positivè inferendo carentiam relationis in Deum.

145 OB. V. Attritio disponens ad justificationem includit timorem separationis a Deo, quem timorem fundat Spes Theologica. Sed amor concupiscentiæ non fundat timorem separationis a Deo, sed a suo commodo: ergo eo non regulatur attritio.

Hac instantia utitur etiam Theologia Sanctorum, ut sustineat requiri dilectionem Dei super omnia in attritione. Dupliciter considerari potest separatio a Deo, vel tanquam a bono beatificativo ipsius creaturæ; vel tanquam a bono proprio ipsius Dei propter semetipsum. Timor Spei Theologicæ respicit separationem a Deo primo modo acceptam, & hic in amore concupiscentiæ fundatur. Timor charitatis respicit separationem a Deo secundo modo, & iste timor non est in attritione. Hinc D. Thomas 2. 2. *q.* 17. *art.* 6. *ad* 3. docet — Spes facit tendere
„ in Deum, sicut in quoddam bonum finale
„ adipiscendum, & sicut in quoddam adju-
„ torium efficax ad subveniendum. Sed cha-
„ ritas propriè facit tendere in Deum unien-
„ do affectum hominis Deo, ut scilicet ho-
„ mo non sibi vivat, sed Deo.

146 OB. VI Attritio disponens ad justificationem est motus bonus: Affectus autem sunt de amore boni, & de sancta charitate venientes, ut docet D. Aug. *lib.* 14. *de Civit. cap.* 9. Sed amor concupiscentiæ non est sancta Charitas: ergo ab eo non procedit attritio, sed ab altiori amore, qui alias non erit, quàm Spei Theologicæ.

Quoniam argumentum motum est a D. Thoma 2. 2. *q.* 27. *art.* 8. *in* 2. quo sibi objicit Spem a charitate derivari, utiturque eadem D. Aug. auctoritate *cap.* 9. *lib.* 14. *de Civit.* Responsionem subdamus ejusdem S. Doctoris verbis, quæ sunt — Dicendum, quòd
„ spes, & omnis motus appetitivus ex amo-
„ re provenit aliquo, quo scilicet amat ali-
„ quis bonum expectatum; sed non omnis
„ spes provenit a charitate, sed solùm motus
„ spei formatæ, qua scilicet aliquis sperat
„ bonum a Deo, ut ab amico — Non ergo amor, quo motus est bonus, non ergo sancta Charitas, a qua veniunt affectus, necessè est, quòd sit charitas propria dicta, sed sufficit, quòd sit amor ordinatus; & hujusmodi est amor concupiscentiæ, cui spes innititur, & hic obiter habemus regulam explicandi D. *Amor concupiscentiæ est ordinatus.*

Au-

August. quando, ut frequentèr assolet, videtur charitatem exigere ad hoc, ut actus sit bonus.

147 OB. VII. Concupiscentia malè accipitur, & a concupiscentia dicitur amor concupiscentiæ: ergo ab eo non dirigitur attritio, quæ ut disponens bona censeri debet.

Concupiscentia, quæ est fomes peccati malè accipitur; concupiscentia autem, quæ est a *concupiscibili* non est malè audienda, & centies assumitur a S. David; ideò D. Thom. 1. 2. *q.* 26. *art.* 4. ad primum dicit; non esse bonam divisionem in concupiscentiam, & amicitiam; sed in amorem concupiscentiæ, & amorem amicitiæ; atque rationem alibi citatam.

DISPUTATIO ULTIMA.

DE EFFICACIA SIMPLICIS ATTRITIONIS CHRISTIANÆ.

ACcedimus ad scopum principalem Controversiæ, hujusque Opusculi. Quæ profuso hùc usque calamo diximus, hùc respiciunt; quapropter laborem omnem absolvisse credere fas est, cum duriores explanaverimus difficultates; ea propter nil aliud superesse videtur, quam aptè superiora in præsentiarum accommodare. Sit igitur

ARTICULUS PRIMUS.

AN SIMPLEX CHRISTIANA ATTRITIO SIT DISPOSITIO ULTIMA ANTECEDENS AD JUSTIFICATIONEM.

1 DUplex genus dispositionis agnoscunt Philosophi in generatione substantiali. Aliæ dicuntur dispositiones antecedentes, aliæ dicuntur concomitantes. Dispositiones antecedentes sunt illæ, quæ præcedunt tempore formam substantialem, quæ de novo producitur, præmittuntur ab agente, ut præparatur subjectum susceptivum novæ formæ; Præparatio hæc fit, tum removendo prohibens, ut cum a ligno removetur humiditas impediens adustionem, tum positivè aptando subjectum per introductionem qualitatum formæ generandæ congenitarum, ut cum in ligno introducitur calor.

Dispositiones aliæ antecedentes, concomitantes aliæ.

Dispositiones istæ præviæ aliæ sunt remotæ, aliæ proximæ, seu ultimæ. Remotæ sunt, quæ aliqualiter disponunt subjectum, sed non totaliter, ut agens sub illis possit formam producere. Proximæ sunt, quæ ultimatè subjectum disponunt, & taliter aptant, ut sub illis agens formam producere possit. Igitur ultima dispositio antecedens habet aliquam immediatam connexionem, seu coaptationem cum forma genita, non ita ut se sola sit cum illa infallibiliter connexa, sed solùm posita applicatione causæ destinatæ ad producendam formam secundùm se; posteà si non ex toto, saltem ex parte dispositio ultima perit adveniente nova forma.

Dispositio concomitans illa est, quæ est simul tempore, sed prior naturâ cum forma, estque taliter connexa, ut ea posita necessariò ponatur forma. Secundùm aliquos Philosophos dispositio concomitans effectivè emanat ab eadem forma, daturque proinde mutua causalitas inter utramque in diverso genere causarum, quod aliis non placet.

Proportione servata qualiter discurrunt Physici in naturalibus, loquuntur Theologi in moralibus: ad justificationem requiri dispositiones aliquas mediis quibusdam actibus virtuosis, certum dogma Fidei est, hic omninò supponendum. Aliquas hujusmodi dispositionum esse concomitantes, res est incontroversa apud Doctores Catholicos, qui unanimiter hanc conditionem tribuunt amori veracis charitatis Divinæ, & Theologicæ, & contritioni propriè dictæ.

Aliquas harum dispositionum esse remotas, Orthodoxi omnes docent, inter quas est Fides, & Spes, aliquas quasi proximas, sub quibus causa instituta ad producendam formam justificationis infallibiliter operatur, concedunt Universi Christiani nominis Professores, sed quales sint, pleno consensu non constat. Clarissimi Adversarii Amorem Dei imperfectum assignant unicè, & omnem aliam eo inferiorem appellant remotam. Quapropter quærimus, an Attritioni simplici conveniat qualitas, seu conditio dispositionis ultimæ antecedentis. Ne æquivocandi accipiatur occasio, iterùm repetimus, nomine Attritionis simplicis nos intelligere motum supernaturalem absolutum detestativum peccatorum ex motivo proximo, & actuali solius pœnæ gehennalis, vel Beatitudinis æternæ, aut turpitudinis peccati, non excludendo, nec includendo positivè actum dilectionis Dei super omnia. Hinc fit conclusio.

Dicendum est, quod simplex Attritio Christiana est dispositio proxima, & ultima, prævia, & antecedens. Ante probationem suppono inter dispositiones necessarias ad justificationem non esse adnumerandam aversionem habitualem a peccato, quia aversio habitualis a Deo, & conversio habitualis ad creaturam est ipsum habituale peccatum, vel cum ipso necessariò connexa, adeoque nullo alio modo est auferibilis, quàm per formam sanctificantem, quæ est gratia gratum

Simplex Christiana attritio ultimò disponit ad justificationem.

Digitized by Google

rum faciens ; quæ illi directè opponitur ; hoc quidem indubitatum est apud Adversarios etiam, quorum amor imperfectus se solo non excludit habitualem peccandi voluntatem, quæ est indispensabiliter connexa cum ipso habituali peccato, qua sola animadversio deiscit robur sistematis Adversariorum.

2 PROB. I. Auctoritate clara D. Th. 4. *Sent. dist.* 12. *q.* 1. *art.* 4. *q.* 2. ubi habet — „ in ipso motu contritionis justificatur pœnitens, sicut in ipso actu ablutionis Baptismalis justificatur puer baptizatus : tunc „ autem aliquis justificatur, quando gratiam „ recipit. Unde simul cum gratiæ infusione, „ & justificatione est motus contritionis : „ sed motus attritionis præcedit, quasi præ„ paratorius. Nos autem nunc non loqui„ mur de præparatoriis ad justificationem, „ sed de his, quæ intrant substantiam ip„ sius — Habes hic clarissimè contritionem esse dispositionem concomitantem justificationis ; de qua contritione ita affirmat se sola esse justificativam, sicut Sacramentum Baptismi. Habet eadem claritate attritionem pertinere ad prævia præparatoria.

Et quidem ultimatè, quod patet, tum ex antithesi ad contritionem, quæ est ultima dispositio concomitans, tum ex doctrina, quam impugnat, quæ prætendebat omnes motus liberi arbitrii præcedere tempore gratiam, etiam ultimatè disponentes : ipse verò excipit contritionem, quam vult concomitantem dispositionem, & aliquo modo a gratia dependentem, & locum ultimæ dispositionis præviæ attribuit attritioni.

Nomine attritionis intelligit descriptam a Tridentino *cap.* 4. *Sess.* 14., quæ est ex motivo gehennæ, vel turpitudinis peccati, &c. ut doctè advertit nota Nicolai infrà referenda.

Hanc esse mentem D. Thomæ habes 1. 2. *q.* 112. *art.* 2. *ad* 1. ubi — Præparatio „ hominis ad gratiam habendam quædam „ est simul cum ipsa infusione gratiæ ; & „ talis operatio est quidem meritoria, sed „ non gratiæ, quæ jam habetur, sed glo„ riæ, quæ nondum habetur : est autem alia „ præparatio gratiæ imperfecta, quæ ali„ quando præcedit donum gratiæ gratum „ facientis, quæ tamen est a Deo movente. „ Sed ista non sufficit ad meritum nondum „ homine per gratiam sanctificato — quæ correspondent corpore articuli.

Præparatio meritoria est ipsa contritio, quæ est dispositio concomitans, & justificat extrà Sacramentum, de qua justificatione his locis agit S. Doctor ; altera autem est antecedens, & ultima, quia ad concomitantem nulla alia mediat ; porrò illa ex Spiritus Sancti dono moventis est attritio, sicut benè notat Commentator a Perrecta advertens candem esse, de qua Trid. *Sess.* 14. *cap.* 4. expressè dicens esse ex gehennæ metu &c.

3 PROB. II. Dispositio, quæ habet connexionem immediatam cum dispositione concomitanti infallibiliter formam, necessariò est dispositio ultima antecedens ; hæc enim est notio dispositionis antecedentis ultimæ : sed attritio simplex habet connexionem immediatam cum dispositione concomitante formam justificationis. Ergo est dispositio antecedens ultima. Min. declaratur. Charitas est dispositio concomitans formam justificationis : dolor verò de peccatis ex timore certè servili connectitur immediatè cum charitate ; unde habetur Eccl. 25. v. 16. *Timor Domini initium dilectionis ejus*. Initium, & initiatum immediatè connectuntur.

Timor iste, qui dilectionem Dei initiat, non est filialis, hic enim a dilectione oritur. Jonæ 3. pœnitentia attritionis ob metum concepta immediatè conjungitur cum contritione, ad quam secuta est remissio peccatorum : *Et vidit Deus opera illorum, quia conversi sunt de via sua mala ; & misertus est Deus super malitiam, quam locutus fuerat*.

Quod agnovit Concil. Trid. *Sess.* 14. *c.* 4. illis — Hoc enim timore Ninivitæ „ ad Jonæ prædicationem plenam terrori„ bus pœnitentiam egerunt ; & misericor„ diam a Domino impetrarunt — *Act.* 9. Paulus ex attrito fit contritus, *Et tremens, ac stupens dixit : Domine quid me vis facere ?* Israelitæ minaci reprensione Angeli commoti, & attriti, *Judicum* 2. contritionis hostias Deo obtulerunt : De qua re plura Scripturarum exempla proferri possent.

Concludentem audiamus Augustinum *tract.* 9. *in* 1. *Joan.* — Ergo incipiat timor ; „ quia initium Sapientiæ timor Domini. „ Timor quasi locum præparat charitati ; „ cùm autem cœperit charitas habitare, pel„ litur timor, qui ei præparavit locum. (*Charitas timorem pellit.*) „ Quantùm enim illa crescit, ille decrescit ; „ & quantùm illa fit interior, timor pellitur „ foras. Major Charitas, minor timor, „ minor Charitas, major timor, si autem „ nullus timor, non est, qua intret charitas. „ Sicut videmus per setam introduci linum, „ quando aliquid suitur, seta priùs intrat ; „ sed nisi exeat, non succedit linum. Sic „ primò timor occupat mentem, non autem „ ibi remanet timor, quia ideò intravit, ut „ introduceret charitatem — Non potest clariùs describi immediata connexio inter timorem servilem, & charitatem, & quidem dispositionis introductivæ, & quidem antecedentis, quæ saltem in aliqua parte, & sensim perit adveniente forma.

4 PROB. III. Dispositio, quæ proximam habet connexionem cum forma, quam tamen se sola non potest inducere, est dispositio ultima antecedens, ut Phylosophi docent, propter quod septimus gradus caloris communiter dicitur dispositio ultima antecedens ad formam ignis generandam ; sed simplex attritio habet proximam connexionem cum forma justificationis, quam se sola non potest inducere ; ergo habet rationem dispositionis ultimæ antecedentis. Nemo negabit Donum Sancti Spiritus esse connexum immediatè cum gratia justificante, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datur nobis : timor autem servilis, a quo attritio, inter dona Sancti Spiritus annumeratur. *Isai.* 11.

Audiant Clarissimi Adversarii, Augustinum *de Gratia, & libero arbitrio cap.* 18. — „ In quo sanè Apostoli testimonio cavere „ debemus, ne nos arbitremur non acce-

Attritio a Spiritu Sancto.

piſſe Spiritum timoris Dei, quod ſine dubio magnum eſt Dei donum. De quo dicit Propheta Iſaias, Requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilii, & fortitudinis, Spiritus ſcientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini: Non quo timore Petrus Chriſtum negavit, ſed illius timoris Spiritum accepimus: de quo dicit ipſe Dominus Chriſtus: Eum timete, qui habet poteſtatem, & animam, & corpus perdere in gehennam; ita dico vobis hunc timete. — Hic deſcriptus timor ſervilis eſt, ut patet.

Timor, quem perfecta charitas foras mittit, ſervilis eſt, millies id atteſtantibus Adverſariis. Hunc autem reponi inter dona Sancti Spiritus, de quibus *Iſai. 11.* Teſtatur Gregorius Magnus *hom. 9. in Ezech.* illis — Quam ſeptiformem gratiam Iſaias in ipſo noſtro capite, vel in ejus corpore, quod nos ſumus, enumerans dicit, requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilii, & fortitudinis, Spiritus Sapientiæ, & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini &c. & cum ſcriptum ſit: Initium Sapientiæ timor Domini conſtat procul-dubio, quia a timore ad Sapientiam aſcenditur, non autem a Sapientia ad timorem reditur; quia nimirum perfectam habet Sapientia charitatem, & ſcriptum eſt perfecta charitas foras mittit timorem — Ecce quam clarè loquitur de timore ſervili, quem charitas foras mittit: Ecce quam clarè aſſerat ad dona Sancti Spiritus pertinere, non quidem inhæſivè, ſed ultimatè diſpoſitivè, ideò dicit, quod a timore ad ſapientiam aſcenditur.

Hoc etiam docet Auguſtinus *lib. 1. de Sermone Domini in Monte cap. 3., & 4.* Quo pacto conciliatur D. Th., qui dicit non eſſe Donum Spiritu Sancti, ſed eſſe a Spiritu Sancto, quia non eſt Donum Sancti Spiritus inhæſivè, ſed diſpoſitivè, non quomodocumque, ſed proximè, & ultimatè diſpoſitione antecedenti ad juſtificationem, per quam inhæſivè poſtea etiam timor perficitur, quia, evacuata ſervilitate, ſecundùm quam foras mittitur, perſeverat cum aliis donis.

Timor ſervilis etſi non ſit donum Spiritus Sancti, eſt tamen a Spiritu Sancto.

Deinde ad hominem contra clariſſimos Adverſarios ſic concludenter diſcurrimus. Dilectio Dei inchoata per ipſos eſt diſpoſitio ultima antecedens ad juſtificationem de ſe inſufficiens ad inferendam juſtificationem, ſed ſufficiens ſi applicetur cauſa a Deo inſtituta ad productionem gratiæ, & eo quia eſt averſio actualis, & vitalis a peccato, & converſio ad Deum, adeoque non componitur cum voluntate peccandi, includitque propoſitum novæ vitæ: Sed hæc omnia ſub motivo inferiori habentur per ſimplicem attritionem ſupernaturalem, ſicut hucuſque clariſſimè non tantùm probavimus, quam demonſtravimus. Ergo attritio ſimplex admitti debet etiam ipſa ut diſpoſitio antecedens ultima ad juſtificationem, & voluntariè excluditur, ſi, quod ipſi attribuunt dilectioni inchoatæ, nos ductu Scripturæ, & Patrum reperimus in attritione.

Quoniam tamen Adverſarii noſtri ad infringendum hoc argumentum totis viribus inſurgunt contra efficaciam, quam poteſt habere, & habet attritio ad excludendam voluntatem peccandi, ideò paulò fuſiùs inſiſtendum eſt, & quidem meritò, quia munus proprium diſpoſitionis eſt amovere impedimenta, & purgare ſubjectum a prohibentibus ingreſſum formæ; & quæ ita amovet, ut nullum remaneat, ultima eſt: porrò in peccatore amota poſitivè voluntate peccandi, & efficaciter per actus virtuoſos, nullum eſt aliud impedimentum amovendum; aliunde poſtea hoc ipſo, quod per actus poſitivos tollitur impedimentum, aptatur etiam poſitivè ſubjectum ad formam, ſi perſeverent, & eo præcipuè, quod illi actus quamvis de ſe informes, capaces ſunt formationis, forma advenienti, ac per conſequens non ſine cauſa tam ardenter negant Adverſarii timori ſervili vim expellendi voluntatem peccandi, qua conceſſa, cedere oportet.

Plura hac ſuper re dedimus Diſput. I. Art. 5. Verùm ulteriora juvat ſubnectere, ut abſoluta numeris omnibus habeatur notio de efficacia ſimplicis attritionis. Scripturæ, & Patres, quibus utimur probant attritionem ſimplicem expellere voluntatem peccandi; & aptare etiam ſubjectum poſitivè ad receptionem formæ juſtificantis.

§. II.

OSTENDITUR CHRISTIANAM ATTRITIONEM SIMPLICEM, HOC EST EX MOTIVO GEHENNÆ, EXPELLERE VOLUNTATEM PECCANDI, AC PER CONSEQUENS ESSE ULTIMAM DISPOSITIONEM ANTECEDENTEM AD JUSTIFICATIONEM.

5 PROB. I. Scripturis Veteris Teſtamenti. Motus quo peccatum expellitur, ſufficit ad excludendam voluntatem peccandi; ſed timor eſt motus expellens peccatum, ut habetur Eccleſ. 1. *Timor Domini expellit peccatum; nam qui ſine timore eſt, non poterit juſtificari.* Quibus ultimis verbis docemur Scripturam loqui de timore ſervili, qui in juſtificando reperitur; filialis enim cum ſit cum charitate, reperitur in juſtificato: ergo timor ſervilis poteſt voluntatem peccandi excludere, & diſponere ad juſtificationem. Locum hunc eſſe de timore ſervili tenent Patres mox referendi.

Explicatur I. Motus quo concipimus efficacem ſpiritum ſalutarem, non ſtat cum voluntate peccandi; ſed timor ſervilis eſt hujuſmodi. Unde ubi Iſaiæ 26. legimus, *Concepimus, & quaſi parturivimus, & peperimus Spiritum.* Legunt 70. — A timore tuo Domine concepimus, & peperimus ſpiritum ſalutis, ideſt pœnitentiæ ſalutaris — ut explicat S. Th. 3. *q. 85. art. 5.* argumento, Sed contrà.

6 Explicatur II. Motus, qui poteſt inducere charitatem Dei, non ſtat cum voluntate peccandi, ſed timor ſervilis poteſt inducere charitatem; dicitur enim Eccleſ. 25. *Beatus homo, cui donatum eſt habere timorem Dei: qui tenet illum, cui aſſimilabitur? Timor*

Timor ſervilis poteſt inducere charitatem.

Dei

Dei initium dilectionis ejus. Ex cap. 25. *Initium Sapientiæ timor Domini*. Pro Sapientia verò intelligitur dilectio juxta illud v. 15. *Dilectio Dei honorabilis Sapientia*.

Major clara est, nam charitas induci nequit, ubi est voluntas peccandi, vel exteriùs, vel interiùs, & ideò dicitur 1. Jo. 4. *Omnis, qui diligit, ex Deo natus est*. Et Augustinus 15. *de Trinit. cap.* 18. de charitate loquens — Nullum donum est isto Dei dono „ excellentius. Solùm est, quod dividit „ inter filios regni, & filios perditionis — ergo locum illum: *Initium Sapientiæ est timor Domini*, de servili esse docent inter alios Patres: Basilius *Orat. in principium Proverb.*, Aug. *in Epist.*60. *tract.* 9. *in* 1. *Jo.*, Gregor. *Homil.* 19. *in Ezech.*, Beda *in cap.* 1. *Proverb.*, Bernardus *Homil.* 23. *in Cant.*, *& Epist.* 9., quos cum Scholasticis sequitur Magister *in* 3. *Sent. dist.* 34.

7 Explicatur III. Medium, quod ex professò proponit Scriptura ad fugiendum peccatum, non potest non esse sufficiens ad concipiendam voluntatem non peccandi, sed timor pœnarum proponitur ut medium ad fugiendum peccatum, undè Eccles. 7. *Memorare novissima tua, & in æternum non peccabis*. Inter novissima est gloria, & gehenna; siquidem in ultimo Judicio prima datur in præmium justis, secunda in pœnam injustis: & horum seria meditatio tantæ est efficacitatis, ut non permittat in æternum peccare; & utique quodcumque peccatum excludit, quoniam, & internum, & externum punitur gehennali igne.

8 Explicatur IV. Non potest esse non nisi medium efficax ad removendam voluntatem peccandi, quod frequenter assumptum est a Prophetis, & Viris Sanctis ad hunc finem, sed timor pœnarum est hujusmodi: Tentatus Eleazarus 2. Machab. 6. carnes porcinas comedere, ut cohibeat voluntatem timore utitur. *Quia & si in præsenti tempore suppliciis hominum eripiar, sed manum Omnipotentis, nec vivus, nec mortuus effugiam*.

Eleazarus ne carnes comedat timore utitur.

Nemo sanæ mentis inutilem, & inefficacem esse, judicare potest timorem pœnarum ad removendam voluntatem e peccatis, cùm videatur frequentissimè propositus a Deo ad hunc finem, ad quid describitur Infernus. Deut. 32. *Ignis succensus est in furore meo, & ardebit usque ad Inferni novissima*. Isai. 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante? Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Ad quid clamat Propheta Psal. 7. *Nisi conversi fueritis gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & paravit illum, & in illo paravit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit*: & alibi similia, si infirmum, vacuumque medium pœnarum metus est ad removendum cor hominis a voluptatibus seculi, ab affectibus carnalibus?

PROB. II. Scripturis Novi Testamenti: Sufficiens medium est ad fugandam peccandi voluntatem, quo utitur prima Veritas in Evangelio, sed utitur timore pœnarum: Audite Præcursorem ad pœnitentiam provocantem peccatores. *Genimina viperarum quis vobis demonstravit fugere a ventura ira? Omnis arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Matt. 3. Audite Dominum clamantem. Matt. 10., & Luc. 12. *Timete potiùs eum, qui potest animum, & corpus perdere in gehennam*. Dicetis ne frustraneam nos docere viam?

Ad quid inducit exemplum servi, qui determinat solvere debitum, ne venundetur? Filii Prodigi, qui angustiis famis pellit ardorem luxuriæ? Virginum fatuarum, quæ a Sponso foras clauduntur? Hominis projecti in tenebras exteriores ob carentiam vestis nuptialis? Servi tortoribus traditi propter debita? ad quid toties describuntur terribilia extremi Judicii, si suppliciorum cogitatio inepta est, & inefficax ad extinguendum peccatorum desiderium? Ludit ergo, & illudit Christus? absit.

9 PROB. III. In hiis, quæ pertinent ad religionem, & salutem standum est Patrum judicio, sed isti sustinent metum pœnarum excludere voluntatem peccandi, ergo: Minor prob. breviter aliquot testimoniis. Basilius explicans versiculum Psal. 33. *Venite filii audite me timorem Domini docebo vos*: Dicit Prophetam inducere timorem gehennæ, ut a peccatis retrahat peccatores, & inferno descripto subdit. *Hoc time, & hoc timore correptus animam a peccatorum concupiscentia, tanquam fræno quodam reprime*.

Chrysostomus *Hom.* 25. *in Epist. ad Rom.* ad cavenda peccata, monet — Recordemur „ perpetuò terribilis illius Tribunalis, flaminis ignei, vinculorum insolubilium, „ profundarum umbrarum, stridoris dentium, venenosique vermis.

S. Pacianus in Parænesi ad Pœnit. — „ Timete dilectissimi justa judicia, mittite „ errorem, demutate delicias: properat jam „ tempus extremum: Tartarus, & gehenna „ laxatus sinus pandant, post æternarum „ tempestive supplicia, redivivis quoque „ corporis pœna servatur —

Ambrosius *Psal.* 118. ait. Martyrem timore gehennæ constueri, ne Christum abneget inter gravissimos cruciatus — Pone „ deinde Martyrem cogitantem mandata „ divina, illum ignem perpetuum, illud „ sine fine incendium perfidorum, illam „ pœnam recrudescentis ærumnæ, trepidare corde, nedùm præsentibus cædis, perpetuis se dedet exitiis —

Hieronymus *in Comment. ad cap.* 2. *Malachiæ* — Vult Deus, ut primùm ejus filii „ simus, & bonam voluntate faciamus: si „ hoc consequi nolumus, ut saltem nos servos habeat; a malis per suppliciorum „ formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus. „ Et *in* 2. *caput*. Ut qui pudore, vel verecundiæ non tenentur agant pœnitentiam „ saltem comminatione pœnarum — Similia cæteri SS. Patres.

Ex quibus habemus metu pœnarum induci odium peccati, & per consequens expelli voluntatem peccandi: vehemens odium peccati naturaliter infert voluntatem non peccandi, sicut vehemens ardor peccati inducit voluntatem peccandi; & voluntas peccandi expellit odium peccati, sunt enim hæc necessitate naturali connexa: Potest ergo timor gehennæ inferre voluntatem non

peccandi actualem? Habitualis enim non tollitur, nisi media gratia sanctificante, si loquamur de ea, quæ est habitualis conversio ad creaturam tanquam ad finem, si verò loquamur de ea, quæ vocatur habitualis cupiditas, seu habitus vitiosus, hæc stat etiam sub gratia justificationis, & non nisi per actuum repetitionem eradicatur totaliter. Stant habitus vitiosi in justificato non tamen dominantes, modo quo explicant N. PP. Salmaticenses *de vitiis, & peccatis* cum Thomistis.

Dices dicta Patrum loqui de peccato externo, non autem interno, primi voluntatem tollit metus gehennæ, non secundi.

10 Verùm nil valet inane effugium. Locutiones Patrum sunt absolutè, & universales: deinde asserunt sufficere metum hunc ad refrenandam concupiscentiam, seu animam a concupiscentia; Affectus porrò animæ est interior; sic Basilius in suo dicto. S. Ambrosius loquitur de metu, quo Martyr ita suffert præsentia, ne perpetua mala patiatur; si autem in corde adsit peccati amor, tolerantia passionum exteriorum non absolvit a gehenna.

PP. docent timorem cohibere non dum ab exteriori, verum & ab interiori peccato.

D. Augustinus *Serm. 18. de verbis Apostoli* -- Time gehennam, nil meliùs times;
„ time, ut ista formido custodiat te: timor
„ enim iste, quo gehennam times, & ideò
„ malum non facis, continet te, & sic volentem peccare animum interiorem non
„ sinit, est enim quidam custos timor, quasi
„ Pedagogus legis. Custodiat te tamen ti-
„ mor iste, dum non facis timendo --

En timor custodit hominem a peccato; si verò a solo externo averteret, non esset custos cum peccatum sit in corde: Animam interiorem volentem peccare, non sinit: Non est sensus, quod in sensu composito voluntatis peccandi impediat exteriùs, sed sensus est, quod cohibet interiorem animam, & facit de volente nolentem: Pedagogus est legis, quæ interiùs, & exteriùs obligat: ergo custodit affectum exteriorem, & interiorem: ergo legis observantiam.

Psal. 117. ad vers. *Uxor tua* -- Cum ti-
„ more gehennæ continet se homo a pecca-
„ to, fit consuetudo justitiæ, & incipit,
„ quod durum erat amari, & excludi ti-
„ morem a charitate -- Continet a peccato absolutè, & est dispositio, ut introducatur charitas, quæ cum peccato interno non componitur, ergo a voluntate peccandi interiùs continet. Idem habet D. Thom. 2. 2. *q.* 17. *art.* 8.

Egregiè libro de Catechizandis rudibus *cap.* 17. ubi -- Qui autem vult fieri
„ Christianus, ut non eat in ignem æter-
„ num cum Diabolo, sed in Regnum æter-
„ num cum Christo verè ipse Christianus
„ est, cautus in omni tentatione ne prospe-
„ ris rebus corrumpatur, ne frangatur ad-
„ versis, & in abundantia terrenorum mo-
„ destus, & temperans, & in tribulationi-
„ bus fortis, & patiens, qui etiam profi-
„ ciendo perveniet ad talem animum, ut
„ plus amet Dominum, quam timeat ge-
„ hennam, ut etiamsi dicat illi Deus, utere
„ deliciis carnalibus sempiternis, & quan-
„ tum potes pecca, nec morieris, nec in
„ gehennam mitteris, sed mecum tantum-
„ modo non eris, exhorrescat, & omninò
„ non peccet --

Hìc Augustinus distinguit tria genera suscipientium Baptisma, eorum, qui ut evitent incommodum temporale, & habeant commodum: Eorum, qui ut habeant felicitatem temporalem: & eorum, qui ut non ardeant in Inferno, sed ut regnent cum Christo: De duobus primis negat fieri verum Christianum: Tertiò concedit: Sed non fit homo verus Christianus, nisi gratiam recipiat; Characterem enim recipiunt etiam primi: Gratia verò non stat cum voluntate peccandi, sive interiùs, sive exteriùs: ergo metus voluntatem peccandi tollit.

August. tria genera suscipientiū Baptisma distinguit.

Certè illa bona adeò excellentia, quæ tribuit timori, non componuntur cum voluntate peccandi interiùs: & advertendum est Augustinum asserere jam factum verum Christianum, disponi ad dilectionem Dei paulatim: ergo non exigit charitatem præviam ad justificationem per Sacramentum Baptismi.

Quod si dicas August. conjungere timorem cum amore gloriæ, nihil dicitur; amor enim gloriæ, & timor pœnæ oriuntur ab eodem principio amoris proprii, qui æquè refugit a malis tristantibus, ac prosequitur bona delectantia, immò contristantia magis movent, quam delectantia, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 123. *art.* 1. ex Augustino.

Denique universaliter omnes Patres assumunt pro medio timorem ad cohibendos a peccatis homines, ne ratione peccatorum deveniant in locum tormentorum: sed per peccatum internum potiori jure damnantur ad inferos: ergo sufficit ad excludendum omne peccatum, pro quo in pœnam est statuta gehenna.

11 Dices cum iisdem: Timorem expellere voluntatem peccandi, si introducat charitatem.

Sed hoc contra. Patres 1. Absolutè loquuntur. 2. Tribuunt hos effectus timori ex proprio motivo pœnarum. 3. Non inducitur charitas, nisi voluntas peccandi excludatur, & non introducitur forma, nisi priùs excludatur dispositio contraria. Si ergo timor potest inducere charitatem, potest excludere voluntatem peccandi, & certè majus, quid est habere charitatem, quam carere voluntate peccandi, si ad primum sufficit timor, cur non sufficiet ad secundum? 4. Per se timor pœnæ inducit fugam peccati, quam amorem Dei inducat, nam ex timore pœnæ ex natura rei sequitur fuga eorum, quæ pœnam inducunt, non autem amor Dei, qui altiori motivo innititur, & ex, vel maximè, quod amor est prima passio, & primus motus, qui ab alio inferiori directè non causatur. D. Aug. 14. *de Civit. Dei cap.* 18., *&* 71., D. Th. 1. 2. *quæst.* 27. *art.* 4. *quæst.* 25. *art.* 2.

12 PROB. IV. Timor, de quo loquimur, elicitur vi auxilii supernaturalis: sed timor sub hoc auxilio est sufficiens ad expellendam voluntatem peccandi: ergo. Min. videtur clara, non enim hoc denegandum est efficaciæ divinæ motionis, & urgetur sic: Timor pœnarum temporalium convici-

Timor de quo in præsens elicitur vi auxilii supernaturalis.

viribus naturæ sufficit ad removendam voluntatem peccandi cæteris : ergo timor pœnarum æternarum sufficit ad removendam voluntatem peccandi interius. Consequentia certa est, nam supernaturalitas auxilii, & gravitas major pœnarum excedens superat improportionem virium naturalium, & pœnarum naturalium cum cupiditate interius peccandi. Vide Salm. nostros *de Auxiliis disp.* 2. *dub.* 8. n. 291.

Instatur I. Potens in majus, potens est in minus sibi subordinatum, sed timor per Adversarios potest inducere majus, scilicet, charitatem : ergo potest inducere minus, scilicet, expellere voluntatem peccandi, quæ expulsio est subordinata inductioni charitatis, quæ non stat cum voluntate peccandi, sicut forma non stat cum dispositione contraria, & quid majus est habere formam, quam carere dispositione contraria.

II. Non stat efficax volitio finis sine efficaci voluntate mediorum ad illum finem necessariorum : ergo non stat efficax voluntas evitandi gehennam sine voluntate evitandi peccata, quæ inseparabiliter trahunt in gehennam : ergo timor efficax pœnarum sufficit ad removendam voluntatem peccandi ; Quæ conclusio est directè evidens, utpotè particularis inclusa in principio universali certissimo. Amor autem sui concipiens certò, & seriò sibi grave malum imminere naturaliter ab eo refugit. Christianus medio lumine Fidei concipit seriò sibi gehennam imminere ex peccato, quare naturaliter concipit fugam illius, & potest crescere, ut intensa sit, efficax sit.

His reponunt I. Fatentur sub metu includitur cupiditas peccati in voluntate, quia nisi metueret non fugeret peccatum, non excluditur : ergo voluntas, quam fuga ipsa includit. Philalet, Castoriensis.

Reponimus nos : Ergo sub charitate includitur voluntas peccandi, quia nisi amaret, non fugeret peccatum.

Dicitis metus causat fugam peccati ut trahentis in gehennam, non ut delectantis, & utilis : unde cum fuga sub una formalitate stat cupiditas ex aliis.

13 Dicimus nos : Amor causat fugam peccati ut contradicentis divinæ amabilitati, non ut delectantis, & utilis, undè stat sub una formalitate, & cupiditas ex aliis. Necessè est ergo omnes devenire ad unum principium primum, scilicet, qui vult, vel non vult aliquod efficaciter sub una formalitate, cui alia est annexa, inevitabiliter vult, & non vult illud sub omni formalitate de consequenti : Qui peccat regulariter non vult offensam Dei ; sed suam utilitatem, tamen quia connexam est primum cum secundo ; utrumque vult : Qua ratione ostendunt Nostri PP. Salmat. *de bonitate, & malitia*, non solum ab objecto, sed etiam a circumstantiis oriri malitiam in actibus etiam interioribus : igitur solum deducitur, quod si non adesset metus, quod adesset voluntas, non autem, quod adsit, cum adest metus a pari de amore : Non adest, quando adest amor ; si non adesset amor, voluntas peccandi adesset.

Malitia non ab objecto tantum, sed etiam circumstantiis repetenda.

14 Reponunt II. Sequitur hominem posse amare Deum ex se, & observare omnia præcepta, quod est falsum, sine auxilio Dei : quia per se, qui vult gloriam, & vult fugam pœnæ, vult omnia necessaria ad hæc : sed amare Deum, & adimplere præcepta, sunt necessaria ad hæc : ergo idem quod supra.

Illatio certa haud digna Theologo, sicut & sequens, etsi ea eorum principiis conflata. Qui vult efficaciter dilectionem Dei, vult adimpletionem omnium præceptorum, sine qua non subsistit charitas, ergo diligens ex se sine auxilio potest observare omnia mandata : & ratio utrobique eadem est, quia tam metus, quàm amor non possunt excludere voluntatem peccandi, nisi sub auxiliis gratiæ ; unde includunt voluntatem observandi præcepta per debita auxilia : & si aliter esset, nec amor, nec metus essent actus recti.

Concludit solùm ratio, quod, qui ex metu gehennæ non vult peccare, ex eodem motivo vult, quando occurrent, observare omnia præcepta, etiam diligendi Deum, quod est verissimum ; licet enim metus nequeat imperare voluntatem adimplendi præceptum dilectionis, potest indirectè, quia amori proprio incommodum oritur ex non adimpletione, quando verò occurret, adimpleri non potest, nisi sub proprio auxilio, & conditionibus debitis.

Reponit III. Castoriensis. Metus non opponitur voluntati peccandi, sed cruciatui gehennæ ; ergo non excludit voluntatem peccandi, sed solùm impellit, ut retrahat membra a peccato : non enim metus contrariatur peccato, & voluntati, sicut calor frigori : & major in voluntate vis requiritur, ut extorqueat a se ipsa obedientiam, quam a membris suis.

15 Reponimus sic nos : Amor Dei non opponitur voluntati peccandi, sed amabilitati, quam respicit pro objecto, sicut timor cruciatuum non contrariatur ei ut calor frigori, ergo amor non excludit voluntatem peccandi ; Quia ergo voluntas peccandi contraria est dilectioni, & peccatum displicet amato ; ideò non stat amor tendens in amabilitatem, nisi refugiat peccatum, ita quia cruciatus gehennæ incurritur propter peccatum, nequit voluntas fugere cruciatum, nisi fugiat peccatum.

Nec ad hoc est necessaria oppositio physica ipsi voluntati, sed sufficit, quod pœna opponatur, & molesta sit toti supposito, vel alicui parti illius ad hoc, ut voluntas eam fugiat : nam voluntas est appetitus elicitus tendens in bonum universale totius suppositi, unde ad hoc ut voluntas refugiat aliquod malum, non est necessè, quod opponatur ipsi, sed sufficit, quod opponatur alicui parti, vel toti supposito.

Quæ verò diximus per se primò probant metum gehennæ impellere voluntatem, ut se ipsam retineat, deinde membra retrahat a peccato. Voluntas enim imperans aliquod bonum opus exercendum a membris, supponitur prius rectificata, & benè affecta ergo illud bonum, quare jam odio habens peccatum retrahit membra ab executione : cum vehementer, & efficaciter timet : & revera si gehenna non impellit voluntatem, illusoriè

(liceat

(liceat hoc dicere) Scriptura Sacra, Christus Dominus, Sancti Patres tam seriò proponentes gravitatem pœnarum, ut inducerent non ad fictam, sed ad solidam præteritorum peccatorum pœnitentiam, & futurorum fugam, locuti sunt: adeòque fideles sunt à Patribus, & Scriptoris decepti: quod absit.

Quando Pharaon timore compulsus ex morte Primogenitorum dimisit Populum, licèt post pœnituerit, voluntas ejus erat mutata. Quod evenit quibusdam aliis vicibus, licèt iterùm mutaret propositum, & ideò Scriptura dicit, denuò ingravasse cor suum; signum est, quod mutaverat: Filius Prodigus cum fame compulsus domos Meretricum deseruit, paternamque adiit, luxuriosam ne adhuc conservabat voluntatem? Servus Evangelicus, qui metu cunnodationis pedibus Domini provolutus præcabatur. *Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi*. Cor non reddendi adhuc ne fovebat? Absint similia commenta. Nec major vis requiritur in voluntate ad imperandam obedientiam sibi, quam membris, cum ipsa magis sit sibi subjecta, & libera, quam membra, quæ etiam ipsa nolente rebellant: August. *lib. 1. retractationum cap. 9. & 12.*

16 Reponit IV. Philaletes *Opusc. de Contrit. cap. 1. sect. 3. n. 14* Metus gehennæ potest excludere voluntatem peccandi si introducat amorem justitiæ, concedo, si non introducat, nego; nam nisi introducatur amor justitiæ peccatum non displicet secundùm se, idest secundùm malitiam propriam, sed tantùm propter alienam, idest gehennæ: ergo implicat solo metu tolli voluntatem peccandi secundùm se, sicut implicat peccatum displicere secundùm malitiam alienam tantùm, & simul propter propriam.

Explicat exemplo. Vult Deus voluntate antecedenti salutem secundùm se impiorum, quam non vult, ùt conjunctam cum peccato, voluntate consequenti; ita pariter voluntas nolens peccatum, ut trahens ad gehennam (quam consequentem vocat) stat cum voluntate peccati secundùm se (quam vocat antecedentem) quæ non potest tolli absque amore justitiæ. Assignat radicem solutionis: quia nullus actus potest exerceri, nisi ex ejus proprio motivo, ùt patet in actibus Castitatis, Temperantiæ, & similibus: ergo fugiens peccatum propter pœnam, non fugit ipsum propter malitiam: In hoc est tota solutionis.

17 Sed hæc nullimodè urgent, ac propter sic instatur I. Ergo cum amore justitiæ stat fuga peccati ùt contradicentis amabilitati dilecti, & complacentia malitiæ secundùm se, vel secundùm alias formalitates directè non contradicentes amabilitati: Quia sicut in peccato directè ratio opposita metui est vis trahens in gehennam; ita in eodem ratio directè opposita amori est vis contradicens bonitati amatæ, ac proindè remanebit complacentia quoad alias formalitates, quæ plures sunt in peccato, ùt Salm. Nostri docent de peccatis *disp. 7. dub. 2. §. 12. 13. &c.*

Vel sic retorqueo: sub amore justitiæ displicet peccatum per ipsum secundùm se, & secundùm malitiam propriam: ergo placet secundùm alienam malitiam, ùt trahit ad gehennam; cùm amor justitiæ directè non opponatur gehennæ.

18 Instatur II. Voluntas fugiens peccatum ùt trahens ad gehennam est consequens sicut ea, qua Christus non vult salutem conjunctam cum peccato finali: ergo est efficax ex motivo gehennæ: sed voluntas efficax vitandi malum est efficaciter volens ea omnia, sine quibus non vitatur malum illud: ergo cum sine fuga peccati secundùm omnem formalitatem culpæ non vitetur gehenna, metus gehennæ infert fugam peccati etiam secundùm se ex suo motivo gehennæ.

Instatur III. Peccatum secundùm se trahit ad gehennam; est enim verum malum de genere culpæ: ergo cum fugitur peccatum propter gehennam, fugitur secundùm se: ergo non stat amor peccati secundùm se.

Instatur IV. Si salus hominis secundùm se traheret ad gehennam, sicut trahit finale peccatum, Deus voluntate consequenti nolens salutem, ùt evenit in finaliter impœnitente, nollet etiam salutem secundùm se. Sed peccatum secundùm malitiam propriam maximè trahit ad gehennam: ergo volens fugam peccati secundùm malitiam alienam vult fugam ejusdem secundùm se. Ubi habes disparitatem inter exemplum, & rem nostram; quia salus secundùm se bona est, malitia peccati secundùm se est vera culpa, & verè mala, adeòque non potest placere.

Instatur V. Peccati proprium est trahere ad gehennam, & vi intrinsecæ malitiæ fundat reatum ad gehennam: ergo malitia, a qua fugit metus gehennæ non est aliena, sed propria: ergo propriam detestatur voluntas ex motivo metus: ergo non subsistit hæc verborum lusio.

Instatur VI. Intrinsecè sunt in peccato omnes istæ formalitates, opponi leggi opponi ordini constituto, fœdare animam, opponi Legislatori, Deo Judici, Deo dilecto, Deo ultimo fini, & aliæ similes, ùt loco citato Nostri PP. declarant: supra quid cadit ergo illa distinctio malitiæ secundùm se, & malitiæ alienæ. Si pro malitia secundùm se velit malitiam primariam, & essentialem, hæc desumitur ab objecto proximo, non autem a Deo dilecto, ac proindè, nec dilectio Dei excludet, ex ei formæ argumenti, peccatum secundùm se.

Instatur VII. contrà radicem solutionis. Vel motivum dilectionis Dei est ne sufficiens, ut ex eo concipiatur dolor veræ pœnitentiæ de peccatis, vel non: si hoc secundum, ergo neque dilectio introducta excludit voluntatem peccandi; si primum, ergo unus actus potest exerceri sub motivo non proprio, sed alieno; Bonitas enim amata non est objectum proprium doloris de peccato: Virtus enim propria pœnitentiæ est distincta a virtute charitatis. Certa doctrina est D. Thom., quam referunt, & sequuntur Nostri PP. Salmat. de Bonitate, & Malitia *disput. 6 dub. 3.* posse, & frequenter evenire, unum actum ad finem alterius ordinari, sivè in genere boni, sivè in genere mali: Jejunat unus ex motivo inanis *gloriæ*, jejunat alius, ut justus sit, &c.

In-

Instatur VIII. contra primam distinctionis partem. Secundum Adversarios, qui metuit peccatum propter gehennam odit justitiam, sed ubi est odium justitiæ, non potest induci charitas, ergo metus non inducit dilectionem, ergo illa distinctio vana est. Ut vidimus, timor nonnisi indirectè inducit charitatem, non enim timor utitur dilectione tanquam instrumento sibi subordinato, cum charitas sit excellentior virtus, propter quam etiam excellentiam non potest esse dilectio effectus timoris per se loquendo.

Instatur IX. Contra secundam partem distinctionis. Quia nautæ trahunt naufragium, timore naufragii projiciunt merces in mare, projectarum etiam affectum si non haberent, non traheret naufragium, pluris enim vitam faciunt, quam mercium cupiditatem, sed fideles metuunt affectum peccati trahere ad gehennam, ergo timor gehennæ affectum peccandi penitus excludit.

§ III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX DIVO AUGUSTINO.

19 UT ostendant Adversarii gehennæ timorem non sufficere ad expellendam voluntatem peccandi, infinitas propemodum addunt auctoritates, ut obruant mole, & Lectorem fatigent, quem solidis rationibus non possunt movere, quæ omnes auctoritates non afferuntur juxta sensum quæstionis. Aliæ producuntur circa timorem humanum: aliæ loquuntur de timore gehennæ inefficaci; nonnullæ confundunt gratiam cum charitate, aliæque non loquuntur de justificatione determinatè intra Sacramentum mortuorum: In cæteris latet æquivocatio justificationis vialis, & consummatæ: quare his reflexionibus tota, & tanta strues ruit faciliter: ne videamur tamen, dorum adeo laborem Adversariorum parvipendere, referamus substantialiter efficaciores, quibus etiam robur ex nostro addere placet.

20 OBJIC. I. Motus fugæ a peccato invitus non aufert voluntatem peccandi; sed odium peccati ex metu gehennæ est motus fugæ invitus, ergo non aufert voluntatem peccandi: Argumentum Augustini est *lib. 3. ad Bonifacium cap. 4.* -- Sic autem,
„ præcepta, qui facit procul-dubio invitus
„ facit, ac per hoc in animo non facit,
„ mavult enim omninò non facere, si, secundùm ea quæ capit, & metuit per-
„ mitteretur impunè, ac per hoc in ipsa vo-
„ luntate intùs est reus, ubi ipse, qui per-
„ cepit inspicit Deus --

RESP. negando min. Metus enim non tollit voluntariam, ut docet Augustinus *lib. de spiritu, & littera cap. 31.* -- Etiam, quod
„ quisque invitus facere cogitur si facit, vo-
„ luntate facit, sed quia mallet aliud, ideo
„ invitus, hoc est nolens facere dicitur --
Licèt præsuppositivè, qui cogitur, nollet, tamen facta suppositione cogentis potest quis velle, & facere, ad quod cogitur, & quidem voluntariè, & absolutè, ex quo manifestè arguitur reverà excludi voluntatem peccandi, quando adest metus, quæ non excluderetur, si non esset metus.

Quæ doctrina verissima est, quando metus ab extrinseco non causatur, sed ab intrinseco, seu ut dicit D. August. *loco prænotato*, qui est in potestate nostra: In nostro autem casu metus non est ab extrinseco cogente, sed ab intrinseco, scilicet a natura actus peccaminosi, trahentis ad gehennam.

Metus, qui est ab extrinseco nō tollit voluntarium.

Auctoritas verò Augustini non est ad rem. Non loquitur ibi de timore casto, idest mali supernaturalis a Deo justo Judice infligendi, nec de amore boni a Deo largitore retribuendi: Hi enim duo actus, cum a Deo sint, boni sunt, loquitur enim de timore mali orto ex cupiditate carnali, quæ mala est, quæ a Deo non est, loquitur expressè de illis, qui observant præcepta cupiditate terrena -- Sola, quæ ibi Deus pol-
„ licetur terrena promissa sectantes -- utique timor iste non excludit per se voluntatem peccandi, quia est ordinis inferioris, nec a motione Sancti Spiritus procedit.

DICES. Loquitur Augustinus de omni timore, qui contraponitur dilectioni, dat enim hanc causalem -- Neque enim in
„ eis fides per dilectionem operatur -- sed timor mali a Deo infligendi contraponitur dilectioni: ergo hic pariter non excludit affectum interiorem peccandi.

RESP. negando maj. Causalis illa non est, sed effectus: deducit non adesse fidem operantem per dilectionem in his, qui observant legem amore terrenorum adipiscendorum, & timore eorundem amittendorum, & benè deducit, quia motivum agendi non est fidei, cui proprium est operari per dilectionem.

Aliud est solam fidem operantem per dilectionem auferre voluntatem peccandi, aliud est non adesse fidem operantem ex dilectione in eo, qui adimplet præcepta carnali cupiditate, primum falsum est, fides enim adimplet præcepta timore casto, idest regulato ab amore supernaturali concupiscentiæ; radicat enim spem; quæ est sperandarum rerum argumentum non apparentium substantia.

INSTABIS. Loquitur apertè contrapositivè ad charitatem; subdit enim -- Isti
„ pertinent ad Testamentum vetus, quod
„ in servitutem generat, quia facit eos car-
„ nalis timor, & cupiditas servos non Evan-
„ gelica Fides, Spes, & Charitas liberos --
sed servitus veteris Testamenti non excludebat affectum internum peccati, sicut explicans hunc locum August. habet Angelicus *1. 2. q. 107. a. 1. ad 2.* illis -- Lex vetus di-
„ citur cohibere manum, non animum, quia
„ timore pœnæ ab aliquo peccato abstinet
„ non simpliciter ejus voluntas a peccato
„ recedit, sicut voluntas ejus, qui amore
„ justitiæ abstinet a peccato; & propter
„ hoc lex nova, quæ est lex amoris, dicitur
„ animum cohibere -- quibus patet solùm amorem removere voluntatem a peccato.

RESP. negando majorem; nec indocta probatio evincit, non enim negandum est in lege veteri medium efficax consequendi vi-

tam

-tam eternam, quæ sine manifestorum observantia nequit obtineri: Dabantur in ea lege præcepta cobibentia animum sicut in lege nova: Dicit Augustinus ibidem, præcepta Decalogi Judæis data, esse à nobis observanda, nec ab eorum jugo eximare libertatem christianam, & tamen inter Decalogi præcepta dantur aliquâ versantia circa animum, ut præcepta de non concupiscenda re, & uxore aliena: reprimebat ergo animum lex vetus gratia Dei.

Sanè pluries fracta est cupiditas peccandi in lege veteri pœnarum comminatione Psal. 105. clamat Propheta. *Humiliati sunt in iniquitatibus suis; & vidit cum tribularentur, & audivit orationem eorum*; Psalm. 106. *Propter injustitias suas, humiliati sunt, & clamaverunt ad Dominum cum tribularentur, & de necessitatibus eorum liberavit eos*.

Sanè Achab 3. *Regum* 21. comminatione exterminationis ab Elia prædicta humiliatus est, operuit se cilicio, deservis pro suo peccatum, ita quod Deus non induxerit super eum pœnam, si verò humiliatio ex corde non fuisset, sed ficta; magis Dominum provocasset: & alia plura exempla habentur in Scriptura, in quibus Deus pepercit populo, quia ob timorem a peccatis abstinuit, quæ exempla profert Samuel 1. *Regum* 12. pro effectu impetrando.

Timore animam frenari: Docet S. Doctor *p. 2. q. 43. artic. 1. ad 1.* — Et sic per „ accidens quandoque timor inducit amo„ rem, in quantùm scilicet homo, qui ti„ met puniri a Deo, servat mandata ejus, „ & sic incipit sperare, & spes introducit „ amorem — Porrò mandata Dei interiora, & exteriora sunt.

Et 44. *quæst. art.* 1. asserit causare motum appetitivæ potentiæ, qui est formale in passionibus, materiale enim est corporis transmutatio — Quantùm autem ad animalem motum appetitus timor contractionem „ quandam importat —

Et 22. *quæst.* 19. *art.* 7. — Aliter tamen „ timor servilis, & timor filialis: timor „ enim servilis est sicut principium extra-di„ sponens ad sapientiam in quantùm aliquis „ timore pœnæ discedit a peccato, & ha„ bilitatur per hoc ad sapientiæ effectum „ secundùm illud *Ecclesiastici* 1. Timor Do„ mini expellit peccatum —

Non est ergo mens Augustini, & Divi Th., quod lex vetus non excluderet ullo modo animum: Lex verò nova excludat ratione dilectionis: nam ibid. Angelicus ponit differentiam inter novam, & veterem, sicut inter perfectum, & imperfectum, inter proximiùs accedentem ad finem, & minùs proximè, ac proindè utraque lex cohibet animum: sed prima imperfectè, hoc est non diuturnè, quæ enim timore aguntur non diù durant; & ideò absolutè non dicit Doctor voluntatem non recedere a peccato, sed non simpliciter, idest non perseveranter: secunda perfectè ex genere suo, quia quæ per amorem aguntur diuturna sunt.

Discrimen veterem inter legem, & novam.

Sensus itaque legitimus August. ibidem, & D. Th. est. Si attendatur lex secundùm litteram, & secundùm terrena promissa, inefficax erat ad justificationem; si verò attendatur secundùm spiritum inclusum, idest A prout singulariter includebat legem novam, & Christum efficax erat: undè dicunt pertinuisse ad legem novam eos, qui justificati sunt in ea.

URGEBIS. Sed spiritus legis novæ retrahens a peccato est solus spiritus dilectionis, teste August. Epist. 144. ad Anastasium: ubi ait — Inaniter autem putat vi„ ctorem se esse peccati, qui pœnæ timore „ non peccat; quia & si non impletur fo„ ris negotium malæ cupiditatis, ipsa tamen „ mala cupiditas intùs est hostis, & quis „ coram Deo innocens invenitur, qui vult B „ fieri, quod vetatur, si subtrahas, quod „ timetur ac per hoc in ipsa voluntate reus „ est, qui vult facere, quod non licet fieri, „ sed ideò non facit, quia impunè non po„ test fieri, nam quantùm in ipso est mal„ let non esse justitiam peccata prohiben„ tem, atque punientem; & utique si mal„ let non esse justitiam, quia dubitaverit, „ quod eam si posset auferret? ac per hoc „ quomodo justus est, justitiæ talis inimi„ cus, ut eam, si potestas detur præcipien„ tem, auferat ne comminantem, vel judi„ cantem ferat? inimicus ergo justitiæ, qui „ pœnæ timore non peccat; amicus autem „ erit, si ejus amore non peccet; tunc enim ve„ rè timebit peccare, nam qui gehennas me„ tuit, C non peccare metuit, sed ardere; „ illo autem peccare metuit, qui peccatum „ ipsum, sicut gehennas odit &c. tantùm „ porrò quisque peccatum odit, quantùm „ justitiam diligit: quod non poterit lege „ terrente per litteram, sed spiritu sanan„ te per gratiam — Gratia verò hæc ad amorem provocat — Inspiratio dilectionis „ ipsa gratia est — Idem August.: ita Lupus Castoriensis, Contenson.

RESP. neg. antecedens: Timor enim per Augustinum severa potest animam a peccato cohibere *Tract. 9. in 1. Joan.* — Cœ„ pit aliquis credere diem judicii: si cœpit D „ credere, cœpit & timere, timendo cor„ rigit se, vigilat adversus hostes suos, idest „ peccata sua, incipit reviviscere interiùs — Incipit reviviscere interiùs, dixit, ut intelligas metum gehennæ, & odium peccati ex illo motivo, justificare initialiter, & dispositivè; consummativè verò per charitatem infusam, vel per Sacramentum, vel extra Sacramentum.

Timor a peccato cohibet.

Undè optimè tractatu eodem habet — „ Opus est, ut intret timor primò, per „ quem veniat charitas. Timor medica„ mentum, charitas sanitas: si nullus est „ timor, non est quo intret charitas; sicut E „ videmus per setam introduci linum — Seta verò introducit linum removendo prohibens, faciendo foramen; sic timor charitatem inducit tollendo peccata, evacuando animam a peccatorum affectibus.

Quare loco adducto in objectione, Augustinus solùm vult ostendere contra Pelagianos legem non posse adimpleri sine gratia interiori, & quia effugium Pelagianorum erat timorem pœnarum sufficere, ideò August. inculcat timorem illum non sufficere ad revocandam voluntatem perfectè a peccato. Hunc esse scopum illius discursus avi-

Lex sine gratia non adimpletur.

evidens est ex præcedentibus, ubi demonstrat necessitatem gratiæ pro lege adimplenda, illis -- Huic gratiæ, qua justificatur impius, quisquis ingratus velut ad legem implendam de suis viribus fidit, ignorans Dei justitiam, & suam volens constituere, justitiæ Dei non est subjectus, ac per hoc fit ei lex non absolutionis adjutorium, sed vinculum criminis &c. -- Plura alia infert ad hoc: postquam verò dixit, quæ objiciuntur de timore, & alia de charitate concludit. -- Delectavit me ista saltem per literas loqui tecum, quæ cum præsente non potui: & hoc non propter te, qui non alta sapiens consentis humilibus, sed propter quosdam, qui nimium arrogant humanæ voluntati, quam lege data putant ad eam implendam sibi posse sufficere nulla super doctrinam legis gratiæ sanctæ inspirationis adjutam -- locus ergo ad rem non est.

Cæterùm etiam si concedamus non loqui August. de timore non elicito ex gratia, a qua non est sola Charitas, sed Fides, Spes, Attritio, & quælibet motio supernaturalis, adhuc contra nos non est: Nam quæstio nostra procedit de timore absoluto, & efficaci: Timor verò, de quo S. Doctor agit non est hujusmodi. Timor, de quo Augustinus est conditionatus, inefficax, & imperfectus: unde non est victor.

Duo autem motiva assignat hujus debilitatis: Primum, quia positivè sistit ille timor in pœna velut in ultimo fine: certè motus iste non est rectus, timor rectus propter pœnam sistit negativè in pœna, movetur a pœna ad non peccandum, sed non tali positiva dispositione, quod peccaret absolutè, nisi pœna esset.

Secundum motivum est, quia iste timor non est regulatus; nam omnis timor rectus fundatur in amore aliquo sibi proportionato; timor verò fugiendæ gehennæ ut infligendæ a Deo oriri debet ex amore incolumnitatis suæ in bonis itidem a Deo habendis, idest in amore concupiscentiæ boni justificationis, & iste timor sufficiens est ad expellendam voluntatem peccandi, & ideò dicit -- Tantùm quisque odit peccatum, quantùm justitiam diligit --

Cæterùm timorem absolutum sufficere indicat illis, ibidem -- Ille autem peccare metuit, qui peccatum ipsum, sicut gehennas odit -- Non dixit supra gehennas, sed sicut, quia non loquitur de filiali timore: sicut gehennas, idest, qui absolutè timet peccatum, sicut timet gehennam, ille verè timens odit peccatum. Indicat secundò, quia asserit facilè vitaturum immundam corporis voluptatem, qui futuros corporis novit cruciatus; ergo facilè evitabit malam voluntatem, qui certò noverit futuros animæ cruciatus.

23 Aliud momentum in illa auctoritate spectandum si pro justitia intelligatur dilectio, nempe metum pœnarum non sanare voluntatem habitualiter, licèt sanet eam actualiter, idest impedit actualem voluntatem peccandi: & propter illam habitualem conversionem dicitur, quod ipsa cupiditas intùs est hostia: Hæc verò sanatur per charitatem consummatè justificantem.

Colligo hoc inter alia ex propositione ibi inserta -- Nam ille timor pœnæ tormentum habet, & non est in charitate, eumque perfecta charitas foras mittit -- Quæ dicta sunt cohærenter iis, quæ *tract. 9. in 1. Joan.* -- Qui autem timet non est perfectus in charitate, quare? quia timor tormentum habet, quomodo sectio Medici tormentum habet -- Porrò ibidem Aug. de Timore ait -- Timor Dei sic vulnerat, quomodo Medici ferramentum putredinem tollit, & quasi videtur vulnus augere. Ecce putredo quando erat in corpore, minus erat vulnus, sed periculosum. Accedit ferramentum Medici, minùs dolebat illud vulnus, quam dolet modò cum secatur. Plus dolet cum curatur, quam si non curaretur. Sed ideò plus dolet accedente medicina, ut nunquam doleat accedente salute -- Subjungitque, quæ superiùs transcripsimus.

Certè nil meliùs: Timor tollit ut medicina peccati putredinem, idest actualem voluntatem; sed non sanat cicatricem, idest habitualem cupiditatem; fit per charitatem sanatio consummata -- Occupet ergo cor tuum timor, & inducat charitatem, succedat cicatrix ferramento Medici; talis est Medicus, ut nec cicatrices appareant: tu tantùm subdè dexteræ ipsius, nam si sine timore es, non poteris justificari. Sententia dicta est de Scripturis; nam, qui sine timore est non poterit justificari -- Quibus habemus confirmatam doctrinam nostram.

REPLICABIS: Secundùm August. timor etiam absolutum non excludit actualem voluntatem peccandi sine dilectione: Actualis voluntas peccandi non excluditur sine vera pœnitentia; sed hanc non causat metus pœnæ ipso teste *Serm. 7. de tempore* -- Pœnitentiam veram non facit nisi Amor Dei, & odium peccati -- Ita Contensonus.

RESP. negando assumptum. Timor enim absolutus pœnitentiam talem potest concupiscere, ut ad contritionem perducat, docente Augustino *to. 10. ser. 11. ad Fratres* -- Timor autem, qui pœnitentiam concupiscit, contritionem parit -- Porrò pœnitentia nihil aliud est, nisi anteacta deflere, & flenda iterum non committere. *Ibidem*. *Odium peccati pœnitentiam facit.* Odium ergo peccati pœnitentiam facit, & pœnitentiam concupiscit timor; at charitas adjungitur, quia consummata non est pœnitentia, nisi finem consequatur, divinam scilicet amicitiam, quam facit charitas, quæ dupliciter infunditur vel per Sacramentum, vel per dilectionem actualem extrà Sacramentum, & de hac secunda loquitur Sanctus Doctor in object. citatus.

SUBSUMES: Timor, qui excludit voluntatem peccandi non est servilis, sed timor pœnæ est servilis, ergo non excludit voluntatem peccandi: Discursus enim est August. *Concione 25. in Psal. 118.* -- Timor namque iste, quo non amatur justitia, sed timetur pœna, servilis est, quia carnalis est: & ideò non crucifigit carnem, vivit enim peccandi voluntas, quæ tunc apparet in opere, quando sperator

„ impunitas . Cum verò pœnu crediter fe-
„ cutora latenter vivit , vivit tamen . Mal- A
„ let enim licere , & dolet non licere quod
„ lex vetat , quia non fpiritualiter delecta-
„ tur ejus bono , fed carnaliter malum me-
„ tuit, quod minatur --

24 Iterum Augustino refpondeat Aug.
& fuam mentam explicans confundat omnes
arguentium fallacias in enarratione *Pf.* 127.
ubi habet -- Alius ergo timor Domini per-
„ manet , alius excluditur timor : Qui ex-
„ cluditur castus non eft , qui autem per-
„ manet castus eft. Quis eft timor, qui ex-
„ cluditur ? dignamini advertere . Aliqui
„ propterea tantùm timent, ne aliquid mali
„ in terra patiantur, ne illis ægritudo acci- B
„ dat , ne damnum , ne orbitas, ne alicujus
„ amiffio chari : ne exilium , ne damnatio
„ carceris, ne aliqua tribulatio : propterea
„ timent , & tremunt . Adhuc timor iste
„ non eft castus . *Adhuc audi* . Alius non in
„ hac terra pati timet , gehennam timet ,
„ undè terruit, & Dominus . Audiftis cum
„ Evangelium legeretur, ubi vermis eorum
„ non morietur, & ignis eorum non extin-
„ guetur . Audiunt hæc homines , & quià
„ verè futura funt , impii timent , & con-
„ tinent fe a peccato . Habent timorem ,
„ & per timorem continent fe a peccato .
„ Timent quidem, fed non amant justitiam: C
„ cum autem per timorem continent fe a
„ peccato , fit confuetudo justitiæ , & inci-
„ pit , quod durum erat amari , & dulce-
„ fcit Deus , & jam incipit homo justè vi-
„ vere , propterea non quia timet pœnas ,
„ fed quia amat æternitatem -- Quo nil
clariùs .

Timor ergo , qui non excludit volun-
tatem peccandi , non eft timor abfolutus ex
motivo fupernaturali , fed alius inferior , &
Timor pœnæ a Deo infligendæ non eft carnalis .
hac diftinctione corruunt quotquot ex Aug.
objiciunt . Sed præter hanc egregiam diffe-
rentiam univerfalem ex propriis textus alle- D
gati apparet ibi non loqui de metu in fenfu
quæstionis nostræ . I. Quia agit de timore ,
quem carnalem vocat ; fed timor , quem
parit pœna a Deo infligenda , & ad quem
Deus hortator non eft carnalis .

II. Loquitur de eo timente , in quo
apparet in opere voluntas peccandi, quando
fperatur impunitas , fed de nullo peccato
etiam interno poteft fperari impunitas com-
parativè ad pœnam alterius vitæ a Deo in-
fligendam ; ergo de ea non loquitur.

III. Loquitur de eo timente , qui mal-
let licere peccatum , & dolet non licere :
fed qui timet abfolutè propter pœnam a
Deo infligendam ab hac voluntate abftinet, E
quia hæc cadit fub divina vindicta : deindè
radicem tangit dans illam caufalem , quia
non fpiritualiter delectatur ejus bono , fed
carnaliter malum metuit , quod minatur :
Ideft , quia timor non procedit ex amore
concupifcentiæ fpiritualis .

25 Subdes loquens de timore gehennæ
infligendæ a Deo fustinet non auferre volun-
tatem peccandi . Sic habet *Serm. 15. de ver-
bis Apostoli cap. 6.* -- Quid magnum eft pœ-
„ nam timere ? Quis enim non timet ? Quis
„ Latro &c. Sed hoc intereft inter timorem
„ tuum , timoremque latronis , quod latro
„ timet leges humanas , & ideò facit latro-
„ cinium , quia fperat fallere leges huma-
„ nas , tu autem legem ejus times , quem
„ fallere non potes , nam fi fallere poffes ,
„ quid non feciffes ? ergò & concupifcen-
„ tiam tuam malam , non amor tollit , fed
„ comprimit timor -- En qualiter timor
pœnæ a Deo infligendæ non tollit peccati
voluntatem .

Addit alium locum ex *Ser. 19 cap 9.*--
„ Lupus venit ad ovile ovium quærit inva-
„ dere , quærit jugulare , quærit devorare ,
„ vigilant Pastores, latrant canes Nil po-
„ terit , non aufert , non occidit ; fed ta-
„ men Lupus venit, Lupus redit, numquid,
„ quia ovem non tulit , ideò Lupus venit ,
„ & oves rediit ? Lupus venit fremens ,
„ Lupus redit tremens , Lupus eft tamen ,
„ & fremens , & tremens -- Quo demon-
ftratur per timorem non immutari homi-
nis voluntatem . Idem Castoriensis .

RESP. negando antecedens , quod non
evincit auctoritas inducta . August. enim
non eft fibi contrarius : Timor enim , qui
fufficit ad erigendum hominem , volunta- *Actualis peccandi voluntas timore aufertur .*
tem peccandi aufert actualem , fufficere ad
emendandum hominem docet S. Doctor *Ser.*
94. *de tempore* , qui primus eft Sabbati poft
tertiam Dominicam Quadrag. his -- Multi
„ amore , multi timore correcti funt : fed
„ per tremorem timoris ad amorem perve-
„ nerunt -- Ubi advertas velim ad modum
loquendi -- Multi amore, multi timore cor-
„ recti funt -- Quod facit amor , facit ti-
mor in hoc quod eft corrigere , & emen-
dare peccatu . Perpetuus femper eft August.
in eo , quòd timor inducat amorem , hic
porrò induci nequit , nifi actualis voluntas
peccandi fecludatur .

Sed expendamus citatum textum , qui
aliud non probat , nifi noftram doctrinam;
fupponendo mentem præcipuam Augustini
effe exhortari Fideles , ut non fiftant in ti-
more , fed tranfeant ad amorem , in quo eft
hominis perfectio ; & ideò in laudibus vi-
gorofiùs dilectionis infiftit , quam timoris :
Vult Augustinus ibi per timorem non habe-
ri justitiam habitualem , quod & nos afferi-
mus ; Charitatis enim hoc effe concedimus :
Sed aliud eft non habere justitiam, aliud ha-
bere voluntatem peccandi ; ftat primum fine
fecundo .

Committit latrocinium Latro , quia
fperat fallere leges hominum : Cum ergo
August. dicat timentem Deum punientem
non poffe eum fallere , fequitur velle per
hunc timorem cohiberi voluntatem a quoli-
bet peccato , & fi interno , cum & hoc le-
ge divina puniatur -- Nam fi fallere poffes,
„ quid non feciffes ? -- Non dixit , quid
non faceres , ut intelligas voluntatem actu
non fubeffe timori in fuppofitione legis exi-
ftentis , adeffet tamen , fi abeffet fuppofitio
legis, quòd eft benè advertendum in re no-
ftra .

Concludit -- Concupifcentiam tuam
„ malam , non amor tollit , fed comprimit
„ timor -- Si comprimitur timore, retinetur
ergo a fuo motu , non excurrit ergo in fuum
actum : fed quia habitualiter manet , ideò
non tollitur , nec tolli debet in ftatu difpo-

fitiva

ſitivu ad juſtificationem, ſed completivo.

Secundus locus perperam affertur contra nos, qui ſolùm contendimus metum gehennæ ebſolutum, & verum tollere actualem voluntatem peccendi. Et ſustinemus gehannæ comminetionem ſufficera ad concipiendum ſalutarem hunc timorem; non autem ſustinemus quemlibet actem timoris bonum eſſe, efficacam aſſa: Esemplam adductum, non eſt hujuſmodi, ſed eorum, qui abſolutè nolunt abſtinere a peccato; ſed volunt ravera peccare; ideò accedunt Lupi, ut rapiant, abſtinant, ſeu non complent actum esterum, taman timoris cauſa extrinſeca ſupervenicnte.

Auguſt. Paulum timore conversum agnoſcit.

Cæterùm agnovit Auguſt. Lupum ovem factum *Serm* 14. *de Sanctis*, Saulum videlicet conversum in Paulum, & utique timore: Actorum enim 9 legimus: *Tremens, ac ſtupens dixit, Domine quid me vis facere?*

Agnovit timorem continere voluntatem. *Serm.* 214. cum air -- Sic enim ſcriptum eſt, ,, Timor Domini ſpes fortitudinis, cùm ,, enim timetur pœna, quam minatur di- ,, ſcitur ameri præmium quod pollicetur: ,, ac ſi per timorem pœnæ bone vite retine- ,, tur, per bonam vitam bona conſcientia ,, comparatur, ut per bonam conſcientiam ,, nulla pœna timeatur -- Certè bona vita, nec bona conſcientia ſubſiſtit cum voluntate peccandi.

Si non agnoſcit vim efficacem ad reprimendam voluntatem, cur a fortiori *Serm.* 18. *de verbis Apoſtoli*, arguit, & redarguit fideles, quod timore temporalium pœnarum abſtinent a peccatis contra leges humanas, & non timent gehennam? -- Timet enim ,, carcerem, & non timet gehennam? timet ,, quæſtionarius tortores, & non timet in- ,, fernales Angelos? Timet cruciatum tem- ,, poralem, & non timet pœnas ignis æter- ,, ni? Poſtremò timet ad modicum mori, ,, & non timet in æternum mori? Et cum, ùt totiès dictum eſt, gehenna puniat etiam ipſam voluntatem, neceſſè eſt ipſam illo timore reprimi.

Benè enim concludit *Serm* 213. *de tempore*, ubi -- Qui erubeſcit in conſpectu ho- ,, minis peccare, quantò magis dignum eſt, ,, quod erubeſcet in conſpectu Dei iniqui- ,, tatam agere, qui non ſolùm opera, ſed & ,, corda conſiderat --

Timor mundanus reprobandus.

Perutila eſt advertere Auguſt. in eo *Serm.* 18. *de verbis Apoſtoli* loqui de triplici timore. Mondeno, quem venum eppellat, licèt vehemens ſit *cap.* 7. Utili, & Bono, videlicet gehennæ, & judicii *cap.* 8., ubi ut efficax ſit, advertit, quod abſolutus ſit -- Sed interrogo, ſi te non videret Deus, ,, quendo facis, nec quiſquam te convince- ,, ret in judicio illius, facares? tu te vide ,, &c. faceres? ſi faceres, ergo pœnam ti- ,, mes &c. Caſtitatem nondum amas, cha- ,, ritatem nondum habes. Serviliter times, ,, formido eſt mali, nondum dilectio boni; ,, Sed time tamen. (Hoc eſt timore abſo- ,, luto,) ut iſta formido cuſtodiat te, ut ,, perducat ad dilectionem &c -- Ut hinc ſciemus diſtinguere qualem timorem rejiciat S. Doctor.

26 Addea: *Serm. ibid.* 19. *cap.* 9. repetens citata verba in objectione loquitur de timore abſoluto, & vero gehennæ: ſed de hoc dicit non excludere voluntatem peccandi, his -- Nemo eſt ibi, niſi tu, & ille, ,, cui facis malum, & Deus, qui ambos vi- ,, det. Vide ibi, time. Parum eſt, quod ,, dico, vide ibi, time malum; ibi ama ,, bonum. Nam & ſi timore gehennæ non ,, facis malum nondum es perfectus: audeo ,, dicere, ſi timore gehennæ non facis ma- ,, lum, eſt quidem in te fides, quia credis ,, futurum Dei judicium: gaudeo fidei tuæ, ,, ſed adhuc timeo malitiæ tuæ. Quid eſt, ,, quod dixi? quia ſi timore gehennæ non ,, facis malum, non amore juſtitiæ facis bo- ,, num, aliud eſt timere pœnam, aliud eſt ,, amare juſtitiam: amor caſtus in te debet ,, aſſe &c. -- Vides ergo abſcondi ſub illo timore malitiam: vides exigere Aug. timorem caſtum.

Nobis favere Auguſtinum in aperto eſt. Nam quid vult Sanctus Doctor, niſi quod timor pœnæ non facit perfectum, non ſanat totaliter animam? Quod libenter concedimus -- Si timore gehennæ non facis malum, ,, nondum perfectus es -- Non facis malum, ait, ſed cares perfectione -- Si timore ge- ,, hennæ non facis malum, non amore ju- ,, ſtitiæ facis bonum -- Si ergo malum non fit, ſi ergo bonum fit: non ergo agnoſcit in illo timente actu voluntatem peccandi.

Quando autem ait, timeo malitiæ tuæ, loquitur non de malitia præſenti, ſed de futura, quia quæ fiunt ex timore non ſunt ſtabilia, & ideò addidit illam cauſalem -- ,, Quia &c. non amore juſtitiæ facis bonum -- Mens hæc Auguſt. confirmatur conſimilibus, quæ dicit in fine præcedentis *Serm.* 18. ubi loquens de mulieribus aliis fugientibus peccatum propter timorem Dei, aliis propter amorem habet -- Adhuc enim iſte timor ille ,, ſervilis eſt cuſtos quidem malorum, ut ,, abſtineant ſe a malis, & abſtinendo digni ,, ſint ad ſe admittere charitatem, ſed illæ ,, non cogitant, quemadmodum non punian- ,, tur a Deo, ſed quomodo placeant Deo ,, &c. illæ faciunt pluſquam licet: illæ non ,, faciunt, quod non licet -- Omnes, ſive amantes, ſive timentes a malo abſtinent, ſed non omnes ſuperabundant, quia timor ſtet cum carentia perfectionis: optimè concluſit -- ,, Amor caſtus in te eſſe debet -- Quia charites conſummat juſtificationem, perducit ad gloriam, reddit opere meritoria, facit amicum Dei, & ideò ſuper omnia eſt expetenda.

27 Concludes, ubi non eſt extinctum deſiderium peccandi, ibi eſt voluntas actualis peccati, ſed deſiderium peccandi non extinguitur niſi dilectione -- Probibitio enim ,, peccati, quod eſt lex, auget profectò de- ,, ſiderium peccandi, quod non extinguitur ,, niſi contrario deſiderio rectè faciendi, ,, ubi fides per dilectionem operatur -- Ait Auguſtinus *lib.* 2 *contra Adverſarium legis, & Propb. cap.* 7., quibus vult metum gehennæ non extinguere deſiderium peccandi. Sed hoc tolli per bonam voluntatem charitate directam.

RESP. maj. eſſe falſam; aliud enim eſt deſiderium habituale eſſe extinctum, aliud

est voluntatem actualem non haberi: Extinctio supponit perfectam sanationem animæ. Actualis autem carentia voluntatis stat sine perfecta sanatione; sufficit enim, ut voluntas comprimatur, retineatur, & impediatur, ne in actum volendi excurrat: hunc autem effectum producit optimè timor pœnarum secundùm D. August.

In expositione *Psal.* 149. his -- Ipsi sunt „ tanquam in compedibus, & tanquam in „ vinculis ferreis. Unde hoc? ne progre„ derentur ad illicita compedes accepe„ runt, compedes sapientiæ, compedes ver„ bi Dei, quare ergo vincula ferrea, & non „ aurea? Ferrea sunt quamdiù timent, „ ament, & aurea erunt &c. Sed prædica„ tur illis, & percutiuntur framea bis acu„ ta (loquitur de potentibus) dicitur illis, „ quia est, qui ponat alios ad dexteram, „ alios ad sinistram, ut dicat eis, qui a „ sinistris sunt, ite in ignem æternum, qui „ paratus est Diabolo, & Angelis ejus. Non„ dum diligunt justitiam, sed timent pœ„ nam, & timendo pœnam jam acceperunt „ compedes, & in vinculis ferreis erudiun„ tur -- Comprimit ergo timor voluntatem ne ad illicita progrediatur.

Discrimen ex Augustino inter timorē servilem, & castum.

Tract. 9 in cap. 4. 1. Joan., postquam dixit, utrumque timorem Dei servilem, & castum esse ab eodem Spiritu Dei, explicans differentiam unius ab alio, assumit exemplum duplicis uxoris, unius, quæ timet adulterium propter amorem mariti, & alterius, quæ ne occidatur a Marito: De hac secunda dicit, quod illicita concupiscens, & incipiens delectari de adulterio, abstinet tamen, quia vel absens maritus potest advenire, vel alius homo potest fallere; inde transit ad exhortandum Christianum, ut timeat illum, qui præsens est ubique, & quem nemo fallere potest; & inde a peccatis avertatur, atque ab internis etiam, aliter motivum assumptum Dei semper videntis, & qui falli non potest, non esset ad rem.

„ Tu non times, ait, oculos ejus, quem „ fallere nemo potest? tu non times ejus „ præsentiam, qui averti a te non potest? „ Roga Deum, ut intueatur te, & avertat „ faciem suam a peccatis tuis: Averte fa„ ciem suam a peccatis meis. Sed unde me„ reris, ut ille faciem suam avertat a peccatis „ tuis, si tu non avertis faciem tuam a pecca„ tis tuis? ipsa enim vox dicit in Psalm. „ Quoniam iniquitatem meam ego agnosco, „ & peccatum meum contra me est semper, „ Tu agnosce, & ille non agnoscit. Allo„ cuti sumus eam, quæ habet adhuc timo„ rem non permanentem in sæculum sæculi „ &c. Vide quam benè tribuit timori vim avertendi voluntatem a peccatis.

Locus verò allegatus in object. non est ad rem: Recolatur mens, progressus illius loci, & manifestè apparebit nil aliud velle August., quam quod lex vetus non habeat vim sanativam, nisi per respectum ad Christum, & legem ejus, quæ est dilectionis: Uno verbo gratiam exigit Novi Testamenti ad fugiendum peccatum, & legem servandam: Littera clara est, sed immediata textui citato, subdamus -- Hoc autem non præ„ stat littera jubens, sed spiritus juvans,

Lex vetus efficax per respectum ad Christum.

„ non lex ergo, sed gratia, non vetus Te„ stamentum in servitutem generans, quod „ est Agar, sed novum, in quo non sunt „ ancillæ filii, sed liberæ, qua libertate „ Christus nos liberavit -- Nec nos sine gratia Dei admittimus metum gehennæ efficaciam habere, sed sub illa, sub qua etiam in Veteri Testamento operabatur timor compressionem voluntatis a peccato, sicut plurima demonstrant exempla, inter quæ Manasses scelestissimus. *Qui postquam coangustatus oravit Dominum Deum suum, & egit pœnitentiam valdè coram Deo Patrum suorum.* 2. Paralip. 33.

Candidè Lector expende, quæ ex Augustino retulimus, & judica.

§. IV.

SOLVUNTUR RELIQUA ARGUMENTA EX PATRIBUS.

28 OBJIC. II. Non detestatur peccata, qui ea non detestatur amore justitiæ, sed solùm ex odio pœnæ; sed qui non detestatur peccata non recedit a peccato; ergo qui detestatur peccatum ex odio pœnæ retinet voluntatem peccandi. Suam maj. probat ex D. Gregorio *lib.* 11. *Moralium cap.* 20. illis -- In conspectu tuo „ justus esse non valet, qui tibi non per dile„ ctionem, sed per formidinem servit -- Castoriensis *c.* 7. §.4.

RESP. negando maj. qui enim efficaciter fugit a malo, fugit ab omni eo, quòd inevitabiliter illud malum inducit: Probatio ex Gregorio non neget. Concedimus nullum esse justum coram Deo, qui charitate caret; scimus ex Tridentino charitatis infusione hominem justificari, ex quo etiam scimus Sacramentum mortuorum per se esse ordinatum ad dandam primam charitatem. Difficultas est, an sine actuali dilectione timor pœnæ æternæ sufficiens sit ad expellendam voluntatem actualem peccandi, sufficiens sit dispositio pro Sacramento mortuorum suscipiendo, nunquam autem quæsivimus, an sufficiat ad justificandum per se ipsum.

Justificatio fit charitatis infusione.

29 DICES, sed per Greg. vera pœnitentia peccatorum etiam dispositivè non habetur sine dilectione. Sic enim habet *lib.* 1. *Reg. c.* 15. ad illa verba -- Sed nunc honora me coram „ Senioribus. Nam, qui corde non conver„ titur, quid prodest ei si peccata confitea„ tur? Peccatum, quod diligitur confitendo „ minimè deletur &c. unde & salubriter „ confiteri volentibus Scriptura insinuat, „ dicens: Corde creditur ad justitiam, ore „ autem confessio fit ad salutem; quid est corde „ credere ad justitiam, nisi voluntatem di„ rigere ad fidem per dilectionem operan„ tem? cùm ergo quis cordis intentionem „ ad justitiam per amorem dirigit, per ini„ tium bonæ voluntatis, fructum habet bo„ næ conscientiæ --

RESP. negando subsumptam propositionem, quam probari non videmus inducta auctoritate; utique & nos concedimus non converso ex corde non prodesse confiteri peccata: sed verè attriti cor avertant a peccato,

Attritio intentione charitatem acquirere.

cato, ergo illis prodest confessio. Et nos fatemur corde credentem ad justitiam voluntatem dirigere ad fidem operantem per dilectionem; sed qui verè attriti accedunt ad Sacramentum intendunt acquirere charitatem, qua justificentur; ergo credunt ad justitiam. Unde ergo probatur ante susceptionem Sacramenti necessariam esse dilectionem prævié disponantem.

Quando verò subdit Gregorius — Cum „ ergo quis cordis intentionem ad justitiam „ per amorem dirigit — Pro amore non intelligit actum amoris, sed desiderium charitatis, quæ inducit justificationem, & ita „ esse patet ex sequentibus — Per initium „ bonæ voluntatis fructum habet bonæ con„ versionis — Initium bonæ voluntatis non est ipsa charitas. Charitas enim est finis bonæ voluntatis, seu consummatio, cum ergo attriti desiderent per Sacramentum habere, seu consequi charitatem, per cujus infusionem datur justificatio, sequitur per amorem eos dirigere intentionem cordis ad justitiam, ac proinde obtinere fructum bonæ conversionis.

30 INSTABIS. Pro initio bonæ voluntatis, & pro amore dirigente intentionem intelligit verum actum charitatis, sine qua non retrahitur voluntas a peccato per ipsum Gregorium. Audi loquentem 3. *P. curæ Pastoralis admonit.* 14. Si adhùc a prava actio„ ne formidata pœna prohibet, profectò „ formidantis animum nulla spiritus liber„ tas tenet; nam si pœnam non metueret „ culpam procul-dubio perpetraret: bona „ pro semetipsis amanda sunt, & non pœ„ nis compellentibus exequenda; Nam qui „ propterea bonum facit, quia tormento„ rum mala metuit, vult non esse quod me„ tuat, ut audacter illicita committat. „ Unde hùc clariùs constat, quod coram Deo „ innocentia amittitur, ante cujus ocu„ los desiderio peccatur — En qualiter metus pœnarum actum internum peccati non tollit. Idem Castoriensis *cap.* 5.

Auctoritas hæc, quam pluris facit arguens, non est ad rem; sive verba attendamus, sive contextum, ex quo legitimus sensus deprehenditur: Si verba attendamus: Non loquitur de metu absoluto, de quo nos, sed de illo servili omninò, & conditionato, involvente revera voluntatem peccandi: & ideo de timore habente pro ultimo fine fugam pœnæ: nos verò solùm volumus pœnam esse motivum proximum impellens ad odium peccati, non autem ultimum finem.

Si contextum attendamus. Loquitur expressè de pœnis temporalibus: ibi S. Doctor instruit Pastores, quomodo debent admonere Fideles, qui timent flagella, & induratos, qui flagellis non moventur. Contra hos secundos docet acritèr esse invehendum; Primos docet per hos gradus esse dulciter promovendos scilicet, ut veraciùs æterna timeant supplicia, quam temporalia, ut transeant a timore ad amorem, in quo consistit perfectio, quia status legis novæ est dilectionis, accipe verba immediatè præcedentia — Ali„ ter admonendi, qui flagella metuunt &c. „ admonendi sunt, ut si malis veraciter „ carere desiderant, æterna supplicia per„ horrescant, neque in hoc suppliciorum „ timore remaneant, sed ad amoris gratiam „ nutrimento charitatis excrescant. Scrip„ tum quippè est perfecta charitas foras „ mittit timorem: & rursùm scriptum est: „ non accepistis spiritum servitutis iterùm „ in timore, sed spiritum adoptionis filio„ rum, in quo clamamus Abba Pater. Un„ de idem Doctor iterùm dicit, ubi spiritus „ Domini, ibi libertas. Si ergo adhùc a „ prava actione &c. — Ex his principiis: Quod scilicet veraciter malis est perhorrescere æterna supplicia: Quod ascendendum est ad charitatem, quia status legis novæ est status libertatis, & non servitutis, sicut erat lex vetus; deducit, metum temporalium non auferre voluntatem peccandi: Nulla teneri libertate, sicut nulla retinebantur timentes temporalia flagella in lege veteri, quæ erat servitutis. Hanc credo sinceram Doctoris mentem.

31 URGEBIS. Docet Gregorius, neminem a peccato recedere, qui ne illud committat, se solo constringit timore, *lib.* 1. *cap.* 11. *Moral.* — Quia Sancta electorum „ Ecclesia simplicitatis suæ, & rectitudinis „ vias timore inchoat, sed charitate con„ summat: cui tunc est funditùs a malo rece„ dere, cum ex amore Dei cœperit jam nolle „ peccare. Cum verò adhuc timore bona „ agit a malo penitùs non recessit: quia eo „ ipso peccat, quo peccare vellet si inultè „ potuisset — Ecce solo amore incipit homo nolle peccare: ecce solo timore non recedit a malo: ecce sub metu latet actualis voluntas mali.

RESP. negando antecedens, quod non evincit inducta auctoritas. Expendamus eam — Ecclesia electorum simplicitatis suæ, „ & rectitudinis vias timore inchoat — ergo timor excludit voluntatem peccandi; nam via rectitudinis non incipitur, ubi est voluntas peccandi, & multò minùs via simplicitatis — Sed charitate consummat — idest, quod timor incœpit: sed charitas non consummat voluntatem peccandi, nec quod ab ea oritur, ergo non supponitur voluntas peccandi in ea via, quam charitas perficit. Quæ via est timor — Cui tunc est funditùs „ a malo recedere — Funditùs, idest totaliter. Perfectè recedit a peccato, qui ex amore fugit, ergo absque amore recedi a peccato supponitur, aliàs non deberet dici funditùs recedit, sed primò, sed absolutè: Terminus ille funditùs habet vim superlativi, qui supponit suum positivum: Sensus legitimus est: Quando quis ex amore incipit nolle peccare, tunc funditùs, idest perfectè, & consummatè recedit a peccato — Cum „ verò timore adhùc bona agit a malo peni„ tùs non recessit — Illud penitùs, ut patet, est terminus superlativus, & significat, non totaliter, non perfectè, non consummatè; Supponitque absolutè, & simpliciter recedi — „ Quia eo ipso peccat, quo peccare vellet, „ si inultè potuisset — In hac causali tota difficultas consistit; videtur enim admittere peccatum actuale in timente: Verùm si hoc dicatur, cogimur admittere apertè pugnantia in contextu: qui peccat actualiter, certè non incipit viam rectitudinis: certè

certè non agit bona: & tamen utrumque
tribuit timori S. Doctor immediatè præce- A
dentibus.

Certè, qui actualiter peccat non rece-
dit a malo, & tamen immediatè sequitur --
,, Rectè ergo cum timere Deum Job dici-
,, tur, recedere etiam a malo perhibetur --
Ubi advertenda est emphasis illius locutio-
nis, recedere etiam a malo, quæ sonat ab-
solutum recessum, & clariùs explicatur se-
quentibus -- Quia dum metum charitas se-
,, quitur, ea, quæ metu relinquitur, etiam
,, per cogitationis propositum culpa calca-
,, tur -- Perpende metus culpam relinquit,
& fugit, charitas eam calcat. Sed adhùc
clariùs sequentibus -- Et quia ex timore B
,, unumquodque vitium premitur, ex cha-
,, ritate autem virtutes oriuntur rectè sub-
,, jungitur, &c. -- Premit ergo vitium
omne, timor: Non ergo fine intelligentia
tanto Doctore indigna causalis illa ad actua-
le peccatum trahitur.

Itaque est modus dicendi explicans re-
cessum non consummatum a peccato: Ti-
mor premit vitium, & comprimit volunta-
tem peccandi, non tollit habitualem con-
versionem ad bonum commutabile, ac per
consequens remanet inclinatio in actu primò
ad peccandum, & exiret in actum, nisi ti-
meret, tamen non exit: Et hoc est, eo ipso C
peccat, quo peccata vellet: idest habet actu
inclinationem in actu primo ad illud, quod
voluisset, nisi timore retineretur.

32 Replicabis ex Castoriensi *cap.* 5. re-
cedere a peccato absolutè est converti, sed
ad veram conversionem postulari, & odium
peccati, & amorem super omnia Dei dilecti
docet Gregorius: ergo solo timore a pecca-
to absolutè non receditur. Min. prob. ar-
guens afferendo longum textum ex 1. Reg. 2.
ad illum vers. *Ut offerant nummum argenteum*.
Ex quo deinde colligis sequentes Propositio-
nes, quas curabo efformare ex verbis Sancti
Pontificis. D

I. In sincera conversione requiritur in-
stauratio imaginis Dei -- Si inemendata, &
,, incorrepta interiùs pulchritudine bonæ
,, voluntatis, luce Dei imaginis nequaquam
,, radiare cognoscitur -- II. Imago Dei in
hoc posita est -- Inclito odio malum odire,
,, & amore perfecto Deum diligere -- III.
Hæc Imago curari debet ab iis, quos de
peccatis pœnitet -- Quatenus sumpto splen-
,, dore bonæ voluntatis perfectæ oderit ma-
,, lum, quod fecit, & bonum integro amo-
,, re diligat, quod neglexerit -- IV. Con-
versio peccatoris non est in humilitate con-
fessionis -- Sed in renovatione interioris E
,, hominis cùm peccatori jam divina inspi-
,, ratione correcto, & malum displicet,
,, quod amavit, & bonum placat, quod
,, odit -- V. Vera conversio in ore non
,, accipitur, sed in corde. Converti enim
,, simul verti est -- VI. Conversio itaque
,, peccatoris vera tunc est, cum ad Crea-
,, toris nostri beneplacitum uterque noster
,, homo reducitur; cum & caro nostra per
,, iniquitatis odium cohibetur a perpetratio-
,, ne facinoris, & per amorem Justitiæ mens
,, se extendit ad intentionem bonæ operatio-
,, nis -- VII. Quia ex vi conversionis ma-

,, gnitudo deletur criminis, vis autem con-
,, versionis est affectio charitatis cordi in-
,, fusæ visitatione Sancti Spiritus -- Putat
his propositionibus se palmam abstulisse ar-
guens.

Verùm non est multum immorandum
in hoc textu, nedùm, quia in eo nulla men-
tio metus, nulla particula restrictiva, v. g.
sola charitas &c. ac proindè concludi non
potest ergo timor actualiter non avertit vo-
luntatem a peccato: sed quia ad rem non
est: describit enim hic conversionem perfe-
ctam, & consummatam per justificationem
completam, ùt patet ex phrasibus, quæ sunt
consimiles iis, quibus utitur Concil. Trid.
Sess. 6. cap. 7.

Utique conversio perfecta requirit re-
staurationem Imaginis Dei, quæ non in
actuali amore Dei, sed in habituali, quæ est
gratia, consistit. Innovationem interiorem
hominis actualem, & habitualem, infusio-
nem charitatis, remissionem peccatorum,
displicentiam peccati, & complacentiam
boni &c. Hæc omnia concedimus. Quod
contendimus est, an metus gehennæ Dei
gratia concipi possit ita efficax, quod exclu-
dat voluntatem peccandi actualem, & di-
sponat ad recipiendam gratiam justificatio-
nis in Sacramento mortuorum. Quod utiq.
non improbat his S. Doctor.

Perfecta conversio reparat Dei imaginem.

33 OB. III. Si sola charitas retrahit a
peccato, metus gehennæ non sufficit, sed
sola charitas retrahit teste Bern. *Epist.* 11. --
,, Quare puto de illa dictum (scilicet cha-
,, ritate) lex Domini immaculata conver-
,, tens animas, quod sola videlicet sit, quæ
,, ab amore sui, & mundi avertere possit
,, animum, & in Deum dirigere. Nec ti-
,, mor quippe, nec amor privatus convertit
,, animam; Mutat interdùm vultum, vel
,, actum, affectum nunquam -- En ratio,
quam tangit ibidem Doctor -- Quidquid
,, propter aliud amas, id planè amas, quo
,, amoris finis prætendit -- Sed qui fugit a
peccato propter pœnam, pro fine habet
commodum suum, ergo habet affectum in
bonum commutabile. Idem Castoriensis *c.* 1.
Consensoque &c.

RESP. negando antecedens, nec Ber-
nardus oppositum sentit loquendo de retra-
ctatione a voluntate actuali: Agens enim
de timore servili ex metu gehennæ plurima
in laudem ejus congerit *Serm* 4. *lib. de modo
benè vivendi ad Sororem*: Docet cum August.
hominem timore gehennæ recedere a pecca-
to, bona facere, aitque -- Soror venerabilis
,, bonum est nobis timere Deum, quia ti-
,, mor Domini expellit peccatum -- Timor
Domini est initium dilectionis ejus -- O So-
,, ror dilecta, nulla res sic nos a peccato
,, custodit immones, sicut timor Inferni, &
,, amor Dei &c. custodiunt mandata Dei.
,, Qui timent Dominum, custodiunt man-
,, data ejus --

Bernardus plurima in laudem timoris servilis adducit.

Quare in ea sententia loquitur de con-
versione perfecta, qua homo avertitur a bo-
no commutabili ad Deum, tanquam ad ul-
timum finem etiam habitualem, ùt ex verbis
patet -- Ab amore mundi avertere possit,
,, & in Deum dirigere -- Hanc autem con-
versionem non facit utique nec timor, nec
amor

amur privatus: Quando verò afferit timorem non mutare affectum, pro affectu intelligit non complacentiam actualem, quia timor per ipsum mutat actum, sed habitualem. Nec subjecta ratio concludit: nam incolumitas propria licitè amari potest, & in ea tanquam in fine *cui*, sistere possumus: Spes enim, & concupiscentiæ amor boni sunt actus, nisi aliandè vitientur.

34 DICES. Si timor excluderet voluntatem peccandi, timentes pervenire possent ad æternæ veritatis contemplationem, & fruitionem: illi enim, a quorum cordibus ea voluntas exulat, sub Deo justo in æternum miseri esse non possunt: sed ea D. Bernardo *Ser. 3. de diversis* -- Nec mercenarius rapi-
,, tur ad contemplandam veritatem, qui
,, propriam quærit utilitatem &c. & qui ti-
,, met ire ad portas inferi, & qui Deum
,, cupit videre propter quietem sui, uterque
,, profectò quærit, quæ sua sunt: porrò,
,, qui Psalmos desiderat cantare in Domo
,, Domini non sua, vel pericula fugit, vel
,, lucra appetit, sed illum procul-dubio
,, diligit, quem laudare gestit cunctis diebus
,, vitæ suæ --

RESP. negando majorem, non enim sufficit, ut quis Deo fruatur, quod actu careat voluntate peccandi, nisi saltem habitualiter sit in charitate, seu gratia: Hæc enim fons est salientis aquæ in vitam æternam. Utique verum est timentes pœnas Inferni, & cupientes videre Deum propter sui commodum, quærere, quæ sua sunt: sed quid mali in hoc? Spes, & amor concupiscentiæ actus boni sunt.

Ex Trident. actus propter supernaturalem mercedē bonus.

Adimplere mandata Dei propter mercedem docet Scriptura: actum propter mercedem supernaturalem bonum esse, & utilem tradit Trident. *Sess. 6. Can.* 31. Christus *Matth.* 19. vitam æternam benè agentibus usque in finem promittit. Nec ostenderur Bernardum unquam aliter sensisse. Equidem verum est, quod solo amore concupiscentiæ nullus gratiam, & gloriam consequitur quia sola charitas justificat antesacramentaliter.

Insulter fanè. Idem eodem loco ad idem inducit simile Bernardi assertum ex *Sermo 8. de diversis* -- Neque enim suum ali-
,, quid, non felicitatem, non gloriam, non
,, aliud quidquam tanquam privato sui ip-
,, sius amore desiderat anima, quæ hujus-
,, modi est: sed tota pergit in Deum, uni-
,, cumque ei, ac perfectum desiderium est,
,, ut introducat eam Rex in cubiculum
,, suum, ut ipsi adhæreat, ipso fruatur --
Hic enim Mellifluus describit animam non ampliùs lactentem, ac timentem, sed provectam, sed perfectam, ùt contextus indicat.

De lactentibus, & parvulis: En quid dicit ibidem -- Timor ejus necessarius &c.
,, Timor enim Domini, ùt ait Scriptura ex-
,, pellit peccatum, sive quod jam admissum
,, est, sive quod tentat intrare: Expellit
,, fanè, illud quidem pœnitendo, hoc re-
,, sistendo --

De peccatoribus timentibus Deum: Accipe, quæ ibidem -- Jam verò secundo statu
,, incipit esse sub Domino, qui tanquam
,, servus timet carcerem, & metuit ne su-
,, bigatur pœnis, in quo scilicet statu, con-
,, versio, & exitus a seculo, & introitus
,, vitæ: unde & legis initium Sapientiæ
,, Timor Domini, & alius quidem Prophe-
,, ta, a timore, loquir, tuo concepimus,
,, & parturivimus spiritum salutis -- Agnoscit ergo Doctor vim retrahendi a peccato in timore.

Commentum verò illud, quod ex suo subjicit arguens, certè ad rem non est: Non posse videlicet timorem excludere voluntatem peccandi, (quia & spes mercenaria, & timor servilis gehennæ quærunt, quæ sua sunt, & non quæ Jesu Christi; utrumque enim Deo vult uti, ille quidem, ut propria commoda consequatur, iste verò, ut meritas pœnas evadat: utrumque verò de Dei honore, & gloria minimè solicitum; quod est profectò Deo uti, & seipso frui velle, quod est detestandæ perversitatis) Sufficit contra illud commentum Sedis Apostolicæ Oraculum damnans triginta, & unam propositionas in Decreto Alexandri VIII., in quo *Num.* 9. habetur -- Revera peccat, qui
,, odio habet peccatum merè ob ejus tur-
,, pitudinem, & disconvenientiam cum na-
,, tura sine ullo ad Deum offensum respe-
,, ctu --

Num. 10. -- Intentio, qua quis detesta-
,, tur malum, & prosequitur bonum, merè,
,, ut cœlestem obtineat gloriam non est re-
,, cta, nec Deo placens --

Num. 11. -- Quisquis etiam æternæ
,, mercedis intuitu Deo famulatur, charitate
,, si caruerit vitio non caret, quoties intui-
,, tu licet Beatitudinis operatur --

Non est ergo abuti Deo, nec perversitas detestanda. Consimilibus responsionibus solvuntur ad litteram cætera, quæ adducuntur ex Paulino, Fulgentio, Salesio, & Bighio, eandem omnes semitam calcant, nec vacat ulteriùs immorari in illis exponendis intellecta mente priorum, quos isti posteriores sequuntur.

§ V.

SOLVUNTUR ARGUMENTA PHILALETIS cap. I. Opusculi de Contritione.

35 OBJIC. IV. Actus originatus ab amore proprio non potest excludere voluntatem peccandi, cum sapiat vitium radicis; sed actus timoris ex gehenna originatur ab amore proprio, ergo non excludit voluntatem peccandi.

Castoriensis, & Lupus, ut impugnent efficacitatem attritionis contra peccandi voluntatem, & sufficientiam dispositionis in Sacramento, eam viam calcant, ut velint eum actum habere servilitatem malam, quia procedit ab amore proprio: Philaletes vult amorem proprium carere malitia morali; asserit tamen omnem actum ex eo procedentem esse peccatum mortale, quia stante defectu voluntario justitiæ sistit in bono proprio tanquam in ultimo fine; Constanterque tenet Juniores lapsos esse, cum tenuerunt timore posse separari omne actuale peccatum: Hæc diver-

diversis prosequitur paragraphis.

Mihi non vacat difficultatem hanc expendere: Longioris laboris est, & in praesenti supponi debet attritionem puram non esse malam in peccatore; Concilium enim Tridentinum expressè statuit hanc veritatem contrà Lutherum *Sess. 14. cap. 4., & Can. 5.* ipse Philaletes *num.* 8. fatetur esse a Spiritu Sancto oriente amore naturali. Vellemus autem discere, a quo tempore actus ex motione Spiritus Sancti sit peccatum mortale.

Alexander VIII. in suo Decreto *num.* 15. damnavit hanc propositionem — Attritio, „ quae gehennae, & poenarum metu concipitur sine dilectione benevolentiae Dei „ propter se non est bonus motus, ac supernaturalis — Et *num.* 8. conceptam — Necesse est infidelem in omni opere peccare — Et ita esset in principio Philaletis, deesset enim in illis justitia, qua actus referuntur in Deum, adeòque fiunt in amore proprio, quem esse malum ex sua natura, & per se asserere, est rectitudinem naturae damnare, dicit enim, & demonstrat Angelicus 1. 2. *q.* 29. *art.* 4. — Necesse est, quod aliquis amet seipsum, & impossibile est, „ quod aliquis odiat seipsum per se loquendo — Et Augustinus *lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 23, *&* 26. — Id quod nos sumus, & quod infra nos est, idest animam, „ & corpus nostrum inconcussa lege naturae „ diligimus — Est damnare divinam legem, qua praecipimur universali principio synderesis, & Doctrina Evangelica regulare amorem proximi ex amore proprio nostrum, & Ecclesi. 14. audimus. *Qui sibi nequam, cui bonus erit*. Est redarguere Scriptura toties suadentem timorem poenarum, qui semper, prout talis, ex amore proprio procedit: est quidem amor proprius fons omnis peccati si inordinatus sit, idest quando illum applicat voluntas, ut sit in actu exercito appetendi bonum inordinatum. Qui cupit sibi satisfacere de his, plenè videat Salmat. Nostros *de ultimo fine tract.* 8. *disp.* 4. *dub.* 3. *per totum*. His enim praelibatis sufficientissimè corruit argumentum.

Asserere Juniorum lapsum esse, quod timor possit excludere omne peccatum actuale nimium est. Innituntur Juniores Scripturis, & SS. Patrum doctrinis, quas supra dedimus: innituntur Trident. *Sess.* 14. *c.* 4. ubi attritionem, si excludat voluntatem peccandi, vocat donum Dei, actum bonum, & loquitur Sacra Synodus de attritione pura, non includente amorem, nec praeveniente ad illum. Tum quia contradistinguit dolorem provenientem ex metu gehennae a dolore proveniente ex amore: tum quia agit de motu a Spiritu Sancto nondum inhabitante: tum quia agit de dolore per se non afferente justificationem: tum & potissimè, quia agit de attritione, quam impugnat Lutherus, ipse autem impugnat attritionem puram, & sine dilectione.

Illa verò particula. *Si voluntatem peccandi excludat*. Supponit pro certo aliquando excludere, aliàs decisio doctrinalis non esset: In re doctrinali, & practica, pro qua congregati sunt Patres, statuere decretum super hypothesim impossibilem; & vi illius litem

Trid. supponit attritionē excludere voluntatem peccandi.

facere cum hostibus fidei perfectò abs re fuisset. Agit Sacer Coetus de attritione impugnata a Luthero, & quae in usu fidelium quotidiano est — Attritio &c. vel ex metu „ gehennae, & poenarum communiter concipitur — Quae concipitur communiter, ait: non igitur loquitur in sensu Metaphysico, sed Obvio. Si includat illam voluntatem, declarat esse donum Dei, & actum bonum illam attritionem.

Ulteriùs absque ulla clausula, & absolutè *Can.* 5. pronunciat definitivè esse actum bonum, ergo supponit regulariter, & in usu, voluntatem illam exclusivam &c. includere.

Hanc includere manifestè supponitur ab Alexandro VII. in Decreto de hac re superiùs citato, cùm ait — An illa attritio, quae „ concipitur ex metu gehennae excludens „ voluntatem peccandi cum spe veniae ad „ impetrandam gratiam in Sacramento Poenitentiae requirat insuper aliquem actum „ dilectionis Dei — Supponit ergo excludere voluntatem peccandi, quoniam cardo altercationis, de qua agit, an requiratur amor aliquis, versatur circa attritionem excludentem voluntatem peccandi.

Idem supponit Alex VII. in suo Decreto.

36 DICES. Nihil tollitur nisi per suum contrarium: sed fuga propter poenam non opponitur amori peccati secundùm se: ergo fuga propter poenam non tollit amorem peccati secundùm se.

Superiùs fecimus satis huic instantiae, quae I. retorquetur ad hominem contra fugam ex dilectione, quae directè non opponitur amori peccati secundùm se. II. Malitia peccati secundùm se, trahit ad gehennam, est enim mala moraliter, ergo ei opponitur fuga propter poenam. III. Etiam si directè malitiae secundùm se non opponatur fuga propter poenam, sufficit, ut sit indispensabiliter connexa cum eo, quòd opponitur directè timori, ut efficaciter non appetatur, seu ejiciatur ab efficaciter fugiente gehennam.

37 INSTABIS. Potest aliquid displicere efficaciter propter circumstantiam, & placere secundùm se, ut Mercatori displicet efficaciter retentio merces in circumstantia naufragii, & placent merces secundùm se; sed gehenna est circumstantia consequens peccatum: ergo potest displicere peccatum propter gehennam, & placere secundùm se.

RESP. retorquendo argumentum. Offensa Dei est circumstantia consequens peccatum, cum non sit primaria ratio constitutiva peccati: ergo, qui odit peccatum propter offensam placet ei peccatum secundùm se.

Nego ergo maj. Si res secundùm se habet idem motivum displicentiae, ac habet sub circumstantia. Peccatum verò secundùm se habet idem motivum mali moralis trahentis ad gehennam. Et si projectio merces secundùm se esset causa naufragii, etiam secundùm se displiceret. Falsum quoque est gehennam esse circumstantiam peccati, est enim reatus poenae intrinsecus culpae, & gehenna sequitur peccatum, ut retributio debita iniquitati.

Gehenna non est circumstantia peccati.

38 URGEBIS. Non potest odio haberi pec-

peccatum secundùm se , nisi odio habeatur defformitas ad legem , cui opponitur peccatum ; sed metus gehennæ non odio habet defformitatem ad legem ; nam non potest odio haberi defformitas, nisi ametur conformitas : & timor gehennæ non procedit ex amore conformitatis : ergo .

Retorquetur argumentum . Peccatum secundùm se dicit defformitatem ad legem . Sed odium propter amabilitatem Dei non descendit directè ex amore conformitatis ad legem , ergo sub illo odio placet peccatum secundùm se .

In peccato itaque sunt plures deordinationes , sicut superiùs notavi , quarum aliquæ opponuntur uni bono, vel rectitudini, aliæ alteri : vel ergo arguens ad abolendam omnem complacentiam peccati exigit detestationem cujuslibet deordinationis explicitè , & urget argumentum contrà ipsum ; vel exigit detestationem unius expresse , & aliarum connexivè , & nihil urget contrà nos .

39 REPLICABIS. Eo modo fugiendum est malum , quo amandum est bonum ; sed bonum propter se tale non est amandum propter aliud, ergo quod est malum propter se , non est fugiendum propter aliud ; sed peccatum est malum propter se , ergo non est fugiendum propter gehennam. Min. principalis declaratur . Peccat, qui inordinatè utitur medio tanquam fine , sed qui amat propter aliud, quod est bonum propter se , inordinatè utitur medio tanquam fine , ergo &c.

URGET instantia contrà Evangelium, & Christi doctrinam , qua instruimur , ut exerceamus opera misericordiæ propter Deum, & propter æternæ gloriæ mercedem ; cum tamen opera misericordiæ sint propter se bona , & propter se amabilia . Urget contrà Philosophiam, & Theologiam moralem , quæ docet licitum esse uti una re , quæ in una serie habet rationem finis , ùt medio in alia serie : aliàs non liceret uti libro ad acquirendam pecuniam media venditione ad subveniendum fami, cum finis libri sit studium . Urget contrà arguentem , quia non liceret odisse peccatum propter Deum , quia peccatum est propter se malum, etiamsi Deus non esset . Solùm ergo probat argumentum, quod possimus bonum amare propter se , & malum odisse propter se : Non autem quod teneamur amare propter se tantùm . Quod bonum est propter varios respectus , secundùm quemlibet est amabile. Deus ipse, qui est omnino summum bonum , quia habet respectum ultimi finis , summi boni beatificantis , amabilis est , quia beatificans , & quia super omnia diligibilis .

40 SUBSUMES . Licèt non sit perversio amare bonum propter amorem boni , & malum fugere propter amorem boni, est tamen perversio amare bonum propter timorem mali ; sed qui fugit peccatum propter gehennam , amat bonum propter timorem mali, bonum enim est a peccatis abstinere : ergo. Maj. declaratur. Ordo rationis consistit in eo , quod fuga mali sit ex amore boni, & ideò amor est prima passio, & primus actus : non autem quod amor boni sit ex fuga mali .

RESP. neg. suppositum . Non enim , qui fugit peccatum propter gehennam, amat bonum propter timorem mali, sed è contrà :
A Qui enim timet gehennam , & inde a peccato fugit, ideo timet gehennam , quia amat bonum, & commodum suum ordinatè, quod læditur a gehenna . En rectus ordo : quia homo vult sui incolumitatem refugit pœnam ; sed quia pœna nequit evitari , nisi deseratur peccatum , ideò eligit fugere a peccato .

41 SUBDES . Sed in hoc est perversitas , ut ametur abstinentia a peccato , quæ est bonum morale ad evitandum malum physicum : Cum bonum ordinis superioris proximè ordinetur ad ordinem inferiorem .

B Ergo erit inordinatum facere eleemosynam pro acquirenda gloria cœlesti . Eleemosyna enim bonum morale est , gloria bonum physicum . Justus ergo Judex Deus perversè aget in judicio , cùm dabit gloriam iis,qui potum dederunt minimis suis sitientibus . Non est inordinatum , quod est juxta legem Dei statuentis pœnam peccatis , mercedem bonis operibus , & suadentis nobis , ut fugiamus peccatum , ne incurramus pœnam , ut benè agamus , ut mercedem habeamus .

42 OB. V. Timor, quo timetur pœna, servilis est , sed timor servilis est malus ,
C ergo timor pœnæ est malus . Major est Divi Thomæ 2. 2. q. 19. *art.* 2. Minor est ejusdem ibidem *art.* 4. ubi -- Respondeo dicen-
„ dum , quod timor servilis ex parte servi-
„ litatis habet , quod sit malus , servitus
„ enim libertati opponitur , unde cum li-
„ ber sit , qui causa sui est : ut dicitur 1.
„ *Metaph.* servus est, qui non causa sui ope-
„ ratur --

RESP. negando minor. Quæ est expressa mens D. Th. in illo *art.* 2. ubi dicit --
„ Quandoque autem homo propter mala , *Timor servilis per D.Th est bonus .*
„ quæ timet ad Deum convertitur, & inhæ-
„ ret : Quandoquidem malum est duplex ,
D „ scilicet malum pœnæ , & malum culpæ ,
„ si ergo aliquis convertatur ad Deum , &
„ ei inhæreat propter timorem pœnæ erit
„ timor servilis -- Sed per actum malum nullus convertitur ad Deum , & ei inhæret, ergo timor servilis non est malus . Aliam dedimus supra auctoritatem ex *art.* 7. ubi dicit per timorem hominem a peccato discedere , & aliam ex 1. 2. *q.* 43. *art.* 1. *ad* 1. ubi dicit per timorem pœnæ servari mandata , si autem ipse timor est peccatum certè mandata non servantur .

Addo nunc aliam ex 3. *Sent. distin.* 34. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. *ad* 2. ubi respondens ar-
E gumento intendenti probare timorem servilem esse malum , quia ex amore libidinoso procedens, dicit -- Dicendum , quod actus
„ timoris servilis,quando bonus est, non est
„ ex amore gratuito, neque ex amore libidi-
„ noso , sed ex amore naturali , quo quis
„ vult consistentiam , & benè esse sui subje-
„ cti : & ideò horret omnem pœnam , sive
„ quam experientia docet , sicut in timore
„ naturali, sive quam fides demonstrat, sicut
„ in servili -- Non ergo sentit D. Th. timorem servilem malum esse .

43 DICES . Timor habens annexam voluntatem peccandi est simpliciter malus ,

Kee sed

sed timor servilis habet annexam voluntatem peccandi: ergo. Minor probatur ex Angelico *loco cit.* Et *art.* 9. ubi inquirens, an timor donum sit Spiritus Sancti resolvit -- „ Similiter etiam timor servilis non est numerandus inter septem dona Spiritus „ Sancti. Licèt sit a Spiritu Sancto, quia „ ùt August. dicit *in lib. de Natura, & Gratia* potest habere annexam voluntatem „ peccandi. Dona autem Spiritus Sancti „ non possunt esse cum voluntate peccati: „ quia non sunt sine charitate, ùt dictum „ est --

Timor servilis est a Spiritu Sancto.

RESP. Implicare in terminis timorem servilem esse a Spiritu Sancto, & esse actum malum: quæ enim a Spiritu Sancto sunt, bona sunt; desuper enim non venit, nisi bonum: Non ergo timor servilis quicumque habet annexam voluntatem peccandi actualem; actualem dixi, quia habitualem, qua homo posita carentia gratiæ sistit in bono commutabili negativè, non inficias imus. Sed hæc, nec propriè vocatur voluntas peccandi, nec est formaliter mala: Non ergo timorem quemcumque, dixi: non enim negamus aliquando posse conjungi voluntatem peccandi actualem cum timore, sed tunc non erit absolutus, & efficax. Rectè autem negat D.Th. esse donum Sancti Spiritus propter habitualem dictam voluntatem, quæ non potest reperiri in eo, qui habet charitatem habitualem, sine qua non stat donum Sancti Spiritus in proprietate.

Quare D.Th. neget timorē servilem esse donum Spiritus Sancti.

44 INSTABIS. Licèt timor servilis non includat voluntatem peccandi consequentem includit voluntatem tamen antecedentem; sed voluntas antecedens peccandi formaliter est mala: ergo timor servilis est malus. Maj. videtur in terminis D. Thomæ 1. 2. *quæst.* 6. *art.* 7. *ad* 2. his -- Dicendum, quod in eo, „ qui per metum aliquid agit, manet repugnantia voluntatis ad id, quod agitur, secundùm quod in se consideratur: sed in „ eo, qui agit aliquid per concupiscentiam, „ sicut est incontinens, non manet prior voluntas, qua repudiabat illud, quod concupiscitur, sed mutatur ad volendum id „ quod prius repudiabat. Et ideò quod per „ metum agitur, quodamodò est involuntarium, sed quod per concupiscentiam „ agitur, nullo modo. Nam incontinens „ concupiscentiæ agit contrà id, quod priùs „ proponebat, non autem contrà quod nunc „ vult. Sed timidus agit contra id, quod „ etiam nunc secundùm se vult -- Quid clariùs? Sic Philaletes §. 3. *c.* 1.

45 Libenter peterem ab arguente, an admittat D. Thomam sibi, ùt ait, carissimum in hoc loco contradictoria statuere dictis in articulo immediatè antecedenti: si velit Sanctum Doctorem sibi contradicere, statim non curamus de ejus argumento; Si negat contradictionem, ùt est neganda, tenetur solvere auctoritatem *ad* 3. *ibidem art.* 6. Ubi sibi opponit non esse absolutè, & simpliciter voluntarium, sed involuntarium, quod per metum agitur, quia sub conditione agitur, scilicèt ut vitetur malum, quod timetur, cui sic respondet -- Dicendum quod „ illud, quod per metum agitur absque „ conditione, est voluntarium, idest secundùm quod actu agitur: sed involuntarium „ est sub conditione, idest si talis metus „ non immineret, unde secundùm illam rationem magis potest concludi oppositum -- Non ergo actu stante suppositione conditionis involuntarium est id, quod agitur per metum, sed esset, si conditio abesset.

Et hoc est velle nunc rem secundùm se: Si verò res volita secundùm se ùt volita secundùm se esset inductiva illius pœnæ, seu mali, quod timeo, tunc nec remanet in timente illa volitio rei secundùm se. Explicui superiùs exemplo projicientis merces, explico alia doctrina proportionali.

46 URGEBIS. Aliud est timorem servilem esse malum, & causam peccati, aliud est operantem ex timore servili peccare, & habere annexam voluntatem peccandi: Primum est falsum, non enim timor servilis est per se malus, vel causa peccati: Secundum est verum, & intenditur ab Augustino, & D. Th. prædictis testibus.

Confirmatur. Peccat operans non solùm malum agens, sed etiam bonum agens, sed non benè, sed qui operatur timore pœnæ, bonum agit, sed non bene, ergo. Min. probatur ex Glosa desumpta ab August. ad *cap.* 8. *ad Rom.* -- Qui timore aliquid facit, „ & si bonum sit, quod facit, non tamen „ benè facit -- Et D. Thomas *in cap.* 8. *ad Rom.*, ubi loquens de timore servili, ait -- „ Unde & si per hujusmodi timorem aliquis „ bonum facit, non tamen benè facit, „ quia non facit spontè, sed coactus metu „ pœnæ; quod proprium est servorum --

RESP. nego min. in sensu nostro, qui loquimur de timore efficaci movente voluntatem in odium peccati; qui enim bonum agit ex metu gehennæ refugiendo a peccato, quod est unica causa incidendi in pœnam benè agit, sed non perfectè, quia non agit ex motivo excellentiori, & fortiori, videlicet charitatis. Glosam autem D. Augustini explicat ipse D. Thomas 2. 2. *quæst.* 19. *art.* 4. *ad* 1. ubi -- Dicendum, quod verbum illud „ Augustini intelligendum est de eo, qui „ facit aliquid timore servili in quantùm est „ servilis, ut scilicet non amet justitiam, „ sed solùm pœnam timeat -- ùt principale malum, & totale, sicut ex toto articulo constat. In hoc autem absque dubio est inordinatio, quæ ex modo operandi ponit ultimum finem positivè in bono creato. Cæterùm apud D. Augustinum non benè facere centiès stat pro non perfectè facere, idest meritoriè.

47 REPLICABIS. Tota ratio servilitatis ab Augustino, & D. Thoma ponitur in timore pœnæ sine amore justitiæ; sed omnis timor gehennæ est sine amore justitiæ, quia amor justitiæ est amor Dei super omnia, ergo nullus timor sine amore Dei excludit voluntatem peccandi.

RESP. Falsam esse min. de qua infra, & falsam esse maj. servilitatem totam ponit Doctor Angelicus in eo, quòd pœna timeatur tanquam principale malum, ac proindè ametur bonum proprium tanquam ultimus finis positivè. Videatur tota *art.* 4. citatus.

49 SUBSUMES. Sed attritio elicita

absque

absque amore a peccatore constituit ultimum finem in bono proprio, quia non habet relationem ad Deum, qui est finis ultimus, ergo habet adjunctam servilitatem.

RESP. Aliud est constituere ultimum finem in bono proprio, aliud est bonum proprium in peccatore propter carentiam gratiæ habitualis in Deum positivè non referri. In attrito bonum proprium non inspicitur tanquam ultimus finis positivè, sed inspicitur tanquam subjectum *cui*, seu finis *cui* negativè ad ulteriorem finem, seu præcisivè, non exclusivè. Sed de hoc videndi sunt Salmat. Nostri *de fine ultimo peccatoris*; aliunde etiam actus Attritionis secundùm se referuntur in Deum, sicut omnis alius actus bonus supernaturalis.

Attritus non respicit boni proprium ut ultimum finem positivè.

ARTICULUS SECUNDUS.

AN SCRIPTURIS PROBETUR SIMPLICEM ATTRITIONEM ESSE SUFFICIENTEM DISPOSITIONEM IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ AD PECCATORUM REMISSIONEM.

50 SCripturæ sunt Primarii fontes Catholicorum dogmatum, & per eas Catholica Ecclesia demonstrat a Christo Domino fuisse institutum Sacramentum Pœnitentiæ pro remittendis peccatis post Baptismum susceptum commissis, & ab iisdem conantur Doctores Orthodoxi eruere partes necessarias ad valorem illius Sacramenti. Una ex primariis partibus est dolor de peccatis secundùm sensum communem, ad quem probandum non est hic locus; & est res certa inter Catholicos. Hic inquirere opus est, an attritio simplex sit sufficiens dolor; & hoc ex Scripturis habeatur.

Simplicem attritionem dicimus detestationem peccatorum supernaturalem ex motivo gehennæ, vel beatitudinis æternæ, aut turpitudinis peccati absque formali actu dilectionis Dei super omnia, quam modo explicatam in superioribus inchoatam appellant Clarissimi, quos habemus, Adversarii.

Dicendum est, quod Scripturis probatur Christianam attritionem simplicem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ pro remissione peccatorum. Ostenditur primò. Quotquot sunt Ortodoxi agnoscunt institutum, & explicatum Sacramentum Pœnitentiæ per se *ex opere operato* remissivum peccatorum lethalium, & productivum gratiæ per se sanativæ a peccatis gravibus, & a quibuscumque aliis in illa Scriptura Joan. 20. 22. 23. *Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Ubi relictam in Ecclesia potestatem verè delendi judicialiter peccata certum est; Atqui ex eadem hac Scriptura legitima illatione, & quidem necessaria, simplicem attritionem esse sufficientem dolorem ad constituendum Sacramentum Pœnitentiæ colligitur. Ergo ita est afferendum.

Scripturis probatur simplicem attritionem sufficienter disponere ad remissionem peccatorum.

Assumptum demonstratur. Sacramentum per se institutum ad producendam per se primam gratiam debet posse saltem aliquando illam in actu producere; atqui si non sufficit nostra attritio nunquam, & in nullo casu potest primam gratiam in actu producere, sed semper supponeret productam, quia dolor de peccatis ex motivo divinæ dilectionis super omnia inchoatæ, ut vocant, justificat cum solo voto Sacramenti, ut solidissimè demonstratum est; ergo necesse est, quod sufficiat ex vi institutionis simplex attritio.

Profectò est injuriosum divinæ Providentiæ, & Sapientiæ, & sinceritati, quod ex professo instituerit artefactum in actu potens producere per se unum effectum, & quod jusserit eo artefacto uti ad eum finem, ut ille effectus in re producatur, & postea exegerit talem conditionem, sub qua nunquam possit illud artefactum in actum suum primarium, & per se vi suæ institutionis actu exire.

51 Firmatur vis argumenti. Quia ex hac Scriptura colligitur Sacramentum Pœnitentiæ esse institutum per modum judicii, infertur necessariò requiri actus ex parte Pœnitentis se accusantis. Ergo quia est institutum per modum judicii potestativè in actu per se reconciliantis hominem cum Deo, non debet ex necessitate supponere hominem Deo reconciliatum; Atqui si sufficiat nostra attritio debet semper ex necessitate supponere Deo hominem reconciliatum; nam qui est aversus efficaciter a creatura, & conversus ad Deum, tanquam ad ultimum finem revera super omnia dilectum est Deo reconciliatus, quia caret peccato actuali, & habituali, eo quòd peccatum est aversio a Deo ut ab ultimo fine: & ubi conversio est ad ultimum finem super omnia dilectum, necessè est, quod etiam habitualis affectio sit conversa ad eundem finem; aliàs non esset super omnia dilectus, si affectio habitualis, & primaria, ac potissima voluntatis non esset illi fini subordinata, sed altero fini primo illi contrario, illius destructivo, & ab eo abominato. Ubi verò est carentia peccati, ibi est gratia reconciliationis.

Roboratur argumentum. Quia illa Scriptura loquitur universaliter de peccatis, & personis, colligitur dubio-procul Sacramentum Pœnitentiæ complecti omnia peccata, omnes personas peccatis infectas pro quocumque statu, & tempora. Ergo quia universaliter loquitur de potestate remissiva in actu, debet posse saltem per se in omni casu, & tempore remittere in actu peccata, quia non omninò est natura hujus Sacramenti essentialis; Atqui si sufficiat nostra attritio, hoc non potest verificari, quia semper remissa supponeret. Nam in casu necessitatis dolor de peccatis ex motivo dilectionis super omnia prætensæ inchoatæ absq. actuali Sacramento justificat per nostros Adversarios: ergo semper, quia articulus mortis non variat naturam essentialem dilectionis, nec variat unitatem Sacramenti; ergo si in articulo necessitatis in voto justificat sub illa dilectione, extra articulum necessitatis in voto sub eadem justificat, ac per consequens si ea est conditio necessaria, dum actu confertur, semper supponitur justificatio.

Roboratur via argumenti. Quia ex illa Scriptura colligitur Sacramentum Pœnitentiæ esse medicinam sanativam coram Deo in forma judicii, infertur necessarium esse accusationem doloriferam coram Deo. Ergo quia ait judicium ex eadem Scriptura, quo reatus pœnæ æternæ commutatur in pœnam temporalem, & Judex sine satisfactione non vult crimen dimitti, sequitur sufficere accusationem doloriferam, quæ proveniat ex timore æternæ pœnæ, æternique judicii, æternique Judicis comminantis supplicium æternam peccantibus. Et hic dolor est consentaneus naturæ judicii jurisdictionalis, judicii tendentis ad vindicandam injuriam factam Judici, judicii translativi reatus æterni, judicii laboriosi.

52 Concluditur argumentum sic. Concilium Tridentinum de Sacramentis novæ legis habet *Sess.* 7. *Can.* 6. -- Si quis dixerit „ Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre; anathema sit -- *Et Can.* 7. -- Si quis „ dixerit non dari gratiam per hujusmodi „ Sacramenta semper, & omnibus quantum „ est ex parte Dei, etiam si ritè ea suscipiant, „ sed aliquando, & aliquibus; anathema „ sit. Obiter nota hic, quod Deus semper, & omnibus ex parte sui per Sacramenta largitur gratiam, quomodo ergo subsistit Doctrina Adversariorum, quod aliquibus scilicet moribundis, aliisque existentibus in necessitate non ponentibus obicem propter inchoatam charitatem, confert gratiam per Sacramentum in voto, & iisdem extra casum necessitatis non ponentibus obicem propter eandem inchoatam charitatem, non conferat gratiam usu ejusdem Sacramenti in voto.

Eugenius IV. in suo Decreto §. *De Sacramentis* dans disparitatem inter Sacramenta novæ, & veteris legis, habet -- Hæc verò „ nostra, & continent gratiam, & ipsam „ dignè suscipientibus conferunt -- Atqui Sacramentum Pœnitentiæ ex vi suæ institutionis est Sacramentum mortuorum, hoc est per se productivum primæ gratiæ, & remissivum peccatorum; & ideò ibidem ejus naturam explicans, habet -- Quod si per peccatum ægritudinem incurrimus animæ, „ & per pœnitentiam spiritualiter sanamur -- Et Tridentinum *Sess.* 14. *c.* 3. -- Sanè verò „ res, & effectus hujus Sacramenti quan„ tùm ad ejus vim, & efficaciam pertinet, „ reconciliatio est cum Deo -- Ergo dispositio ad ejus susceptionem de necessitate requisita debet componi cum posse practico productivo gratiæ remissivæ peccatorum per se loquendo.

Sed dolor de peccatis charitate perfectus, hoc est dilectione Dei super omnia constans, non componitur cum practica productione gratiæ remissivæ per se peccatorum, quia eodem Tridentino affirmante dolor ille sanctificat in voto Sacramenti absq. actuali susceptione: adeoque dum suscipitur cum eo dolore, non producit, nec potest producere primam gratiam. Sed de Doctrina Concilii Tridentini in sequenti articulo copiosiùs. Argumentum ab hac desumptum

Scriptura in hac materia est facilè demonstrativum; quia illatio posita sequitur directè ex visceribus, non minùs ac aliæ, quæ innegabiliter deducuntur a Theologis Catholicis. Ut tamen vis semper magis appareat subnecto, quod Adversarii reponunt.

53 RESP. ergo I. Adversarii ab omnibus argumentum esse solvendum, & sic arguunt: Non potest esse optima dispositio illa, qua Sacramentum redditur inutile; sed per omnes contritio perfecta reddit Sacramentum Pœnitentiæ infructuosum, quia impedit proprium effectum; ergo non potest esse optima dispositio: sed indubiè est optima dispositio, & certior; unde plures ex negantibus necessitatem amoris tenent pro assecuranda salute pœnitentem obligari ad contritionem pro suscipiendo Sacramento Pœnitentiæ in extremo vitæ. Castoriensis *pag. mihi* 387.

54 RESP. retorsionem non esse ad rem: Aliud enim est nunquam Sacramentum posse in actu producere suum effectum primarium, & hoc per se, & ex vi institutionis: aliud est, quandoque impediri ne exeat in primarium effectum, quia præsupponitur productus aliunde: primum est absurdum: quid enim magis contra rationem, contra sapientem providentiam, quam causam per se, & ex sua natura ordinatam ad effectum primarium producendum sibi debitum alligari tali conditioni, sub qua nunquam possit illum producere? Frustrà enim est virtus, quæ nunquam potest reduci ad actum.

Secundum nullam absurditatem involvit, suntque passim exempla, tum in ordine gratiæ, tum in ordine naturæ: contritio ergo est sufficiens dispositio, sed non est necessitatis, & sub contritione Sacramentum validum est, nec infructuosum, quia productam jam gratiam auget, & ideò optima dispositio, quia in voto Sacramenti justificat, & cum Sacramento justificationem radicat, & auget.

Probatio non urget: vel Doctores allegati in articulo mortis exigunt amorem in dolore pro validitate Sacramenti, vel pro satisfactione præcepti charitatis Dei tunc obligantis: si primum loquuntur inconsequenter, nam natura Sacramenti est semper eadem, nec Christus instituit duplicem essentiam, unam pro viæ statu, alteram pro mortis articulo, immò potiùs in morte deberet admitti attritio, quam in via, quia difficiliùs est in eo articulo concipere dolorem ex motivo divini amoris, quam ex motivo pœnarum: si verò secundum, sumus extrà statum controversiæ; non enim negamus obligationem, & necessitatem amoris, quando præceptum ex sua institutione, vel ex alia causa obligat, & urget.

55 RESP. II. Estius ibidem relatus, salvari essentiam Sacramenti mortuorum, quia dolor cum amore illa tollit, seu infert ablationem culpæ, non tamen tollit reatum pœnæ æternæ. Duplicem mortem incurrit homo per peccatum: animæ per gratiæ privationem, & salutis æternæ per reatum gehennæ: ablata prima morte per remissionem culpæ vi dilectionis, remanet auferenda secunda vi Sacramenti; & conferendo hanc

secun-

secundum vitam dicitur mortuorum Sacramentum; & eo suscepto homo verè est justificatus. Quidam autem Theologi Lovanienses exigunt amorem conversivum pro dispositione, sed asserunt non remittere culpam antè sumptionem Sacramenti.

Estii fundamentum est exemplum Lazari, cui Christus tribuit vitam, sed non solvit a ligaminibus, a quibus solvere jussit Apostolis: In qua figura Patres intelligunt peccatoris justificationem, sic, quod Deus priùs det vitæ gratiam, & solutionem reatus relinquat Sacerdotibus media Sacramentali absolutione: Sic Irænens *lib.* 5. c. 13. illa Evangelii verba -- Lazare veni foras: exivit „ homo ligatus manus, & pedes institis: „ hoc symbolum ejus hominis, qui alligatus „ fuerat in peccatis: & propter hoc ait „ Dominus: solvite illum, & dimittite il„ lum abire --

Sic Ambrosius *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 7. -- „ Surgit defunctus, & solvere jubentur ejus „ vincula, quæ adhuc in peccato sunt -- Sic August. *tract.* 49. *in Joan.* sic Eucherius Lugdunensis *homil. post Dom* 4. *Quadrag.*

Sic Gregorius relatus 11. *quæst.* 3. cap. *Plerumque*, & alii Patres. Et ratio est desumpta ex D. Augustino *lib.* 4. *de Symbolo ad Catechumenos cap.* 1. Implicat in mundum nasci homo, quin priùs conceptus vivat in utero; Ita implicat peccatorem renasci per Sacramenta, nisi priùs vivat conceptus in corde: Viventem vita inchoata, & prima, perfecta, & secundæ vitæ reddit Sacramentum.

56 Sed hæc solutio non subsistit. Ad cujus solidam eversionem duplicem propositionem necessè est declarare: prima dilectionem substantialiter acceptam peccatum destruere quoad culpam, & pœnam æternam: secunda Sacramentum Pœnitentiæ delere etiam per se culpam.

Prima demonstratur ex damnatione quarumdam propositionum Bay. *Num.* 31. habetur -- Charitas perfecta, & sincera, „ quæ est ex corde puro, & conscientia „ bona, & fide non ficta tàm in Catechu„ menis, quàm in Pœnitentibus potest esse „ sine remissione peccatorum. *Num.* 32. -- „ Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non „ est semper conjuncta cum remissione pecca„ torum - *N.* 70. - Homo existens in peccato „ mortali, sive in reatu æternæ damnationis „ potest habere veram charitatem, & cha„ ritas etiam perfecta potest consistere cum „ reatu æternæ damnationis -- nunc sic.

Judicio Ecclesiæ non stat charitas sine remissione peccatorum; sed judicio Ecclesiæ per Concilium Tridentinum remissio peccatorum est conjuncta cum gratia; unde dicit *Sess.* 6. *cap.* 7. -- Hanc dispositionem, seu „ præparationem justificatio ipsa consequi„ tur, quæ non est sola peccatorum remis„ sio, sed & sanctificatio, & renovatio in„ terioris hominis per voluntariam suscep„ tionem gratiæ, & donorum --

Et *Can.* 11. -- Si quis dixerit homines „ justificari, vel sola imputatione Justitiæ „ Christi, vel sola peccatorum remissione „ exclusa gratia, & charitate &c. anathe„ ma sit -- Porrò cum gratia, quæ est fons aquæ salienti in vitam æternam, non componitur reatus damnationis: ergo per dolorem conceptum per charitatem tollitur utreque mors, ergo absolutio non potest dici Sacramentum mortuorum per dilectionem pœna gehennalis.

Dolor charitate conceptus utrumque reatum tollit culpæ, scilicet, & pœnæ æternæ.

57 Validiùs confirmatur. Non stat hominem diligere Deum, & a Deo non diligi; sed non stat reatus æternæ pœnæ cum dilectione Dei, ergo non stat hominem diligere Deum, & esse reum pœnæ æternæ: major habetur ex Scriptura: Prover. 8. *Ego diligentes me diligo.* Joan. 4. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo, & ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus.* Et 14. *Qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* Min. constat iisdem Scripturis Deus diligens est in dilecto: non potest esse in dilecto, nisi media gratia: & eò maximè quod ubi diligere correspondet diligi, est benevolentiæ: benevolentiæ fundatur in amicitia, quæ per gratiam habetur, gratia filiationem fundat: Si filii, & heredes concludit Apostolus: non stat ergo cum charitate reatus pœnæ æternæ.

Nec aliter esse potest: nam amor admissus ab Adversariis substantialiter convertit hominem ad Deum tanquam ultimum finem, & avertit a creatura tanquam ab ultimo fine; sed conversus ad ultimum finem inchoatè possidet ultimum finem, seu affectivè, ergo non stat reatus, quo in jure privatus sit fine ultimo: sunt enim hæc contradictoria. Privatio visionis beatificæ correspondet peccato, prout est aversio a Deo; pœna sensus correspondet peccato, prout dicit conversionem ad creaturam, sicut cum D. Th. optimè docent *de vitiis, & peccatis* N. Salmat. Per dilectionem homo conversus est ad Deum, & aversus a creatura: ergo non habet titulum, cui correspondet pœna damni, nec sensus.

Universa delicta operit Charitas; Ait Sapiens Proverb. 10., & 1. Petri 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*; Charitas -- „ Mors est criminum, virtutum vita; Ait Augustinus *Ser. de laudibus Charitatis* -- Tan„ tò ampliùs rubigo peccati consumitur, „ quantò peccatoris cor magno charitatis „ igne crematur -- Gregorius *homil.* 33. *in Evang.* -- Ex charitate nascuntur universa, „ quæ bona sunt -- Hieron. ad Galat. 5. -- „ Via est hominis ad Deum, & via Dei ad „ hominem -- De laudibus Charitatis habet Hugo Victorinus.

58 Secunda propositio est absque dubio de fide: est enim definitum Sacramentum Pœnitentiæ esse remissivum peccatorum: inter Bay propositiones damnatur 57. -- „ Unde in Sacramento Baptismi, aut Sa„ cerdotis absolutione propriè reatus pec„ cati dumtaxat tollitur, & ministerium „ Sacerdotum solùm liberet a reatu -- Et 58. -- Peccator Pœnitens non vivificatur „ ministerio Sacerdotis absolventis, sed a „ solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, „ & inspirans vivificat eam, & resusci„ tat: ministerio autem Sacerdotis solùm „ reatus tollitur --

Tridentin. *Sess.* 14. *Can.* 3. -- Si quis di„ xerit verba illa Domini Salvatoris: ac-

„ cipite

„ cipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis &c. non esse intelligenda de potestate remittendi, & retinendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sicut Ecclesia Catholica ab initio semper intellexit &c. anathema sit -- Et *Can.* 9. -- Si quis dixerit absolutionem Sacramentalem Sacerdotis non esse judicialem, „ sed nudum ministerium pronunciandi, & „ declarandi remissa esse peccata confitenti „ &c. anathema sit -- Per se ergo absolutio dimittit peccata, & non solùm reatum pœnæ; non ergo pœnitentia est Sacramentum mortuorum, quia secundam mortem solùm tollit; sed quia omnem mortem, hoc est, culpæ, & pœnæ æternæ.

Porrò cum dicat Concilium Tridentinum, verba illa Christi, quorum remiseritis peccata ab Ecclesia semper fuisse intellecta de potestate remittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ, sequitur Sanctos Patres non esse contra nos: Quapropter cathalogus ille, quem profusissimè in pompam ducunt, Adversarii uno verbo Concilii evacuatur.

In quibus vita Lazari pœnitentis vitæ assimilentur.

Paritas de Lazaro tenet in duobus. Primò. Quandò vita peccatori data ante absolutionem accipitur in sensu perfecto, idest cum charitate conjuncta, tunc accipitur justificatio extrasacramentaliter, & solutio, quæ facienda est per Sacerdotes, non est peccatorum, & reatus pœnæ æternæ, sed censurarum, & pœnæ temporalis, & malorum habituum, quibus peccator remanet ligatus, & hi solvendi sunt a Sacerdotibus consilio, salutaribus monitionibus, medicinis spiritualibus, pœnitentiis prudentialibus, de quibus *Disp.* 3. *art.* 10.

Secundò. Quando vita non accipitur cum charitate conjuncta, tunc non est remissio, nec culpæ, nec pœnæ. Duplex datur vita spiritualis, una dicitur vialis, & ea est, qua actibus Fidei, Spei, Timoris, doloris homo movetur, & disponitur ad justificationem, quam describit Trident. *Sess.* 6. *cap.* 6., & alia consummata, quæ consistit in actuali remissione peccatorum, gratiæ infusione, renovatione interiori hominis, qua evasit de peccatore justus, quam describit ibidem Trident. *cap.* 7.

Quam duplicem vitam agnoscit Ecclesia pariter cum prohibet 64. propositionem Bajanam, quæ -- Sed & illa distinctio du„ plicis Justitiæ, alterius, quæ fit per Spi„ ritum charitatis inhabitantem, alterius, „ quæ fit ex inspiratione quidem Spiritus „ Sancti cor ad pœnitentiam excitantis, sed „ nondum cor inhabitantis, & in eo cha„ ritatem diffundentis, qua divinæ legis „ justificatio impleatur, similiter rejicitur -- Deus ergo ante absolutionem dat vitam vialem, scilicet auxilia, quibus præparatur Pœnitens actibus propriis ad Sacramentum: & hoc est Lazarum priùs resuscitari, deinde solvi: & hoc est priùs concipi, quam nasci: de illa ergo priori vita Patres loquuntur non de secunda.

59 RESP. III. alii Doctores Lovanienses, & dicunt duo: primò amorem hunc præcedentem trahere remissionem peccatorum, & gehennæ reatus, quia qui Deum plusquam cætera diligit, non potest esse reus damnationis, qui enim diligunt fratres, translati sunt de morte ad vitam, ùt dicitur prima *Joan.* 3.

Qui in corde suo invenit charitatem securus est, ait August. *tract.* 5. *in Joan.* nam sola dilectio discernit inter filios Dei, & filios diaboli, teste eodem *lib.* 15. *de Trinitate cap.* 8. -- Maria cum illa humilitate, & la„ chrymis ad Dominum accedens meruit „ peccatorum remissionem -- *Lib.* 2. *de consensu Evang. c.* 79. -- Et tu plurimum dilige, „ ut tibi remittatur plurimum --

Ambrosius *lib.* 6. *in Lucam* -- Peccatrix „ amando veritatem lavit lachrymis macu„ las criminis, & vox veritatis impleta est, „ quæ dicit dimissa sunt ei peccata multa, „ quia dilexit multum -- Gregorius *homil. in Evang.* -- Sexta quoque fuit remissio per „ abundantiam charitatis, sicut & Dominus „ dicit, remittuntur -- Origenes *lib.* 2. *in Levit.* -- Absolvi vis? ama: Charitas co„ periat multitudinem peccatorum -- Petrus Chrysologus *Ser.* 94. his, & similibus ducti fatentur præviè ad absolutionem deleri peccata per charitatem disponentem.

Secundò dicunt pœnitentiam esse Sacramentum mortuorum, quia prævia sua dispositione sanctificat; nam charitas non habet vim sanctificativam, nisi virtute Sacramenti, cùm contritio secundùm Tridentinum operetur remissionem cum voto Sacramenti, quare non nisi ex virtute Sacramenti est vigorosa ad expellenda peccata, & in proprietate dicitur Sacramentum dare primam gratiam: Quando autem actu suscipitur plura alia bona producit.

Explicant dictum suum duplici exemplo, primum desumitur ex gratia justificativa Patrum Veteris Testamenti, quæ vim habebat ex meritis Christi, & non nisi in virtute meritorum Christi operabatur: licèt Christus non esset existens, poterat nihilominùs dicere: verè ego vos justifico: Secundum ex sanatione Israelitarum, qui intuendo serpentem sanabantur, ita Sacerdos ante suam sententiam dicit, Ego vos absolvo, quia per illud Sacramentum tanquam instrumentum reconciliationis justitiam sunt adepti.

Explicant secundò. Sacramentum Pœnitentiæ constat materiâ, & formâ, quod verò fit per materiam ejus, non dicitur fieri per non Sacramentum; cum ergo amor præcedens sit materia pœnitentiæ per eum benè dicitur Sacramentum justificare: & videtur doctrina D. Thomæ, qui 3. *p. q.* 86. *art.* 6. ait -- Omne Sacramentum producit effectum „ suum, non solùm virtute formæ, sed etiam „ virtute materiæ. Actus autem pœnitentis „ virtutis materialiter se habent in Sacra„ mento Pœnitentiæ. Remissio culpæ est „ effectus pœnitentiæ principalis quidem ex „ virtute clavium, quas habent Ministri. „ Secundariò autem ex vi actuum pœni„ tentis pertinentium ad virtutem pœniten„ tiæ --

60 Sed hæc pariter solutio corruet expensis, quæ diximus: & primò adverto doctrinam responsionis inniti supposito nimis falso: supponit enim charitatem operari remissionem peccatorum in voto, idem esse,

ac operari ex accepta virtute Sacramenti: hæc autem fallax intelligentia est, quia votum Sacramenti nihil aliud est, quam propositum suscipiendi Sacramentum; cùm enim sit præceptum suscipiendi Baptisma, & Pœnitentiæ Sacramentum, charitas disponens ad Baptismum, vel pœnitentiam, sincera nequit esse, nisi includat voluntatem suscipiendi Sacramentum: porrò Sacramentum sic acceptum nullam efficaciam tribuit charitati, ùt patet, sed solùm specificat volitionem illam tanquam objectum.

Vis deletiva peccati in charitate est per respectũ ad Sacramentum.

Deinde sic discurro: Tota vis deletiva peccatorum in charitate habetur per respectum ad Sacramentum tanquam ad instrumentum divinæ institutionis: ergo vis deletiva peccatorum per se primò est in ipso Sacramento; ergo debet posse, quando in re suscipitur, producere gratiam remissivam: est enim ridiculum valdè, quod medicina ùt desiderata sanet, & ùt actu suscepta non possit causare sanitatem; medicinæ autem comparatur Sacramentum Pœnitentiæ. Sed solidiùs instatur tum ex principiis communibus Sacramentorum, tum ex propriis Sacramenti Pœnitentiæ, sic.

De ratione Sacramentorum novæ legis est, non ponentibus obicem, quando suscipiuntur, actu gratiam conferre, quam significant; sed pœnitentia est Sacramentum novæ legis significans gratiam remissivam peccatorum; ergo quando actu suscipitur, debet posse producere illam. Major. habetur textibus adductis ex Concil. Trid.: sed non suscipitur actu tempore, quo adest sola charitas cum voto Sacramenti: ergo.

61 Item Sacramenta novæ legis causant gratiam, quam significant *ex opere operato*; sed operari effectum *ex opere operato* est immediatè illum producere per se: ergo gratiam producunt per se immediatè. Min. est explicatio terminorum. Major est articulus Fidei, & habetur in Concilio Trid. *Sess. 7. Can.* 8. — Si quis dixerit per ipsa
„ novæ legis Sacramenta *ex opere operato* non
„ conferri gratiam, sed solùm fidem divinæ
„ promissionis sufficere ad gratiam conse-
„ quendam; anathema sit —

Et hæc est vox communis Sanctorum Patrum contrà Hæreticos, ùt suo loco ostenditur: Unde Augustinus *tract.* 80. *in Jo.* —
„ Quæ est tanta virtus aquæ, ut corpus tan-
„ gat, & cor abluat — Tangendo ait.
Tertullianus de resurrectione carnis — Caro
„ abluitur, ut anima emaculetur: caro un-
„ gitur, ut anima consecretur: caro ma-
„ nus impositione obumbratur, ut anima
„ spiritu illuminetur: caro corpore, & san-
„ guine Christi vescitur, ut anima de Deo
„ saginetur — Porrò charitas præcedens non causat justificationem *ex opere operato*; sed *ex opere operantis*, de quo nemo dubitat.

62 Item *Can.* 4. dicitur — Si quis di-
„ xerit Sacramenta novæ legis non esse ad
„ salutem necessaria, sed superflua, & sine eis
„ aut eorum voto, per solam fidem homines
„ a Deo gratiam justificationis adipisci, li-
„ cèt omnia singulis necessaria non sint;
„ anathema sit — Ex quo sic: sicut in voto possunt conducere ad salutem, ita & in re suscepta Sacramenta (aliàs non verificaretur *sine ejus, aut eorum voto*:) sed quandoque in voto producunt effectum sine re: ergo quandoque etiam possunt in re; at si amor requireretur indispensabiliter nunquam in re posset effectum primarium producere Sacramentum absolutionis: quia ùt ipsimet fatentur in responsione, charitas justificat cum solo voto.

Ex propriis ex *Can.* 3. *Sess.* 14. definitur dari in Ecclesia potestatem dimittendi peccata in Sacramento Pœnitentiæ; sed hæc potestas ea est, ùt ibidem patet, quam Deus Ministris Ecclesiæ dedit illis. *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Ergo Ministri Ecclesiæ in Sacramento, quando exercetur, habent potestatem solvendi peccata; quando adest solus amor, non est Sacramentum, licèt concedamus esse partem, ergo tunc Ministri non solvunt a peccatis: Ubi advertendum est, (& tollitur effugium quorundàm) Canonem duo dicere: Dari potestatem verè dimittendi peccata positivè, & non intelligi verba illa Christi de auctoritate prædicandi Evangelium.

62 Item *Can.* 9. definitur absolutionem Sacramentalem esse actum judicialem, & non nudum ministerium pronunciandi, & declarandi peccata esse dimissa: ac proinde necessè est asserere dimitti per absolutionem peccata, ergo quando in actu ponitur, debet posse per se sortiri suum effectum.

Benè advertas, & caveas fallaciam cujusdam Doctoris dicentis, finem Canonis esse solùm definire contrà Lutherum dicentem Sacramentum Pœnitentiæ prodesse per solam fidem, qua quis credat se absolutum, dummodò absolutio jocosè non detur, sed seriò: & quemlibet Christianum esse sufficientem ministrum; nam utrumque ponit Canon, & primum, & hoc secundum.

Hoc expressiùs habetur in propositione Bajana 57. citata, ubi damnatur absolutionem solùm reatum delere, unde adversativa est vera: ergo etiam peccata delet; & quidem dum actu administratur: pro tunc enim propositio docebat reatum tollere.

Nota insuper: Auctorem propositionis, ideò asserere absolutionem tollere solùm reatum, quia Deus ante eam vivificat peccatorem, pœnitentiam suggerendo, ùt clarissimè patet sequenti propositione 58. ergo Ecclesia vult quandoque non præcedere vi dispositionum, seu in dispositionibus virtutem delectivam.

Justificatio in veteri lege gratia Christi.

Exemplum Christi non est ad rem. Justificatio Sanctorum Patrum erat ex gratia Christi solùm in genere causæ finalis; ex prævisis enim ejus meritis movebatur Deus ad conferendam sanctificationem: Christus finis est omnium prædestinatorum: Cæterùm Sacramentum Pœnitentiæ non est finis charitatis, sed potiùs è contrà, unde in hoc genere non dignificat, & si dignificat, nihil valoris tribuit amori super eam, quem habet ex sua natura, præcisè enim se habet ùt movens voluntatem ad eliciendam charitatem tanquam dispositionem prævium ad confessionem.

Verà causalitas absolutionis pertinet ad genus causæ effectivæ instrumentalis; hæc

autem

autem non agit, nisi in actu, quare solùm potest actus nostros elevare, cum existit, & præsens est moraliter, non autem quando prævisa: Non est ergo ad rem propositio prima, scilicet, quod potuisset dicere Patribus: Ego vos justifico; nec secunda Sacerdotis ante verba prolata valet.

Deinde exemplum confirmat nostram doctrinam: Christus & si prævisus justificabat Patres: existens in actu multò magis; ergo Sacramentum Pœnitentiæ debebit esse taliter institutum, ut possit justificare, quando actu ponitur; quod minimè fieri potest, si indispensabiliter exigatur amor.

Exemplum secundum adduci nequit sine injuria Sacramenti novæ legis. Serpens inspectus habebat minorem vim, quam Sacramenta veteris legis, si ergo Sacramentum absolutionis nihil aliud habet respectu charitatis, ac per consequens respectu justificationis, quam quod serpens, erit egenum elementum potiori jure, quam Sacramenta legalia, quod falsum omninò est.

Secundus modus explicandi destruit robur argumenti Adversariorum. Pars Sacramenti non operatur suum effectum, qua pars, nisi quando unum totum facit; non facit autem unum totum Sacramentum, nisi quando adest forma; per eam enim perficitur, ùt docet S. Doctor 3. *p. quæst.* 84. *art.* 3. Quod multò magis verificatur de parte materiali: impossibile est, quod pars, quæ elevatur, ut in toto virtutem recipiat, antequam totum sit: potest quis autem elicere dolorem cum vero amore justificante ante Sacramentum in re, cum animo confitendi post quatuor dies: quis autem dicet dolorem illum elevari ùt partem Sacramenti.

Causat Sacramentum ratione materiæ; sed multò magis ratione formæ, & principaliùs; ergo quando adest forma, tunc magis operari debet, & eum effectum, quem significat. Forma autem pœnitentiæ significat remissionem peccatorum, & hanc debet per se producere: videatur D. Thomas *loco cit.* 3. *part.* ubi tota hæc doctrina dilucidè habetur.

Dolor ex motivo timoris supernaturalis servilis est vera pœnitentia a Scripturis commendata.

64 Argumentum præcedens ex Scriptura desumptum placet aliis textibus elucidare. Ille dolor de peccatis sufficit pro dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ, qui est, & dicitur a Scriptura vera pœnitentia: Hanc propositionem dant nobis Clarissimi Adversarii; & profectò si pœnitentia nobis proposita a sacris litteris, & ab eis commendata non sufficit, nulla sufficiet. Sed dolor ex motivo supernaturalis timoris servilis est vera pœnitentia a Scripturis commendata. Ergo iste dolor sufficit; hic autem est simplex attritio.

Assumptum declaratur Paulus. Act. 17. ex occasione inscriptionis super Aram positæ. *Ignoto Deo* evangelizat Catholicam Fidem, incipiens a primo Articulo de existentia Dei, deinde habet. *Et tempora quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eo quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate*. Ecce quale motivum affert, ut ad pœnitentiam inducat Evangelicam: ultimum judicium assumit; oportet ergo quod pœnitentia hujusmodi sit bona, sit vera, sit Christiana, & ad legem Christi, quam prædicabat, pertineat, aliter mancum tradidisset Apostolus pœnitentiæ motivum.

Nihil hìc de amore Dei super omnia; nihil de motivo divinæ bonitatis, sola fit divinæ justitiæ mentio, & quidem aptissimè siquidem, ùt advertit D. Thomas *in cap.* 6. *ad Hebræos* ibi tradit rudimenta fidei, inter quæ locum tenet pœnitentia Evangelica ùt propriè talis ex motivo inferiori timoris; Negari nequaquam potest, judicium finale pro motivo assignari, id enim significat, illa locutio, *eò quod statuit diem &c.*

65 Illustratur ex his, quæ habemus Apocalyp. cap. 2. & 3. ubi Spiritus Sanctus revelat defectus septem Ecclesiarum, & earum Episcopos ad pœnitentiam adhortatur commissarum culparum in dirigendo grege. Nusquam hìc tangit motivum dilectionis Dei super omnia. Ad minas semper recurrit, ad increpationes. Angelo Ephesi dicitur. *Age pœnitentiam, & prima opera fac, sin autem venio tibi, & movebo candelabrum tuum &c.* Angelo Pergami. *Age pœnitentiam si quo minùs veniam tibi citò*. Angelo Tyatiræ. *Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, nisi pœnitentiam ab operibus suis egerint; & filios ejus interficiam in morte, & scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans renes, & corda, & dabo unicuique vestrum secundùm opera sua*. Quorsum hoc, si motivum timoris non esset sufficiens ad constituendam veram pœnitentiam Christianam?

Et notandum est, quod sicut exhortationi ad pœnitentiam addit minas, & comminationes pœnarum, ita exhortationi ad bona opera, adjicit præmium bonorum spiritualium: Quemadmodum ergo opus factum ex motivo retributionis æternæ est opus verè bonum, est opus verè Christianum; sic pariter pœnitentia exercita ex motivo fugæ mali æternalis necessè est, quod sit vera pœnitentia, & pœnitentia Christiana.

Sed præstat audire Rupertum Abbatem *lib.* 2. *Comment. in Apocalypsim*, ubi docet quod ibi Spiritus, qui loquitur primus, est spiritus timoris, eo quia a timore incipitur, & fit ascensus ad Sapientiam: In regressu autem primus, qui loquitur Spiritus est Sapientiæ; & hoc ideò, ut cognoscamus spiritum timoris ad statum incipientium pertinere, dilectionis autem ad statum proficientium, & perfectorum. Deindè Doctissimus Abbas prosequitur.

„ Et primò quid dicat spiritus timoris
„ Domini. Angelo, inquit, Ephesi Eccle-
„ siæ scribe &c. quod, qui hæc dicit Eccle-
„ siis spiritus sit timoris, ex eo manifestus
„ claret, quod ait: memor estò itaque, un-
„ de excideris, & age pœnitentiam, & pri-
„ ma opera fac. Sin autem venio tibi, &
„ movebo candelabrum tuum de loco suo,
„ nisi pœnitentiam egeris. *Et infrà*. Vin-
„ centi dabo edere de ligno vitæ, quod est
„ in Paradiso Dei mei. In isto gradu, idest,
„ in spiritu timoris, vincere est corripienti
„ acquiescere, pœnitentiam agere, & prima
„ opera facere &c. quod ergo primo homini
„ inter-

„ interclusum est Pœnitentiam non agenti, „ pulchrè huic repromittitur, qui pœnitentiam egerit; quatenùs edat de ligno vitæ, „ quod est, inquit, in Paradiso Dei mei, & „ vivat in æternum, cùm ea non comederit --

Quibus constat dari in Ecclesia Christi gradum Spiritus timoris, in quo datur salutaris pœnitentia, in quo fiunt opera motivo præmii; gradus tamen iste licèt bonus, licèt salutaris, non est tamen melior gradus, quamvis sit gradus inferioris pœnitentiæ, nihilominùs est pœnitentia bona, & recta.

Unde idem Rupertus *in Comment. in Matth. cap. 10. lib. 9.* -- Illa namque pœnitentia salutem affert, quæ secundùm Deum „ est, quæ pro spe agitur seculi venturi, „ pro metu gehennæ, pro amore vitæ æternæ --

Animadvertit Cornelius a Lapide in Comment. ad præcitatum textum *Act. 17.*, quod Apostolus sæpè repetit doctrinam de resurrectione coram impiis, ut eos ad pœnitentiam inducat, & hortatur Concionatores, (quod pariter facit *v. 24.*) ut similibus utantur, quia -- Magis minæ, & terrores, quam „ blanditiæ, & promissiones feriant, & „ percellunt dura peccatorum corda -- Stat itaque pœnitentiam salutarem, & Christianam concipi ex motivo servilis timoris; ac per consequens eam esse sufficientem pro Sacramento Pœnitentiæ.

Robur non contemnendum adjicit altera Doctrina D. Pauli ad Hebræos 6. illis verbis concepta. *Quapropter intermittentes inchoationis Christi sermonem, ad perfectiora feramur, non rursùs jacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, & Fidei ad Deum Baptismatum doctrinæ, impositionis quoque manuum, ac resurrectionis mortuorum, & judicii æterni.* Hic S. Doctor distinguit duplicem statum Fidelium incipientium, & perfectorum: De incipientibus, & imperfectis dicit pro tunc se nolle loqui, sapientissimo tamen artificio compendiosè restringit necessariò scienda, & exercenda in eo statu: enumeratque Sacramenta Pœnitentiæ, & Baptismatis, & Confirmationis, quæ sunt necessaria pro Neophytis, atque duo specialia novissima, resurrectionis videlicet, & judicii ob oculis ponit.

Deinde descendit explicare doctrinam ad perfectos attinentem. *Confidimus autem de vobis dilectissimi meliora, & viciniora saluti tametsi ità loquimur. Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri, & dilectionis quam ostendistis in Nomine ipsius, qui ministrastis Sanctis, & ministratis.*

Processum, quem tenet B. Paulus declarans rudimenta fidei, optimum esse ostendit S. Thomas, quia est per motum a termino a *quo* ad terminum ad *quem*: terminus a *quo* sunt peccata, a quibus incipiens purgatur mediis Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ; terminus ad *quem* est retributio bonorum operum, & malorum, quæ datur in resurrectione mortuorum, & in judicio, in quo datur sententia damnationis æternæ, vel salvationis, propter quam sententiam dicit, & vocat judicium æternum Apostolus: a terminis verò ad *quem* cùm sit finis motus, est motivum sub quo fiunt operationes, quibus elongamur a termino *a quo*; ac perconsequens motivum *sub quo* incipientes suscipiunt Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, est timor gehennalis pœnæ, & amor æternalis beatitudinis ex Doctrina D. Pauli.

Et hic discursus est ipsa connaturalis constructio textus, in quo nihil tangitur de dilectione Dei, quia ad statum incipientium per se non spectat, ut per eam debeant justificari in sumendis Sacramentis primis, quæ mortuorum dicuntur. Dilectionem verò commemorat, & commendat pro alio statu sublimiori, in quo opera exercentur ex motivo altiori, quale est illud charitatis, quapropter ea opera vocat meliora, & viciniora saluti; sapientissimumq. ostendit esse ordinem Divinæ Providentiæ circà salutem hominum perducendo illum via generationis ab imperfectioribus ad perfecta.

66 Audiamus iterùm Rupertum Abbatem nos docentem, quæ pœnitentia ad salutem sufficit *lib. 2. Commentariorum in Jonam cap. 3.* illis -- Esset quidem consequens, si „ omnis pœnitentia ad salutem sufficiens „ esset, nunc autem non ita est, illa nam- „ que solummodo pœnitentiæ tenor ad salu- „ tem perducit, cùm id circò quis pœni- „ tentiam agit, quia judicium universale, „ & Cœlorum Regnum futurum esse credit, „ a quo excludendi sunt, & in gehennam „ mittendi sunt peccatores. Cùm ergo quis „ id circò pœnitentiam agit, ut mala æter- „ na evadat, & bona consequatur sempi- „ terna, fidelis judicatur, & per fidem „ agendo pœnitentiam, salvatur -- Doctrina hæc est formalissima ad rem nostram. Dolor de peccatis propter gehennam, avitandam vera pœnitentia est salvificans, cumque simplex attritio sit iste dolor, sequitur, quod hæc ad salutem sufficiat cum Sacramento.

Idem habet in Commentariis in Joelem, & alibi satis benè, quibus omissis unum eligo, quia explicat locum alium novi Testamenti de judicio finali, videlicet cap. 14. v. 7. Apoc. *Dicens magna voce: Timete Dominum, & date illi honorem, quia venit hora judicii ejus.* Ubi Rupertus -- Rectè ergo „ primò timorem exigit dicendo: Timete „ Dominum, & date honorem illi. Cau- „ saque timoris congrua redditur, quia ve- „ nit, inquit, hora judicii ejus. Timor „ iste pœnalis est, cujus causa est expecta- „ tio judicii, nondùm plena sapientia, sed „ sapientiæ inchoatio, sicut scriptum est: „ Initium Sapientiæ timor Domini: habet „ tamen non nihil justitiæ, quia de fide „ procedit. Nisi enim quis judicium futu- „ rum credat, non timet. Est ergo utilis, „ dùm peccatorem sollicitum reddit, & ad „ pœnitentiam compellit -- Quibus stabiliendo, quibus timorem servilem carere docent Clarissimi Adversarii, propter quod rejiciunt attritionem simplicem a sufficientia Sacramentalis dispositionis. Primum est, quod dolor servilis est dilectionis inchoatio, & initialis justitia. Secundum est, quod timor servilis immutat voluntatem, cùm ad pœnitentiam compellat.

67 Doctrina hujusmodi absolvimus ex D. Bonaventura de sex Alis Cherubim. Ala prima de compunctione: -- Compunctionem duplex causa creat, timor, scilicet, & spes. Timor causa inchoativa est, spes verò consummativa est &c. Timor igitur culparum modum, & numerum examinans, justitiæ quoque divinæ rigorem, districtionemque judicii futuri attendens animum pungit, & pungendo peccatum expellit.. Unde hæc timoris virtus expulsiva hanc præstat, & corroborat spes confortativa &c. Si times Deum, quia potest perdere in gehennam, spera in eo, quoniam non vult mortem peccatoris &c. Si times, quia nihil impunitum relinquit; spera, quia redimit Israel ex omnibus iniquitatibus ejus. Quemadmodum igitur timor compunctionis prævenit, & comitatur virtutem, ita spes provehitur, & ad fructum reconciliationis perducit. Per timorem ergo compunctio suscitatur; per spem optatæ reconciliationis gratia meretur. Ait enim Quacumque hora ingemuerit peccator salvus erit. Gemitum tamen timor importat, salutem promeretur spes. Quid ergo, & unde, & ad quid sit cordis compunctio, breviter declaratum est.

In Compendio Theologicæ Veritatis *cap.* 21. *De qualitate Pœnitentiæ* habet -- Ad agendum pœnitentiam movent quatuor, de quibus Bernardus: Nimis durum est cor, quod non amolliunt beneficia, nec terrent supplicia, nec alliciunt promissa, nec castigant flagella -- Ecce qualiter apud Seraphicum Doctorem timor habet vim expulsivam peccati, quam consummat spes, non dicit charitas, sed spes. Ecce qualiter timor compunctionem facit, quam perficit spes, non dicit dilectio Dei super omnia, sed spes.

Timor voluntatem peccandi expellit.

Quod verò loquatur de timore servili contextus palam facit. His remanet confirmatum, & quod timore servili conceptus dolor evellit voluntatem peccandi, illiusque duritiem frangit; & quod hujusmodi dolor veram pœnitentiam facit: cumque innegabiliter vera Pœnitentia in Sacramento conferat gratiam remissivam, sequitur, quod attritio simplex sufficiat, adeòque optimè D. Paulus adnumerat Sacramentis mortuorum inter Fidei rudimenta, mortuorum resurrectionem, & judicium æternum.

§. II.

OSTENDITUR ALIIS SCRIPTURIS SUFFICIENTIA SIMPLICIS ATTRITIONIS.

68 SEcunda Scriptura, quæ adduci solet a Catholicis ad demonstrandam potestatem absolvendi sacramentaliter a peccatis Ecclesiæ relictam a Christo, desumitur ex illis verbis. Matth. 18. ubi ponitur ordo correctionis fraternæ, & forma denunciandi contumaces Prælatis, quibus plenam potestatem concessit in foro Dei, dicens. *Amen dico vobis, quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata, & in Cœlo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta, & in Cœlo.* Erunt soluta in Cœlo, quia non est potestas politica, sed spiritualis vincula conscientiæ dissolvens: quæ solveritis super terram soluta erant in Cœlo, quia sententia Petri præcedit sententiam Cœli.

Nec solam potestatem ibi contulit Christus absolvendi, sed modum utendi docuit. Optimè intelligens illis verbis collatam Pastoribus Ecclesiasticis judiciariam auctoritatem B. Petrus omnium Primus jure primissionis interrogavit. *Domine quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? usque septies? Dicit illi Jesus: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Quibus verbis, quotquot sunt Catholici, colligunt Sacramentum Pœnitentiæ esse iterabile.

Sed in re clara sufficit auctoritas Divi Thomæ *q.* 25. *de Sacram.*, aliàs 84. 3. *part. art.* 10. Argum. *sed Contrà*, illis -- Homo inducitur ad misericordiam exemplo divinæ Misericordiæ secundùm illud *Luca* 6. Estote misericordes, sicut Pater vester misericors est: sed Dominus hanc misericordiam suam Discipulis imponit, ut sæpiùs remittant fratribus contrà se peccantibus. Unde sic dicitur *Matt.* 18. Petro quærenti, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei, usque septies? respondit Jesus: non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies, ergo etiam Deus sæpiùs per pœnitentiam veniam peccantibus præbet --

Sacramentum Pœnitentiæ est iterabile.

Igitur iterari posse, & debere docet Sacramentum Pœnitentiæ Christus Dominus; qui connexivè loquens per similitudinem totum declarat, subdens -- Ideò assimilatum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui voluit rationem ponere cum servis suis, & cum cœpisset rationem ponere oblatus est ei unus, qui debebat ei decem millia talenta: cùm autem non haberet, unde redderet, jussit eum Dominus venundari, & uxorem ejus, & filios, & omnia, quæ habebat, & reddi. Procidens autem servus ille, orabat eum dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi, misertus autem Dominus servi illius; dimisit eum, & debitum dimisit ei --

Hoc exemplo manifestum facit Christus, quod quoties peccator accedit ad Ministrum Ecclesiæ compunctus de suis criminibus cum proposito solvendi, idest adimplendi præcepta, toties impartiri debeat absolutionem Sacramentalem, & totiès per eam peccata dimitti. Hæc est Doctrina Catholica ex hoc textu deducta, & ut talis a Patribus suscepta. Nunc accipe illationem ab intrinseco emanatam.

69 In similitudinibus licet omnia æquo pede non currant, tamen semper est tenenda analogia essentialis, propter quam assumuntur, aliter ad nihil inserviunt efficaciter. Sed analogia essentialis in hac similitudine in eo consistit, ut peccatori pœnitenti ex motivo minarum Sacerdos largiatur absolutionem Sacramentalem, per quam dimittitur in actu peccatum. Ergo pœnitentia ex motivo pœnarum infligendarum a Deo sufficit ad valorem Sacramenti. In judicio illo, cui assimilat Christus judicium Sacramentale

Ec-

Ecclesiæ, nullius motivi amicabilis fit mentio. Solæ minæ intimantur. Ad pœnas recurritur, ut moveatur debitor ad solvendum: Minis intentatis pavens procidit servus, veniam postulat, promittit solutionem; non bonitate Regis commotus, ejusque amore rogat. Ergo in Judicio Sacramentali dolor supernaturalis ex motivo timoris sufficit ad hoc, ut absolutio valeat, & effectum producat.

In illo judicio, quia fit mentio reddendæ rationis, legitimè colligitur necessitas accusandi sua peccata in Sacramentali: ex quo debitor compunctus rogat, legitimè infertur necessitas doloris, & spei: ex quo proponit solvere, aptè colligitur propositum emendandæ vitæ: ex quo Dominus servum dimittit, benè innuitur dandam esse absolutionem: ex quo debitum dimittit servo ille Rex, affabrè declaratur absolutionem Sacramentalem delere peccata: ex quo debitum est decem millia talentorum, indubiè creditur, & gravissima peccata deleri, & multoties repetibilem esse absolutionem. Cur ex motivo pœnarum, quod unicè adducitur, quo unicè clauditur similitudo, quo unicè compunctus est servus, non est invictè colligendum dolorem attritionis sufficere? Cur aliæ illationes tenent, & ista non tenet, cum tamen innitatur præcipuo analogiæ conceptui? sufficit ergo attritio.

Tertullianus *lib. de Pœnitentia* habet — „ Si de Exomologesi retractas, gehennam in „ corde considera, quam tibi Exomologesis „ extinguit: & pœnæ magnitudinem prius „ imaginare, ut de remedii adeptione non „ dubites — Ex nomine Exomologesis colligunt Orthodoxi contra Hæreticos, ut videre est apud Controversistas, usum Sacramentalis confessionis apud antiquos Patres, & præcipuè apud Tertullianum: Porro, hic Tertullianus motivum solius gehennæ proponit; ergo ævo Tertulliani sufficiebat attritio ex solo motivo gehennæ, cumque non sit ipse inventor, a primis Ecclesiæ Patribus didicisse jure censendum est.

Hilarius *Can. 18. in Matth.* habet — Ad „ terrorem autem metus maximi, quo in „ præsens omnes continerentur, immobile „ severitatis Apostolicæ judicium præmisit, „ ut quos in terram ligaverint, idest pecca- „ torum nodis innexos reliquerint, & quos „ solverint, confessione videlicet, veniæ re- „ ceperint in salutem, hi Apostolicæ condi- „ tione sententiæ, in Cœlis quoque, aut soluti „ fiant, aut ligati — Ad maximum incutiendum metum judicium Apostolicum præmisit Deus. Cur non sufficit attritio, si ad terrendum severitas judicialis proponitur? ergo valet, ergo solvit suscepta Apostolici judicii sententia sub dolore concepto pœnarum timore.

70 DICES I. Ex symbolis non desumitur efficax argumentum fidei. Sed illatio nostra desumpta est ex symbolo: ergò non est efficax.

In primis dicimus hic nos non agere contra Hæreticos, sed agimus inter Catholicos, qui admittunt ibi agi, & de potestate Sacramentali collata Ecclesiæ, & de iterabilitate Sacramenti, & de efficacia remissiva omnium quorumcumque peccatorum; quibus illationibus adjungi nostram ostendimus.

Deindè falsum est ibi esse symbolum; sed est planissima instructio analogica similitudine pro rudi hominum captu illustrata: qui est modus, perquam utilis quamcumque edocendi veritatem.

71 DICES II. Licèt sit vera instructio non tamen tendit ad corroborandam potestatem Sacramentalem dimissivam peccatorum; sed docet cuicumque nos offendenti, debere nos injuriam remittere, ut nobis Deus remittat.

Jam diximus Catholicos nos alloqui cæteroqui hoc textu utentes pro Sacramentali Confessione. Nec officit, quod extendatur ad privatam injuriarum acceptarum dimissionem, quia unus Scripturæ locus multiplicem literalem sensum habet: & hic textus primarium admittit illum de dimissione judiciaria, ut paritas de Rege petente rationem, & absolvento servum compertum facit.

72 DICES III. Si teneret illatio deberet sufficere dolor ex motivo pœnarum temporalium, quæ in exemplo adducuntur. Verùm abs re lusitatur, quia arguit Christus ascendendo ad Regem æternum ponientem æternali carcere, & sempiternis cruciatibus, ut patet ex clausula, *sic Pater meus Cœlestis faciet*; & in hoc sensu intelligunt Interpretes.

DICES IV. Si prædicta urgerent sufficeret attritio simplex ad delendam etiam omnem pœnam, & non tantùm culpam, quia dicit, & dimisit ei omne debitum; tanta autem dimissio soli contritioni perfectæ attribui potest, & huic attribuit in Commentario hujus loci D. Thomæ illis — Potest „ enim esse tanta contritio, ut totum di- „ mittat —

Dico primò. Dimissio omnis debiti est dimissio totius culpæ, & reatus pœnæ æternæ; debitum enim simpliciter dictum stat pro reatu simpliciter dicto, qui est reatus culpæ, & pœnæ æternæ; & tunc simpliciter loquendo totum debitum est solutum, cum reatus culpæ, & pœnæ æternæ dimissus est: debitum pœnæ temporalis est quidem debitum; sed quasi peccato extrinsecum saltem secundùm substantiam considerato.

Dico 2. Non apparet ulla difficultas in eo, quòd attritio adeò intensa sit in sua linea, adeò vehemens, ut virtute Sacramenti multùm de debito etiam pœnæ temporalis deleat; quo enim intensior est dispositio, etiam Sacramentum abundantiùs operatur.

Dico 3. Attritio potest solvere omne debitum simul cum Sacramento completivè accepto, videlicet cum omnibus partibus etiam integralibus sumpto, inter quas est satisfactio, quæ ad æqualitatem injungi potest. Contritio perfecta, de qua D. Th. delet totum debitum velut ex suo absque actuali susceptione Sacramenti.

73 DICES V. Si quidquam evinceret illatio, argueretur, quod charitas non sufficeret in Sacramento Pœnitentiæ, quia ipsius nulla mentio fit: sed hoc est erroneum; igitur sicut ex non facta mentione charitatis non colligitur ipsam esse insufficientem, sic non colligitur sufficere attritionem absque mixtura charitatis.

Instantie nulla est; quia aliud est loqui de dispositione sufficienti ex necessitate; aliud est loqei de dispositione sufficienti ex abundanti: attritio est dispositio necessitatis, quia dispositio eâ minor non sufficit: contritio, seu dolor ex motivo charitatis est dispositio ex abundanti, quia alie minor ipsâ sufficit. In ea similitudina explicata voluit Christus essentialia judicii Apostolici, non omnia, quæ ed perfectionem pertinent. Optimè igitur a negatione mentionis motivi charitatis arguitur sufficientia simplicis attritionis absque mixtura positiva dilectionis, si enim charitas esset necessaria non potuisset omitti.

Tertia Scriptura, quam plerique ex Controversistis apud Bellarminem adopiant adversùs Hereticos pro stabilienda confessione sacramentali, habetur Act. 19. 18. illis. *Multique Credentium veniebant confitentes, & annunciantes actus suos. Multi autem ex eis, qui fuerant curiosa secuti, contulerant libros, & combusserunt coram omnibus*. Natalis ab Alexandro non approbat locum istum pro confessione auriculari. Ut ergo possim validè ostendera argumentum ad rem nostram urgere in communi sententia, adverto duplicem esse hujus loci intelligentiam.

Prima est, quod agatur de vera confessione sacramentali secreta, cui etiam publica adjuncta est, pro qua stat Œcumenius, Basilius, Eusebius, Arator, Beda, quibus ex Theologis plures subscribunt, qui *Credentium* nomine Baptizatos intelligunt.

Secunda est, quod illud *Credentium*, stet pro Gentilibus credentibus prædicationi B. Pauli, sed non baptizatis; & per consequens non agi hìc de confessione sacramantali; sed de publica præmissa ad Baptismum suscipiendum, pro qua aliqua pœnitentia ab adultis est præmittenda.

Quacumqee stante intelligentia sic arguo. Apud omnes Theologos pœnitentia, quæ sufficit in Adulto ad Baptismum, sufficit ad Sacramentum Pœnitentiæ; sed compunctio, confessio, pœnitentia præmissa Baptismo est attritionis simplicis, hoc est ex timore servili, sicut notat Scriptura ibi. *Et cecidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen Domini Jesu*. Cujus virtete, & justitia fuerunt a Dæmonibus vexati Exorcistæ irrisores nominis Jesu. Ergo compunctio orta ex timore servili sufficit pro suscipiendo Baptismate; hæc sola, & non alie in textu assertur.

Pœnitentia, quæ in adulto sufficit ad Baptisma, sufficit ad Pœnitentiæ Sacramentum.

Ubi obiter nota, quanta sit efficacia timoris, quia potuit, ità illos movere, ut confiterentur publicè sua peccata, & libros superstitiosos comburerent. Timor ipse compunctionis motivem fuit non tantùm impulsivum: Justitia Dei vindicans injuriam nomini Jesu illatam, corde illorum movit ad peccatorum detestationem, ac confessionem; & quod non potuit facere divinæ magnitudinis majestas relucens in multitudine miraculorum, qeæ faciebat mediis sudariis, & semicintiis Pauli, fecit rigor Divinæ Justitiæ utens Dæmonibus ad puniendos sacrilegos Exorcistas.

Dolorem attritionis ex motivo timoris sufficere ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ probat auctoritas Cypriani *Ser. 5. de Lapsis*; quæ ab omnibus Catholicis affertur adversùs Hæreticos pro confirmando usu primorum Seculorum Sacramentalis Confessionis, & a Bellarmino vindicatur ab effugiis Kemnitii, & a Natali ab Alexandro a cavillis Dallæi: Verba S. Martyris sunt — Denique, & quantò fide majores, & timore meliores sunt, „ qui quamvis nullo sacrificii, aut libelli „ facinore constricti, quoniam tamen de „ hoc, vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter „ confitentes, Exomologesim conscientiæ „ faciunt, animi pondus exponunt, salutarem medelam parvis licet, & modicis „ vulneribus exquirunt —.

Attritionem sufficere ad Pœnitentiæ Sacramentum probat S. Cyprianus.

Urgent Catholici locum istum pro confessione spontanea peccatorem secretorum cordis. Et nos jure meritò urgemus pro attritione; quia dolorem ex timore recenset; non hic amorem tangit, non hic inducit fidem per dilectionem operantem, sed per timorem utique servilem. Audi immediatè sequentia, quibus rationem assignat — Scientes scriptum esse: Deus non derideret. „ Derideri, & circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua fallente deludi: „ plus immò delinquit, qui secundùm hominem Deum cogitans, evadera se pœnam criminis credit, si non palàm crimen „ admisit — Ubi in hac ratione motivum dilectionis? cur non dicitur moveri ad confessionem criminis secreti, quia occultis etiam bonitas Dei offenditur, sed recurrit ad Deum Judicem etiam secretorum? Dolore ergo attritionis meliores etiam Exomologesim faciunt.

Placet hìc Chrysostomi proferre momentum suprà Scripturam citatam ex Actis Apostolicis — Vide ubique, quod non sic „ homines convertuntur per utilia, sicut „ per terribilia. Ubi de Sapphira mentio „ fit, irruit timor super Ecclesiam, & non „ audebant adhærere illis. Hic sudaria, & „ semicintia accipiunt, & sanant. Et post „ hæc venerunt confitentes peccata sua, ex „ eo quod insiliebat — Scilicet Dæmon. Si tanta est timoris efficacia, cur non est sefficiens medium ad pœnitendum? commendatur confessio illa peccatorum, & in exemplum traditur a Scriptura, quam tamen solus timor concepit, & peperit; igitur sufficiens est dispositio dolor attritionis.

Audi Augostin. *lib. de Catechizandis rudibus cap. 17.* — Qui autem propter Beatitudinem sempiternam, & perpetuam re„ quiem, quæ post hanc vitam Sanctis fu„ tura promittitur, vult fieri Christianus, „ ut non eat in ignem æternum cum Dia„ bolo, sed in Regnum æternum intret cum „ Christo; verè ipse Christianus est; cautus „ in omni tentatione, ne prosperis rebus „ corrumpatur, & ne frangatur adversis, „ & in abundantia bonorum terrenorum „ modestus, & temperans, & in tribula„ tionibus fortis, & patiens. Qui etiam „ proficiendo perveniret ad talem animum, „ ut plus amet Dominum, quam timeat ge„ hennam — Quid clariùs?

Hic Augustinus dicit verè fieri Christianum, idest verè suscipere Baptismum, qui duci-

Ex August. bene fit Christianus, qui ducitur amore concupiscentiæ boni supernaturalis.

ducitur amore concupiscentiæ fugiendorum malorum æternorum, & adipiscendorum bonorum æternorum. Et benè adverte, quod hos contraponit ad eos, qui ducuntur motivo temporalium, & non benè fiunt Christiani, & ad eos, qui ducuntur amore Dei, ad quem proficiendo illi perveniunt, ut intelligas non esse in illis mixtoram amoris: attritio ergo simplex sufficiebat tempore Augustini:

74 Quarta Scriptura, quæ solet adduci pro auriculari confessione desumitur Jacobi 5. 16. In illis. *Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro invicem, ut salvemini*. Pro confessione auriculari accipit D. Th. quem sufficit aliis omissis citare *q. 37. de Sacram.*, aliàs 6. *supplem. art. 6. ad* 2., ubi habet -- „ Præceptum de Confessione non est ab homine puro institutum, quamvis sit a Jacobo promulgatum -- Solvens postea vulgarem objectionem ex illo verbo *Alterutrum*, quo videtur insinuari, vel non agi de Sacramentali Confessione, vel etiam laicos ministros esse posse; *quæst. 39. de Sacramentis*, aliàs 8. *Suppl. art.* 1. *ad* 1. habet -- Dicendum „ quod Jacobus loquitur ex præsuppositione „ divinæ institutionis; & quia divinitùs „ institutio præcesserat de confessione Sacer„ dotibus facienda per hoc, quod eis pote„ statem remittendi peccata in Apostolis „ dedit, ùt patet *Joan.* 20. ideò intelligen„ dum est, quod Jacobus Sacerdotibus con„ fessionem esse faciendam monuit -- Illud ergo alterutrum, idem est, ac homo homini.

Idem docet *in Comment. Epist.* ubi explicat illud, *& orate pro invicem*, Confessor, & Pœnitens, licèt addat etiam, vel omnes. Quidquid autem sit, an illud orate pro invicem cadat solùm supra Confessarium, & Pœnitentem, vel appellet suprà omnes (cum frequentissimè Scriptura in una periodo copulata soleat diversa dogma tradere) causalitas finalis comprehendit, & confessionem, & orationem, videlicet, ut *salvemini*. Ex quo sic.

Nemo negabit confessionem esse rectam, si fiat ex motivo, sub quo nobis præcipitur facienda; sed præcipitur facienda propter salutem æternam, ùt nobis bonam, ùt *salvemini*, ait Apostolus ùt motivè, ùt finaliter proximè, ùt effectivè, quia salus efficitur per confessionem Sacramentalem: ergo confessio ex motivo amoris concupiscentiæ recta est. Revera est inintelligibile, quod Scriptura urgeat nos ad confessionem motivo salutis, & quod confessio ex illo motivo (quod præcisivè proponitur) non sit recta, non sit valida.

Valida est oratio facta ex motivo salutis.

Rursùs: recta est, & valida oratio præcisivè facta ex motivo salutis: sed sub eodem motivo proponitur, & præcipitur confessio; ergo sub eodem valida est, recta est confessio.

Controversistæ omnes pro confirmanda Fide de auriculari confessione adducunt D. Ambrosium *lib. 2. de Pœnitentia tom. 4. cap. 6. & 9.* ubi habet de quibusdam, qui secretam confessionem libenter faciebant, secùs publicam -- Plerique futuri supplicii metu pec„ catorum suorum conscii, pœnitentiam „ petunt; & cum acceperint, publicæ sup„ plicationis revocantur pudore -- Tempore ergo D. Ambrosii usus erat accedendi ad Sacramentum Pœnitentiæ motivo timoris pœnæ æternæ; & recipiebatur tanquam validum, & legitimum Sacramentum.

His pondus addit Chrysostomus *Homil. in Psal.* 50. habet -- Cùm autem in lectum, „ hoc est ad tranquillum portum te conje„ cisti, nec ullus est, qui tibi molestiam „ exhibeat, dic cordi tuo, atque animæ „ tuæ: exegimus hodiernum diem, ò ani„ ma: quid boni fecimus, aut quid mali „ admisimus? ac gehennæ recordare, ut „ metu affectus bonum augeas, malum au„ tem de medio tollas. Si in lecto sis, at„ que in peccatorum tuorum memoriam „ venias, collacryma: atque hac ratione „ ea in lecto delere potes. Deum autem ro„ ga, atque obsecra. Sicque corpus som„ no trade, posteaquam priùs peccata tua „ confessus fueris, ac rationes a teipso exe„ geris. Sic enim requiem a Deo obtine„ bis. Molestumque, ac grave est in lecto „ jacentem quotidiana peccata supputare? „ cum autem ea supputas, animam tuam „ suspende, ipsum expoli, ipsum gehennæ „ metu, aperi ipsi sectionem, quæ dolore „ careat, adhibe.

Natalis ab Alexandro assumens contrà Dallæum D. Chrysostomum pro auriculari confessione dicit eo loci non loqui de confessione coram Sacerdote, sed coram Deo; & loqui de culpis levibus, non autem gravibus; illas enim sola confessione coram Deo delere potest homo, secus istas. Nolo contendere, an de solis levibus loquatur, an de sola confessione coram Deo: sed sic argumentor. Negandum esse non videtur eum dolorem de peccatis sufficere in actuali sumptione Sacramenti, qui sufficit ad delenda peccata per confessionem in voto inclusam in confessione facta Deo, sed ex mente Chrysostomi dolor ortus ex consideratione gehennæ, cujus bis ibi mentionem facit, & non alterius, & altioris motivi, delet peccata venialia in voto confessionis incluso in confessione facta Deo: ergo idem dolor sufficit pro actuali susceptione Sacramenti quoad venialia: si autem sufficit pro confessione venialium, sufficit etiam pro lethalibus, quia unius generis est materia proxima Sacramenti. Si totum hoc non eruitur, saltem hoc testimonium commendat vim magnam, quæ est in motivo gehennæ, quam tam benè versat S. Doctor.

75 Quinta Scriptura, quæ solet adduci pro auriculari confessione adversùs Hæreticos, habetur Matth. 3. v. 6. ubi. *Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua*. Quod & *Marci* 1. per Baptisma Joannis disponebantur populi proximè ad Baptismum Christi; & per illam peccatorum confessionem, quam addebant, ad confessionem præparabantur, quam Christus erat instituturus, & præcepturus. Utique huic Sacramento præmittendam pœnitentiam annunciavit Christus, ipse ibidem Matth. 4. v. 17. *Exindè cœpit Jesus prædicare, & dicere pœnitentiam agite; appropinquavit enim Regnum Cœlorum*. Quibus etiam verbis a Joanne Baptista

tista prædicatam pœnitentiam *cap. 3. vers. 2.* habemus. Porrò in illo *appropinquavit Regnum Cælorum* intelligitur Deus præmians, & Deus puniens æternaliter.

A Accipe ex D. Thoma 3. *p. de Sacramentis q. 26.* aliàs 85. *art. 5. ad 2.* ubi — Dicendum, quod in Regno Cælorum appropinquante intelligitur adventus Regis non solùm præmiantis, sed etiam punientis — Unde & Matth. 3. Joan. Baptista dicebat: *Progenies viperarum, quis demonstrabit vobis fugere a ventura ira*. Nunc ni fallor concludenter sic.

B Absque dubio ad actualem susceptionem Baptismi, & Sacramenti Pœnitentiæ ea pœnitentia sufficit, quam Christus præmittendam prædicavit, ac ejus Præcursor præsignans ista duo Sacramenta; Atqui Christus prædicavit præmittendam pœnitentiam ex motivo amoris concupiscentiæ supernaturalis, ut patet ex assignato motivo, *Appropinquavit enim Regnum Cælorum*: ergo illa sufficit, & non est necessaria alia altioris ordinis; adeòque attritio simplex sufficit.

Hæc est doctrina S. Ambrosii *libello ad Virginem corruptam cap.* 8. illis — Pœnitentia non verbis agenda est, sed & actu. Hæc autem sic agitur, si tibi antè oculos ponas de quanta gloria rueris, & de quo libro vitæ nomen tuum deletum sit, & si te jam

C credas propè ipsas positam tenebras exteriores — Vide formam pœnitentiæ exercendæ a peccatore ab Ambrosio exhibitam, quæ in illo verbo Christi cit. includitur, ex timore videlicet pœnæ æternalis.

Hæc doctrina est Hieronymi ad *cap.* 1. *Malachiæ* illis — Vult Deus, ut primùm ejus filii simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus; ut saltem nos servos habeat, a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus —

D Recessus a malis formidine suppliciorum propria servorum, & non amore filiorum non est recessus per dilectionem super omnia initialem prætensam, sed per simplicem attritionem. Transitus a timore servorum immediatè, non ad amorem, sed ad gratiam filiorum aliter non fit, quam per Sacramentum, non enim timor servorum extrasacramentaliter justificat: ac proinde in Sacramento attritio justificat. Ad idem loquens Hieron. ad *cap.* 2. *Michææ* ait — Ut qui pudore, vel verecundia non tenentur, agant pœnitentiam saltem comminatione pœnarum —

E Hinc collige ex Hieronymo in eodem uno textu statutam a nobis doctrinam, videlicet divinam Misericordiam instituisse duo genera doloris sufficientis pro dispositione sufficienti ad Sacramentum Pœnitentiæ, Contritionem, videlicet propriè dictam, & Attritionem propriè dictam. Hæc abundè sufficiunt ex Scripturis cum sensu Patrum pro sufficientia simplicis Attritionis in Sacramento; ut imposterùm non dicat Theologia Sanctorum nos dare verba hominum, non verba Dei, sicut ipsa dare fatetur.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX SCRIPTURIS.

76 REvetà quidquid ex Scriptura dici potest contrà nos collegit Illustrissimus Dominus Episcopus Castoriensis in Opusculo, cujus titulus: *Amor Pœnitens lib.* 1. *cap.* 1. *& seq.*

Unum priùs advertere te velim, & hoc quidem oculo sincero; Clarissimos Adversarios tot inter, quæ ex Scripturis afferunt, nullum afferre locum, in quo determinatè agatur de Sacramento Pœnitentiæ, vel Baptismi, sed vel determinatè agitur de justificatione extrà Sacramentum, vel abstractivè; ex quibus deducunt per illationes requiri necessariò dilectionem Dei super omnia, quam inchoatam nuncupant. Quæ autem nos adduximus, agunt determinatè de Sacramento, ac proindè illationes nostræ sunt directæ, & intrinsecæ: illud etiam accedit, quod scripturales illationes Adversariorum ab iisdem solvendæ sunt, atq. facilè queunt retorqueri.

Adversantes nullã adducunt Scripturam, in qua determinatè agatur de Pœnitentiæ, vel Baptismi Sacramento.

OBJIC. ergò I. Deuter. *6. v. 5.* Datur præceptum diligendi Deum super omnia illis verbis conceptum. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex tota fortitudine tua*. Sed non datur tempus opportunius, quo obligat istud præceptum, quam tempus conversionis, quia tunc est reddendus principatus amoris, qui fuit per peccatum ablatus; & leges amicitiæ postulant, ut per regulas amicitiæ fiat regressus ad amicitiam deperditam. Ergo in Sacramento reconciliationis necessarius est dolor dilectivus Dei super omnia.

77 Priusquam solvamus argumentum placet advertere, quod Sacrâ Scriptura ibidem versu 3. adhortatur populum Israelem ad observantiam hujus, & aliorum præceptorum motivo amoris concupiscentiæ, idest, mercedis. *Observa, ut facias, quæ præcepit tibi Dominus, & benè sit tibi, & multiplicëris amplius, sicut pollicitus est Dominus Patrum tuorum tibi terram lacte, & melle manantem*. Ergo præceptum reconciliationis rectè observare possumus ex motivo amore spei.

Deindè ibi Scriptura recapitulando urget observantiam Decalogi secundùm se, & per se obligantis præscindendo ab obligatione per accidens, ad quam spectat casus reconciliationis; ac proinde a casu per se minus rectè concluditur ad casum per accidens.

Præterea retorqueo argumentum. Formula illius præcepti sonat dilectionem perfectam extensivè, & intensivè: *Diliges ex toto corde, ex tota anima &c.* inferant ergo, necesse est, Adversarii ad justificationem per Sacramentum necessariam esse non solùm inchoatam, sed perfectam charitatem. Illatio evidens est.

Igitur tempus conversionis non necessariò exigit observantiam præcepti dilectionis in sensu formali, sed sufficit in sensu æquivalenti, quatenùs virtus Sacramenti suppler illud, quod aliàs requireretur ad justificationem, si Sacramentum abesset: & Deo sint grates, quod in hanc doctrinam relabi debuerunt Adversarii, quatenùs illud, quod de

Tempore conversionis non urget præcepti dilectionis in sensu formali.

linea

lineà charitatis perfectè requiritur per ipsos ad extrasacramentalem justificationem, suppletur per Sacramentum; undè inchoatè diligens sub Sacramento dicitur æquivalenter diligere Deum ex toto corde, & converti ex toto corde, quam solutionem cum primùm legi apud Juenin plurimum arrisit, quia jam indè ad nostra castra redire coguntur.

Amor dominatur animæ, quoties per Sacramentum dimittitur peccatum, & infunditur gratia sanctificans; quâ positâ ablata est conversio habitualis ad creaturam, & posita conversio habitualis ad Deum. Reconciliatio alia est servorum ad Dominos, alia filiorum ad Patres, illa per timorem, hæc per amorem. Non immoror hic in refellendis dicteriis Theologiæ Sanctorum, quibus conatur ostendere nos indè admittere nunquam obligare præceptum dilectionis formalis, quia ut Ecclesiæ filii concedimus sæpè in vita per se obligare præceptum charitatis extrà casum reconciliationis.

Ex nostra sententia non sequitur præceptum dilectionis formalis numquam obligare.

78 OB. II. Qui accedit ad Sacramentum indignè, non accedit ut ultimatè dispositus 1. ad Corinth. 11. *Qui enim manducat, & bibit indignè judicium sibi manducat, & bibit*. Sed carens amore Dei benevolo accedit ad Sacramentum indignè: juxtà illud Matth. 10. *Qui amat Patrem, aut Matrem plusquam me non est me dignus, & qui amat filium, aut filiam super me, non est me dignus*. Ergo cum attritus amet Matrem, & Patrem suprà Christum, indignè accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ.

Hoc argumentum probat necessarium esse amorem benevolum perfectum intensivè, & non sufficere dilectionem inchoatam, quam Adversarii solùm requirunt; quia dispositio, de qua Paulus, est dispositio justificans ante manducationem Corporis Christi: amor, de quo *Matth.* 10. est talis, quo Christus, & actualiter, & habitualiter præfertur Patri, & Matri: ergo per amorem inchoatum quo adhùc Pater, & Mater habitualiter præfertur Christo, acceditur indignè. Quid ergo dicent? Sacramentum supplere habitualem prælationem.

Pro digna Sacramenti dispositione non est necessaria illa perfectio, quæ est effectus illius, prælatio Christi habitualis super omnia est effectus Sacramenti Pœnitentiæ, quare hæc non requiritur pro dispositione ad dignam sumptionem Sacramenti Pœnitentiæ. Igitur sufficit, quod actualiter non diligatur Mater, aut Pater plusquam Christus; hoc autem habet attritus, quia detestatur peccata commissa, & sub ea detestatione vult suscipere medicinam sanativam a Domino paratam: Non amat actualiter Patrem, & Matrem supra Christum, qui habet efficax propositum adimplendi legem Christi, quod habet attritus, non est tamen necessè, quod positivè Deus amore actuali diligatur supra Patrem, & Matrem, ut non indignè accedatur; quod ipsa Scriptura indicat, dùm negat præferendum Patrem, & Matrem Christo, non autem asserit Christum amandum esse super omnia actualiter semper, & in omni casu. Seu aliis terminis, includitur ibi præceptum dilectionis Dei, qua negativum est, non qua affirmativum.

Hæc dicta volumus, ut respondeamus cavillis arguentis; cæterùm illa Scriptura nequaquam ad Sacramentum Pœnitentiæ alludit. Attritus virtualiter dispositivè amat Christum super omnia, non quia detestetur peccata ex motivo proximo divinæ bonitatis, sed quia dolens de peccatis, & proponens non ampliùs ea committere præparat se ad illam gratiam suscipiendam in Sacramento, per quam homo ex injusto fit justus, ex inimico amicus.

79 DICES. Per sumptionem Eucharistiæ non fit dignus ille, de quo Paulus ad Corinth.: ergo per sumptionem pœnitentiæ non fit dignus carens amore benevolo: est enim utrobique par ratio.

Non dicimus per sumptionem Sacramenti fieri dignum susceptorem attritum; sed dicimus ipsam attritionem constituere peccatorem in statu dignæ dispositionis; ipsum verò Sacramentum cum illa susceptum gratiam sanctificantem producere, qua homo fit Dei amicus, & Christo dignus. Per actualem Corporis Christi sumptionem utique non fit dignus susceptor, qui seipsum non probavit; quia dispositio præviè necessaria ad Eucharistiam, quæ est Sacramentum vivorum, est status gratiæ; sed dispositio præviè necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ, quod est mortuorum, non est status gratiæ; status enim gratiæ est effectus per se ipsius Sacramenti Pœnitentiæ: dispositio actualis consistit in veraci detestatione peccatorum ex aliquo motivo supernaturali nobis per Scripturas manifestato, inter quæ est supplicium æternum impiis præparatum, & præmium sempiternum justis promissum.

80 OB. III. Non est ritè dispositus pro Sacramento Pœnitentiæ, qui caret conditione ad hoc postulata: sed amor Dei benevolus est conditio ad hoc postulata juxta illud Prover. 8. 17. *Ego diligentes me, diligo*. Et illud Joan. 14. 21. *Qui diligit me, diligetur a Patre meo*. Et vers. 23. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum*. Ergo cum simpliciter attritus careat amore Dei benevolo, non est ritè dispositus.

Facilis nobis esset plura ex Scripturis promere de timore, si vellemus ulteriùs doctrinam attritionis simplicis confirmare: Diceret pro nobis Ecclesiast. 21. 7. *Qui timet Deum, convertetur*. Diceret pro nostris peccantibus attritis Psal. 102. 11. *Corroboravit misericordiam suam super timentes se. Quantum distat Ortus ab Occidente, longè fecit a nobis iniquitates nostras*. Diceret Michæas 6. 9. *Salus erit timentibus nomen tuum*. Dicerent Canonici Scriptores excelsas promissiones factas a Domino timentibus ipsum etiam timore, qui dicitur servilis.

Sed non his indigemus, scientes quod argumentum propositum solvere tenentur Adversarii, siquidem adducta testimonia agunt de amore justificante absque actuali susceptione Sacramenti; hinc ibidem Prov. 8. *Ut ditem diligentes me, & thesauros eorum repleam*. Et Joan. cit. 14. immediatè subditur. *Et ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus*. Porrò dilectio prius justificativa, neque ab Adversariis exigitur pro necessaria dispositione ad Sacramentum.

Ita-

Itaque amor benevolus pro conditione postulatur ad pœnitentiam justificativam, quam facimus, non autem ad pœnitentiam, quam
A
suscipimus.

Deus diligit & diligentes Filios, & paventes servos.

Dilectio Dei benevola in voto, hoc est in proposito observandi suo tempore mandata Dei inclusa, & implicita pro conditione requiritur; in actu, in re, explicita sub proprio motivo nequaquam; diligit enim Deus diligentes filios, & paventes servos, quos largitione gratiæ sanctificantis per Sacramentum, filios facit. Dilectio Dei nobis boni, seu dilectio spei saltem initialiter præexigitur, concedimus, quia timens gehennam, & dolens de peccatis cum spe divinæ Misericordiæ, Deum sibi propitium, sibique
B
bonum diligere incipit. Dibimus Articulo sequenti auctoritatem D. Th. ad rem.

81 OB. IV. Qui accedit ad Sacramentum, ut divisus a Christo, non est dignus, ut Christo uniatur per Sacramentum: sed carens amore Dei benevolo accedit, ut divisus a Christo, utpote sub anathemate juxta illud 1. Corinth. 16. 22. *Si quis non amat Dominum nostrum Jesum Christum; sit anathema*; Hoc est divisus: necessarius est ergo amor benevolus, qui est unitivus.

Quo tendit argumentum? Numquid omnis non amans est excommunicatus? Omnis, qui est in peccato habituali, quoscumque bonos actus faciat divisus est a
C
Christo, cum sit membrum mortuum; cum ergo amor benevolus initialis, quem Adversarii adstruunt, non tollat peccatum habituale, sequitur, quod, qui cum eo accedit, ut divisus accedit, ut indignus, quod si dicat benevolè diligens ut unitus vitaliter accedere; & hoc nos dicimus, attritus est Christo vitaliter unitus, quia timor Domini initium Sapientiæ. Attritio disponens ad justificationem juxta illud Prover. 19. v. 23. *Timor Domini ad vitam*. Dispositivè unit Christo, quam unionem complet Sacramentum per gratiæ infusionem.
D

Cæterùm locus Pauli non est ad rem, cum ibi maledicit Hæreticis, qui Christi Fidem non suscipiunt; illud enim, qui non amat Jesum Christum, idem est, ac qui non suscipit fidem Christi, sicut optimè advertit in Commentario Angelicus; licet possit etiam de Fidelibus accipi in sensu comminatorio finali, ut qui finaliter non perseverabit in accepta justitia, non erit cum Christo in æternum, sed ab eo separatus: at quid hæc ad quæstionem nostram?

82 OB. V. Eadem dispositio requiritur ad Baptismum sanguinis, flaminis, & aquæ, quia hæc tria dividunt unum genus
E
Baptismi juxta illud ad Ephesios 4. *Una fides, unum Baptisma*. Sed ad Baptismum sanguinis essentialiter requiritur charitas juxta illud 1. Corinth. 13. *Si tradidero corpus meum, ità ut ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest*. Charitas utique actualis, ut ex contextu patet, qui agit de charitate, quæ patiens est &c., & insuper ex antithesi *si linguis hominum loquar, & Angelorum*.

Hoc argumento sibi plaudunt Clarissimi Adversarii taliter, ut putent eversam totaliter simplicem attritionem; Ut candidè in controversia tanti momenti agam, pluribus urgere conabor formalitatibus ab Adversariis involutis, & aliis nostris excogitatis, & quia D. Th. appellant, ipsum adhibimus.

Quia causa Christianæ attritionis est in tuto, nolo illam fulcire certissima solutione, quæ datur ad textum allegatum D. Pauli; videlicet, nomine charitatis intelligi habitualem, quæ est radix omnis meriti pro consecutione vitæ æternæ, quam solutionem passim invenies apud Interpretes.

Nec quidquam evincit prima probatio, quia illud Charitas *Patiens est, benigna est*, non sumitur pro actualitate exercita, cum actus illarum virtutum ibi enumeratarum, nec simul occurrant, nec simul exerceri possint, sed stat pro actu signato, idest charitas ex sua natura est operativa patientiæ &c. imperativè tamen.

Nec secunda probatio, quia illud *linguis loquar* stat pro dono linguarum, non pro actu locutionis, quod evidens est, nam Paulus actu non loquebatur linguâ Angelorum; unde sensus legitimus est, si donum habeam linguarum humanarum, & Angelicarum, dono autem charitatis caream, nihil mihi prodest.

Retorquetur insolubiliter argumentum.

Cæterùm retorqueo insolubiliter argumentum. Eadem dispositio requiritur ad Baptismum sanguinis, ac fluminis. Sed Baptismus sanguinis constituitur charitate perfectissima, docente Christo Joan. 15. *Majorem hac charitatem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis*, & consentientibus omnibus Patribus nullo excepto. Ergo ad Baptismum fluminis necessaria est charitas perfectissima, quod refugiunt Adversarii.

Non eadem dispositio requiritur ad Baptisma fluminis, & sanguinis.

Itaque falsa est major propositio, quod eadem dispositio requiratur ad utrumque Baptisma, quia unum est in proprietate Sacramentum, aliud nequaquam. Tria illa Baptismata conveniunt quantùm ad rationem effectus, non autem quoad rationem signi sacramentalis, ut docet D. Thomas 3. *part. de Sacramentis q.* 7. aliàs 66. *art.* 11. Ex qua ratione Baptisma fluminis non constituitur necessariò per eandem dispositionem, qua alia duo, quinimmò etiamsi convenirent in eadem ratione signi Sacramentalis, non argueretur necessitas ejusdem dispositionis, ut patet in Sacramentis vivorum, & mortuorum, quæ dividunt genus Sacramenti, nec tamen exigunt eandem dispositionem.

Minor verò controversa est inter Theologos, quidam enim volunt Baptisma sanguinis, & flaminis solùm *ex opere operantis* conferre gratiam; & in hac sententia nulla paritas cum Baptismo fluminis, qui illam confert *ex opere operato*: Quidam docent sanguinis Baptisma conferre gratiam *ex opere operato*; & in hac sententia agnoscitur a nostris aliqua paritas cum Baptismo fluminis; sed etiam asseritur attritionem simplicem sufficere ad utrumque, & sanguinis, & fluminis.

Ad auctoritatem autem Pauli respondent isti Apostolum loqui in sensu completivo, ità quod nihil prodest pro Christo sanguinem fundere, si quis apponat obicem consecutioni charitatis, ut si fortè ex vana-

gloria

gloria pareretur, vel ex alio capite proportionaliter, ac in Baptismo fluminis. Concedatur, quod secunda sententia docet, Baptisma sanguinis conferre *ex opere operato* gratiam. Concedatur, quod sine charitate non causat gratiam; negetur autem charitatem requiri ad Baptismum fluminis. Ratio habetur ex D. Th. loco proximè cit. *art.* 12. *ad* 2., quia effusio sanguinis non habet rationem Baptismi sine charitate; Charitas enim est constitutivum intrinsecum, sine quo non, Baptismi sanguinis: Baptismus autem fluminis subsistit in suo esse sine charitate, & aliquem producit effectum etiam in fictè suscipiente, videlicet characterem, ut constat apud Hæreticos; non ergo ex paritate Baptismi sanguinis deduci potest legitimâ consequentiâ necessitas charitatis in Sacramento fluminis, sed potiùs oppositum colligitur, dicit enim ibidem S. Doctor — Ex quo patet, quod „ Baptismus sanguinis includit Baptismum „ fluminis; & non è converso, & ex hoc „ ipso probatur perfectior — Ecce Baptismus sanguinis continet Baptismum fluminis quoad effectum, ut explicat *art.* 12. non autem è converso, non quidem quoad effectum, quia quoad effectum docet illa tria Baptismata convenire, adeòque quoad partes, ac per consequens quoad charitatem; sed hoc paulò post magis explicabitur.

Non requiritur charitas ad Baptisma fluminis.

83 DICES. Includens continet perfectionem inclusi; sed Baptismata sanguinis, & flaminis continentur in Baptismo fluminis, prout docet D. Thomas *loco cit. art.* 12. *ad* 1. ut salvet unitatem Baptismatis, sicut, & fidei explicans illud *Ephes.* 4. Una fides, unum Baptisma: ergo Baptisma fluminis debet continere perfectionem inclusorum, quæ in charitate consistit.

Cùm jam viderimus *art.* 12. *ad* 2. oppositum dicere, oportet, quod in diverso sensu loquatur. Et ita est. Qualiter duo illa contineantur in tertio, explicat illis — Qui „ habet efficaciam, & ex Passione Christi, & „ ex Spiritu Sancto, & ideò per hoc non tol- „ litur unitas Baptismatis — Et continet doctrinam corporis articuli. Ostendit illa duo quoad effectum esse Baptismata, & supplere Baptisma fluminis, quia Baptisma fluminis operatur in virtute Passionis Christi, & Spiritus Sancti, quæ utraque causa, cùm sit superexcedens effectum, nec ab effectu dependeat, totum quod operatur per aquam baptismalem, operatur per effusionem sanguinis, & per commotionem cordis, qua movetur ad diligendum Deum, & pœnitendum de peccatis; quare hæc inclusio non est in Baptismo fluminis formaliter accepto, sed radicaliter in causa, in cujus virtute operatur; quod & *art.* 12. repetii; & sic est paritas unitatis cum fide, cujus articuli omnes dependant ab una veracitate Dei loquentis.

Quomodo dicat Angelicus Baptismata sanguinis, & flaminis contineri in Baptismo fluminis.

84 INSTABIS. Hæc tria Baptismata, sicut conveniunt in effectu producto, & in causa radicali, ita debent convenire in aliquo prædicato proximo, & in aliquo discriminari; Hoc autem, in quo conveniunt, non est, nisi charitas in omnibus requisita; Hinc sic instatur: Baptisma sanguinis operatur in charitate, & sanguine, sed sine aqua Baptisma flaminis, quod locum medium tenet, operatur per charitatem sine aqua, & sanguine; ut ergo Sacramentum fluminis conveniat cum utroque necesse est, quod operetur per charitatem, in qua illa duo conveniunt, & discriminetur a primo, quia sine sanguine, & a secundo, quia cum aqua, & non per solam charitatem.

Certum est, quod hæc distributio non subsistit, nec est benè disposita, quia ut dicebamus, charitas est essentiale constitutivum utriusque prioris Baptismatis, sine qua in actu neutrum subsistit; non est autem de constitutivo Baptismi fluminis, qui in actu habet esse sine charitate: Ut non dicetur. Priora Baptismata præeminentiam habent quoad effectum; Baptisma autem fluminis habet præeminentiam in esse Sacramenti; ratione cujus habet esse suum in rebus, & verbis independenter a charitate tanquam a constitutivo, & quia est Sacramentum mortuorum independenter etiam a charitate tanquam a dispositione, aliàs nusquam posset producere suum effectum, quem semper supponeret productum per Baptismum flaminis, qui exigeretur in dispositione: Nec essent tria Baptismata separabilia.

Baptisma sanguinis, & flaminis sine charitate esse non possunt.

85 URGEBIS. Potior, & perfectior est Baptismus sanguinis, quàm fluminis, ut docet Sanctus Thomas *loco cit. art.* 12. quia Passio Christi in Baptismo fluminis operatur per figuralem aliquam repræsentationem: flaminis, per quandam affectionem, & in Baptismo sanguinis per operis imitationem: sed non obstante majori perfectione non potest operari effectum suum absque charitate: ergo Baptismus fluminis, qui est imperfectior, multò minùs operari potest absque charitate.

Hæc instantia, quam Adversarii magni faciunt, ni fallor, contra ipsos est; nam propter hoc ipsum, quod charitatem includit Baptisma sanguinis, est perfectius Baptismo fluminis, ipso docente D. Thoma. — „ Sed in Baptismo sanguinis per potissimùm „ dilectionis secundùm illud *Joan* 15. Ma- „ jorem hac dilectionem nemo habet, quam „ ut animam suam ponat quis pro amicis „ suis &c. unde ex hoc ipso probatur perfe- „ ctior — Adjungit *ad* 2. Si ergo perfectior est Baptismus sanguinis, & quia Passio Christi operatur per operis imitationem, & Spiritus Sanctus per potissimùm dilectionis, quibus caret Baptismus fluminis, adeòque inferior, legitimè deducitur, quod absque charitate prævia est operativus sui effectus; & ita est, & ideò dicit D. Thomas, quòd in eo operatur Spiritus Sanctus per quandam virtutem latentem, quæ non est dilectio, sed facit effectivè, quod ibi, idest, in Baptismo sanguinis facit dilectio. Ecce qualiter concluditur oppositum.

Baptismus sanguinis perfectior Baptismo fluminis.

86 REPLICABIS. In Baptismo fluminis requiritur aliqua pœnitentia juxta illud: *Agite pœnitentiam, & baptizetur unusquisque vestrum*. Quam pœnitentiam operatur Spiritus Sanctus. Sed pœnitentia, quam operatur Spiritus Sanctus, est cordis commotio ad diligendum Deum, & detestandum peccata, ut ibi docet D. Th.: ergo nulla pœnitentia est sine dilectione; adeòque neque baptismalis.

Ità concludit Merbesius. Sed contrà literam expressam D. Thomæ, qui ibi agit de Baptismo flaminis, seu Pœnitentiæ, prout est diversus, & distinctus a Baptismo fluminis, & prout est operativus sui effectus, videlicet justificationis absque actuali sumptione Baptismi fluminis; quare si in Baptismo fluminis requireretur pœnitentia flaminis, jam non produceret effectum suum in actu positus: igitur est inferioris ordinis pœnitentia requisita ad Baptismum fluminis, quam operetur Spiritus Sanctus, sicut est inferioris ordinis operatio alterius causæ, videlicet Passionis Christi, quæ operatur per quandam figuralem repræsentationem; non esset autem inferioris ordinis, si esset ex eodem motivo dilectionis Dei propter se. Notanda sunt hæc præclara lumina, quæ reflectit Sol Angelicus in suo fonte inspectus.

SUBSUMES. Sed etiam quia Sacramentum Baptisma fluminis non operatur absque charitate actuali, dicente Augustino, & explicante, & applicante locum Pauli in objectione adductum *tract. 6. in Joan.*, illis -- „ Sacramentum divinum est, habes Baptisme, ego confiteor. Sed quid dicit idem „ Apostolus? Si sciero omnia Sacramenta, „ & habuero prophetiam, & omnem fidem, „ ita ut montes transferam, charitatem autem non habeam, nihil sum.

Me latet cur Augustino se credant innexo controversiæ. Expressè Augustinus ibi pro charitate intelligit unitatem Ecclesiæ; Nam agit de illis, qui stabant ex parte Donati. Audi quid dicat -- Noli dicere „ Christiano: mihi, & tibi quid est? unitas enim Christi tibi loquitur, veni cognosce pacem, redi ad viscera Columbæ. „ Foris baptizatus es: habeto fructum, & „ redi ad Arcam -- Et alia plura: Infra applicans textum Pauli ad Martyres, quos jactabant Donatistæ, habet -- Sed non habemus Martyres. Quos Martyres? Non „ sunt Columbæ, ideò volare conati sunt, „ & de petra ceciderunt -- Certum autem est, quod non rectè suscipit Sacramentum, qui separatus ab Ecclesia est, extrà quam nec attritio, nec contritio datur.

87 OB. VI. Pœnitentia necessaria ad justificationem sacramentalem debet esse secundùm Deum dicente Apostolo 2. ad Cor. 7. 9. *Nunc gaudeo, non quia contristati estis, sed quia contristati estis ad pœnitentiam, contristati enim estis secundùm Deum, ut in nulla detrimentum patiamini ex nobis, quæ enim tristitia secundùm Deum est, pœnitentiam in salutem stabilem operatur: seculi autem tristitia mortem operatur*. Sed pœnitentia simplicis attritionis non est secundùm Deum, sed secundùm hominem. Ergo non sufficit.

Minor ostenditur. Dolor de peccatis ex metu gehennæ est propter interesse nostrum, & propter nos, non propter Deum. Hinc D.Th. in hunc locum habet -- Amor „ Dei causat tristitiam de peccato, & hæc „ est tristitia secundùm Deum -- Nullusque Sanctorum Patrum explicat de metu gehennæ, sed de dilectione Dei. Porrò Concil. Trid. *Sess. 6. cap. 14.* applicat locum istum Sacramentali confessioni.

Ultrò concedimus pœnitentiam dispositivam debere esse secundùm Deum: difficultas est, utrùm ille terminus secundùm Deum determinatè premat motivum dilectionis Dei propter seipsum super omnia. Secundùm Deum, idem est, ac secundùm præscripta Dei, ex motivo supernaturali a Deo præscripto, non ex motivo naturali, & ideò ponit contrapositivam antithesim. *Seculi autem tristitia mortem operatur*. Hoc est mundanarum rerum... Porrò gehennalis pœna, beatitudo æterna, turpitudo peccati, divina bonitas, beneficia Dei, sunt motiva supernaturalia, non sunt seculi; quapropter pœnitentia orta ex quolibet istorum est secundùm Deum, Dei amor rectus duplex est, alius charitatis, alius spei, uterque secundùm Deum, sicut utraque charitas, & spes est virtus secundùm Deum.

Quid sit pœnitentiâ esse secundùm Deum.

Utvis nemo unus ex Patribus textum explicaret de attritione simplici, nullus tamen negat eam non esse secundùm Deum, quemadmodum nullus ipsorum negat spem non esse secundùm Deum: metus gehennæ est ex amore Dei concupiscentiæ, & hoc modo ex amore sui: est propter interesse proprium, tanquam propter finem cui, qui est fini spei, quæ secundùm Deum virtus est. Porrò Concilium loquitur, & bis repetit, de Sacramento vel in voto, vel in re suscepto; ac proinde indifferenter de pœnitentia, quæ sit contritio dilectivæ, vel ex metu gehennæ.

88 OB. VII. Omnia facienda sunt in charitate Dei super omnia propter se dilecti; juxta illud 1. Corinth. 16. 14. *Omnia vestra in charitate fiant*. Sed in numero omnium continetur pœnitentia sacramentalis. Ergo hæc debet esse ex charitate.

Retorquetur argumentum. Apostolus loquitur de charitate habituali, ideò reflexivè dicit in *charitate*. Sed amor initialis præcessus ab Adversariis non est charitas habitualis, cum non sit per ipsos justificativus cum voto Sacramenti. Ergo non sufficit: ergo major alia dispositio requiritur. Si argumentum accipiat nomen charitatis in proprietate pro dilectione Dei super omnia, quamvis remissè, infertur doctrina sæpè ab Ecclesia damnata, quod omnia opera infidelium, & peccatorum fidelium sint peccata, quia primi nunquam diligunt Deum, in quem non credunt: secundi non semper diligunt Deum super omnia, nec unquam diligunt efficaciter, aliàs a peccato resurgerent.

Itaque doctrina illa referendis omnibus operibus in Deum, prout continet præceptum pro charitate, intelligit motivum quodlibet honestum privativè non excludens ultimum finem, ùt sæpè explicatum est.

89 OB. VIII. Timor non potest operari bonum sine fide: sed fides etiam in Sacramento non potest operari justificationem sine actuali dilectione Dei: ergo neque timor potest illam operari sine dilectione. Minor habetur ad Gal. 5. 5. *Nos enim spiritu ex fide spem justitiæ expectamus. Nam in Christo Jesu neque circumcisio aliquid valet, neque præputium: sed fides quæ charitatem operatur*. Alii vertunt *per dilectionem*, quæ est actualis operatio: si autem fides sine actuali dilectione operaretur in Sacramento justificationem,

illud

illud oraculum Pauli esset restrictum, cum tamen sine restrictione sit prolatum.

Hoc textu usus est Cardinalis Roffensis adversùs primum articulum Lutheri, dicens — Ecce non sola fides, sed cui conjuncta est dilectioni operatio, valet ad justificationem — Quod loquatur in casu Sacramenti etiam patet ex illis — Neque circumcisio aliquid valet — Quæ est Sacramentum veteris Legis. Perinde est enim, ac si dixisset, neque Sacramenta aliquid valent.

Et sic intellexit August. *tom. 7. lib. 2.* contrà litteras Petiliani *cap. 77.* illis — Teneamus charitatem sine qua, & cum Sacramentis, & cum fide nihil sumus. — Hoc Pauli oraculo utitur Tridentinum ad ostendendum solam fidem sine charitate operantem non sufficere etiam in Baptismo; Docet hanc antè Baptismum petere Catechumenos ab Ecclesia.

Palmare est hoc argumentum apud Clarissimos Adversarios, quod sic facillimè retorquetur. Charitas, per quam fides operatur, est formata in illo loco B. Pauli; Sed charitas initialis prætensa apud Adversarios non est formata; ergo charitas initialis non sufficit in Sacramento. Communiter nostri optimè respondent loqui B. Paulum de charitate habituali, & extrà casum Sacramentorum, de quibus ibi nulla mentio, ut evidens est.

Attamen placet paululum Apostoli sensa perpendere. Mens Pauli est ostendere evacuatam esse veterem legem, per eam non dari ampliùs salutem; nec nunc aliunde possibilem esse salutem, quam in Ecclesia Christi, quam in fide Christi, quæ fides non est tota ratio salutis se sola, sed mediis bonis operibus, & mandatorum observantia, quorum finis est charitas, quæ est perfectiva omnium bonorum operum ea formando, & efficiendo meritoria vitæ æternæ. Et in hunc sensum assumit Concilium loco citato, ubi benè nota, quod pro charitate habitualem accipit.

Utque veritas pateat, continuatum, non interpolatum habeas Concilii textum. Postquam declaravit causas nostræ justificationis, habet — Quamquam enim nemo possit esse „ justus, nisi cui merita Passionis D. N. „ J. C. communicantur, id tamen in hac „ impii justificatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ Passionis merito per Spiritum „ Sanctum charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur, atque „ ipsis inhæret. Unde in ipsa justificatione „ cum remissione peccatorum hæc omnia „ simul infusa accipit homo per Jesum „ Christum, cui inseritur, Fidem, Spem, „ & Charitatem. Nam Fides, nisi ad eam „ Spes accedat, & Charitas, neque unit „ perfectè cum Christo, neque corporis „ ejus membrum vivum efficit: qua ratione „ verissimè dicitur, Fidem sine operibus „ mortuam, & otiosam esse. Et in Christo „ Jesu, neque circumcisionem aliquid valere, neque præputium; sed Fidem, quæ „ per Charitatem operatur. Hanc Fidem ante „ Baptismi Sacramentum ex Apostolor. traditione Catechumeni ab Ecclesia petunt, cum „ petunt Fidem, vitam æternam præstantem, quam sine spe, & charitate Fides „ præstare non potest. Unde & statim Verbum Christi audiunt: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata. Itaque veram, & „ Christianam Justitiam accipientes: eam, „ seu primam stolam pro illa, quam suâ „ Adam inobedientiâ sibi, & nobis perdidit, per Christum Jesum illis donatam, „ candidam, & immaculatam jubentur statim renati conservare, ut eam præferant „ ante Tribunal Domini nostri Jesu Christi, „ & habeant vitam æternam — En clarissimè explicatum, quod diximus.

Ex Trident. *Sess. 6. cap. 7.* Quoniam verò momentosa est Doctrina, expendas velim. I. Charitatem, de qua Concilium exponens Paulum, assa charitatem, quæ est effectus Sacramenti, ergo malè arguunt ex hoc loco Adversarii, ut probent pro dispositione Sacramentali requiri charitatem, quia effectus alicujus causæ non potest esse dispositio ad eum producendum requisita. II. Charitatem, de qua in præsenti esse charitatem, quæ facit membrum vivum, adeòque justificare. Sed est implicantia in terminis exigere vitam præviè pro dispositione ad productionem ejusdem vitæ. Ergo malè ex eo deducunt necessitatem charitatis dispositivæ etiam initialis. III. Charitatem consequendam per Baptismum petunt Catechumeni ante Baptismum. Non in eis ergo exigitur ante Baptismum, quomodo ergo ex eo loco arguunt necessitatem charitatis actualis ante Baptismum, cum alia sit habitualis, alia actualis charitas? IV. Charitatem, de qua hic, præstare vitam æternam, hoc est mereri vitam æternam; nulla autem dispositio ad justificationem potest esse meritoria. V. Fidem, de qua hic, esse operosam, nec se sola fructificare; quare optimè Catholici adversùs Hæreticos eo loco utuntur ad ostendendum, quod sola fides non sufficit ad salutem. Ex his, & aliis qualitatibus a Concilio expositis constat locum citatum Pauli nedùm favere, sed nocere Adversariis.

Falsum ergo est, quod fides cum attritione nihil operetur ad justificationem cum Sacramento absque charitate actuali, quia optimè disponit, ut infundatur illa charitas, de qua Paulus ibi ex mente Concilii: Absque charitate habituali fides etiam in Sacramento nihil operatur meritoriè ad vitam æternam; & in hoc sensu illimitatum est oraculum S. Pauli, cum absque charitate non detur radix meriti.

Illa autem Glossa ad illa verba, *neque circumcisio aliquid valet*, perperam applicatur Sacramentis novæ Legis: Evidens est, quod Paulus simpliciter loquitur de Sacramentis legis veteris, quæ evacuata, & abrogata sunt.

Augustinus abs re adducitur, quia non loquitur ibi ad sensum quæstionis nostræ; sed vult ostendere, quod Sacramenta non prosunt absque unitate Ecclesiæ, & sic refellit Petilianum cum suis, quia jactabat fidem habere, & Sacramenta, quamvis esset Hæreticus; unde statim subjungit — Ut cum „ ad Catholicam unitatem venitis, intelligatis, quid vobis conferatur, & quantùm

„ sit, quod minus habeatis. Charitas enim
„ Christiana, nisi in unitate Ecclesiæ noe
„ potest custodiri „:

Quod autem eo loco adversus Lutherum Roffensis usus sit ad ostendendum solam fidem noe justificare, optimè fecit, tum quia eo loco est usus, ut ostendat alia opera esse operativa præter fidem, tum quia loquitur de justificatione præscindendo a Sacramento, tum quia loquitur de charitate in proposito observandi omnia mandata inclusa in lege.

90 OB. IX. Dispositio sufficiens debet habere connexionem cum forma: sed gratia est connexa cum dilectione Dei. Ergo nullum opus est dispositio sufficiens ad gratiam absque Dei dilectione. Habetur argumentum apud B. Paulum ad Ephes. 6. 24. *Gratia cum omnibus, qui diligunt Dominum nostrum Jesum in incorruptione*. Ergo per consecutionem a contrario deductam nulla gratia, nulla reconciliatio speranda est pœnitentibus, qui noe diligunt Dominum nostrum Jesum Christum. Infructuosa itaque est pœnitentia disjuncta ab amore Christi.

Retorquetur facilè argumentum. Clarissimè Apostolus loquitur de dilectione perfecta, & sanctificante; adeòque ad justificationem in Sacramento requireretur dilectio perfecta pro dispositione, & non sufficeret initialis prætensa ab arguente. Deinde idem argumentum fieri potest de attritione, quæ toties in Scriptura ponitur connexa cum sapientia, quæ est charitas, & amicitia Dei. Job 28. 28. *Ecce timor Domini ipsa est sapientia*.

Locus Pauli non est ad rem; Etenim ille est formula salutationis, quâ claudit Epistolam, & optat perseverantiam in acceptâ gratia, sicut benè advertit Angelicus in Commentario. Certum est, quod ubi est gratia sanctificans, ibi est charitas dilectiva Dei; sed non est consecutio legitima, ergo nulla datur reconciliatio absque charitate actuali præparatoria: sicut valet ista propositio: ubi est gratia, est charitas dilectiva meritoria augmenti gratiæ; & tamen non valet ista per Adversarios, ergo nulla datur reconciliatio absque actuali charitate meritoria gratiæ sanctificantis; est enim contrà fidem. Reconciliatio itaque haberi potest per aliam viam, videlicet, per Sacramentum, quod faciens de attrito contritum, æquivalet charitati actuali, & longè magis, quia non nisi in voto Sacramenti charitas justificat.

91 OB. X. Qui non se movet ad vitam, non est ultimatè dispositus ad Sacramentum, & ad vitam recipiendam per Sacramentum. Sed carens amore benevolo non se movet ad vitam, juxta illud 1. Jo. 3. 4. *Qui non diligit, manet in morte*. Manet, inquit, se autem movere non est manere: movetur autem quis primò, quando vita inchoatur; inchoatur per id, per quod cum adoleverit, perficitur, perficitur per dilectionem. Porrò locus iste non restringitur ad justificationem extrasacramentalem, sed cum sit generalis, ac universalis ad Sacramentum extenditur; & loca generalia non debent privata auctoritate limitari.

Evidens est, quod iste textus loquitur de ea dilectione fratrum, quæ facit sine Sacramento actuali justificationem, & tribuit vitam gratiæ; adeòque argueretur necessitas dilectionis, quam ipsi vocant perfectam. Deinde idem discursus applicari potest attritioni, de qua scriptum est Prov. 14. 27. *Timor Domini fons vitæ*.

Indubiè absque motu ad vitam non datur nec ultimata, nec remota dispositio ad vitam recipiendam per Sacramentum, quia in adulto non potest dari justificatio absque exercitio liberi arbitrii, per quod homo recessit a Deo. Difficultas est, qualis debeat esse motus hic ultimò disponens; & dicimus, quod debet esse detestatio efficax peccatorum ex motivo aliquo supernaturali pertinente, vel ad amorem Dei benevolentiæ, vel spei, seu concupiscentiæ: sed quando est ex motivo spei magis propriè pertinet ad lineam dispositionis præviæ.

Ad primam formalitatem argumenti. Qui manet in morte per arguentem non se movet: Sed stante initiali dilectione benevola arguentis, homo ille manet in morte, quia per ipsum illa non justificat, & aliàs mortuus est homo, quandiù habet peccatum habituale; ergo per initialem dilectionem non se moveret ex vi illius reflexionis.

Quando dicit, debet inchoari vita per id, quod adolescit, & movetur per id quo vita inchoatur; in aliud absurdum incidit, quia vita, per quam tollitur mors spiritualis, & quæ suscipitur per Sacramentum, est gratia sanctificans, & dilectio habitualis; ergo exigitur ad motum, quo homo ultimatè se disponit ad Sacramentum gratia sanctificans, & dilectio justificans, ergo semper redibit non sufficere initialem dilectionem. Dispositio igitur intrinseca, & concomitans est, quæ crescit, & perficitur per dilectionem: dispositio autem prævia, & ultima, & extrinseca non est necessè, quod permaneat cum vita, & crescat.

Ad secundam formalitatem: Peto a nostro arguente, si verbum generale Scripturæ non est auctoritate privata limitandum, cur ipse illum locum limitat in Sacramento ad amorem initialem non dantem vitam, cùm sit de dilectione perfecta justificante extrasacramentaliter, ut ipsemet fatetur? Non ergo nos limitamus, sed Spiritus Sanctus, qui declaravit illam dilectionem auferre mortem absque actuali Sacramento; & declaravit etiam Sacramentum mortuorum per se dare vitam primam, & non eam supponere, adeòque pro dispositione non requiri actualem dilectionem, cum inferat vitam.

92 OB. XI. Jo. 5. 11. & 12. *Et hoc est testimonium, quoniam vitam æternam dedit nobis Deus, & hæc vita in Filio ejus est: qui habet filium habet vitam; qui non habet filium, non habet vitam*. Sed qui non diligit, non habet Dei filium cap. 3. ejusdem Epist. 24. *Et qui servat mandata ejus in illo manet, & ipse in eo*. Inter mandata autem maximum est de dilectione, ergo sine dilectione non habetur filius, neque vita.

Hoc argumentum neutiquam suppetias fert Adversariis; Nam eo loci intendit Jo: ostendere sine fide de Filio Dei non dari salu-

salutem : hoc est, ad fidem necessarium est credere Filium Dei Patri consubstantialem : Hic est scopus intrinsecus, adeòque immediatè subjungit . *Ut sciatis quoniam vitam habetis æternam , qui creditis in nomine Filii Dei* . Secundo loco agit de dilectione , quæ supponit gratiam sanctificantem , quia agit de illa , per quam mutuò Deus est in homine , & homo in Deo ; hæc autem non est initialis prætensa ab Adversariis . Cæterùm etiam per timorem servilem Christus habetur dispositivè , cum illum commendaverit ; & dederit Apostolis potestatem viegæ coercitivæ . Hinc Paulus Apostolus ad Ephes. 5. 21. *Subjecti invicem in timore Christi* .

Filius Dei haberi potest etiam per attritionem .

Sine dilectione non habetur filius habitualiter, habetur tamen dispositivè, si timeatur per attritionem ; & postea habetur habitualiter per Sacramentum . Attritus servat mandatum in proposito , in quo includitur illud de dilectione : In proposito solùm etiam servat mandata initialis dilectio prætensa a Clarissimis Adversariis .

93 OB. XII. Carens pœnitentiâ , quæ affert remissionem peccatorum non est ultimatè dispositus ad Sacramentum : Sed carens amore benevolo caret pœnitentiâ , quæ affert remissionem peccatorum . Ergo non est ultimatè dispositus ad Sacramentum. Habetur argumentum 1. Petri 4. v. 8. *Charitas operit multitudinem peccatorum* . Si charitas universa delicta operit, aufertque, nihil aliud præter eam affert remissionem peccatorum .

Neque hoc favet Adversariis , quia Petrus Apostolus loquitur de Charitate sanctificante extrasacramentaliter ; de charitate habituali , adeòque continuam commendat ; ergo si hæc charitas requiritur ad Sacramentum jam non sufficit illa ab Adversariis prætensa inchoata dilectio ; & si ipsis licet textum loquentem de charitate habituali , vel actuali perfecta trahere ad imperfectam ; cur non licebit nobis ex certiori principio relinquere illi textui legitimum suum sensum absque præjudicio Christianæ attritionis ?

94 OB. XIII Dispositio, quæ non est ex Spiritu Christi, non est sufficiens ad gratiam suscipiendam in Sacramento: sed attritio simplex non est Spiritu Christi : ergo non est sufficiens dispositio pro Sacramento suscipiendo . Argumentum habetur manifestum ad Rom. 8. 15. *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterum in timore , sed accepistis Spiritum adoptionis filiorum , in quo clamamus Abba Pater : ipse enim Spiritus testimonium reddit Spiritui nostro , quod sumus filii Dei* . Ubi quotquot sunt Patres , interpretantur , Spiritum dilectionis esse prærogativam novæ legis præ veteri ; ea propter egregiè dicebat S. Th. in *cap. 4. Matth.* illis „ Vetus erat „ lex timoris , nova verò amoris „ Sed attritio simplex concipitur timore servili , ergo non est sufficiens dispositio cum sit ex Spiritu legis veteris , & non ex Spiritu legis novæ . Ergo necessaria est pœnitentia dilectiva . Absurdum est, quod Christus majoribus donis Christianum locupletaverit , quam Judæum , & quod minores amoris vices respondere teneatur . Omitto hic referre gravem invectivam , quam facit contra nostros Theologia Sanctorum ex hoc loco : tum quia absque censura responderi non potest , a qua jubemur abstinere ; tum quia malè litigantium est clamoribus , & exclamationibus causam prosequi .

Declamatorium hoc argumentum contrà Christianam attritionem inane prorsus est . Scriptum est , *littera occidit , Spiritus vivificat* . Ex littera arguunt Adversarii , ex littera revincimus ipsos . Littera de Spiritu loquitur adoptionis formatæ , & filiationis consummatæ per Spiritum Sanctum inhabitantem : Si ergo ex hoc loco colligunt necessariam dilectionem in Sacramento, & dilectionem hic descriptam pro sufficienti dispositione, neutiquam sufficit initialis eorum prætensa dilectio ; sed perfecta omninò requiritur , & justificativè præviè ad Sacramentum .

Et sanè : si major debet esse amor Christianorum, quam Judæorum, apud quos non nisi vehementissimus, ut ipsi dicunt, justificabat, & ideò valdè rari convertebantur, sequitur, quod maximus requiratur in lege nova. Quod si ad prærogativam Sacramentorum recurrunt, quatenùs sua efficacitate suppleant, quod deficit perfectionis in dilectione inchoata , jam totum everterunt ; jam castra deseruerunt , integram non retinentes litteram .

Directè : Sensus legitimus illius loci est, quod status legis veteris ex suo non justificabat , premebat onere ceremoniarum , sed non habebat vim sublevativam ex suo : cupiditate temporalium , & timore eorundem promovebat ad observantiam : sed vivificativo spiritu interiori carebat , ideòque erant egena illius elementa ; & qui illis utebatur, elementis mundi , idest vacuis , dicebatur servire .

Lex vetus ex suo non justificabat .

Ex adversò status legis novæ habet de suo, quo justificet, & adoptet in filios Dei : promittit bona æterna immediatè observantibus legem , & perseverantibus tribuit post obitum reseratis Paradisi portis: Plena habet elementa , hoc est Sacramenta, quia habent vim activam sanctificandi : Propter prima capita lex vetus dicitur servitutis , & timoris : lex nova dicitur libertatis, adoptionis, & dilectionis : illa ex suo solos servos faciebat ; ista ex suo filios facit . Hanc mentem legitimam esse declarat tota Epistula ad Galatas , & alia plura loca Pauli . Itaque status legis novæ est dilectionis , quia filiationis . Vid. D. Th. *lect. 1. in cap. 4. ad Gal.*

Lex nova habet de suo quo justificet .

Porrò Aerem verberant voces illæ, quibus clamant Adversarii , nos asserere abolitam Christi sanguine, vel diminutam necessitatem divini amoris : non amare Deum novæ legis privilegium esse , & similia . Præceptum divinæ dilectionis urgemus , & sæpè urgere docemus , sed quando obliget , quando non, distinguimus, ne sit laqueus venantium . Ultrò prædicamus Christum venisse , ut ignem mitteret , & accendi cupimus , & ut accendatur , incumbimus ; sed pabula congruè comburenda præparamus .

Frustra clamant Adversarii nos necessitatem divini amoris minuere .

Privilegium legis novæ dilectio Dei est, privilegium ejusdem est excellentia Sacramentorum , & efficacia : Ut unum privilegium promoveatur, aliud non est deprimendum . Miserentis Dei pietas eminet in lege

Non uno medio ad salutē homines perducuntur .

nova ,

nova, quia non uno medio omnes ad salutem perducit. Multæ mansiones in domo Patris sunt, aliæ aliis meliores. Sunt parvuli, qui lacte indigent, sunt adulti, qui pane solido nutriendi sunt. Sunt debiles, quos fulcire oportet, sunt fortes, quos probare necessè est. Sunt duri, qui verberibus urgendi, sunt cupidi, qui præmiis animandi, sunt sponsi, qui pulchritudine ducendi sunt. Uno verbo cum Augustino alii amore, alii timore corriguntur; quia universæ viæ Domini Misericordia, & Veritas.

95 OB. XIV. Illa pœnitentia est necessaria dispositio ad minùs, quæ imperfectioribus convenire potest. Sed dilectiva pœnitentia initialiter, est minima, quæ imperfectioribus competere potest. Ergo hæc ad minùs est necessaria. Totum habetur ad Rom. 6. 19. illis. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ; sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem; ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem*. Si membra exhibenda sunt servire justitiæ, multò magis corda: servire autem justitiæ exhibet corda, qui ad diligendum Deum se applicat. Illud humanum dico, ideſt imperfectos alloquor, infirmitati condescendens, minora præcepta do.

Vi formæ arguendi colligeretur oppositum. Certum est, quod illud *humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ*, sonat illis tanquam infirmioribus leviora dare præcepta, majora autem sunt perfectioribus danda juxta illud 1. Corinth. 2. *Sapientiam loquor inter perfectos*. Et Hebr. 5. *Perfectorum est solidus cibus*. 1. Corinth. 12. autem loquens de charitate, ait. *Excellentiorem viam vobis demonstro*. Igitur pœnitentia per viam charitatis non est pro infirmis, & imperfectis.

Cæterùm ibi, ùt optimè advertit D. Th. ibidem, & contextus manifestum facit, agit Apostolus de sanctificatis per susceptionem Baptismi recenter conversis a gentilitate, quos instruit, ut possint augere sanctificationem, & hortatur, ut ad minùs utantur membris suis in executionem bonorum operum; sicuti usi sunt in executionem malorum: hoc appellat humanum, quia attendendo ad magnitudinem peccati multò plus esset faciendum juxta illud Baruch 4. *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis a Deo decies, tantùm iterum revertentes requiretis eum*.

Itaque illud servire justitiæ non stat determinatè pro diligere Deum, sed pro benè agere: attritus autem simplex bonum agit, adeòque servire justitiæ exhibet cor suum; scriptum est enim. *Timor Domini scientiæ religiositas*.

96 OB. XV. Nemo est ultimatè dispositus ad Sacramentum, nisi torqueatur per ea, per quæ peccavit *Sapient.* 11. Sed hoc fieri nequit, nisi per pœnitentiam dilectivam Dei; nam peccavit homo amoribus creaturarum rerum inhærens; ergo torquendum est cor, ut per vim avellatur, & amori Dei adhæreat. Non sufficit in lege nova, quod sufficiebat in veteri juxta illud Christi Domini. Matth. 5. 20. *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum non intrabitis in Regnum Cœlorum*. Justitia autem Pharisæorum absque charitate non dabatur.

Nullus directè peccat ut Deum offendat.

Nullus peccat directè ex intentione offendendi Deum; sed quia opus, quod eligitur propriæ voluntati consonum, a Deo prohibetur; non erit igitur necessè, quod directè Deus diligatur, sed quod opus ab ipso prohibitum deseratur: attritus autem deserit, dum retractat pravum amorem terrenorum ex recto amore Dei concupiscentiæ, seu spei. Torquetur cor, & avellitur, dum detestatur ea, in quibus complacebat.

Justitia Pharisæorum erat apparens; erat enim in præsumptione operis, & judicio alterius, carebat rectitudine intentionis, consistebat in lotione exteriori, non in veritate operis, afflictionem corporis per jejunia ostentabat, sed mandatorum observantiam omittebat, relictis gravioribus observationibus solicita erat de minimis, quæ omnia constant ex Evangelio. Christiana attritio longè distat; cum sit verus dolor interior de peccatis, cum proposito non peccandi de cætero: non est quidem ex motivo perfectiori, sed tamen est in spiritu, & veritate vitalis, & dispositiva justitiæ in veritate, & superabundat incomparabiliter ad Pharisaicam; & injuria fit manifesta per hujusmodi comparationem, quoniam per eam declaratur Christiana Attritio Hypocrisis, sicut erat justitia Scribarum. Teneamus, quod scriptum est. *Timor Domini ipse est Thesaurus ejus*. Et illud. *De locum timori Altissimi: quia omnis Sapientia timor Dei*. Utique servilis, de quo uterque contextus.

Christiana attritio longè distat a Justitia Pharisæorum.

§. III.

SCRIPTURALIA CASTORIENSIS ARGUMENTA COMPENDIARIE' REFELLUNTUR.

97 OBJIC. XVI. Hominis officium est diligere Deum: sed cum hoc officio non stat susceptio Sacramenti Pœnitentiæ sine amore benevolo Dei: ergo attritio simplex non est dispositio sufficiens. Major propositio sic probatur. I. Quia homo a Deo conditus est, ab eo reparatus, & ad ipsum factus. II. Quia ad imaginem Dei creatus, ut solùm Deum diligeret, nulli creaturæ inhæreret. III. Quia finis præcepti charitas: Charitas primum fuit in intentione legislatoris, debet ergo esse primum in intentione executoris. IV. Quia omnia præcepta in charitatem respiciunt: Miser est, qui charitatem non habet; Ad charitatem redire debet, qui eam amisit: Qui ab amandi officio deficit, peccat; nam ùt docet August. *lib. 3. de Doctrina Christiana* c. 10. — „ Deus non præcipit nisi charitatem, nec „ culpat, nisi cupiditatem — V. Quia Verbum venit ad oves, quæ perierant, mundum diligens, unde August. *tract. 7. in Jo.* — „ Jesus enim non erat opus, ut veniret, nisi „ propter charitatem —

Minor propositio explicatur. Homo Sacramentum suscipiens, hominis conditionem non exuit: ergo non solvitur ab officio amandi Deum: ergo, ut justificetur, necessè est, quod redeat ad officium diligendi: non enim

... Sacramentum successit officio diligendi; sed accessit. Hæc *Amor pœnitens lib. 1. cap. 1.*

Notanda pro solutione argumenti.

Pro solutione. Notandum est I. quod in Scripturis, & Patribus indifferenter sumitur gratia sanctificans pro charitate, & charitas pro gratia sanctificante; hinc iidem effectus, qui uni tribuuntur, & alteri tribuuntur: Tribuitur gratiæ sanctificanti, regenerare, remittere peccata, unire Deo, facere diligibiles, sanctificare, esse radicem omnis justitiæ, esse donum maximum: Hæc autem omnia tribuuntur charitati, ut videre est 1. *pr. Jo.* 3. *Matt.* 5.; 2. *Luca* 7., 3. 1. *Jo.* 4., 4. *Sap.* 8., 5. *ad Ephes.* 1., 6. *ad Rom.* 13., 7. *ad Colosf.* 3., *&* 1. *Corinth.* 13. Unde Aug. *lib. de natura, & gratia c.* 42. habet — Charitas est verissima, plenissima, perfectissimaque justitia. Et *cap. ultimo*. Charitas „ inchoata, inchoata justitia est, charitas „ perfecta, perfecta justitia est, charitas „ magna, justitia magna est &c. ipsa est „ gratia Dei per Jesum Christum Dominum „ nostrum — Et alibi sæpè.

Notandum est II. quod præceptum diligendi Deum, sicut & diligendi proximum est per se primò affirmativum; & per se secundò negativum: Quatenus affirmativum obligat pro determinatis temporibus, sed non pro semper: Quatenus negativum, obligat pro semper; quia tenemur nunquam facere contra finem charitatis.

Notandum est III., quod gratia media charitate est forma omnium virtutum, quatenus omnium virtutum actus, & habitus ordinat ad ultimum finem: de qua re videndi sunt NN. PP. Salmar. *tract.* 19. *disp.* 7. *dub.* 3. §. 1. 2., *&* 3. his positis, solvitur argumentum facillimè, & solidè sequentibus propositionibus.

Prima. Officium hominis est diligere Deum habituali dilectione continuò, quia tenetur habere gratiam, per quam conjungitur Deo, & per quam omnes actus virtutum, & habitus refert virtualiter in ultimum finem.

Secunda propositio. Officium hominis est diligere Deum semper negativè, idest tenetur ad nunquam agendum contra ultimum finem.

Tertia propositio. Officium est hominis diligere Deum positivè aliquoties, hoc est statutis temporibus tenetur homo elicere actus formales dilectionis Dei.

Quarta propositio. Officium hominis est reparare deperditam dilectionem Dei habitualem peccando, per media a Deo præordinata.

Quinta propositio. Homo suscipiens Sacramentum non exuit conditionem hominis, nec solvitur ab officio amandi Deum regulis prædictis; immò acta proponit adimplere totam legem.

Sed restat argumenti probandum, quod pro actuali susceptione Sacramenti requiratur prævius actus formalis dilectionis Dei; quia omnes regulæ prædictæ salvantur, quamvis in actuali receptione Sacramenti non urgeat officium actualis dilectionis Dei; & aliunde cum Sacramentum Pœnitentiæ sit per se collativum primæ vitæ continet eminenter efficaciam charitatis perfectæ; ac per consequens potest supplere defectum illius; & sub dispositione inferiori ad charitatem producere gratiam sanctificantem, per quam reparatur iterum officium diligendi Deum habituali charitate, quod fuerat per peccatum deperditum: Quare optimè Sacramentum pro casu reconciliationis successit.

98 OB. XVII. Homo tenetur continuò diligere Deum; opera quidem, locum, & tempus mutare potest; sed nunquam dilectionem; sic enim sonat datum de dilectione præceptum — Nullam nostræ vitæ partem „ relinquit, quæ vacare debeat, & quasi „ locum dare, ut alia re velit frui — inquit Augustinus *lib.* 1. *de Doctrina Christiana cap.* 22.

Huc facit illud 1. Petri 4. *Ante omnia autem mutuam in vobis metipsis charitatem continuam habentes*. Huc illud Christi Matth. 6. *Quærite primum Regnum Dei, & justitiam ejus*. Idest inquit Augustinus *lib.* 2. *de Ser. Domini cap.* 16. — Regnum, & justitia Dei bonum „ nostrum est, & hoc appetendum, & ibi „ finis constituendus, propter quem omnia „ faciamus quæcumque facimus —

Huc illud Pauli *ad Coloss.* 3., *&* 1. *ad Corinth.* 10., cui alludens August. *lib.* 12. *de Civit. cap.* 13. ait — Quidquid in usu tem„ poralium rationabiliter facimus æterno„ rum adipiscendorum amore faciamus per „ ista transeuntes, illis inhærentes —

Hujus rationem assignat Dionysius Carthusianus *lib. de passionibus animi art.* 3. sic. Qualis est ordo potentiarum inter se talis est actuum, & objectorum: sed ordo potentiarum est, quod inferiores subdantur intellectui, & voluntati: ergo actus, & objecta earumdem subduntur actibus, & objectis intellectus, & voluntatis. Objectum autem intellectus est verum, & divinum primum locum tenet: objectum voluntatis est bonum, & divinum est optimum: adeoque objecta inferiorum potentiarum subduntur vero divino, & bono: ergo omnes earum actus subduntur dilectioni Dei; ergo omnes actus nostri debent ab amore dirigi, & ad amorem terminare. Rectè Augustinus — Omnes Scripturæ te docent, „ nisi continentiam ab amore seculi, ut „ amor tuus curat in Deum —

Atqui cum hac doctrina non stat Sacramentum suscipi posse absque dilectione Dei; Nam, qui cor suum avertit ab amore Dei peccat; qui peccat frangit legem æternam, quæ est secundùm D. Thom. — Ratio di„ vina, vel voluntas Dei ordinem naturalem „ conservari jubens, & perturbari vetans — Sed ordo naturalis est, ut caro serviat spiritui, Spiritus Deo, ut habet August. *lib.* 22. *contrà Faustum cap.* 27., *& cap.* 28. ergo reparari debet hic ordo perturbatus subdendo iterum Deo spiritum.

Ordinem frangit quotiescumque alia præfert Deo, ordinem ergo non potest reparare, nisi Deum omnibus præferendo, utatur quibuscumque Sacramentis; siquidem rectè inquit Cæsarius exhortar ad tenendam charitatem — Omnibus enim notum est, „ quia amor amore vincitur &c. contraria „ solent sanare contraria, & nihil ita est „ adver-

„ adverſum, vel contrarium charitati, quæ „ fundamentum eſt omnium bonorum „, „ quem cupiditas, quæ eſt radix omnium „ malorum -- Qui vult ergo juſtificari ne„ ceſſe eſt, quod diliget Deum: Qui inſtrumente aſſumit reconciliationis tunc primùm Regnum Dei debet quærere; prædominium creaturæ frengere, & prædominium Dei procurare. Hæc *Amor pœnitens lib.* 1. *cap.* 2.

RESP. Nihil majus dicit hoc argumentum, quàm ſupra præcedens, ideo jam ſolutum eſt. Homo tenetur continuò diligere Deum, primò dilectione habituali, qua permanente omnes actiones hominis bonæ referuntur virtualiter in Deum. Secundò dilectione negativa, hoc eſt, tenetur homo ſemper abſtinere ab operibus, quæ ſunt contra charitatem. Tertiò tenetur facere actiones, quæ ex ſua natura ſunt referibiles in Deum, licèt actu propter ſubjecti diſpoſitionem aliquando ſiſtant negativè in bono proprio, ut ſunt actus Fidei, Spei, Timoris, Eleemoſynæ, auditionis Sacri, & ſimiles in peccatoribus.

Homo non tenetur continuò elicere actus formales amoris Dei.

Non tenetur tamen diligere Deum continuò ad hunc ſenſum, ut continuò eliciat actus formales amoris Dei. Cum hac autem doctrina ſtat optimè, quod homo media ſuſceptione actuali Sacramentorum poſſit juſtificari abſque prævio amore formali Dei, efficaciâ ipſius Sacramenti inſtituti per ſe ad dandam primam gratiam, ſupplente: & ordo perturbatus per habituale peccatum, reparatur per productionem gratiæ habitualis; & ſic contraria curantur contrariis; vitaliter autem reparatur, diſpoſitivè, & præparativè per attritionem ortam ex amore recto ſui, qui ſufficienter eſt contrarius amori inordinato, qui fuit in peccato. Jam hæc fusè explicata.

99 OB. XVIII. Chriſtus Joan. 13. dicit. *Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem, ſicut dilexi vos.* Hoc mandatum novum, & proprium Chriſti dicitur ſecundùm Auguſtinum *Tract.* 83. *in Joan.* propter tria. Primum, quia dilectio vera proximi non ſtat abſque dilectione Dei. Secundum, quia nihil ad ſalutem prodeſt ſine charitate. Tertium, quia nihil ad ſalutem deeſt, ubi charitas reperitur. Ergo timor abſque amore Dei: ergo Sacramenta abſque charitate non proſunt ad ſalutem. Hæc *Amor pœnitens lib.* 1. *cap.* 3. obi inſerit illud etiam 1. *ad Corinth.* 13. ſuperiùs ſolutum, quod non repeto.

RESP. Ad ſalutem meritoriè nihil prodeſt abſque charitate; diſpoſitivè tamen opera bona abſq. charitate ad ſalutem multùm conducunt, propter quod Daniel adhortabatur Regem infidelem ad redimenda peccata eleemoſynis; & eſt doctrina definita in Concilio Trident. *Seſſ.* 6., quod actus Fidei, Spei, & Timoris informes diſponunt ad juſtificationem: Quapropter dolor de peccatis attritivus abſque Dei amore diſponere poteſt proximè in Sacramento ad ſalutem primam ipſa Sacramenti virtute ſupplente vim formalis amoris Dei.

Sacramenta nihil proſunt ad ſalutem abſque charitate habituali, hoc eſt, ſi charitatem habitualem non producunt, tamen poſſunt prodeſſe abſq. charitate actuali prævie requiſita pro diſpoſitione, ſi ſint Sacramenta mortuorum; & cum charitas actualis ſit vera hominis vita, Sacramentum mortuorum eſſet Sacramentum vivorum, ſi illam deberet ſupponere.

100 OB. XIX. Non juſtificatur, niſi quis tranſeat de morte ad vitam; peccatum enim eſt animæ mors, dicente Auguſt. *tract.* 19. *in Joan.* -- Sicut anima eſt vita corpo„ ris, ita vita animæ eſt Deus -- Et in *Pſal.* 118. *Conc.* 10. -- Terrenis adhærere „ mors animæ -- Sed nemo adultus transfertur de morte ad vitam abſque charitate, dicitur namque Jo. 1. 3. *Qui non diligit, manet in morte.* Et Auguſt. *tract.* 9. *in Joan.* -- Quo„ modo corpus tuum ſine ſpiritu, qui eſt „ anima tua, ſi fuerit, mortuum eſt; ſic „ anima tua ſine Spiritu Sancto, ideſt „ ſine charitate, ſi fuerit, mortua deputa„ bitur -- Ergo abſque charitate non juſtificatur homo; & quidem abſque charitate actuali, loquitur enim Scriptura de illa, qua diligitur proximus non verbo, ſed opere, & veritate: Ideo habet. *Omnis, qui non eſt juſtus non eſt ex Deo, & qui non diligit fratrem ſuum.*

Porrò Sacramentum externum non eſt dilectio opere, & veritate, non eſt plenitudo legis, non ergo transfert de morte ad vitam, & de illo verificatur, quod de Baptiſmo profert Beda *in Epiſt. Joan. cap.* 3. -- „ Baptiſmatis, & Fidei myſterium illis ſo„ lummodò prodeſt, illos de morte trahit „ ad vitam, qui ſincere mente diligunt fra„ tres -- Utique clamat Paulus ad Rom. 8. *Non accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore; ſed accepiſtis ſpiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater.* Dilectio eſt differentia novi, & veteris Teſtamenti. Hæc *Amor pœnitens lib.* 1. *cap.* 4.

Duplex a Philoſophis vita admittitur.

RESP. duplicem vitam a Philoſophis admitti: prima, quæ toti ſuppoſito tribuit vivere, ſecunda ſolis potentiis: Prima eſt vita in actu primo per formam viventem conſtituta: ſecunda eſt vita in actu ſecundo per operationem. ille eſt ſimpliciter vita, hæc ſecundùm quid: illa ſubſtantialis, hæc accidentalis: illa radicans, hæc radicata. Quod in ordine naturali accidit, e quo proportionem deſumit arguens, pariter in ordine ſupernaturali evenit. Datur vita primaria, & propriè dicta actus primi, quam gratia ſanctificans dans primum eſſe tribuit, datur ſecundaria per operationem habita; & quia præcipua operatio eſt charitas, ideo ipſi principaliter attribuitur.

Per quid inducatur mors animæ.

Nunc ſic. Mors corporis propriè dicta non habetur per ceſſationem ab operatione, ſed per privationem animæ informantis. Ita pariter mors animæ habetur non per ceſſationem ab operatione, ſed per privationem gratiæ ſanctificantis: ergo ſicut corpus mortuum, ut tranſeat ad vitam debet animam induere; ita ut anima redeat ad vitam, debet gratiâ informari, quæ charitas vocatur, & patet auctoritate ipſa Aug. inducta *ex tr.* 9. *in Joan.*, quare argumentum optimè probat neceſſariam eſſe gratiæ infuſionem, ut loquitur Trid. *Seſſ.* 6. *cap.* 7. Non autem eſſe neceſſa-

necessarium pro dispositione formali charitatis actum. Quum ergo Sacramentum Pœnitentiæ destinatum sit per se ad producendam gratiam, per ipsius sumptionem debet posse homo justificari.

Locus porrò Joan. vel accipitur contrariè, vel negativè. Si accipitur contrariè, prout contextus insinuat, habetur enim: *Qui odit fratrem suum in tenebris est: qui odit fratrem suum homicida est*; Verum est eum, qui non diligit esse in morte, quia habere odio fratrem peccatum est. Si accipiatur negativè, idest, qui cessat ab actu diligendi: si intelligatur pro tempore quo obligat præceptum dilectionis, verum est, quia frangere præceptum peccatum est; si intelligatur pro tempore, quo non obligat, falsum est; si postea intelligatur negativè, idest, qui non habet gratiam, seu principium dilectionis, manet in morte, verum est; at non probatur inde necessariam charitatem actualem pro dispositione Sacramentali.

Et quando subditur, quod Scriptura loquitur de charitate operosa, concedimus. Gratia, & Charitas sunt habitus ad agendum expediti: & imperat Charitas, quæ est principium proximum, omnes virtutes. Diligit opere, & veritate, & non solùm verbo, & lingua, qui opera charitatis adimplet quando occasio se offert, & proximus indiget, & lex obligat.

Textus Pauli ad Romanos solùm probat legem gratiæ esse amoris, quia impellit ad observantiam legum timore non pœnarum per se primò, sed dulcedine dilectionis; abundantiâ auxiliorum, promissione cœlestium. Cæterùm sicut in lege veteri, quæ erat timoris, non tenebantur Judæi semper habere timorem, & nunquam charitatem; ita in lege gratiæ Fideles non semper tenentur habere charitatem, & nunquam timorem; de utroque enim actu datur in lege nova, & consilium, & præceptum.

Dictum Bedæ non est ad rem: Sensus enim est susceptum Baptismum non prodesse ad salutem iis, qui postea promissum præceptum dilectionis non adimplent, & hos non transfert de morte ad vitam æternam. Nisi velis dicere loqui de illis, qui suscipiendo Baptisma actu retinent pravum affectum erga fratres, tunc enim ponunt obicem: cæterùm in alio sensu nec loquitur, nec loqui potest; siquidem Sacramentum Baptismi est per se institutum ad regenerandum, non autem regeneraret si gratiam jam supponeret per charitatem inductam.

101 OB. XX. Conversis dat Deus remissionem peccatorum: Isa. 6. *Si conversus fueris, & ingemueris, salvus eris*. Zach. 1. *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*. Sed non datur conversio sine charitate: ergo. Min. explicatur. Conversio necessaria non est solius operis externi, sed cordis, juxta illud Isa. *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis*. Ezech. 18. *Projicite a vobis omnes prævaricationes vestras, in quibus prævaricati estis, & facite vobis cor novum, & spiritum novum*. Joel. 2. *Convertimini ad me, dicit Dominus, in toto corde vestro, & fletu, & planctu, scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*, sed conversio cordis non habetur sine dilectione, nam conversio cordis habetur, quando affectus cordis, qui creaturis inhærebant, a creaturis abstrahuntur, secundùm D. Bernar. *Serm. 2. in cap. Jejunii*. Quatuor sunt cordis nostri affectus, amor, & timor, gaudium, & tristitia, & ii sunt convertendi, non possunt autem converti, nisi in Deum tendant, sicut ante tendebant in creaturas. Videatur circa hoc D. Fulgen. *de remissione peccat. cap. 6. 8.* an. 14. *Amor pœnitens lib. 1. cap. 5.*

RESP. duplicem esse conversionem; consummatam, seu perfectam, & vialem, seu dispositivam. Prima importat hominis renovationem per gratiam, & donorum susceptionem, quam describit *Sess. 6. cap. 7.* Trid. Secunda importat præparationem per actus, & cætera necessaria pro suscipienda gratia justificationis. Conversis primo modo non dat Deus remissionem peccatorum nisi intransitivè, quia sive remissio sit distinctum beneficium, sive non a gratia, infusio gratiæ fert secum essentialiter culpæ remissionem, unde sine ea nequit intelligi perfecta conversio.

Conversio alia perfecta, alia dispositiva.

Conversis secundo modo dat Deus improprietè peccatorum remissionem: quæ cum habeatur media gratiæ infusione, non debet supponere charitatem, quæ non stat sine gratia; quare inter actus disponentes non est essentialiter, & indispensabiliter requisita charitas. Affectus nostri converti debent vialiter, dispositivè ante susceptionem Sacramenti, consummativè post susceptionem. Charitas ergo non est necessaria antecedenter in se formaliter, sed solùm in debito, in via, virtualiter eo modo, quo forma dicitur esse in dispositionibus, & actus in debito; sicut optimè explicant Nostri Salm. de voluntario inquirentes; an ad omissionem liberam requiratur actus.

ARTICULUS TERTIUS.

AN EX DOCTRINA ECCLESIÆ SIMPLEX ATTRITIO SIT SUFFICIENS DISPOSITIO, ET PROXIMA AD SUSCIPIENDUM SACRAMENTUM PŒNITENTIÆ.

102 Ecclesia dupliciter sumitur, formaliter, & repræsentativè. Formaliter est ipsa congregatio Fidelium per totum Orbem diffusa: Repræsentativè est ipsa, ut in Conciliis congregata, quibus Deus speciali providentia assistit, juxta illud Matth. 18. 20. *Ubi sunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Quapropter infallibilitate gaudent in Canonicis decisionibus ad fidem, & mores spectantibus. In præsenti Articulo inquirimus, quid sentiat Ecclesia circa simplicem attritionem pro valore Sacramenti; & an Concilia simplici attritioni vim sufficientis dispositionis ultimæ in Sacramentis mortuorum concedant. His sit conclusio.

Dicendum est, quod ex Doctrina Ecclesiæ simplex attritio Christiana est sufficiens dispositio ultima in Sacramentis mortuorum.

Ex Doctrinâ Ecclesiæ attritio est sufficiens dispositio in Sacramentis mortuorum.

Attritio pertinet ad materiam proximam Pœnitentiæ.

103 **PROB. I.** *Positivè*. Dolor, qui est materia proxima, & para Sacramenti Pœnitentiæ, est dispositio ultima ad suscipiendam gratiam in eodem: Sed attritio simplex pertinet ad materiam proximam Sacramenti Pœnitentiæ; ergo est dispositio ultima sufficiens. Debemus ostendere minorem, major enim ab Adversariis admittitur. Eugenius IV. in Decreto Unionis, in explicatione quarti Sacramenti habet — Cujus quasi „ materia sunt actus pœnitentis, qui in tres „ dividuntur partes; quarum prima est, „ cordis contritio, ad quam pertinet, ut „ doleat de peccato commisso cum proposi„ to non peccandi de cætero —

Attritio Christiana est membrum verum contritionis hìc descriptæ; siquidem contritio partitur in perfectam, & imperfectam, quæ communiter attritio dicitur; eique convenit definitio ibidem posita, cum veracissimè sit dolor de peccato commisso, cum proposito non peccandi de cætero. Indefinitè loquitur Pontifex nullum determinatè tangens, aut insinuans doloris illius motivum, quia omne supernaturale comprehendit; si autem necessariò dolor deberet esse dilectivus Dei super omnia, ad minùs insinuasset, & debuisset indicare. Videmus in aliis Sacramentis expressam tradere qualitatem materiæ, ubi propter generalitatem indifferentia potest latere æquivocatio.

In Baptismo exprimit aquam veram, & naturalem, quia dividitur in naturalem, & artificialem, & hæc non sufficit. In Eucharistia exprimit panem triticeum, quia panis dividitur in triticeum, & hordeaceum, & alias species, & istæ non sufficiunt. Exprimit vinum de vite, quia vinum dividitur in vinum de vite, & de palmis, & similibus, & hoc non sufficit. In Extrema Unctione exprimit oleum olivæ, quia oleum dividitur in oleum olivarum, nucum, & similium, & hæc olei genera non sufficiunt. Cum ergo contritio dividatur in perfectam, & imperfectam; & dolor de peccato sit propter amorem Dei, & propter metum pœnarum, si uterque dolor, utraque contritionis species non esset materia sufficiens utique expressisset, & debuisset exprimere Pontifex.

Quin immò ab exemplis nunc relatis argumentum validè fulcitur. Panis triticeus si essentiam, & veritatem tritici retineat, sive perfectus, sive imperfectus, sive benè coctus, sive imperfectè coctus sufficiens materia est Eucharistiæ: Similiter de vino vitis dicitur, quod tamen pariter in plures species perfectiores, & imperfectiores. Cum ergo innegabiliter attritioni nostræ conveniat definitio, adeoque essentia contritionis ibi explicatæ, idest dolere de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, sequitur evidenti illatione comprehendi sub contritione, quæ est materia sufficiens Sacramenti Pœnitentiæ.

Scholastici ante Concilium Florentinum usurparunt nomen Attritionis.

104 Neve dicas I. tempore Eugenii non fuisse usum hujus nominis *Attritio*, nam de ea mentio evidens fit apud Scholasticos præcedentes, ut notum est in ipsorum libris: Deinde etiamsi daremus non fuisse usum illius nominis (quod tamen negamus) erat tamen notissimum quoad rem; siquidem frequentissimè Patres anteriorum Seculorum mentionem faciunt pœnitentiæ ob metum pœnarum, & pœnitentiæ ob Dei amorem: sicut ante Lateranense sub Innocentio III. non erat usus hujus nominis *transubstantiatio*, erat tamen quoad rem: Ante Tridentinum non erat usurpatio hujus vocis *causare gratiam ex opere operato*, erat tamen quoad rem; si ergo insufficiens esset dolor ex motivo gehennæ certissimè excepisset Concilium.

Quod si dicas II. exempla panis, vini, olei non suffragari, quia melior panis, aut vinum non est melior materia Eucharistiæ, secus in Sacramento Pœnitentiæ, ubi melior contritio est melior dispositio; negari tamen nequit, quod unus panis non sit melior materia, v. g. defæcatior, & candidior.

105 **PROB. II.** Odium peccati ortum ex timore servili Dei vindicis est simplex nostra attritio; sed odium hujusmodi est sufficiens dispositio ultima pro Sacramento mortuorum: ergo attritio simplex est ultima dispositio sufficiens. Argumentum totum habetur in Concilio Trid. *Sess. 6. cap. 6.* ubi traditur modus præparationis ad justificationem primam sacramentalem adulti, illis — Di„ sponuntur autem ad ipsam justitiam, dum „ excitati divinâ Gratiâ, & adjuti fidem „ concipientes liberè moventur in Deum „ credentes vera esse, quæ divinitùs reve„ lata, & promissa sunt: atque illud in„ primis a Deo justificari impium per gra„ tiam ejus, per Redemptionem, quæ est „ in Christo Jesu, & dum peccatores se „ esse intelligentes, a divinæ Justitiæ timore „ utiliter concutiuntur, ad considerandam „ Dei misericordiam se convertendo, in „ spem eriguntur, fidentes Deum sibi prop„ terea Christum, propitium fore: illum„ que tanquam omnis justitiæ fontem dili„ gere incipiunt: ac propterea moventur „ adversùs peccata, per odium aliquod, & „ detestationem, hoc est per eam pœniten„ tiam, quam ante Baptismum agi opor„ tet —

Ex se evidens est, & omnes nostri Adversarii concedunt, odium peccati hìc descriptum esse simplicis attritionis, si illud *Diligere incipiunt*, non sit amor benevolus Dei, sed sit amor concupiscentiæ, & spei. Hoc autem mihi indubium videtur. Ibi Deus tanquam fons omnis justitiæ, stat pro Deo, ut sanctificatore: evidens est, quod dilectio Dei, ut sanctificatoris, sicut & glorificatoris est dilectio amoris concupiscentiæ. Omissis innumeris Scripturæ locis, quibus Deus tanquam omnis justitiæ fons sanctificator noster dicitur, ostendit contextus Concilii.

Cap. 2. Dicit Patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis misisse Filium suum, ut redimeret gentes, & apprehenderent justitiam, quam propitiatorem proposuit pro peccatis nostris in sanguine suo. Cap. 5. Declarat exordium justificationis a Deo esse, cujus gratia homo se liberè movet ad justitiam coram ipso. Et hoc quia Deus est Auctor justitiæ nostræ. Cap. eodem 6. dicitur credentes in primis a Deo justificari impium per gratiam ipsius. Ecce qui primò creden-

due

dus est justificator, postea diligendus ut ejusdem justificationis fons.

Cap. 7. Enumerans causas justificationis nostræ de efficienti habet. Efficiens verò Misericors Deus, qui gratuitò abluit, & sanctificat &c. Ecce fons justitiæ. Infra de causa formali. Est justitia Dei, non qua ipse justus est, sed qua nos justos facit. Ecce quid sit fons omnis justitiæ: sane alia loca in Concilio illud confirmantia: In re clara non est ulterius immorandum.

Ostenditur 2. esse amorem spei. Amor, qui comprehenditur sub eodem fundamento spei essentialiter, est actus amoris concupiscentiæ: sed illud *diligere incipiunt* comprehenditur sub eodem fundamento spei; ergo est amor concupiscentiæ. Declaratur. Concil. Tridentinum agens ibi contra Hæreticos, & instruens Catholicos, quidquid asserit, solidis Scripturis demonstrat; nullam autem adducit pro amore benevolo Dei, & nullam prorsus insinuat; est ergo evidens signum, quod comprehendit illud *diligere* sub motivo alterius actus ex ibi enumeratis; non est alius, nisi actus spei, & ad summum actus timoris, adeoque est amor concupiscentiæ.

106 Ostenditur 3. Illud: *Incipiunt diligere tanquam omnis justitiæ fontem*: necessariò intelligi debet in eo sensu, quem particula copulativa secundùm naturam rerum postulat: hæc est vera regula legitimæ interpretationis alicujus textus, si fortè aliqua ambiguitas misceatur: Sed & natura rerum, & vis copulationis exigit sensum amoris concupiscentiæ; Ergo iste est asserendus. Declaratur. Terminus ille copulativus *illumque*, unit cum eo *Deum propitium*, in quem fidimus: Ideo propitius ad sanctificandum, quia misericors, & fons omnis justificationis; quæ omnia sunt motiva amoris concupiscentiæ.

Natura rerum postulat, ut qui sperat bonum aliquod ab altero consequi, ipsum diligat ut sibi beneficum; quapropter sæpe D. Thomas affirmat spem esse causam dilectionis concupiscentiæ ergà eum, a quo speramus obtinere aliquid. 1. 2. *q.* 40. *art* 7. habet -- In quantùm igitur spes respicit bonum speratum, spes ex amore causatur;
„ non enim est spes, nisi de bono desiderato, & amato. In quantùm verò spes
„ respicit illum, per quem fit nobis aliquid
„ possibile, sic amor causatur ex spe, &
„ non è converso. Ex hoc enim, quod per
„ aliquem speramos nobis posse provenire
„ bona, movemur in ipsum, sicut in bonum
„ nostrum, & sic incipimus ipsum amare --
Potest ne clariùs agere? Incipimus ipsum amare ut bonum nostrum: Idem habet *q.* 62. *art.* 4. *ad* 3. ubi in utroque loco Seraphinus Capponi a Porrecta insignis ille Commentator in Appendica pro utilitate Ecclesiæ advertit hanc esse ipsam Tridentini Doctrinam *Sess.* 6. *cap.* 6.

Quod si secundò dicas *incipiunt diligere*, quia non est consummata in Catechumeno dilectio Dei; nihil adstruis, quia neque fides, neque spes, neque timor, neque odium sunt actus consummati in Catechumeno; & a fortiori, quia magis distant a forma consummativa; & Catechumenus est in omnibus virtutibus infirmus, & imperfectus.

107 Ostenditur 4. Si loqueretur de amore benevolo Dei, ejusdem ordinis, & generis exigeret odium peccati: sed hoc est clarè falsum; ergo non loquitur de amore benevolo. Major est certa, quia detestatio oriretur ex ea dilectione, quæ esset regulativa motus adversus peccatum. Minor ostenditur: Prosequitur Concilium. *Ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod*. Ista locutio *per odium aliquod*, incontrovertibiliter non determinat motivum Dei propter se: supponit innegabiliter dari odia peccatorum diversi generis, hoc est, ex diversis motivis supernaturalibus, & quodlibet sufficere; & idem *per odium aliquod*.

Si non intenderet Concilium sufficere quodlibet odium, idest ex quolibet motivo supernaturali, non posuisset particulam *aliquod*, sed vel absolutè dixisset *per odium*, vel addidisset particulam determinantem qualitatem detestationis. Ut Eruditis notum est, exactissimi erant Patres in cudendis decretis, & omnia verba ponderabant, adeoque cogimur fateri succum contineri in illo verbo *aliquod*, nec aliud est, nisi quod diximus.

108 Ostenditur 5. Ex sequentibus verbis: *Hoc est per eam pœnitentiam, quam ante Baptismum agi oportet*. Illa circumlocutio, ea pœnitentia, quam ante Baptismum agi oportet, significat dari pœnitentiam, quæ est agenda ante Baptismum in re suscipiendum, & dari pœnitentiam, quæ est agenda non ante Baptismum in re, de quo contextus loquitur. Ista secunda pro certò debet esse ex amore Dei, quia justificat in voto Sacramenti; prima non necessariò est ex amore Dei, quia non justificat, nisi in Sacramento.

Uno verbo illa circumlocutio significat peragendam pœnitentiam juxta exigentiam Baptismi, qui est Sacramentum mortuorum, quod est dicere lineæ inferioris pœnitentiam. Et hìc accipe egregiam Doctrinam D. Augustini *lib.* 1. ad Simplicianum illis conceptam --
„ Fiunt ergo inchoationes quædam fidei
„ conceptionibus similes, non tamen solum
„ concipi, sed etiam nasci opus est -- Loquitur de Catechumenis, quos comparat Embrionibus. Cum Baptismus sit Sacramentum regenerationis, dispositio ultimatè sufficiens debet proportionari dispositioni præviæ, & ultimæ, quæ habetur in materiali, & naturali generatione, & Embrio vocatur. Hìc autem dispositio ista est ordinis inferioris ad vitam rationalem, & nullo modo est formalis vita rationalis, neque initiativè, dicam formalis, dispositivè non est difficultas.

Itaque etiam in generatione spirituali dispositio ultima sufficiens non est necesse, quod sit formaliter de linea vitæ charitatis, quæ per regenerationem recipitur, & perficitur; adeoque sufficit, quod sit ordinis inferioris, hoc est ex motivo inferiori ad motivum charitatis. Hùc facit Augustini sententia superiùs indicata *lib. de Catechizandis rudibus*, ubi ait fieri Christianum, qui Baptismum suscipit vel æternalium suppliciorum timore, vel cœlestium bonorum amore.

109 Ostenditur 6. Concilium ibi probans necessitatem fidei utitur testimonio Pauli ad Hebr. 11. illud autem testimonium pro-

ponit Deum solùm, prout est motivum amoris spei. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia est, & quod inquirentibus se remunerator sit.* Quia est, existentiam significat: *quia remunerator*, est motivum amoris concupiscentiæ: cum ergo Concilium illud *Incipiunt diligere* reguler lumine fidei, & motivum per lumen fidei exhibitu; & nullum aliud ibi insinuet præter indicatum, planè fit illud intelligere de amore spei. Remunerator, & fons omnis justitiæ æquipollent.

Omnia benè consonant. Fides cap. 8. initium dicitur, fundamentum, & radix omnis nostræ justificationis, quia est primus motus, quo homo tendit in Deum qua primus, & principalis justificator est; & ideo fons omnis justitiæ. Accipe contextum -- „ Fidem ex auditu concipientes liberè moventur in Deum credentes vera esse, quæ divinitùs revelata, & promissa sunt: atque illud in primis a Deo justificari impium „ per gratiam ejus -- Ecce fides disponens fertur in Deum promittentem, fertur in Deum justificantem, ideo in fontem omnis justitiæ; per consequens primus motus voluntatis dilectivæ fertur in Deum ut justificatorem, ut promissorem; adeoque amor spei.

Ordinem hunc, quo Deus perducit hominem ad justificationem videtur accepisse Concilium a B. Gregorio *lib. 2. in cap. 1. Reg 1.* ubi dicit -- Ut mortificet, quippe „ ducit ad inferos, & ut vivificet, reducit „ ab inferis. Omnipotenti etenim Deo ad „ inferos ducere est peccatorum corda „ æternorum cruciatuum consideratione „ terrere. Ei quoque ab inferis reducere „ est territas pœnitentium, atque commissa „ lugentium mentes spe vitæ indeficientis „ attollere. Tunc quippe peccare desinimus, cum superna gratia mollitis cordi„ bus futura tormenta formidamus. Et ab „ inferis reducimur, cum interno visitati „ solatio ad spem veniæ de pœnitentiæ lamento respiramus -- Ecce qualiter ex timore pœnæ disponatur homo ad justificationem. Quæ ab Adversariis ex hoc loco Concilii arguntur inter argumenta solvenda referemus.

810 PROB. III. Dolor de peccatis ultimò disponens ad gratiam in Sacramento Pœnitentiæ est sufficiens materia proxima ejusdem. Sed simplex attritio ultimò disponit: Ergo est materia sufficiens. Hoc habetur in Concilio Tridentino *Sess. 14 cap. 4* ubi -- Illam verò contritionem imperfectam, „ quæ attritio dicitur, quoniam, vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex „ gehennæ, & pœnarum metu communiter „ concipitur, si voluntatem peccandi excludat, cum spe veniæ: declarat non „ solum non facere hominem hypocritam, „ & magis peccatorem, verùm etiam donum Dei esse, & Spiritus Sancti impul„ sum, non adhùc quidem inhabitantis, sed „ tantùm moventis, quo pœnitens adjutus, „ viam sibi ad justitiam parat. Et quamvis „ sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, „ tamen eam ad Dei gratiam in Sacramento „ Pœnitentiæ impetrandam disponit. Hoc „ enim timore utiliter concussi Ninivitæ „ ad Jonæ prædicationem, plenam terroribus pœnitentiam egerunt, & misericordiam a Domino impetrarunt. Quamobrem „ falsò quidam calumniantur Catholicos „ Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit -- Locus iste ita clarus est, quod Cardinalis Brancatus dixerit esse de fide, quod attritio simplex sit sufficiens ultimatè dispositio ad justificationem in Sacramento Pœnitentiæ; quod alii plures ex Doctoribus dixerunt, quorum eruditum Cathalogum contexuit eximius Vir quidam Franciscanæ Familiæ exhibendum Supremo Pastori. Hoc ego nequaquam dico, nec dicendum esse affirmo.

Dictū Cardinalis Brancati.

Placet tamen textum expendere ipsum in duas dividendo propositiones. Prima propositio est, quod agat de attritione in sensu nostro, videlicet, de simplici, non includente dilectionem formalem Dei propter se, quam inchoatam dicunt. Secunda, quod intelligat justificare in Sacramento ultimatè disponendo.

Prima constat manifesta definitione, seu descriptione -- Quæ attritio dicitur, „ quoniam, vel ex turpitudinis &c. -- Illud *Quoniam* est causalis unica intrinseca, & constitutiva: sed illud nullam includit motivum dilectionis formalis Dei propter se; ut planum est; ergo agit de attritione omninò simplici; Nec in Scholastico rigore distinguente virtutum species, & actuum differentias essentiales per objecta formalia pressiùs, & castigatiùs loqui poterat Concilium.

Constat ex positione adversativa ad contritionem propriè dictam. *Illam verò contritionem imperfectam.* Atqui illa constituitur in sua differentia per dilectionem Dei formalem propter se. *Charitate perfectam.* Non charitate perfecta, sed *charitate perfectam*, idest constitutam, & conceptam. Ergo attritio non includit in sua differentia constitutiva dilectionem formalem Dei propter se; quoties enim prædicatum genericum dividitur in duo membra, constitutivum differentiale unius membri non ingreditur in constitutivo differentiali alterius membri: porrò ex Concilio differentiale contritionis propriè dictæ est dilectio formalis Dei propter se; adeoque ista non pertinet ad differentiale attritionis.

Constat ex verbo probativo, & contestativo. *Communiter concipitur.* Quod duplici sensu intelligitur. Communiter a multitudine, & communiter a modo pœnitendi. Communiter a multitudine, quia populus Christianus ita distinguit, & concipit attritionem, ut sit dolor de peccatis non ex motivo dilectionis Dei propter se, sed propter aliud motivum inferiùs: sic instruitur a Parochis, & quidem inhærendo vestigiis Scripturæ, & Patrum, a quibus peccatores provocantur ad pœnitentiam minis æternorum suppliciorum. Communiter a modo pœnitendi, quia in populo Christiano paucissimi sunt, qui amore Dei convertantur; & ut optimè Bellarminus notat, impius, & peccatorum sordibus involutus amore virtutis, nisi ex singulari miraculo Dei converti potest; & ideo ordinaria

narta providentia Dei , & misericordia erga peccatores timore pœnarum ad pœnitentiam ducit.

Constat, „ & quidem ad hominem ex Canone V formato ex Doctrina cap. 4. hujus: Ubi — Si quis dixerit eam contritionem , „ quæ paratur per discussionem , collectio-„ nem , & detestationem peccatorum , „ qua quis recogitat annos suos in amaritu-„ dine animæ suæ ponderando peccatorum „ suorum gravitatem , multitudinem, fœdi-„ tatem , amissionem æternæ beatitudinis , „ & æternæ damnationis incursum cum pro-„ posito melioris vitæ , non esse verum , & „ utilem dolorem , nec præparare ad gra-„ tiam &c. anathema sit. — Ecce nec verbum dilectionis Dei propter se .

Trid. illam approbat attritionem, quam dicebat Lutherus facere hominem hypocritam.

Constat, & quidem evidenter ; quia directè intendit approbare attritionem, quam dicebat Lutherus facere hominem hypocritam ; sed Lutherus reprobabat eam , quæ est ex motivo simpliciter pœnarum absque inclusione formali dilectionis Dei . Ergo istam approbat Concilium . Mens , & sensus Lutheri habetur manifestè in assertione articuli sexti ex damnatis a Leone X., & in Sermone de Pœnitentia , cujus contextum quamvis prolixum subjicio , quia ex eo Concilii textus palam fit , & doctrina simplicis attritionis non modicè roboratur .

Sic ergo Lutherus — Contritio (sic „ enim cœpit vocari vera pœnitentia inte-„ rior) duplici via paratur . Primò per di-„ scussionem , collectionem , detestationem „ peccatorum, qua quis, ùt dicunt, recogitat „ annos suos in amaritudine animæ suæ , „ ponderando peccatorum suorum gravita-„ tem , damnum , fœditatem , multitudi-„ nem : deinde amissionem æternæ beatitu-„ dinis , ac æternæ damnationis acquisitio-„ nem , & alia, quæ possunt tristitiam , ac „ dolorem excitare . Hæc autem tristitia „ facit hypocritam , immò magis peccato-„ rem : quia solùm timore præcepti, & do-„ loris id facit ; & tales omnes indignè ab-„ solvuntur , & communicantur . Et si li-„ berè deberent remoto præcepto , & minis „ pœnarum confitari , certè dicerent sibi „ non displicere vitam præteritam , quam „ sic coguntur displicere confiteri , immò „ quo magis timore pœnæ , & dolore dam-„ ni convertuntur , eo magis peccant , & „ afficiuntur suis peccatis , quæ coguntur , „ non autem volunt odisse . Siquidem lex , „ & cognitio peccati magis abundare facit „ peccatum ; ùt Apostolus ait ad *Rom.* 5. , „ & hæc est illa contritio , quam ipsi vo-„ cant extra charitatem , non mactitiam . „ Alii vocant attritionem disponentem ad „ contritionem . Sic enim ipsi opinantur ; „ quam opinionem errorem ego judico — .

„ Secundò paratur contritio per intui-„ tum , & contemplationem speciosissimæ „ Justitiæ , quam quis in pulchritudine , „ & specie justitiæ meditatus in ea exarde-„ scit , & rapitur , incipitque cum Salomo-„ ne fieri amator sapientiæ , cujus pulchri-„ tudinem viderat . Hæc facit verè pœni-„ tentem , quia amore justitiæ id facit : „ & hi sunt digni absolutione . Exempli „ gratia si vis pœnitere de luxuria non in-„ cipias numerare vitia, fœditates, & damna „ ejus . Nam hæc non diù tibi durabunt , „ cum sit violenta contritio ex vi præcepti „ facta , sed intende in speciem castitatis, „ atque ad commoda ejus pulcherrima , ut „ ipsa tibi intimè placeat . Sic de omnibus „ aliis virtutibus . Dupliciter autem sic in-„ tuitus iste virtutum , abstractivè , seu per „ se , & sic carnalem hominem parum mo-„ vet , quomodo traditur per verbum præ-„ dicationis : sic enim non nisi speculativè „ videtur . Concretivè , sive per aliud, hoc „ ast exempli gratia , ut intuearis homines, „ qui tali virtute lucent . Quorum omnium „ speculum primum est Christus , deinde „ Sancti in Cœlo : Verùm rudem , & in-„ sipientem maximè movent exempla præ-„ sentia , & sui Seculi . Ratio omnium „ prædictorum est , quia impossibile est, ut „ odias aliquid vero odio , & perfecto, cu-„ jus contrarium non prius dilexeris. Amor „ semper est prior odio , & odium natura, „ & spontè fluit ex amore — Hæc Lutherus, qui plura alia prosequitur ad rem nostram non pertinentia . Ex his manifestè habemus attritionem ex solo timore pœnarum apud Lutherum facere hominem hypocritam , & magis peccatorem , & huic ex diametro opponitur Concilium ; adeoque ita certum est Concilium loqui de attritione simplici , sicut certum est loqui adversus Lutherum .

Demonstrata est prima propositio ex hac contrapositione Lutheri, & Concilii. Sed candido veritatis scrutatori alia momenta inspicienda occurrunt . Præcipua motiva , quibus utitur Lutherus ad excludendam a vera pœnitentia attritionem simplicem est involuntarietas , quæ includitur in dolore ex timore pœnarum : & hoc principio utuntur nostri Adversarii , ut colligant attritionem nostram non excludere voluntatem peccandi , quia quæ fiunt ex metu sunt mixta involuntario ; ex eo deducit Lutherus adesse in eis latentem complacentiam peccati, quod ipsi pariter non diffitentur , immò probant obsoletis ex D. Aug. argumentis .

Momenta , quibus ducitur Lutherus ut a vera pœnitentia simplicem attritionem excludat .

Aliud principium Lutheri . Non est vera pœnitentia , nisi quæ fit amore justitiæ . Axioma productum ab ipsis frequentissimè . Horum omnium ratio apud Lutherum est , quia non verè odio habetur , cujus contrarium non diligitur . Apud nostros Adversarios millies repetitur per dolorem ex timore pœnæ non odisse peccatorem peccatum secundùm se , quia contrario desiderio non diligit oppositum peccato secundùm se .

Systema Lutheri erat . Ista pœnitentia facit hominem hypocritam, quia est simulata, ideo simulata, quia intùs latet complacentia peccati , & sibi non displicet vita præterita ; ex quo dolor ille est involuntarius , non ex amore justitiæ , non ex amore contrarii dilecti : his non obstantibus declarat Concilium non facere hypocritam , sed esse donum ex Sancto Spiritu , sed præparare ad gratiam . Proportionaliter discurrunt Adversarii nostri , ut removeant a vera pœnitentia attritionem simplicem, quorum illatio non potest esse consistens , nisi consistens illa Lutheri sit ; cum ergo Concilium declaraverit insubsistentem illationem Lutheri, decla-

rasse

raſſv deducitur de conſequenti inſubſiſtentem aliatam etiam illationem .

A 381 In aſſertione articuli ſeati probat Lutherus attritionem ſimplicem facere hominem hypocritam hoc ratiocinio . Quod non fit ex corde , & ſinceré , ſimulatum eſt , & hypocritum; ſcriptum eſt enim *Matth.* 5. Cor eorum longè eſt a me . Atqui quod non fit ex charitate , non fit aa corda , & nihil, & vanum , & falſum eſt . 1. *Corinth.* 13. Si Charitatem non habuero , nihil ſum ; Adeoque quod non fit ex charitate ſimulatum eſt, & hypocritum . Contritio ex dolore concepta non oritur ex charitate , igitur ſimulata , & hypocrita eſt .

B Proportionale ratiocinium formant noſtri Adverſarii contra attritionem ſimplicem ex illo loco Pauli ab omnibus uſurpato -- „ Qui nihil eſt coram Deo: qui nihil opera „ profunt , non eſt ſufficienter diſpoſitus , „ ut gratiam in Sacramento Pœnitentiæ re- „ cipiat : ergo neque qui afficitur dolore , „ qui fit expers cujuslibet etiam inchoati „ amoris Dei ſuper omnia -- Dicunt apud Juenin .

Concilium Lutheri ratiocinium declaravit inane , propterea quod anathematizavit eam attritionem eſſe hypocritam; proportionaliter daclaraſſe infertur nullum eſſe C ratiocinium adverſus ſufficientiam attritionis, quia utrumque ratiocinium eiſdem momentis innititur . Quotquot ſunt Catholici , qui ſcripſerunt contra hunc articulum Lutheri falſa eſſe principia, quæ aſſumit , faciliimè, & evidenter demonſtrant ; Cumque ſint ipſiſſima Adverſariorum noſtrorum,ut ex eorum verbis habetur , ſequitur quod nullæ ſint illationes contra nos deductæ . Nec credas velim nos Adverſarios apponere Luthero ; Abſit . Sed utimur fonte illo argumentationis plauſibili in Scholis , quod ex uno ab Adverſariis non negato oſtendimus aliud debere propter connexionem intrinſecam non D negari .

Secunda propoſitio , quod intendat Concilium iſtam ſimplicem attritionem eſſe ultimatè ſufficientem in Sacramento, manifeſtum facit artificium , quo Spiritus Sanctus eſt uſus in dictando iſto Decreto : Secundum enim ſeriem , quam tenuit Lutherus adverſus ipſam reprobando eſſentiam, & ſubſtantiam , & effectus , ædificat eſſentiam , & ſubſtantiam , & proprietates .

Igitur declaratur 1. Illud genus diſpoſitionis ad gratiam concedit Concilium attritioni ſimplici in Sacramento , quod negat extra Sacramentum ; Sed extra Sacramentum E negat diſpoſitionem proximam , & non remotam : ergo concedit in Sacramento diſpoſitionem proximam : non eſt aliud genus concurrendi niſi remotè, & proximè : Recurrere ad magis remotè eſt confundere terminos ; & ſi hoc dicant Adverſarii , inſtabo . Per ipſos inchoatè dilectiva contritio extra Sacramentum non diſponit proximè ad gratiam, ergo neque in Sacramento, ſed tantùm minùs remotè . Aliter diſponit in Sacramento , aliter extra , non propter majorem intenſionem , & perfectionem attritionis, quia loquitur de eadem omninò conſiderata extra Sacramentum , & intra Sacramentum ; ſed quia conjungitur cum Sacramento , cujus virtute elevatur ; ac proinde transfertur a ſtatu remotæ diſpoſitionis ad ſtatum proximæ ; diſpoſitionis majoritas in genere remoto haberetur ab intenſionis excellentia , & non a conjunctione cum Sacramento .

Declaratur 2. Si Concilium dixiſſet, tamen in Sacramento *perducit* ad juſtificationem, nullus eſſet ambigendi locus; ſed illud idem dixit verbis omnino æquivalentibus propter clatam adverſativam illam -- Quam- „ vis ſine Sacramento Pœnitentiæ per ſe ad „ juſtificationem perducere peccatorem ne- „ queat , tamen cum ad Dei gratiam in Sa- „ cramento Pœnitentiæ impetrandam diſpo- „ nit -- Illud diſponit *tamen in Sacramento* idem eſt , ac perducit ad juſtificationem , quod ei non convenit abſque Sacramento ; & hoc ex ipſa naturali conſtructione grammaticali , ac proinde idem eſt, ac diſponit productivè ad juſtificationem .

Quod ulteriùs compertum ſit per illam phraſim , diſponit ad impetrandam gratiam , quæ conſonat locutioni in eodem capite præmiſſæ in illis verbis -- Fuit autem quovis „ tempore ad impetrandam veniam pecca- „ torum hic contritionis motus neceſſarius -- Sed dubio procul apud Adverſarios iſta locutio ſtat pro impetratione proxima ; ergo etiam in noſtro caſu ; non enim in eadem phraſi immutandus eſt tenor ſignificationis , maximè quando non eſt , niſi applicatio ad caſum particularem doctrinæ univerſalis , ùt accidit in hoc capite : Concilium proprietatem illam contritionis præcindentis a perfecta, & imperfecta applicat imperfectæ intra Sacramentum .

Declaratur 3. Illud genus diſpoſitionis concedit Concilium attritioni in Sacramento actuali , quod concedit dilectivæ contritioni in voto Sacramenti ; quod fit manifeſtum ex illa adverſativa. *Illam verò contritionem imperfectam* . Et ex illa particula quamvis *per ſe* ſine Sacramento , quod *per ſe* convenit contritioni dilectivæ ; ſed contritio dilectiva reconciliat in voto Sacramenti : ergo attritio eſt reconciliativa in Sacramento.

Declaratur 4. Et quidem validè . Dictum ſuum probat Concilium exemplo Ninivitarum , & vis conſiſtit in hoc . Eam utilitatem , & efficaciam habet attritio in Sacramento, quam habuit in Ninivitis, quando ei acceſſit motivum dilectionis , ſive quando acceſſit contritio perfecta : ſed in Ninivitis tunc fuit proximè diſponens ad juſtificationem, quæ de facto ſecuta eſt : ergo pariter attritio ſimplex in Sacramento eſt proximè diſpoſitiva . Accipe contextum . „ Tamen eam ad Dei gratiam in Sacramen- „ to Pœnitentiæ impetrandam diſponit. Hoc „ enim timore utiliter concuſſi Ninivitæ ad „ Jonæ prædicationem plenam terroribus „ pœnitentiam egerunt , & miſericordiam „ a Domino impetrarunt -- Illud *hoc enim* eſt conjunctio probativa; & quidem conjungit cum attritione prout in Sacramento , ùt patet ex illa conſonantia -- Diſponit in „ Sacramento ad impetrandam gratiam : „ Miſericordiam a Domino impetrarunt -- quod utique tunc accidit, quando timori acceſſit amor. Ex quo patet , quod virtus Sacramenti

cramenti supplet vim dilectionis, sive est dilectio aequivalenter.

Declaratur 5. Sacramentum conferre gratiam sub simplici attritione est attritionem simplicem disponere proximè ad justificationem in Sacramento. Hoc autem admittit Concilium in illis verbis -- Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium, gratiam conferre, quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit -- Attendatur hæc conclusio. Affirmat hic Concilium, quod Catholici Scriptores tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ conferre gratiam sub motu attritionis, quem Hæretici motum bonum docent, & ex eo assurgunt ad calumniandos Catholicos, quam calumniam falsam esse tradit Concilium, eo quo ostendit esse donum Spiritus Sancti, præparare ad gratiam, & alia.

Et hic est advertendus locutionis modus. Dicit absolutè *Catholicos Scriptores* non quosdam, ut sciamus absolutè id facere attritionem, & non opinabiliter tantùm apud aliquos; & quia absolutè apud Hæreticos non erat illa calumniatio, sed apud aliquos, ideo apposuit. *Falsò quidam*. Ulteriùs addit *Quod nunquam Ecclesia docuit, neque sensit*. Nunquam sensit conferendo gratiam sub attritione simplici conferre absque actu bono. Sensit ergo conferre gratiam sub attritione simplici, sed non sensit, hoc esse, seu fieri absque actu bono. Ecclesia, inquit, non Schola hæc, vel illa.

Ex hoc textu constat evidenter, quod Concilium scivit, & animadvertit Catholicos Scriptores tenere simplici cum attritione Sacramentum Pœnitentiæ conferre gratiam; si autem sensisset non esse sufficientem dispositionem, sicut reprobavit id fieri sub actu non bono, debuisset pariter addere non fieri sufficienter solo illo motu licèt bono, quia in capite illo doctrinali, & in aliis non solùm Hæreticos refutat, sed & Catholicos instruit; & cum apud Spiritum Sanctum, & in Ecclesia constans fuerit non sufficere opinionem tantùm probabilem circa valorem Sacramenti, si sensisset non esse sufficientem absolutè, absque dubio ad minùs indicasset.

Compendiariò, & directè Concilium respondet, & refutat errores Lutheri adversus Pœnitentiam ex solo timore pœnæ æternæ. Errores erant, quod esset motus malus, coactus, faciens hypocritam, & quod damnabilem redderet absolutionem, & communionem. Primos refutare Concilium enoecidunt Adversarii, nec possunt negare; ultimum petimus, vel intactum reliquit, vel non. Si non, ergo dissolvit, sicut cæteros, ergo tenet non esse damnabilem absolutionem, & de consequenti communionem; esset autem damnabilis absolutio, si attritio simplex non sufficeret. Si autem intactum reliquisse dicatur, diminutum fuisset Concilium in confutandis erroribus Lutheri: imò (& absit tale verbum blasphemiæ) defecisset in tradenda necessaria Doctrina, & purgata ab erroribus: siquidem etiam stante, quod attritio sit actus bonus, & donum Spiritus Sancti moventis, si non est sufficiens dispositio, damnabilis sub ea esset absolutio; & hanc damnationem declarare debuisset.

Quod patet a simili ibidem. Postquam declaravit esse actum bonum, esse a Spiritu Sancto, præparare ad gratiam, quia falsum est perducere per se ad justificationem sine Sacramento, id expressè præcavere voluit; si ergo non sensisset sufficere in Sacramento, id pariter ob eamdem rationem periculi erroris, & damnationis monuisset. Quæ Adversarii contra rem solidum argumentum proferunt, producemus inter arguendum, & Deo dante confirmabitur assertio nostra.

PROB. IV. Metuens Ecclesia ne defectu beneficii absolutionis aliquis pereat, concedit unicuique Sacerdoti facultatem absolvendi a quibuscumque peccatis in articulo mortis in Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 7. ubi -- Veruntamen piè admodum, ne hac
„ ipsa occasione aliquis pereat, in eadem
„ Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut
„ nulla sit reservatio in articulo mortis,
„ atque ideo omnes Sacerdotes quoslibet
„ pœnitentes a quibusvis peccatis, & censuris absolvere possunt, extra quem articulum Sacerdotes cum nihil possint in casibus reservatis, id unum pœnitentibus persuadere nitantur, ut ad superiores, &
„ legitimos Judices pro beneficio absolutionis accedant -- Sed nisi supponeret Ecclesia attritionem simplicem sufficere ad justificationem in Sacramento, ille timor esset frustraneus, & illa pietas: nam si attritio non sufficit, illa concessio non suffragatur, inutilis, & vacua est absolutio; aliunde absque illa concessione in rato esset salus, nam est communis in Ecclesia sensus saltem pro illo articulo, quod vera dilectio Dei super omnia quantumvis remissa justificet in voto Sacramenti; qui enim pugnant pro simplici attritione, docent semper justificare; qui verò e contra, volunt saltem in articulo mortis justificare; & utrique probant suam assertionem Patribus, & Scripturis; adeoque pro illo articulo est Doctrina constans, & communis. Igitur ille timor esset frustraneus.

Ex alio autem capite non est dispensabilis lex adeo gravis, & proficua absque certo, & solido fundamento: cumque dicat Concilium in Ecclesia Dei semper illud privilegium fuisse custoditum, sequi videtur quod semper senserit sufficere simplicem attritionem. Semper sensisse Ecclesiam, quod charitas dilectiva etiamsi tantùm inchoata justificet in articulo mortis cum solo voto Sacramenti probant nobis nostri Adversarii eruditione plurima, nobis hìc sufficit Can. 79. Concilii Carthaginensis IV. -- Ubi qui
„ attentè leges pœnitentiæ exequuntur si casu in itinere, vel in mare mortui fuerint,
„ ubi eis subvenire non possit memoria eorum, & orationibus, & oblationibus
„ commendetur --

112 PROB. V. Eamdem declarat in Tridentino Ecclesia pœnitentiam esse Sacramentum, quam necessariam docet in Baptismo *Sess.* 14. *cap.* 1. Sed ibidem pro Baptismo sufficientem esse simplicem attritionem satis superque indicat; ergo etiam pro Sacramento Pœnitentiæ. Accipe verba Concilii

cilii -- Necessaria, illis etiam, qui Baptis-
„ mi Sacramento ablui petivissent, ut per-
„ versitate abjecta, & emendata tantam Dei
„ offensionem cum peccati odio, & pio ani-
„ mi dolore detestarentur -- Sed simplex attritio nostra est odium peccati, & pius dolor detestativus offensionis Dei, & hoc indubiè siquidem timens homo damnari propter offensam factam Deo eam detestatur, et detestando gehennam effugiat, & salvetur. Ut alibi diximus, Patres Concilii accuratissimi fuerunt in seligendis verbis, quibus formarentur Canones: illa verò absoluta verba: *Odium peccati, pius dolor*, sicut & Scripturæ, quibus ad probationem utuntur, conveniunt attritioni æquè ac contritioni propriè dictæ, & non nisi violenter ad solum dolorem dilectivum trahi possunt.

In istis probationibus vidimus Concilium expressè descripsisse nostram Christianam attritionem nulla facta dilectionis Dei benevolæ, & multò minùs super omnia dilecti, mentione. Unde legitimè conclusimus ad veram attritionem salutarem, & dispositivam proximè in Sacramento ad gratiam, non exigere mixtionem illius dilectionis. Ut totaliter excludatur vulgata effugium (licet in hoc nostro casu abs re.) Videnda utiliter est Doctrina celeberrimi Commentatoris Seraphini Capponi a Porrecta in *in art. 4. quæst. 25. de Sacram.* aliàs 84., ubi S. Thomas inquirit, an impositio manuum sit de necessitate Sacramenti Pœnitentiæ, & resolvit negativè producta auctoritate Scripturæ agente de eodem Sacramento Pœnitentiæ, in qua nulla fit mentio illius impositionis, & est argumentum efficacissimè concludens, quamvis videri possit negativum, quia fundatur in maximo positivo, quod est obligatio, & fidelitas Christi, & Ecclesiæ in tradenda sufficienti, & adæquata instructione eorum, quæ necessariò tenenda, & agenda sunt circa Sacramentorum essentialia, & singulariter eorum, quæ simpliciter necessaria sunt ad salutem.

Vis argumenti negativi.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM EX CONCILIIS.

EX Concilio Tridentino aciem construunt Adversarii pluribus argumentis conflatam; nullum tamen ex illis est directum, &, ut Logicæ dicunt, punctuale. Præmittunt satis sollicitè prudentem cautionem, videlicet, nullam partem Concilium definivisse; nec eam, quæ pro necessitate dilectionis militat, nec eam, quæ pro simplici attritione pugnat.

113 OB. I. Illud est necessarium pro legitima susceptione Sacramenti, quod expressè requirit Concilium: sed Concil. requirit claris verbis amorem benevolum Dei, dicens *Sess. 6. cap 6* -- Incipiunt diligere,
„ omnis justitiæ fontem -- Ergo iste actus est necessarius.

Placet pro eruditione referre omnes solutiones, quas reperi datas huic argumento ad plenitudinem doctrinæ. Prima solutio est, quod illud *diligere incipiunt* sit additamentum extra conciliare factum a Theologis, quod aliis repugnantibus propugnaverunt, & retinuerunt, sicut refert Eminentissimus Historicus *lib. 8 cap. 13.* Nolo ego defensare hanc solutionem, quam apud unicum extraneum Auctorem vidi; non deficerent tamen suæ probabilitates, si parumper ad contextus Historiæ, & ad unitatem, qua consueverunt Tridentini Patres decreta formare, reflectere vellemus.

Secunda solutio docet Concilium ibi enumerare actus necessarios ad justificationem, tum necessitate absoluta, tum necessitate condecentiæ, & connaturalitatis. Actus necessarii absolutè sunt Fides, Spes, & aliqua supernaturalis detestatio peccatorum cum proposito emendationis. Actus necessarius condecenter est amor Dei benevolus. Non tamen actum ibi enumeratum esse absolutè necessarium evidens est in actu timoris, sine quo optimè dari potest vera dispositio ad justificationem in iis, qui immediatè ex motivo noticè divinæ bonitatis moventur in odium peccati. Amorem benevolum neque ut absolutè necessarium ibi enumerari facilè ostenderetur ab Auctoribus hujus solutionis; tum quia nullo Scripturæ textu utuntur Patres in probationem, in signum quod non loquuntur de absoluta necessitate; tum quia immediatè subditur *per aliquod odium moventur adversus peccata*, aliquod, non hoc, vel illud indicantes dummodò sit verum odium parùm refert sit ex motivo dilectionis, vel ex alio motivo inferioris perfectionis; tum quia exprimitur, quod pœnitentia necessaria sit, ut debetur Sacramento mortuorum, qualis non est dilectiva, propterea quod hæc est vivorum.

Tum quia teste Eminentissimo Pallavicino in Historia *lib. 4. cap. 10., & parte 2. lib. 12. cap. 10.* consilium Patrum fuit intactas relinquere Scholasticas opiniones, & circa præsens punctum in ipsomet Concilio gravis fuit dissensio. Si ergo intactas voluerunt Patres opiniones Scholasticorum, indubiè apponendo illud verbum non poterant intelligere de necessitate absoluta; & de facto sub ea necessitate non fuisse insertum constat a posteriori, quia aliqui ex Theologis, qui interfuerant Concilio, negaverunt necessitatem amoris benevoli, sicut etiam aliqui ex illis exquisierant.

Trid. intactas reliquit opiniones Scholasticorum.

Hoc ipso cadit opinio nostrorum Adversariorum, qui toties, & tam fidenter recurrunt, & provocant ad historiam; nam si ipsa historia integras relictas fatetur sententias Catholicorum, & una negabat necessitatem amoris benevoli, certè concludendum est, ibi non loqui de necessitate absoluta, sed solius decentiæ, dato quod in *diligere* intelligat amorem formalem benevolum, quod negatur.

Tertia solutio docet agere Concilium de justificatione in voto Sacramenti, non autem de justificatione per actualem susceptionem Sacramenti; quamvis enim mentionem faciat Baptismi adducendo Scripturam ex Actis Apostolicis, ideo est, quia justificatus in voto, aliquando debet in re Sacramentum suscipere, cui proinde tanquam causæ instrumentariæ tribuitur justificatio *cap. 7.* Ducuntur Auctores hujus solutionis

illis

illis verbis Concilii — Denique dum proponunt suscipere Baptismum — quibus favet historia, quæ ait Theologos illius additionis causam assignasse, quia sine amore infructuosa esset, idest, non esset meritoria illa pœnitentia; adeoque loquebentur de pœnitentia extrasacramentaliter justificative; in veritate loquendo opus bonum fructuosum est opus meritorium, fructificare est mereri.

Quarta solutio tenet Concilium agere de justificatione absoluta, & indefinita, & abstrahente ab ea, quæ fit per solum votum Sacramenti, & ab ea, quæ fit per actualem susceptionem Sacramenti; ac proinde per accommodam distributionem applicandos enumerat actus; & sic actus amoris benevoli est solùm necessarius pro justificatione in voto. Ducitur hæc opinio, tum ex subsequenti *moventur adversùs peccata per odium aliquod*, quæ locutio est abstracta; tum quia *cap. 7.* agens de causa instrumentarie justificationis habet — Instrumentalis item, Sacramentum „ Baptismi, quod est Sacramentum Fidei, „ sine qua nulli unquam contigit justificatio — quare dicit determinatè sine fide ulli unquam contigisse justificationem, & non sine Baptismo? nisi quia sine actuali Baptismo datur justificatio, ac proinde agit Concilium de justificatione, vel in voto, vel in re; tum quia diminutè processisset si egisset determinatè de justificatione per actualem susceptionem Sacramenti, cum contingat adultos justificari extrasacramentaliter; tum quia agit de justificatione, quam nobis promeruit Christus, utramque autem promeruit; tum quia de ea loquitur, contra quam evomerant errores Acatholici, ùt constat ex proœmio *Sess. 6*, utramque autem impugnaverunt, & pravis doctrinis conspurcaverunt, ùt planè efficitur ex *cap.* 4. ubi insinuatur descriptio justificationis, & expressè ponitur, *sine lavacro, aut ejus voto, fieri non potest*.

Quinta solutio sentit non loqui de actu formali dilectionis, sed de transcendenti, & radicali, quatenus omnis actus bonus supernaturalis dicitur initialis dilectio Dei, eo quia ordo supernaturalis ordinatur, ut consummetur per amicitiam Dei: quatenus ex Augustino, & Patribus omnis bona voluntas vocatur charitas Dei: quatenus omnis dispositio ad formam dicitur a Theologis initium aliquod formæ. Nititur hæc solutio modo locutionis *diligere incipiunt*, non diligunt; diligit autem veraciter, qui elicit formalem actum dilectionis Dei super omnia, quamvis solùm appretiativè summum. Nititur contextui, qui de aliis actibus etsi in statu imperfecto non dicit, incipiunt v. g. *credere, vel sperare &c.* quia de illis loquitur tanquam de actibus formalibus. Nititur probationi, quam de aliis actibus affert ex Scriptura; & de dilectione nullam, qui tamen esset præcipuus, & dignior actus; quæ omissione significat loqui de dilectione comprehensa sub aliquo alio actu. Nititur connexioni sequentium, dum proponunt inchoare novam vitam, & servare divina mandata, & hoc est *incipiunt diligere*, quia proponunt non facere contra legem Dei, sed eam servare, in quo proposito confusè implicatur dilectio Dei. Nititur intentioni Concilii, quæ est tradere

Bona voluntas dicitur Dei charitas.

modum præparationis ad justitiam; præparatio verò ad media pertinet, charitas autem ad finem, finis præcepti charitas.

Sunt hæ solutiones, quas reperire potui præter vulgatam de amore spei, & nulla infirmat doctrinam de simplici attritione; immo quælibet illam confirmat. Quoniam tamen usi sumus hoc loco Concilii pro nobis expressè probantes illud *Incipiunt diligere*, ad amorem spei pertinere, conabimur urgere aliquas instantias adversùs sensum istum, quem ulteriùs roborare possumus ex doctrina *cap. 7.*, in quo per justificationem declaratur peccatorem fieri filium Dei. Diligere Deum propter se super omnia etsi initiativè hoc est, non intensivè summò, est diligere Deum, & eum confiteri, quoniam simpliciter bonus, non quoniam potens, non quoniam bonus nobis; diligere autem hoc modo Deum, per auctoritates inductas Sanctorum Patrum, ab Adversariis est filiorum, sicut diligere, & confiteri Deum, quia bonus nobis, vel quoniam potens est, servorum, & mercenariorum.

Inchoata dilectio ad amorem spei pertinet.

Sed proprietas formæ non præcedit esse formæ; ergo cum esse filii non habeatur ante justificationem, diligere Deum, & eum confiteri, quoniam simpliciter bonus, non præcedit justificationem, nisi ad summum intransitivè illam inferendo. Benè nota, quod Adversarii Patrum has auctoritates adducunt, ut probent necessitatem initialis dilectionis; ac proinde non possunt recurrere ad dilectionem perfectam, & eam dicere propriam filiorum; per consequens illud diligere non est benevolum, sed spei.

Quod item firmatur ex illis verbis 5. & 6. capite repetitis *disponuntur*: dispositio autem est status imperfectus rei, & connaturali ordine est ab imperfectis ad perfectiora: porrò pœnitentia ex timore servili, & ex amore spei constituit statum imperfectum ex auctoritatibus inductis per Adversarios ex Patribus, ac per consequens est magis propria pro dispositione. Rursùs. Amor spei est imperfectior ad amorem benevolum, cum ergo illud *Incipiunt diligere*, genus amoris imperfecti sonet, propriùs de amore spei intelligitur. Videamus quid opponi possit.

DICES. Illud *incipiunt diligere omnis justitiæ fontem* stat pro amore Dei benevolo; ergo contra mentem Concilii detorquetur ad amorem spei. Anteced. multipliciter ostenditur. I. Historia relata ab Eminentissimo Pallavicino *lib. 8. cap. 13., & parte 2. lib. 12. cap. 10. a num. 14.* affirmat, quod Patres intellexerint amorem inchoatum benevolentiæ. II. Illud *incipiunt diligere* importat actum distinctum ab actu spei: sed in actu spei involvitur amor concupiscentiæ; ergo non importat actum concupiscentiæ, sed benevolentiæ. III. Concilium locutum est ad mentem Sanctorum Patrum, prout in proœmio illius sessionis asseritur: sed Patres pro amore initiali intelligunt amorem benevolum, quia ipsi hunc solùm dividunt in perfectum, & initialem, nusquam in amorem concupiscentiæ. IV. Concilium loquitur de amore, qui est post spem: sed amor concupiscentiæ præcedit spem, quia in tantùm speramus

Deum nobis fore propitium, quia concupiscimus non pati; ergo loquitur de alio amore ab amore concupiscentiæ. V. Loquitur de eo amore, cujus mentionem facit Concil. in Can. 3. definitivo, qui correspondet ad caput 6. doctrinale; sed in Can. 3. loquitur de amore benevolentiæ.

Falsum est antecedens. Non est amor charitatis ille, quo homo cum Psal. 47. 19. dicit. *Confitebitur tibi, cum benefeceris ei*: & cum illo Psal. 51. *Laudabilis est Dominus, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericordia ejus*. Fons justitiæ omnis Deus est, quoniam in seculum, & in omnes misericordia ejus. Fons omnis justitiæ Deus est, quoniam conditor Sacramentorum, quibus salvantur homines, de quibus Propheta *haurietis aquas de fontibus Salvatoris*. Fons justitiæ omnis Deus est, quoniam causa principalis sanctificationis, de quo Zachariæ 1. 3 *In die illa erat fons patens domui David, & habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris, & menstruatæ*.

Inductæ autem probationes non evincunt. Non prima, de qua jam supra, tum quia ipsa Historia refert fuisse circa hoc divisos Patres, tum quia Decreto standum est præ Historia, quæ refert indiscriminatè opiniones.

Non secunda, quia illud *incipiunt diligere* in rigore non importat actum formalem, ut declaravimus ex diverso modo loquendi Concilii. Dato quod sit actus formalis distinctus metaphysicè loquendo, non est tamen concretivè acceptus, & in modo loquendi practico, quia comprehenditur sub linea spei, est enim impossibile sperare sibi bonum absque amore concupiscentiæ, & propter hoc Concilium nullam allegavit Scripturam peculiarem pro amore illo.

Patres amorem initialē diversimodè accipiunt. Non tertia, quia Sancti Patres apertè tradiderunt etiam pœnitentiam ex motivo concupiscentiæ. Deinde Patres amorem initialem accipiunt diversimodè: aliquando pro quacumque bona voluntate: aliquando limitatè ad actum formalem dilectionis. Probandum superest, quod Concilium hic sequatur Patres secundùm posteriorem acceptionem. Ulteriùs Concilium loquitur de dilectione, quæ non sufficit ad justificationem cum solo voto Sacramenti, prout volunt Adversarii: Patres autem agnoscunt conjunctam cum gratia sanctificante dilectionem formalem Dei ex motivo charitatis, quamvis sub statu imperfecto; & ideò dicunt, ubi inchoata charitas, inchoata justitia, dilectio distinguit filios Dei a filiis Diaboli, qui diligit, non manet in morte. Præterea Concilium in citato proœmio *Sess. 6.* dicit ex Patribus eam tradere doctrinam de justificatione, præter quam aliter credere, prædicare, aut docere nemini licet: Adversarii autem fatentur amorem benevolum non esse definitum, & quod utrumque doceri posset Alexander VII. decrevit; adeoque Concilium non intelligit illud *diligere* pro amore benevolo ad mentem Patrum, de qua in proœmio.

Non quarta, quia, ut optimè docet, & declarat Angelicus in probationibus nostris citatis, sperans habet duplicem amoris concupiscentiæ motum: alter versatur circa bonum speratum sibi concupitum, alter versatur circa collatorem boni sperati, non quatenus in se bonus est, sed quatenus speranti bonus: qui duo motus diversimodè ad spem sequuntur, vel antecedunt; primus antecedit, secundus a spe causatur. Proportionaliter res se habet in spe, ac in timore. Timor respicit pœnam, quam timens refugit, & respicit Deum, a quo pœna est infligenda; ita spes respicit bonum concupitum, & respicit boni largitorem, & sic sperans Deum diligit, ut largitorem omnis justitiæ, & diligit beatitudinem, quam sibi vult. Philosophus docet amabile bonum, sed unicuique suum: amicabilia ad alterum ex amicabilibus ad se; ita consimiliter amabilis bonus, sed unicuique suus, amicabilis ad alterum et amicabili ad se. Amor concupiscentiæ ergà bonum suum est radix amoris benevolentiæ ergà bonum amico volitum: Amor concupiscentiæ ergà benefacientem sibi, seu suum, est radix amoris benevoli ergà benefactorem propter se; ac perconsequens connaturalitatem istam sequens Concil. ponit *Incipiunt diligere* amore concupiscentiæ Deum, ut largitorem sibi justitiæ, qui amor secundùm se est radix amoris amicitiæ; quapropter non agit Concilium de amore benevolo formali; sed ad summum de radicali.

Sperans duplicem habet amoris concupiscentiæ motum.

Deinde licet actus descripti a Concilio necessarii sint ad justificationem, non est tamen necessè, quod fiant eo ordine, quo recensentur; potest enim fieri optimè, quod homo fide concipiens peccatum promereri gehennam exeat in odium illius, deinde confidens de divina Misericordia spei actum eliciat, & sic in cæteris actibus dari potest inversio; immò juxta providentiam ordinariam existimant plerique non esse necessarium actum spei in se formalem. Quare parum refert, quod amor concupiscentiæ erga Deum largitorem justitiæ præcedat, vel subsequatur spem, quamvis illos actus sub eo ordine enumeret Concilium.

Non quinta, quia tertius ille Canon in margine signatur, ut correspondens quinto capiti doctrinali non autem sexto, & quidem legitimè, quia in quinto capite agitur, unde sit dispositio ad gratiam, videlicet ab auxilio Dei, & hoc adjutorium Dei intendit definire tertius Canon, illos actus pro exemplo exprimens. Deinde Canon tertius eodem modo tanquam de actu absoluto, & formali loquitur de diligere, & credere, & sperare; secus caput sextum doctrinale. Prætérea Canon tertius non facit mentionem de dilectione cum ordine ad actualem susceptionem Sacramenti, ut evidens est; secus caput sextum doctrinale per Adversarios, adeoque non est idem unum, ac aliud diligere.

Cæterùm ex eo Canone pro nobis sumus argumentati. Demùm Concilium intellexisse de amore spei concludamus egregia auctoritate Concilii Arausicani II. Can. 22. ubi — „ Nemo habet de suo, nisi mendacium, & „ peccatum: si quid autem habet veritatis, „ & justitiæ, ab illo fonte est, quem debe„ mus sitire in hac eremo, ut ex eo quasi „ guttis quibusdam irrorati non deficiamus „ in via — Idem est amare fontem omnia justi-

justitiæ, & sitire illam: sitire, ut ea eo nos reficiamus, quis non videt sitim esse spei, & concupiscentiæ? Peregrinus, qui sitit fontem, ut ea ejus aqua recreatus in via non deficiat, amat ne fontem amore benevolo? absit. Scio quod aliqui ex nostræ sententiæ patronis intelligunt de amore benevolo; sed recurrent ad unam, vel alteram ex superiùs indicatis expositionibus.

114 OB. II. Ea dispositio est necessaria ad justificationem, quam Concilium contraponit errori Lutheri, qui tenebat solam Fidem justificare sine operibus; clamat enim adversùs Catholicos *in cap. 2. Epist. ad Galatas* — Hoc Sophistæ cæci non intelligunt, „ ideo somniant fidem non justificare, nisi „ ornata sit operibus charitatis — Sed Concilium contraponit opera, fidem, & spem, & charitatem; ergo charitas ex Concilio necessaria est ad justificationem. Nequit clariùs assumptum probari nisi exhibendo monumenta Theologiæ Sanctorum *cap.* 88, quæ ex *cap. 7. Sess. 6.* arguit contra simplicem attritionem, supponendo tamen quod sub initio, & fine loquatur de habitibus, secus in medio.

„ Docet justificationem fieri secundùm „ propriam cujusque dispositionem, & co„ operationem, nec sufficere fidem, nam „ fides, nisi ad eam spes accedat, & cha„ ritas, neque unit perfectè cum Christo, „ neque corporis ejus membrum vivum effi„ cit. Qua ratione verissimè dicitur fidem „ sine operibus mortuam, & otiosam esse: „ & in Christo Jesu neque circumcisionem „ valere aliquid, neque præputium.. Sed „ fidem, quæ per charitatem operatur (idest „ per dilectionem, ut sonat Græca vox *agapè*, „ qua usus est Apostolus) hanc fidem ex „ Apostolorum traditione Catechumeni ab „ Ecclesia petunt cum petunt fidem vitam „ æternam præstantem, quam sine spe, & „ charitate fides præstare non potest. Unde „ & statim verbum Christi audiunt: Si vis „ ad vitam ingredi, serva mandata. Qui„ bus verbis sermonem esse de actibus cer„ tissimum est, quia id demonstrat primò „ vox cooperationem: secundò vox operi„ bus: tertiò vox dilectionem: quartò vox „ operatur: quintò præceptum Christi serva „ mandata, quæ de actibus sunt, non de „ habitibus: sextò scopus Tridentini, qui „ est convellere dictum errorem Lutheri —

Post pauca iterùm repetens verba Concilii dicit, quod contra Lutherum nihil concluderet, nisi tam in antecedente, quam in consequente loqueretur de actibus. Deinde duo argumenta texit. Primum. Fides, nisi ad eam accedat spes, & charitas, utique secundùm actus, non unit perfectè cum Christo, quia fides sine operibus mortua est, idem ergo de timore servili dicendum est. Secundum. Fides sine fide, spe, & charitate actuali vitam æternam præstare non potest, ergo neque attritio omnis charitatis actu destituta.

Articolo præcedenti iterum locum istum Concilii explicuimus: Nunc solùm esset nobis conquerendum cum Auctore illius Theologiæ, quod amoverit illam propositionem — Secundùm propriam cujusque di„ spositionem, & cooperationem — a propria sede, quam dedit Concilium; sicque diversam finxerit intelligentiam. Tridentinum enumeratis causis nostræ justificationis ultimo loco reponit causam formalem, quæ est justitia nobis inhærens, & ait — Justi„ tiam in nobis recipientes unusquisque „ suam secundùm mensuram, quam Spiritus „ Sanctus partitur singulis, prout vult se„ cundùm propriam cujusque dispositionem, „ & cooperationem. Quamquam enim ne„ mo possit esse justus, nisi cui merita Pas„ sionis Domini nostri Jesu Christi commu„ nicantur; id tamen in hac impii justi„ ficatione fit, dum ejusdem Sanctissimæ „ Passionis merito per Spiritum Sanctum cha„ ritas Dei diffunditur in cordibus eorum, „ qui justificantur, atque ipsis inhæret. „ Unde in ipsa justificatione cum remissio„ ne peccatorum hæc omnia simul infusa „ accipit homo per Jesum Christum, cui „ inseritur, fidem, spem, & charitatem. „ Nam fides, nisi ad eam spes accedat &c. — Prosequitur reliqua in objectione tacta.

Valdè diversum est infundi nobis in justificatione justitiam ad mensuram nostræ dispositionis, quod Concilium dicit, & aliud est constitui ipsam dispositionem nostram per fidem, cui accedat spes, & charitas, quod Concilium non dicit; nec dicere potest accipiendo ibi illas virtutes in sensu ipsius Concilii, quod vult sine charitate fidem non facere vivum membrum, nec præstare vitam æternam. Legat ergo arguens Concilium, & similem argumentationem nentiquam efformabit.

Itaque si arguens exigit fidem, spem, & charitatem, quæ Christo perfectè unit, efficitque membrum vivum ipsius præviè ad justificationem Sacramentalem, jam postulat sanctificationem pro dispositione ad sanctificationem, jam exigit charitatem perfectam, jam concedere oportet Sacramentum non tollere reatum culpæ, jam necesse est admittere impium gratis non justificari, quia opera præcedentia essent meritoria, cum essent ex fide præstante vitam æternam. Ecce quo ducit fallax verborum compositio. Hinc non negem duo argomenta, quæ inde infert. Quis unquam dixit, timorem servilem perfectè unire Christo absque charitate, vel absque charitate præstare vitam æternam? Difficultas est, an dolor simplicis attritionis sit dispositio sufficiens ad suscipiendam justitiam in Sacramento absque inclusione dilectionis formalis Dei super omnia actualis.

115 OB. III. Definit Concilium Trid. *Sess. 7. Can. 1.* Sacramentum Pœnitentiæ esse novæ Legis Sacramentum. — Si quis di„ xerit Sacramenta novæ Legis non fuisse „ omnia a Jesu Christo Domino nostro in„ stituta, aut esse plura, vel pauciora quàm „ septem, videlicet Baptismum, Confirma„ tionem, Eucharistiam, Pœnitentiam, Ex„ tremam Unctionem, Ordinem, & Ma„ trimonium, aut etiam aliquod horum sep„ tem, non esse verè, & propriè Sacra„ mentum, anathema sit — Sed Sacramentum novæ legis necessariò dilectionem a suscipiente exigit, quia non potest administrari, nisi iis, qui ad Testamentum novum

 per-

pertinent, ad quod non pertinent, qui timore solo ducuntur.

Absurdum est dicere posse hominem salutem assequi absque gratia novi Testamenti: atqui si in Sacramento homo justificatur solo timore seclusa dilectione posset assequi salutem æternam, quæ promissa justificato est, absque gratia novi Testamenti. Frustra ergo misit Deus Filium suum factum ex muliere factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret, ut adoptionem filiorum reciperemus — Absurdum est cedens in „ gravem injuriam Christi abdicato Testa„ mento, cujus mediator est, abdicata cha„ ritate scripta Dei digito in cordibus (quæ „ propriè loquendo est essentia novi Testa„ menti) ad legis antiquæ spiritum in ti„ more positum revolvi, ut fit dùm ponitur „ hominem in Sacramento justificari timore „ pœnæ, & justificatum sic consequi æter„ nam beatitudinem — Hæc ex Merbesio.

Respondimus huic clamoroso argumento artic. præcedenti exponendo locum Pauli *ad Rom* 8. Nunc revincimus Adversarios sic. Si vim habet hoc argumentum ineluctabiliter fateri oportet timorem gehennæ esse malum, adeoque facere hominem magis peccatorem, nam secundùm fidem lex vetus nunc est mortifera, & quodlibet ejus opus, multò magis spiritum illius proprium, & essentialem: cùm ergo timorem gehennæ dicant Adversarii esse spiritum proprium legis veteris, dubio-procul dicere debent esse malum: & de facto apud Bellarminum *lib. 2. de Pœnit. cap.* 18. Lutherus arguit timorem hunc esse malum, & facere hypocritam, quia lex facit peccatum *ad Rom.* 5.

Deinde petimus, an illa gratia, qua excitati, & adjuti homines disponuntur ad justitiam juxta Trident. *Sess. 6. cap.* 6. sit spiritus, vel de spiritu Testamenti novi, vel non: hoc secundùm profectò non dicent, cum apertè Concilium doceat esse per Redemptionem, quæ est in Christo Jesu, ergo primum; sed inter actus illos disponentes est timor servilis, ergo est de spiritu legis novæ. Iterùm petimus, an impulsus, quo nunc Spiritus Sanctus movet ad opus bonum sit de spiritu novi Testamenti, vel non: certè primum non negabunt; sed *Sess.* 14. *cap* 4., *& Can.* 8. dolor ex motivo gehennæ est donum moventis Spiritus Sancti: ergo est de spiritu novi Testamenti.

Nec dicas timorem solitarium esse spiritum legis, quia de spiritu timoris solitarii loquitur Concilium: Deinde opus proprium legis ut conjunctum cum opere gratiæ est malum; unde reprehendit Paulus jungentes simul Circumcisionem cum Baptismo; & malum esset nunc conjungere sacrificium victimarum cum Sacrificio Corporis Christi lavationes legales cum lachrymis Sacramentalibus, & difficiliùs purgabilis esset timor ex conjunctione cum amore, quàm oblatio victimarum cum oblatione Eucharistica, quia ille ex Adversariis ad essentiam legis spectat.

Deinde iterum sic arguimus, & quidem invictè. Charitas, *propriè loquendo est essentia novi Testamenti*, verba sunt arguentis: ergo actualiter carens charitate, & multò magis positivè excludens charitatem, non est de Testamento novo, quia carens essentia rei non est ea: ergo baptizatus cum fide informi non est de Testamento novo, & multò magis si abjiciat gratiam baptismalem per actuale peccatum. Baptizatus igitur habens fidem informem, spem informem, eleemosynam informem &c. de Testamento novo non est, in Testamento novo non est, quia essentiâ Testamenti novi caret per Adversarios.

Omnis motus ex gratia Christi est ex spiritu novi Testamenti: omnis motus, qui ex Christi meritis disponit ad justificationem, sive proximè, sive remotè spiritus novi Testamenti est; quia media justificatione, & gratia, & charitate habituali acquiritur adoptio filiorum Dei, quæ est spiritus proprius novi Testamenti, ut ipsæmet Scripturæ ab Adversariis productæ evincunt. Preclara sunt verba illa Concilii *Sess* 6. *c.* 3. — „ Pro hoc beneficio Apostolus gratias nos „ semper agere hortatur Patri, qui dignos „ nos fecit in partes sortis Sanctorum in „ lumine, & eripuit de potestate tenebra„ rum, transtulitque in Regnum filii dile„ ctionis suæ, in quo habemus redemptio„ nem, & remissionem peccatorum — Diversa sunt hæc duo esse in Regno filii dilectionis, in quo habetur remissio; aliud est per dilectionem fieri remissionem, & sine ipsa non fieri. Illud primum est verum, hoc secundum probari debet ab Adversariis. Loquimur de charitate actuali, non autem de habituali; nam hæc per Sacramentum sub attritione confertur, & in quacumque justificatione. Loquimur de charitate formali, quia æquivalens, quæ consistit in eo, quòd Sacramentum facit ex attrito contritum.

Resolutoriè. Spiritus timoris Dei servilis secundùm se, & præscindendo a conditionibus, quibus modificabatur sub lege veteri, pertinet ad virtutes morales, & ideo etiam in libris Sapientialibus commendatur: Moralia autem vigent in nova lege. Timor gehennalis a Christo prædicatus spiritus Testamenti novi est, quamvis non de linea primaria. Justificatio facta cum simplici attritione in Sacramento gratia novi Testamenti est, quia ex merito Passionis Christi operatur remissionem peccatorum. Qui timori Sacramentali docet remitti peccata, non abjicit Mediatorem Christum, quia excitatum gratia Dei per Christum moveri adversùs peccata tradit. Qui timori Sacramentali tribuit dispositionis proximæ vim, non abdicat charitatem, quia in aliis casibus præceptum charitatis candidè obligare docet. Denique aliud est charitatem formaliter non includere; aliud est eam excludere. Primum nos admittimus in simplici attritione; secundum negamus.

Timor gehennæ est spiritus novi Testamenti.

116 OB. IV. Pœnitentia vera necessaria est ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ ex declaratione Concilii Trid. *Sess.* 14. *cap.* 1. illis — Fuit quidem pœnitentia uni„ versis hominibus, qui se mortali aliquo „ peccato inquinassent quovis tempore ad „ gratiam, & justitiam asservandam neces„ saria, illis etiam, qui Baptismi Sacra-

„ mento

„ mento ablui perivissent, ut perversitate „ abjecta, & amendata tantam Dei offen„ sionem cum peccati odio, & pio animi „ dolore detestarentur -- Sed simplex attritio non est vera pœnitentia hic descripta. Ergo non est sufficiens dispositio ad susceptionem Sacramenti. Minor ostenditur. Pœnitentia, quæ non est propter Deum dilectum, non est vera pœnitentia hic descripta.

I. Quia Concilium exigit detestationem peccati in quantùm offensa Dei est: *Tantam Dei offensionem*. Assignat offensam Dei pro motivo; & si non assignasset pro motivo mancam descriptionem fecisset; dolor autem ex motivo offensæ est dilectivus Dei necessariò.

II. Pœnitentia hìc descripta importat odium propriè dictum: *cum peccati odio*. Sed odium propriè dictum est odium peccati secundùm se, & propter se; sicut amare propriè dictum est amare secundùm se, & propter se, non propter aliud; quod enim amatur propter aliud non amatur, teste August. *lib.* 83. *quæst.* 34. *homil.* 38. inter 50. Auctor. *lib.* 3. *de vita contemplativa cap.* 25., Bern. *lib. de dilig. Deo cap.* 7. cùm ergo peccatum contrarietur æternæ justitiæ, & legi Dei, est enim dictum, vel factum, & concupitum contra legem æternam, oriri debet ex amore justitiæ æternæ.

III. Pœnitentia hic descripta non est sine pio animi dolore de Deo offenso: *& pio animi dolore*: atqui pius animi dolor non est absque Dei dilectione; tum quia pius dolor, est pius in Deum offensum affectus, qui proinde rationem mali divini, non proprii respicit; tum quia timor pœnæ non est motivum immediatum pii affectus in Deum, sed tantùm introductivum, sicut non est immediatum motivum doni pietatis ex D. Thom. 2. 2. *q.* 19. *art.* 7.

In his continetur vis tota, quam Adversarii eruunt ex hoc loco Tridentini; & quæ hìc proferunt, pluriès solvimus, quia pluriès repetunt. Quia tamen planiori modo ex hoc loco nos pro simplici attritioni clarum argumentum desumpsimus, ideò ut confirmetur per expurgationem oppositorum, & positivè iterùm roboretur, breviter respondebimus. Directa mens Concilii est ostendere institutionem Sacramenti Pœnitentiæ; & tenet hunc ordinem.

Primò ponit pronitatem hominis baptizati ad peccandum. Secundò, commendat misericordiam Dei in præparando remedio. Tertiò, declarat pœnitentiam semper fuisse necessariam lapsis, etiam Catechumenis postulantibus Baptismum. Quartò, docet quod in lege veteri, & ante Baptismum non erat Sacramentalis. Quintò, probat a Christo institutam in Sacramentum, & quando, & ex eo damnat Novatianos. Quare evidens est, quod describit pœnitentiam extrasacramentaliter, & sacramentaliter justificantem per ea, quæ sunt communia utrique, videlicet, genericam prout comprehendit sub se duas species contritionis propriè dictæ, & contritionis impropriè dictæ, quæ simplex attritio est, & utramque justificare declarat, vel in Sacramento, vel non in Sacramento. Primum attritioni convenit; secundùm contritioni propriè dictæ.

Quod si Adversarii velint hoc negare, convincentur ad hominem, quia aliàs debebunt concedere ibi describi pro Sacramento necessariam pœnitentiam, quæ erat necessaria ante adventum Christi, quæ per ipsos erat vera, vehemens, & intensa, non inchoata, & imperfecta.

Itaque vera pœnitentia describitur, prout opponitur non veræ, & falsæ, non autem prout opponitur imperfectæ; aliàs apud Adversarios non sufficeret prætensa inchoata dilectio. Negatur autem quod nostra attritio non sit vera pœnitentia; est enim vera pœnitentia, sicut est verus actus bonus, verus impulsus Spiritus Sancti, & gehennæ fides, est vera fides, adversus quam prima probatio non urget. Falsum est, quod ibi offensio Dei stet pro motivo doloris, sed stat pro materia, seu pro objecto *quod*; clara sunt verba *tantam Dei offensionem detestarentur*. Ecce offensio Dei est objectum detestationis; motivum autem erit, quale quisque assumet, non solùm accipiendo offensam Dei specificativè, sicut accipit Concilium, sed reduplicativè, ùt est offensa Dei. Docent Theologi, quod pœnitentiæ virtus sit virtus specialis distincta a charitate, & aliis virtutibus propter diversum objectum *quo*, seu *sub quo*; docent, quod displicentia peccati, ùt offensa Dei immediatè possit esse a charitate, & a pœnitentia, sed sub diverso motivo, a charitate, prout est malum Dei simpliciter, a pœnitentia tendendo in ejus destructionem, & exhibendo satisfactionem. 3. *p. q.* 26. *de Sacramentis*, aliàs 85. *art.* 2., *&* 3., & alibi D. Th. Ita pariter, quia offensa Dei punitur æternâ pœnâ, homo illam detestari potest. In humanis offensam Regis quis veraciter retractare potest amore Regis, & timore supplicii. Nec mancum fuit Concilium in descriptione, quia non assignavit hoc motivum; quia tot assignavit, quot includuntur in pio animi dolore, qui non est uni alligatus, & sunt motiva omnia supernaturalia, divina bonitas, divina justitia punitiva, vel retributiva &c.

Secunda probatio non solùm non urget, sed est falsa. Utique odium propriè dictum ibi accipitur, prout opponitur non proprio, & abusivo; non autem prout opponitur perfecto, aliàs neque Adversariorum inchoata dilectio sufficeret. Propriè quis odit aliquid quando sincerè, veraciter, & efficaciter illud abominatur, ab illo refugit, quocumque motivo fiat. Propriè est homicidium hominis occisio, sivè fiat spiritu vindictæ ad ulciscendam injuriam, sive spiritu avaritiæ ad surripiendam occisi pecuniam. Eo motivo utebatur Lutherus ad ostendendum, quod contritio servilis esset mala, quia non potest perfectè aliquid odisse, cujus contrarium non diligatur; Catholici tamen Scriptores objiciunt ejus apertam falsitatem, quia eadem res odio haberi potest ex pluribus finibus, & motivis. Videatur Tapperus in articulos Lutheri. Optimè dicit Bellarminus *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 18. sæpè homo abominatur cibum aliquem suavem, & dulcem, non quia diligat cibum insipidum, sed quia sanitati nocet; ita fide tenens, quod offensa Dei ducit ad tartara, ne æternaliter pereat, illam vera-

Digitized by Google

veraciter detestatur. Dabo ad rem infrà D. Th. doctrinam.

Tertia probatio est extorta, quia invertit constructionem grammaticalem, & significativam Concilii, cujus verba sunt *Dei offensionem pio animi dolore detestarentur*. Hæc sermo non significat pium affectum in Deum offensum, pium affectum in malum Dei; sed importat pium motum doloris de offensa Dei adversùs offensam Dei. Dolor de peccato, sive ex timore recto Dei, sive ex amore beatitudinis, sive ex motivo turpitudinis, sive ex dilectione Dei propter se est pius dolor animi, ùt patet. Timor servilis, ex quo immediatè disponit ad charitatem, est sufficiens dispositio ad gratiam in Sacramento, ut suo loco expendimus, & infra dabimus ex laudato D. Th. loco in objectione citato; aliunde, ut ex eodem Doctore ostendimus, timor respicit Deum inflictorem pœnæ immediatè.

117 OB. V. Ille dispositio non sufficit, quæ non habet conditiones requisitas ad rationem quasi partis Sacramenti: sed simplex attritio illis caret; ergo non est dispositio sufficiens. Argumentum totum producunt ex Concilio *Sess.* 14 *cap.* 3. — Sunt „ quasi materia hujus Sacramenti ipsius Pœ„ nitentis actus, nempe Contritio, Confes„ sio, & Satisfactio: qui quatenus in Pœ„ nitente ad integritatem Sacramenti, ad „ plenamque, & perfectam peccatorum „ remissionem, ex Dei institutione requi„ runtur, hac ratione pœnitentiæ partes di„ cuntur — Et *Can.* 4. — Si quis nega„ verit ad integram, & perfectam peccato„ rum remissionem requiri tres actus in „ Pœnitente, quasi materiam pœnitentiæ vi„ delicet, Contritionem, Confessionem, & „ Satisfactionem, quæ tres Pœnitentiæ par„ tes dicuntur &c. anathema sit — His locis definitur contritionem esse quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ; ergo ubi non adest contritio irritum est Sacramentum; sed omnis alius dolor, qui non est ex inchoata dilectione Dei super omnia non est contritio, cum specie differat, ergo sub eo irritum est Sacramentum.

Cum verò statuit Concilium contritionem pro materia, exclusivè loquitur de omni alia: illa enim locutio æquivalet negativæ; sicut cum definit materiam Extremæ Unctionis esse Oleum benedictum, & definit panem triticeum esse materiam Eucharistiæ, ita hæc statuit pro materia, ut quamcumque aliam excludat. Deinde titulus illius capitis est de partibus Sacramenti: ergo proponit omnes, & singulas partes, aliàs mancam traderet doctrinam; immò esset dicendum, quod ab inconabilis Ecclesia nunquam proposuisset adæquatam materiam, cum semper contritionem proposuerit, & proposuisset illam, quæ perrara est, & difficilis, omissâ illâ, quæ est facilis.

Gaspar Juenin dicit multùm nos torquere hoc argumentum; at jure timendum est ne præconcepta opinio ipsum fallat. Evidens est, quod Concilium loquitur de contritione subalterna, non de specie athoma: & eodem modo de confessione. Hinc est, quod in *cap.* 4 sequenti dividit contritionem in perfectam, & imperfectam, & utriusque proprietates declarat. Hinc est, quod in *cap.* 5. dividit confessionem in publicam, & secretam, de venialibus, & mortalibus, de confessione peccatorum in genere, & in specie, de externa, & interna, de numero, circumstantiis delictorum. Idem facit *cap.* 8. de satisfactione. Itaque statuit contritionem ùt contractam ad unam, vel alteram speciem: confessionem sub hac, vel illa forma: satisfactionem determinatam ad hæc, vel illa opera specie differentia, esse partes, vel quasi materiam Sacramenti Pœnitentiæ; quot, qualesque sint illæ species, & modificationes de cujusque parte agendo explicat suis peculiaribus capitibus. Hoc ita certum est, ut mirum sit, talia nobis opponi: nam candidè textum inspiciendo, pro nobis argumentum evidens exhibetur, ùt in prima probatione conclusionis perpendimus; insuper demonstrant exempla adducta in objectione, & ibidem pro nobis relata.

118 DICES, Juxta Dialecticorum axioma analogum simpliciter prolatum stat pro principali analogato, quo principio etiam Theologi ex Evangelio colligunt, panem determinatè triticeum esse unicè materiam Eucharistiæ, quia dicitur absolutè Christum consecrasse panem: sed principalis species contritionis est contritio propriè dicta; ergo de hac loquitur Tridentinum. Deinde Concilium sumit contritionem in eo sensu, quo Scriptura, & Patres, & Scholastici: sed Scriptura, Patres, & Scholastici sumunt contritionem pro ea, quæ est ex amore Dei; ergo etiam Concilium. Præterea sumit Concilium contritionem, quam Theologi definiunt dolorem peccati, prout est offensa Dei: sed iste oritur ex motivo charitatis, ùt iidem docent; ergo etiam Concilium. Denique in eo sensu accipit Concilium contritionem, quo impugnabatur necessaria ad justificationem ab Hæreticis; sed Hæretici negabant contritionem ex dilectione Dei super omnia, quia impossibilem esse dicebant, ùt habet Kemnitius *parte* 2. *examinis* Concil. Trident. *cap.* 4., quos revincit Bellarminus *lib.* 2. *de Pœnit. cap.* 10.

Retorqueo argumentum. Principale analogatum contritionis est contritio perfecta, ea videlicet, quæ ex perfecta charitate oritur, non autem ex charitate initiali, ùt evidens est, sicut quando homo simpliciter profertur, non puer intelligitur, sed adultus; ergo contritio ex initiali amore benevolo non sufficit, cujus etiam mentionem nulla Scriptura facit ex illis, quas adducunt.

Igitur nomen contritionis ibi non est prædicatum analogum, quod respicit sua inferiora cum distributa proportionalitate; sed est nomen genericum, & commune, quod dividitur, & contrahitur per differentias specificas. Exemplum de pane triticeo semper erit contra ipsos. Theologi, quia nomine panis venit usualis, ideò triticeum determinant quemcumque, sive azymum, qui non est usualis neque apud Hebræos, nisi quibusdam temporibus, nec est perfectè panis, præcipuè, ùt est in usu in Ecclesia Latina, licet verè panis dicatur in Scrip-

Scriptura : sine fermentatum , qui est verè panis , sub quo est magis , & minus de bonitate , & perfectione . Usuale nomen in Scriptura est Pœnitentia ; hoc est detestatio peccatorum, quæ est contritio rigorosa, si fit per dilectionem Dei super omnia; sine hac est contritio imperfecta; utraq. tamen perutilis.

Secundum quod subsumitur pariter retorquetur . Per arguentes sumit Concilium contritionem in sensu , quo Scriptura , Patres, & Scholastici : sed evidens est , quod Concilium agnoscit divisam contritionem in rigorosam , quæ ex charitate , & in non rigorosam , quæ non ex charitate ; ergo Scriptura, Patres, Scholastici loquuntur de contritione generica , quæ dividitur in plures species. Et revera quandoque Scripturæ , & Patres utuntur verbis utrique contritioni communibus , quandoque utuntur verbis modificatis per motiva attritionis simplicis , quandoque verbis modificatis per motiva dilectionis , & præcisivè a justificatione per Sacramentum . Jam plura hac de re testimonia dedimus .

Tertium , quod infertur sæpè evacuatum est . Offensa Dei accipitur specificativè , & reduplicativè : accipitur per modum motivi , & per modum objecti destruendi : accipitur ut mala Deo , & ut mala nobis : & omnibus istis modis a Theologis usurpatur ; adeoque pertinet , & ad contritionem , quæ est ex dilectione , & ad contritionem, quæ non est per dilectionem . Concedimus quidem , quod Theologi loquentes de contritione , prout est membrum dividens ab attritione, illam describunt detestationem peccati ex motivo charitatis: & in hoc sensu legitimè citari possunt ab Adversariis Dominicus, & Petrus Soto, & Andreas Vega ; quorum verba placet adducere, prout jacent apud Juenin, ut videat candidus Lector , an ipsis faveant .

Dominicus Soto , qui interfuit Tridentino adducitur *lib. 2. de natura , & gratia cap. 14.* — Nomine contritionis universi , „ tum Patribus, tum Theologis Scholasticis „ venit intelligendus actus pœnitentiæ per„ fectus, quo peccata remittuntur. Ut enim „ hactenus commonstratum est , pœnitentiæ „ sacra pagina tribuit remissionem pecca„ torum tanquam proximæ ex parte nostra di„ spositioni : proxima autem dispositio , ut „ habemus etiam huc usque constitutum , „ actus debet esse charitatis . Porrò actus „ charitatis non est ex genere suo , at„ tritio ; nam qui peccata abominatur „ tantùm ea ratione , quia nocent , non „ tam Deum diligit , quàm pœnas odit . „ Ergo contritio solùm est detestatio pecca„ torum quatenus offensa sunt Dei , quæ „ sanè amor quidam est ejus : utraque enim „ est actus amicitiæ, scilicet lætari de bonis „ amici , & de illatis ipsi injuriis dolere — Hic nulla mentio inchoatæ dilectionis: Hic describitur contritio cum actu charitatis, attritio absque illo : Hic actus pœnitentiæ perfectus dicitur contritio , non autem omnis actus pœnitentiæ : Hic charitati tribuitur justificatio extrasacramentalis : Hic actus dilectionis, quo contritio formatur , dicitur amicitiæ; adeoque facit amicum de suo, vel supponit .

119 Petrus Sotus in Scoliis ad Confessionem Wittambergensem titulo de contritione Catholica, habet — Contritionem vo„ cat Catholica Ecclesia perfectum animi „ dolorem de peccato voluntati illi , quæ „ peccare libuit oppositum &c. Dolor siqui„ dem imperfectus, ex quacumque, & qua„ licumque procedens fide, & quantascum„ que lachrymas , & sensus doloris habeat, „ nunquam ex Dei charitate , quæ veram „ fidem præsequitur , sine qua impossibile „ est placere Deo , charitate inquam, dile„ ctioneque illius super omnia bona , & „ amabilis procedat , atque ita peccata „ tanquam Deo opposita, super omnia, quæ „ odio habeat, detestetur — Hic habes Doctorem istum loqui de justificatione, & contritione Catholica adversus Hæreticos , qui totam justificationem, & contritionem reponebant in fide, & quibusdam terroribus. Hic habes duplicem dolorem : perfectum, & imperfectum ; ille cum charitate , iste absque charitate. Hic non legis dilectionem initialem , charitatem inchoatam ; quia Catholica Ecclesia semper agnoscit pro vera contritione , pro perfecto dolore , quoties intervenit actus verus dilectivus Dei super omnia , sive intensus , sive non ; dolor autem perfectus justificat solo voto Sacramenti .

Andreas Vega in Concilium Tridentinum *lib. 13 cap. 17.* — In usu est contri„ tio non tantùm apud Scholasticos Aucto„ res , sed in translatione communi Scrip„ turæ , & apud graves , & antiquos Ec„ clesiasticos Doctores, eoq. persæpè utuntur „ Gregor. , Bernar. , Cassianus, & August. : „ & non sine causa apud Scholasticos non „ qualiscumque dolor de peccatis, sed per„ fectus tantùm , & sufficiens ad justifica„ tionem contritio dicitur . Sic usurpare „ videtur Gregorius *3. p. Pastoral. cap. 21.* „ Chrysostomus , & Augustinus in illa ver„ ba , qui sanat contritos corde — Ecce hic pariter distinguitur dolor perfectus, qui ex charitate , & dolor alius non ex charitate . Quare ex testimoniis citatis pro se ab Adversariis habemus partitionem duplicis doloris , cujus unum membrum contrapositivè acceptum dicitur contritio propriè dicta , aliud verò attritio imperfecta, seu attritio ; illa per charitatem , hæc per carentiam charitatis . Habemus ex his falsò affirmari ab Adversariis, quod attritio , seu contritio imperfecta apud Concilium includat motivum aliquod amoris super omnia : Insuper habemus dolorem aliquo vero amore Dei super omnia conceptum , esse dolorem perfectum, adeoq. justificare cum voto Sacramenti , ac proinde non esse necessariam dispositionem pro actuali Sacramento .

Dominicus , & Petrus Soto , & Andreas Vega nostræ favent sententiæ .

Quartum , quod additur est valde notandum in favorem nostræ Doctrinæ . Heretici , de quibus in objectione , insultant adversus Catholicam de justificatione doctrinam . Kemnitius asserit Tridentinum exigere ad justificationem contritionem charitate perfectam . Ut autem hæc perfecta sit, probat ex Scoto habere debere certum gradum intensionis , & certo spatio temporis continuarà debere: cum tamen neque possit ulla ratione con-

conſtitui, quotus ille gradus ſit, neque quantum ſpatium temporis exigatur; hinc redduntur perplexa, & implicata omnia. Addit etiam ex teſtimonio Scholaſticorum aliorum contritionem oportere ex charitate procedere: charitate autem Deum ſuper omnia debere diligi; ad quam perfectionem nullus Sanctorum in hac vita pervenire poteſt. Ex his ita colligit pagina ſequenti (impoſſibilis igitur eſt ſufficientia, & perfectio contritionis, & ejus perſuaſio, vel facit Phariſæos, vel deſperabundos &c.) apud Bellarminum ab arguente loco cit.

Bellarminus recitatis dictis Hæreticorum duo facit. Primum. Retorquet argumentum de deſperatione in Adverſarios. Secundum. Demonſtrat doctrinam communem Theologorum conſolatione plenam. Pro primo adducit Doctrinam, quam concedit Kemnitius 2. *parte Examinis Concilii Tridentini*, & Calvinus *lib. 3. Inſtitutionum cap. 4. §. 2., & 3.*, qui dicunt pœnitentiam debere eſſe veram, ſeriam, acrem, vehementem, ſedulam, amaram. Quibus ſumptis Bellarminus ſeriam, & veram contritionem, ſine qua non ſit remiſſio, eam eſſe, quæ eſt ex toto corde, qualis eſt etiam vera Dei dilectio: & adducit Scripturas; deinde concludit ad hominem, ſi ergo ipſi Hæretici exquirunt veram, & ſeriam pœnitentiam, coguntur admittere contritionem, & dilectionem Dei ex toto corde, quam cum impoſſibilem exiſtiment, impoſſibilem docent pœnitentiam.

Deinde Bellarminus proſequitur in ſequentibus oſtendere qualis debeat eſſe contritio neceſſaria ad juſtificationem, & firmat ſequentes propoſitiones. Prima. Contritio non debet æquare magnitudinem iræ Dei. Secunda. Debet eſſe ſumma appretiativè. Tertia. Non eſt neceſſe, ut ſit ſumma intenſivè. Quarta. Non requirit certum gradum intenſionis, & durationis. Quinta. Non requirit tot actus, quot peccata. Sexta. Utiliſſimum eſt habere amariſſimam, & diuturnam. Septima. Quod ſit cauſa remiſſionis peccatorum. Octava. Quod ante abſolutionem cum voto reconciliet, ex profeſſo oſtendens adverſus etiam quemdam Catholicum ſufficere contritionem appretiativè ſummam, nec requiri ſummam intenſivè ſolutis objectionibus, quæ inter omnes illæ, quas urgent contra nos Adverſarii, concluditque librum illum Bellarminus „ Nullo modo negare poſſunt, quin attritio, & „ ſola non ſufficiat, & cum abſolutione „ ſufficiat, ut in Concilio Tridentino *Seſſ.* „ 14. *cap.* 4. declaratum eſt „ Hoc & alibi docet: totum autem quod ibi aſſerit, dicit eſſe ex communi Doctorum, quod eſt valde advertendum; quia noſtra Doctrina remanet firmata communi calculo. Nunc contritio, quam Kemnitius carpit velut impoſſibilem per Concilium ſtatutam, eſt ea, quam Concilium dicit charitate perfectam: quæ proinde reconciliat cum ſolo voto Sacramenti; ergo ſi per Adverſarios Concil. ſtatuit eſſe partem Sacramenti contritionem, quam carpunt Hæretici, Concilium requirit contritionem juſtificantem ante actualem ſumptionem Sacramenti, quod nemo dicere audebit.

Item Hæretici contritionem eam dicunt charitate perfectam, & Concilio attribuunt, qua Deus diligitur ſuper omnia: ſed dilectio, quam noſtri Adverſarii dicunt inchoatam, eſt vera dilectio ſuper omnia; ergo per illam conſtituitur contritio per charitatem perfecta, & per conſequens juſtificativa extra actualem Sacramentum.

Rurſus noſtri Clariſſimi Adverſarii, ut probent neceſſitatem amoris pro neceſſaria diſpoſitione Sacramenti utuntur Scripturis, quas Bellarminus affert, requirentibus pœnitentiam ex toto corde: ſed Bellarminus illud ex toto corde explicat de ſumma ſolùm appretiatione pro conſtituenda contritione ſufficienti ad juſtificandum cum ſolo voto Sacramenti; ergo cum per noſtros Adverſarios dilectio inchoata ſit ſumma appretiativè, ſequitur, quod ſit ſufficiens ad juſtificandum cum ſolo voto Sacramenti. Ecce quantum nobis prodeſt Bellarmini patrocinium. Remanet ergo firmatum, quod Concilium Tridentinum in eo tertio capite agit de contritione in communi, & firmat noſtram poſitionem: locutio enim comprehendens plura membra in omnia illa fertur; quare & contritio rigoroſa, & attritio ſimplex ſunt partes ſufficientes Sacramenti Pœnitentiæ.

§. III.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ex cap 4. Seſſ. 14. CONCILII DEFINIENTIS CONTRITIONEM IN GENERE, QUOD COMPREHENDITUR PRIMA PARTE CAPITIS.

120 OBJIC. VI. Concilium *cap. 6. Seſſ.* 14. definiens contritionem in genere utique non deficienter dicit: *Animi dolor, ac deteſtatio eſt de peccato commiſſo*: ſed in his intelligit dolorem emanantem ex dilectione Dei; ergo. Probat Theologia Sanctorum poſitionem. Quia non eſt cenſendum Tridentinos Patres omiſiſſe motivum eſſentiale contritionis in genere; aliud autem non aſſignant, quàm peccatum ipſum, quod per conſequens ut peccatum eſt accipi debet, juxta regulam Dialecticorum, ex qua termini ſignificantes interiorem motum habent ſenſum formalem, ſicuti cum dicimus deteſtor impium, ut impium ſignificatur: ſed deteſtatio peccati ut peccatum eſt, deteſtatio peccati eſt ut malum Dei; ergo eſſentiale motivum contritionis in genere eſt malum Dei; ac per conſequens exigit Concilium amorem Dei, ſive perfectè, ſive imperfectè.

Quæcumque referemus ab Adverſariis ex hoc loco Concilii jam refutavimus. Ultro tamen accipimus hic definire Concilium contritionem in genere: ergo contritionem continentem ſub ſe plures ſpecies contritionis, adeoque ex diverſis motivis eſſentialibus definit; ſed prima ſpecies, quæ eſt contritio propriè dicta, habet pro motivo peccatum qua malum Dei, & dilectionem includit; ergo aliæ ſpecies hoc motivum non includunt.

Neque dicas dilectionem perfectam includi in prima ſpecie, imperfectam in ſecunda;

quia

quia perfectum, & imperfectum in eadem linea non variant speciem essentialem; sicut peccatum ejusdem lineæ gravius, vel levius non variat speciem essentialem.

Falsum deinde omnino est illud *De peccato commisso* dicere motivum essentiale; sed dicit materiam essentialem, circa quam versatur dolor. Hoc in aperto est, & illa particula *De* manifestum facit. Si illud *de peccato* est motivum, qualis erit materia detestata? Illa regula logicalis malè applicatur. Alius est sensus formalis, supra quem cadit motus interior; alius est sensus formalis rationis *sub qua* motus interior fertur in rem. Certè detestamur peccatum, ut peccatum est, quia non detestamur, quod peccatum non est, verbi gratia, in percussione verberationem physicam præcisè; cum autem peccatum, & sit malum Dei, & sit malum hominis, detestari possumus vel sub motivo proprio mali Dei, vel sub motivo proprio mali hominis.

Hoc evincit exemplum Adversarii. *Detestor impium*. Sensus formalis est, detestor in homine impietatem, vel hominem ut affectum impietate, quia non detestor hominem secundùm se, ut naturam dicit humanam; quo motivo verò detestor, alia res est, quia possum detestari, quia mihi nocet, quia amici mei inimicus est, quia Deum contemnit, possum odisse ex motivo vindictæ, vel ex motivo justitiæ.

Dein etiam, quod peccatum in sensu formali importaret malum Dei, ut malum Dei, adhuc non colligeretur motivum dilectionis; nam ly *ut* sumitur specificativè, & sumitur reduplicativè. Primo modo facit sensum, detestor peccatum, quod est malum Dei; secundo modo facit sensum, detestor peccatum, quia est malum Dei. Attritus detestatur primo modo faciens, quod peccatum, quod est malum Dei, punitur æternâ pœnâ, de illo dolet; contritus propriè dictus detestatur secundo modo peccatum.

Iam si Concilium pro contritione in genere in verbo *Peccati* intelligeret pro motivo malum Dei ut sic, intelligeret perfectissimum motivum, quod possit excogitari; ergo exigeret pro prædicato essentiali actum perfectissimum, qui possit excogitari; ergo contritio perfecta, & imperfecta essentialiter convenirent in prædicato perfectissimo, quo majus excogitari nequit; ergo utraque justificaret cum solo voto Sacramenti contra apertam litteram Concilii. Esse majus malum Dei, vel minus sunt differentiæ secundùm quid, quæ non reddunt perfectius motivum in esse motivi, adeoque neque variant simpliciter esse perfectum dilectionis, & charitatis.

121 OB. VII. Motus contritionis ibi descriptus ut divisus in perfectum, & imperfectum est novæ vitæ inceptio, & odium veteris juxta *Exerb.* 18. -- Declarat igitur „ Sancta Synodus hanc contritionem non „ solùm cessationem a peccato, & vitæ no- „ væ propositum, & inchoationem, sed ve- „ teris etiam odium continere -- Sed vita nova non incipitur, nisi a dilectione Dei, seu secundùm Deum *ad Ephesios* 4., & vetus non spoliatur, nisi tollantur desideria carnis, & mundi. Quare sicut incipere veteram hominem est diligere creaturas sistendo in illis: ita incipere novam vitam; seu novum hominem est diligere Deum sistendo in illo; ergo Concilium supponit in essentiali conceptu contritionis ut sic, dilectionem Dei super omnia.

In singulis capitulis adimplet Concil. promissa in proœmio sessionis, videlicet, incumbit extirpationi hæresum, quæ doctrinam inficiunt pœnitentiæ. Diversimodè loquuntur Acatholici nostri temporis de pœnitentia. Lutherus in principio suæ defectionis in sola novitate vitæ pœnitentiam constituebat juxta illud. *Optima pœnitentia nova vita*. Melancthon verò constituebat pœnitentiam in quibusdam terroribus incussis a lege, quos contritionem, & mortificationem appellabat, vitam autem novam, seu propositum vitæ novæ inter fructus justificationis connumerabat. Concilium autem Tridentinum veram de pœnitentia dans notionem, firmat Scripturis, & veteris odium, & novæ vitæ propositum; ac inchoationem continere: Verbis, & Scripturis utitur communibus ad motivum amoris spei, & ad motivum amoris Dei benevoli. Vita vetus sunt peccaminosi affectus: vita nova sunt affectus rectè faciendi opera a lege præcepta; spiritus, & cor vetus est inordinatus usus creaturarum: spiritus novus, & cor novum, est desiderium, & voluntas ordinati usus creaturarum; nec aliter explicat Apostolus ad Ephesios 4. apud quem etiam quid sit homo novus secundùm Deum, audias. *Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis; propter quod deponentes mendacium loquimini veritatem unusquisque cum proximo suo*. Qui facit ergo opera veritatis, opera justitiæ, vivit vitâ novi hominis secundùm Deum.

Diversa Acatholicorum de Pœnitentiæ Sacramento.

Ipsa verò, & abjectio desideriorum carnis, & assumptio desideriorum spiritus optimè haberi potest, sive timore Dei punientis, sive amore Dei propter se diligibilis. Utrumque verbum Dei est, & quod proponit Deum amabilem propter se, & quod proponit Deum beatificantem nos, & punientem peccata æternaliter. Advertendum tamen est, quod locus citatus ad Ephesios 4. est de jam justificatis, quos adhortatur, ut perseverent in abjectione veteris hominis, & in professione novi: adeoque ad rem non affertur; aliàs concluderetur requiri ad Sacramentum Pœnitentiæ statum gratiæ.

Illud ratiocinium, quod subditur est egregium pro nobis. Incipit vita vetus, quando incipit amor creaturarum sistendo ibi in illis per Adversarios: sed minimæ intensionis amor creaturarum sistendo in illis, cum sit peccatum mortale, affert illicò mortem spiritualem habitualem; ergo si vita nova debet incipere in dilectione Dei super omnia sistendo in illo contrapositivè necesse est, quod illicò amor Dei cujuslibet minimæ intensionis vitam afferat spiritualem habitualem. Itaque vera contrapositio est, inordinatus amor sui est veteris vitæ radix, & inceptio: ordinatus amor sui, est vitæ novæ radix, & inceptio; ordinatus autem est amor sui si mandata Dei sequatur, sive ut

felicitet vivat in Cælo, & non pereat in æternum, sive ut Deo placeat, quia in se bonus.

122 OB. VIII. Mens Concilii in illis verbis *Facite vobis cor novum, & spiritum novum* venanda est per cohærentiam ad alia Concilia, & Patres: sed, ut Patres loquuntur, & Concilia cor novum, & spiritum novum, nihil aliud facit, quàm charitas Dei, quæ diffunditur in cordibus nostris, non per liberum arbitrium; quod est in nobis, sed per Spiritum Sanctum, qui datur nobis, (verba sunt Merbesii *pag.* 25. *tom.* 2) ergo Tridentini mens exigit amorem Dei inchoatum.

RESP. Scriptura, Concilia, Patres, Ecclesia, Theologi unanimi consensu docent nunquam diffundi Spiritum Sanctum in cordibus nostris, nisi per gratiam, & charitatem habitualem; si ergo prævie ad Sacramenti sumptionem pro dispositione requiritur novitas spiritus descripta, status gratiæ necessarius est. Omnia pene argumenta hujus Auctoris probant necessitatem status gratiæ, & perfectæ charitatis eo modo, quo ea urget; cumque nimis probent, nulla esse convincuntur. Cor novum per diffusionem Spiritus Sancti in cordibus nostris est effectus Sacramenti Pœnitentiæ per se ordinati ad producendam primam gratiam: cor verò novum, quod dispositivè exigit Concilium, est per Spiritum Sanctum moventem, sed non inhabitantem; in simplici autem attritione datur Spiritus Sanctus movens, ut Concilium statuit.

123 OB. IX. Odium simpliciter dictum est odium abominationis, cujus natura est, ut sit amor personæ, & odium rei: sed ibi Concilium definit contritionem per odium simpliciter; ergo per odium abominationis; ergo peccati detestatio, quatenus est offensa Dei, est odium abominationis, quo displicet peccatum, & placet Deus, quem offendimus: unde est odium peccati, & amor Dei; amor autem Dei propter ipsum est actus charitatis, ergo & odium peccati, quatenus hoc est contra Deum est actus charitatis. Idem *pag.* 25. referens ratiocinium Becani *cap.* 30. *de Sacramentis q.* 3. *in fine*.

In hac materia Adversariorum causæ ruit ex citatione pro se Doctorum, quia non citant eos persæpè ad rem, & secundùm cohærentiam. Evidens est Becanum sustinere, attritionem simplicem sufficere in Sacramento: reperis hoc de Sacramentis in genere: docet de Pœnitentia *cap.* 35. *q* 6. ita absolutè quod dicit omnes sentire: evidens est Becanum sustinere; quod contritio, & actus charitatis præcisè summus appretiativè, qualis est dilectio inchoata Adversariorum justificat extrasacramentaliter; cum ergo hæc certa sint, quid illis prodest auctoritas Becani? necesse est igitur, quod discursum illum ad aliud propositum faciat, & ita revera est; ibi enim conclusione 3. firmat, quod actus detestationis peccati, quem charitati tribuimus, sit vera dilectio Dei.

Amor rectus est duplex. Duplex est amor rectus, amicitiæ, & concupiscentiæ; duplex pariter est odium, unum oppositum amori amicitiæ, aliud oppositum amori concupiscentiæ. Qui odit peccatum formaliter ut malum Dei, illud odium oritur ab amore amicitiæ, & charitatis erga Deum prout ad se; Qui odit peccatum ut malum sibi, illud odium oritur ab amore concupiscentiæ. Concilium genericè loquitur ad unum, & aliud odium; nec unquam utitur verbis reduplicativis, ut offensa Dei, ut malum Dei, vel similibus; & hæc sunt clara in contextu.

§. IV.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX DEFINITIONE ATTRITIONIS TRADITA IN SECUNDA PARTE ILLIUS CAP. 4. SESS. 14.

124 OBJIC. X. Attritio, quam describit Tridentinum excludit voluntatem peccandi per veram mutationem voluntatis dissentientis peccato: sed sola attritio conjuncta cum actuali, & formali dilectione Dei super omnia excludere potest positivè voluntatem peccandi; quia semper verum est illud Augustini — Qui „ timore supplicii, quod lex minatur, rem „ alienam non concupiscit, puto quia con- „ cupiscit — Si non actu saltem in affectu habituali: cui consonat illud Ambrosii *lib.* 8. *in Luc. cap.* 17. — Qui metuit, reprimitur, „ non emendatur —

Qui contra nos in hoc paragrapho arguunt concedunt nobis Concilium velle esse sufficientem attritionem in Sacramento; sed contendunt ipsum loqui de attritione imperfectè dilectiva super omnia. Frustra tamen laborant, quia nimis clarè textus loquitur. Si nullius motivi expressionem fecisset, neque posset solidi aliquid concludi; quantò magis ubi tam apertè assignat motiva, & quidem per contradistinctionem ab eo dolore, qui est per charitatem. Sapientissimâ processit Concilium methodo, dedit priùs notionem genericam detestationis peccatorum: postea divisit in perfectam, & imperfectam: deinde explicuit perfectam per charitatis motivum: denique tradidit imperfectam per motivum gehennæ, beatitudinis æternæ, & turpitudinis peccati. Esset autem deficiens assignatio motivorum si adhuc deberet includi motivum charitatis, nec esset sapiens divisio, si in utroque membro dividente dilectio Dei super omnia exigeretur a Patribus: sicut qui genericè describeret animal, & divideret in perfectum, quod ratione constituitur, & in imperfectum, quod per hinnibile, vel latrabile explicatur, vellet esse intelligendum cum rationabilitate sub gradu imperfecto.

In prooemio hujus sessionis fatetur Concilium se dedisse exactiorem, & pleniorem definitionem de Sacramento Pœnitentiæ; non esset autem exactior, & plenior, si in attritione intelligeret necessariam dilectionem, & hoc non exprimeret, aliis motivis minùs necessariis expressis. Deinde illud idem, quod objicitur probat non loqui de attritione ex dilectione Dei imperfecta; nam illa locutio, *si voluntatem peccandi excludat*, supponit dari attritionem, quæ non excludat,

&quæ

& quæ excludat voluntatem peccandi : sed attritio omnis, quæ includit dilectionem Adversariorum excludit semper voluntatem peccandi per ipsos, ergo non loquitur de illa.

Attritio non est a Spiritu Sancto inhabitante, sed movente.

Præterea. Attritio, de qua Concilium talis est, ut non sit a Spiritu Sancto inhabitante, sed solùm a Spiritu Sancto movente: atqui attritio ex imperfecta dilectione communissimè est in justis statum incipientium, in quibus Spiritus Sanctus inhabitat; ergo non loquitur de ista. Assignat differentiam essentialem hic Concilium ex parte principii effectivi, quale est Spiritus Sanctus impellens, & non inhabitans; non esset autem differentia essentialis, quia frequentissimè est dilectio imperfecta a Spiritu Sancto inhabitante in justis ordinariis. Benè advertas illam adversativam; *non adhuc quidem inhabitantis, sed tantùm moventis*; significat enim eam attritionem non posse esse a Spiritu Sancto inhabitante. Quemadmodum verò falsum supponunt Adversarii, ita falsò probant. Timorem gehennæ excludere voluntatem peccandi satis locis non tam ostendimus, quàm demonstravimus. Et copiosissimè solvimus auctoritates citatas Patrum, quæ non loquuntur de timore divino, sed humano; vel de non regulato per rectam rationem.

Solùm placet hic animadvertere: sicut in secunda parte dicit de attritione si excludat voluntatem peccandi: sic in prima parte capitis dicit de contritionis motu, si cum fiducia divinæ Misericordiæ conjunctus sit: sed nemo propter illud *si* prudenter arguit, quod motus contritionis non possit se solo conjungi cum fiducia divinæ Misericordiæ; ergo neque propter illud *si* potest prudenter argui, quod attritio servilis se solâ non possit excludere voluntatem peccandi. Itaque utrumque illud *si* est cumulativum.

125 OB. XI. Attritio descripta a Concilio debet esse conjuncta cum spe vera: sed vera spes non stat sine Dei dilectione saltem inchoata; ergo. Min. probatur. Vera spes non confundit; & ideo non confundit, quia est conjuncta cum charitate. Audi Paulum ad Rom. 5. 5. *Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datur est nobis*. Amorem ergo concupiscentiæ spes vera non confundens excludit. Quare optimè dixit Augustinus *in Enchiridio cap.* 8. — Jam de amo„ re quid dicam, sine quo fides nihil pro„ dest? spes verò sine amore esse non po„ test —

Et ratio est, quia spes est motus appetitionis, quæ ex amore proficiscitur, qui amor si bonum abest, in illud fertur per desiderium, si bonum sit arduum, in illud fertur per spem, si bonum sit præsens fertur in illud per gaudium: bonum autem præsens, de quo conversos gaudet, ast bonum Dei, ideo ibidem dicit Paulus: *Gloriamur spe gloriæ filiorum Dei*; & ab isto bono peccator separatum se per peccatum agnoscens, misericordiæ Dei consideratione in spem veniæ erigitur, & erectus Deum incipit diligere; unde spes per Spiritum Sanctum accendit ignem inchoatæ dilectionis, & inchoata dilectio auget spem gloriæ. Hæc ex Merbesio.

Ni fallor hoc argumentum directè est contra Concilium; nam Concilium vult attritionem suam non esse per Spiritum Sanctum inhabitantem; argumentum autem vult esse per Spiritum Sanctum nobis datum, & diffusum in cordibus nostris per charitatem. Est contra Concilium, quia Concilium apertè loquitur de spe informi; argumentum ex Paulo agit evidenter de spe formata per gratiam adoptionis. Est contra mentem arguentis, qui repetitis verbis infert necessitatem dilectionis inchoatæ; & tamen evidenter Paulus loquitur de spe perfectissima, quam parit patientia probata per multas tribulationes. Itaque Concilii textus est pro nobis; spes enim veniæ est de bono nostro; adeoque amor quo regulatur est similiter de bono nostro, qualis non est amor charitatis.

Spes veniæ est de bono nostro.

Discursus autem inductus non est alicujus roboris, quia amor alius tendit in Deum, ut bonum nobis est. Absens hoc bonum, amans desiderat: cum præsens est, de eo gaudet; & hic est amor spei. Alius amor tendit in Deum ut bonum sibi, & ad se: quod bonum, si absens est, desiderat, si præsens est, gaudet; & hic est amor dilectionis. Absque aliquo ex his amoribus nunquam stat spes, quo modo intelligendus est Augustinus; qui tamen cum loquatur de spe fructifera per meritum, determinatè applicandus est de amore charitatis meritorio, adeoque conjuncto cum gratia sanctificante.

126 OB. XII. Attritio, de qua Concilium, est per impulsum Sancti Spiritus nondum inhabitantis, sed moventis: sed hoc innuit charitate saltem imperfecta, & inchoata formari; ergo exigit Concilium dilectionem initialem. Quo enim tendit motio Spiritus Sancti, nisi ut in nobis accendat charitatem, & extinctam reparet? Et ratio est, quia motio Spiritus Sancti debet esse ad mensuram, & conditionem suæ missionis: sed Deus mittit Spiritum Sanctum in corda nostra clamantem Abba Pater; ergo tangens cor hominis non est credibile, quod tangat solo terrore pœnæ absque ullo amore; & propter hoc fidem, spem, & charitatem tribuit Spiritui Sancto Concilium *sess. 6. Can.* 3. tum in Catechumenis, tum in lapsis pœnitentibus.

Supernaturalis motus a Spiritu Sancto.

Omnis motus supernaturalis est a Spiritu Sancto, & omnis motus supernaturalis secundùm se ultimatè tendit in Deum summum finem; & Spiritus Sanctus semper movet lapsum, ut tandem consequatur charitatem habitualem, si velit, & faciat, quæ ad justificationem necessaria ordinata sunt. Sed difficultas est, an Spiritus Sanctus dum tangit cor impii, semper tangat inspirando dilectionem formalem Dei super omnia, & ad eam movendo; item an dum Spiritus Sanctus excitat lapsum, ut se disponat ad justificationem, hoc semper faciat ostendo medio dilectionis formalis.

Multæ sunt viæ Domini; multisque modis novit Dominus scindere corda hominum. Scindit timore, scindit amore. Intellectum ex pulchritudine sua, inclinat promissionibus suis. Habet in domo sua mansiones multas, habet servos, habet & filios; comedunt de mensa sua commensales, comedunt

dunt & ex culi. Timor, & amor a Deo sunt, licet unus alio perfectior; aliquando conjuncti, aliquando separati inveniuntur. Timorem ab amore Dei separari his contextus manifestè indicat ipsius Concilii: indicat verbum ipsum ab arguente assumptum, si Spiritus nondum inhabitat, non est Spiritus, in quo clamamus Abba Pater; ille inhabitat, ut Apostolicus textus indicetus manifestum facit, ibi vox justificatorum est: Quicumque Spiritu Dei aguntur (hoc est dilectione) hi filii Dei sunt, & si filii coheredes; attritio autem, de qua Concilium non est justificatorum motus, sed ad justitiam parans, cui accedens Sacramentum fit justificatio, & infunditur charitas habitualis, per quam Spiritus Sanctus inhabitat. Citati Canonis ex *Sess.* 6. sensum jam dedimus.

127 OB. XIII. Attritio, de qua Concilium est motus, quo pœnitens viam sibi ad justitiam parat — Sed absque Dei dilectione „ super omnia non potest parare viam ad „ justitiam, quia non potest amovere im„ pedimenta necessariò amovenda, inter quæ „ est amor seculi, & ad seculum pertinet „ amor sui — Scriptum est Ecclesiast. 30. 24. *Miserere animæ tuæ placens Deo, & contine: congrega cor tuum in sanctitate ejus: & tristitiam longè repelle a te; multos enim occidit tristitia, & non est utilitas in illa.* Hæc autem est tristitia eorum, qui de peccato dolent propter punitionem.

Hoc ipso, quod Concilium dicit, non quomodocumque viam parat, sed sibi determinatè, sufficienter indicat esse motum provenientem ab amore concupiscentiæ, non autem ab amore Dei benevolo super omnia. Amovere impedimenta salutarem gehennæ metum, amovere amorem seculi eodem suo loco ad evidentiam declaravimus. Et sibi contradicunt arguentes manifestè hoc argumento, quod millies repetunt, videlicet quod timor gehennæ non excludit voluntatem peccandi; dicunt enim, quod timor iste introducit dilectionem, sicut seta filum: nunquam ingredi potest charitas, nisi prius voluntas peccandi excludatur; nunquam introducetur filum, nisi seta scindat pannum; non filum scindit telam, sed seta duritiem frangit, & ea fracta filum introducit.

Non enim omnis sui amor ad seculum pertinet; amor æternæ Beatitudinis suæ ad Cœlum spectat. Tristitia, de qua Ecclesiasticus, est tristitia seculi, & mundanorum, ut optimè explicat D. Thomas in Commentariis in cap. 7. secundæ Corinthiorum. Nec nos dicimus sufficere attritionem de peccatis propter mundana detrimenta. Obiter nota, quod asseritur ab arguente, nempe; omnis amor, aut Dei est, aut mundi, damnata est in illa septimi numeri contente propositione in Decreto Alexandri VIII.

Non omnis sui amor ad seculum pertinet.

128 OB. XIV. De ea attritione loquitur Concilium, quam habuerunt Ninivitæ, inquit — Hoc enim timore utiliter concussi „ Ninivitæ ad Jonæ prædicationem plenam „ terroribus pœnitentiam egerunt — Sed attritio Ninivitarum inclusit amorem Dei super omnia, sicut docet Joannes Chrysostomus *homil.* 1. *de Pœnitentia*, S. Ephræm *homil. de Jona*: & fides docet neminem justificari ante Evangelium absque dilectione Dei; Scriptura autem teste, Ninivitæ sunt consecuti justificationem; ergo Concilium exigit cum timore amorem.

Nimis probat argumentum, quia per Adversarios charitas inchoata non justificat extra Sacramentum, sed debet esse valde intensa; tum quia dispositio necessaria ad Sacramentum non debet absque eo justificare; si ergo eamdem contritionem exquirunt quam habuerunt Ninivitæ, exquirunt dilectionem intensam valde, & præviè ad actualem susceptionem Sacramenti justificantem.

Itaque duplicem statum habuit pœnitentia Ninivitarum. Primus fuit ad initium illorum trium dierum, quibus Jonas prædicabat comminationem pœnarum; Secundus fuit in processu compunctionis. In primo statu erat pœnitentia ex puro timore; in secundo statu fuit mixta ex Dei dilectione super omnia, & tunc fuit dispositio proxima ad gratiam justificationis. Ita pariter considerat Concilium attritionem, quam describit. Primò se solam absque Sacramento: Secundò cum Sacramento, & hoc secundo modo accepta disponit proximè ad gratiam justificationis; sicut in Ninivitis disposuit timor conjunctus cum amore; ac propterea exemplo illo confirmatur veritas nostræ conclusionis. Et benè advertas Concilium usum esse exemplo Ninivitarum, postquam plenè exposuit vim attritionis absque Sacramento, & in Sacramento, & postea per particulam demonstrativam, & conjunctivam, *Hoc enim &c.* pœnitentiam justificantem Ninivitarum subdidit, quia docere voluit illam etiam attritionem in Sacramento justificare.

Duplex status pœnitentiæ Ninivitarum.

Aliud expende momentum ad hominem contra Adversarios. Per ipsos charitas mixta timore servili est charitas imperfecta, & quo major est timor, magis imperfecta est charitas, propter axioma ab ipsis repetitum, charitas perfecta foras mittit timorem: sed pœnitentiæ, quam egerunt Ninivitæ, & qua misericordiam impetraverunt fuit mixta timore servili, & quidem multum in modum, & ideo Concilium utitur gravido illo verbo *Plenam terroribus*; ergo in ipsis fuit charitas mixta servili timore non modico; ergo dicendum est, quod contritio ex charitate imperfecta justificat absque actuali sumptione Sacramenti; adeoque hujusmodi contritio non est ad mentem Concilii necessaria pro dispositione, cum apertè doceat Sacramentum Pœnitentiæ esse mortuorum per se, & justificationem esse ipsius effectum.

§. V.

SOLVUNTUR ARGUMENTA EX EFFICACIA TRIBUTA ATTRITIONI PER CONCIL. Sess. 14. cap. 4. parte 2.

129 OBJIC. XV. Omnia, quæ Concilium tribuit attritioni descriptæ conveniunt Fidei, & Spei, sunt enim donum Dei, impulsus Spiritus Sancti, dispo-

disponit impium ad gratiam recipiendam in Sacramento; sed Fides, & Spes non sunt dispositiones proximæ, & sufficientes, ergo neque attritio. Ex Gasparo Juenin.

Hæc est alia via, quam tenent Adversarii, ut infirment invictum argumentum nostrum ex Concilio, voluntque, quod illud verbum *Disponit* stet pro dispositione remota, non autem proxima, adeoq. non æquivaleat verbo *sufficit*; Sed nos stare pro dispositione non remota, sed proxima in Sacramento ex mente Concilii enucleavimus superiùs in nostra probatione.

Nunc arguimus sic. Illud *disponit* in Sacramento ad Dei gratiam impetrandam correspondet illi, quod in principio capitis dicitur de motu contritionis -- Ita demum „ præparat ad remissionem peccatorum si „ cum fiducia divinæ Misericordiæ, & voto „ præstandi reliqua, conjunctus sit, quæ ad „ ad ritè suscipiendum hoc Sacramentum „ requiruntur -- Sed illud *Præparat* indubiè est de præparatione proxima; ergo illud *disponit* stat pro dispositione proxima. Comparetur locutio locutioni, & æqualvalentes invenientur.

Iterum possumus argumentum regerere in Adversarios. Quidquid dicit Concilium de charitate imperfecta, convenit fidei, est enim donum Dei, impulsus Spiritus Sancti, disponit ad gratiam in Sacramento; sed fides non est dispositio proxima, ergo neque charitas inchoata. Quod ipsi respondebunt, nobis semper proderit.

Quænam sint partes Fidei, & Spei in justificatione explicuit Concilium *Sess. 6. c.8.* Constans est Doctrina, quod loquendo per se, dispositio proxima debet spectare ad lineam pœnitentiæ, idest ad lineam detestativam peccati, ad quam pertinere attritionem suam docet Concilium: fides ex sua notione est fundamentum totius ordinis supernaturalis; unde nullo modo potest esse æquiparatio.

Deinde Concilium non apposuit Fidei, illam contrapositionem, *licèt per se non perducat ad justificationem, tamen in Sacramento &c.* quam apposuit attritioni; nec potuit apponi, & si per impossibile apposuisset, eodem modo esset discurrendum. Et confirmamus argumentum, supposito principio Adversariorum, quod charitas inchoata non sufficiat extra Sacramentum, si Concilium apposuisset illam adversativam dilectioni inchoatæ, concluderetur in Sacramento disponere proximè, quod non facit extra; ergo cum illam apposuerit attritioni nostræ, clarissimè concludendum est locutum Concilium de dispositione proxima.

130 OB. XVI. Ex terminis, quibus utitur Concilium noscenda est ejus mens: sed usum est illis, quibus non exprimitur vis proxima; ergo non intelligit illud *Disponit* proximè. Ostenditur assumptum. Cum dixisset *Et quamvis sine Sacramento Pœnitentiæ per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat*, modum loquendi mutavit, & prosequitur; *Tamen eum ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam disponit*. Si de proxima intelligere voluisset, usum fuisset primo eodem verbo dicens in Sacramento tamen perducit. Ex eodem Juenin.

A Sed quis limites verborum posuit Spiritui Sancto? Quis inopem terminorum ad idem explicandum facit Deum? In eodem ipso capite eamdem rem explicat quatuor terminis diversis, & nos quinque fatemur: Ecce in principio capitis ad exprimendum influxum proximum in justificationem, adhibet verbum *Præparat* ad remissionem peccatorum: in fine primæ partis assumit vocem *Reconciliare*: in medio secundæ partis usurpat vocem *Perducere*: in fine totius capitis utitur phrasi *gratiam conferre*: & in casu nostro placuit apponere *Disponit*, quo frequentiùs utitur in materia de justificatione.

B Insuper convenientissimè mutavit locutionem, & sapientissimè, quia illud verbum *Perducere* significat influxum, & vim activam ipsi attritioni intrinsecam in ipsam productionem gratiæ, cum non habeat sibi propriam, nec partialem præcisivè ab elevatione extrinseca per Sacramentum. Munus proprium doloris peccatorum est in genere causæ materialis præparatoriæ, & hoc optimè exprimitur per verbum *Disponit*. Activitatem totam tribuit Concilium, principalem Deo, instrumentalem Sacramento *Sess. 6. cap. 7.*, ex quo instauratur nostra assertio. Disponere in Sacramento ad gratiam, quam natum est Sacramentum conferre, est dispone-

C re proportionatè ad exigentiam Sacramenti productivi: sed Sacramentum exigit dispositionem proximam, seu subjectum proximè dispositum: ergo Concilium accipit illud *Disponit* in Sacramento proximè; & ideò absolutè *Disponit*, non modificativè meliùs, faciliùs; & ideò *Disponit eum*, idest peccatorem, qui est subjectum reconciliandum, quia ab eo amovet impedimenta ad gratiam suscipiendam.

131 OB. XVII. Proxima dispositio habet nexum infallibilem cum forma; sed ex mente Concilii illa attritio in Sacramento non habet nexum infallibilem cum gratia justificationis, siquidem utitur verbo *Ad impe-*

D *trandam gratiam*, porrò vis impetrativa non est infallibiliter connexa cum effectu, sed fallibiliter, ut omnes dicunt, ex puro Dei beneplacito; ergo illud *Disponit* non stat proximè.

Relabimur in idem. In principio capitis loquens de motu contritionis dicit Concilium, quod fuit semper necessarius ad impetrandam veniam peccatorum, & tamen loquitur de motu proximè disponente: in exemplo Ninivitarum utitur termino *Impetraverunt*, & tamen illorum pœnitentia consummata per dilectionem Dei fuit proximè

E disponens. Justificatio impii est opus divinæ Misericordiæ omninò, & ideò est omninò gratuita; quapropter opera præcedentia nullum fundant jus, neque imperfectum ad illam; ad hoc autem exprimendum optimè conducit terminus impetrationis.

Impetratio a merito etiam de congruo propriè dicto differt in eo, quod meritum non innititur soli dantis misericordiæ, sed alicui juri operantis saltem ex imperfecta justitia, ipsa autem soli misericordiæ innititur; quia tamen Deus promisit gratiam infallibiliter debitam susceptioni Sacramentorum, ideo reperitur infallibilis connexio *Impetratio in quo differat a merito.*

inter

inter effectum Sacramenti, & dispositionem. Hoc adoptare debent etiam ipsi Adversarii, quia ipsorum incboata dilectio non fundat joe ollum, neque imperfectæ justitiæ ad gratiam justificationis, nisi velint dicere, quod non sit omnino gratis ipsa justificatio.

132 OB. XVIII. Scopus Concilii declarat mentem ejusdem: sed scopus Concilii erat præcisè refellere errores Lutheri, qui dicebat attritionem gehennalem esse actum malum: opponi certitudini de obtenta misericordia per fidem: non disponere ad justificationem in Sacramento, quia quidquid antecedit justificationem, ajebat esse peccatum, peccatum verò non disponit; ad hæc autem refellenda sufficiebat Concilio declarare attritionem esse actum bonum, donum Sancti Spiritus, & disponere aliquo modo, licèt non immediatè ad justificationem.

Scopus Concilii non solùm Hæreticos refellere, sed etiam Catholicos instruere.

Huic argumento dicimus I. Scopum Concilii etiam fuisse instruendi Catholicos, & non solùm Hæreticos refellendi. Dicimus II. Inde etiam probari charitatem imperfectam non esse dispositionem immediatam in Sacramento, quia ad refellendos errores Lutheri sufficit eodem modo, quod sit actus bonus, & aliquo modo disponat. Dicimus III. Hoc idem probare dispositionem immediatam: quia Lutherus de hac præparatione loquebatur, agebat enim directè contra Catholicos, qui negabant fidem, & fiduciam sufficere ad justificationem, sed requirebant insuper actus pœnitentiales tanquam proximas dispositiones; undè negabat ex attrito fieri contritum in Sacramento, ut constat ex responsione ipsius ad Dialogum Silvestri Prieratis, ubi de conclusione sexta loquens Lutherus habet -- Error est, quod attritus „ fiat contritus virtute clavium -- Et de facto de immediata loqui Concilium adversus Lutherum, evincit conclusio ejusdem Concilii -- Quamobrem falsò quidam ca„ lumniantur Catholicos Scriptores, quasi „ tradiderint, Sacramentum Pœnitentiæ „ absque bono motu suscipientium, gratiam „ conferre -- Motus sub quo Catholici docent Sacramentum conferre gratiam, est dispositio proxima.

Negabat Lutherus attritum virtute clavium fieri contritum.

133 OB. XIX. Dispositio initiativa non potest esse proxima; sed attritio a Concilio descripta ad mentem Concilii est tantùm dispositio initiativa, quod patet ex verbo *Concipitur*, quo utitur Concilium, quia *Concipitur* significat inceptionem, non complementum; sicut cum homo concipitur, est ejusdem inceptio in embrione. Complementum autem habetur per charitatem; & hoc supponit Concilium, quia agebat contra Hæreticos, qui negabant timorem posse conjungi cum amore; unde dicebat Melancthon -- Non potest eum diligere, quem „ iratum videt, & præcipitare velle in ge„ hennam -- Quare ex incompossibilitate amoris, quem necessarium supponebant Catholici, arguebant Hæretici timorem non pertinere ad attritionem; proinde Concil. debuit de solo timore loqui, a quo incipit attritio, adeoque non exclusit, sed supposuit amorem Dei benevolum; solamque dispositionem remotam tribuit attritioni simplici.

Plures ex Adversariis vidi inniti illi termino *Concipitur*, ut negent proximitatem dispositionis attritioni simplici: sed revera non videntur seriò rem perscrutari. Concipitur, ibi stat pro elici, formari; in actibus concipi est formari, & a potentia elici. Concilium pro attritione accipit verum actum a voluntate emissum sub motivo gehennæ, vel turpitudinis peccati; & ideo ponit conjunctum cum actu spei, cum proposito non peccandi; & in Canone 5. non ponitur *Concipitur*, sed *Paratur*. Certè attritio stat pro acto completo detestativo peccatorum; falsumque est, quod veniat pro inceptione attritionis. De hoc actu in sua specie perfecto explicat Concilium qualitatem disponendi extra, & intra Sacramentum, non est in hoc immorandum cum sit clara littera.

Attritionem concipi, idem est, ac attritionem formari.

Id quod additur ex mente Hæreticorum, probat oppositum; si enim Hæretici supponebant incompossibilem timorem cum amore, & Patres Tridentini supponebant, attritionem debere conjungi cum amore Dei, de necessitate debebant ostendere nullitatem istius impossibilitatis, adeoque oportebat mentionem facere de dilectione. Hoc est planum. Veritas est, quod Melancthon, & alii Lutherani negant etiam amorem requiri ad justificationem, quam sola fide obtineri docent: cumque Catholici ostenderent necessitatem aliquorum operum, inter quæ amorem connumerabant, loquentes de justificatione ut abstrahente ab actuali susceptione Sacramenti; contendebat Melancthon non posse ab impio elici actum amoris Dei propter rationem in objectione allatam. Quare ad rem non adducuntur ista.

Absurè omninò adducitur Melancthon.

134 OB. XX. Si ille terminus *Disponit* staret proximè, non delevisset verbum *sufficit*, quod erat insertum in priori Decreto: sed delevit, ut docet Historia Eminentissimi Cardinalis Pallavicini; ergo Concilium non accipit pro proxima dispositione.

Fidunt summopere huic argumento Adversarii, illudque urgent, sed inaniter: tum quia Ecclesia proponit nobis sequendum Concilium, non Historiam: tum quia Spiritus Sanctus completivè assistit in Conciliis, Decretis, quæ ultimatè a Patribus acceptantur, non illis, quæ exponuntur, ut sint acceptanda: tum quia deletum est etiam *vix posse absque amore concipi attritionem*, quod erat insertum in priori Decreto, unde colligitur ex hoc modo arguendi non debere attritionem compleri per dilectionem, quam volunt Adversarii; tum quia deletum est etiam verbum modificativum *Faciliùs* disponit, & relictum est absolutè disponit, quod ita simpliciter acceptum stat pro proxima dispositione. Æquipollent *Disponit*, & *sufficit*. Aptiùs tamen est terminus *Disponit*: quia consonat magis modis dicendi Scripturarum docentium præparandu corda ad gratiæ infusionem; & formaliùs exprimit naturam causæ materialis, cujus partes gerunt in Sacramento actus nostri; magisque explicat opera præcedentia ita se habere, ut non merantur justificationem, & eam ex operibus non dari. E contra verbum *sufficit* insinuare videtur aliquam efficientiam in gratiæ collationem.

135 OB.

135 OB. XXI. Ideo Concilium videtur loqui de dispositione prosima, quia dicit aliter disponere estra, aliter in Sacramento: sed hoc non concludit, quia dici potest hanc efficaciam habere ec vi orationis deprecativæ, quam absolutioni præmittit Sacerdos, & ec vi humiliationis, quam Pœnitens exercet aperiendo sua crimina. Hinc *Opusc.* 22. asserit D. Thomas — Sacerdotem orare ut „ impetretur idoneitas ad suscipiendum „ effectum Sacramenti — Et Alexander de Ales 4. *p. Summæ qu.* 21. *memb.* 1. ait — In „ forma absolutionis præmittitur oratio per „ modum deprecativum, subjungitur abso- „ lutio per modum indicativum, & depre- „ catio gratiam impetrat, & absolutio gra- „ tiam supponit — Ergo se sola attritio immediatè non disponit ad justificationem.

Infirmum satis est argumentum, pugnatque cum Tridentino, quod cap. 3. docet illas preces, neque ad essentiam formæ spectare, neque ad ipsius Sacramenti administrationem esse necessarias; cum autem idoneitas sit necessaria ad susceptionem Sacramenti, sequitur, vel quod illæ preces sunt necessariæ contra Concilium, vel quod non tribuunt idoneitatem attrito, & attritioni. Deinde probat contra ipsos, quia Ecclesia præmittit illas preces etiam quando pœnitens dolet ex imperfecta dilectione; si ergo tribuunt idoneitatem, neque inchoata dilectio immediatè disponit. Multò magis pugnat contra Concilium allegatum testimonium Alesandri de Ales, quia vult, quod absolutio non tribuat, sed supponat gratiam remissivam. Non ergo a precibus accipit efficaciam immediatæ dispositionis attritio, sed illam habet ex se, quod probat illa advertativa, qua utitur Concilium; & sacrilegus accederet, qui non sufficienter dolens accederet confidens in idoneitate eshibenda privatis a precibus Sacerdotis, qui aliquomodo potest carere justitiâ, quæ facit exaudibilem orationem, & sæpè illas omittit urgente motivo rationabili.

136 OBJIC. XXII. Doctrina capitum Concilii explicatur per Canones: sed Canon quintus correspondens capiti quarto solùm dicit, quod attritio sit dolor verus, liber, utilis præparans ad justificationem, non autem dicit, quod sit sufficiens ad recipiendam gratiam in Sacramento: ergo non tribuit attritioni Concilium proximam dispositionem.

Canones sunt deffinitivæ resolutiones tenendæ de fide: de fide autem non dico attritionem sufficere; nec Adversarii de fide dicunt necessariam dilectionem imperfectam. Plura doctrinalia explicat Concilium in capitibus sessionum, quæ omittit in Canonibus, ut est compertum. In Canone absolutè pronunciat attritionem simplicem præparare ad gratiam, qualitatem verò præparationis supponit explicatam in cap. quarto. Nisi velis dicere, & benè, quod cum præparare simpliciter dictum stet pro proximè disponere, in ea absoluta locutione intelligit immediatam præparationem: & ex eo masimè, quod præparare jungit immediatè *ad gratiam*: & adhuc fortiùs, quia dicit præparare per modum doloris veri, & utilis; præparatio autem in linea doloris pertinet ad ultimam, quia pertinet ad lineam pœnitentiæ, quæ est ultima dispositio, taliter quod etiamsi cum actibus Fidei, Spei, præcessisset dilectio perfecta, vel imperfecta, de via ordinaria, & regulariter si non deinde actus formaliter detestativus peccatorum, non datur ultima præparatio ad justificationem, ut universi Theologi docent. Insuper dicit conjungi cum proposito melioris vitæ; ex parte autem propositi dispositio est immediata, quia circa futurum non est expectendus alius motus; erit ergo etiam ex parte doloris, quo versatur circa præteritum.

§. VI.

SOLVUNTUR RELIQUA ARGUMENTA EX CONCILIO TRIDENTINO SPARSIM COLLECTA.

137 OBJIC. XXIII. Præparatio facienda Domino necessariò debet esse per dilectionem, quia debet esse per motum respicientem honorem Domini, ejusque excellentiam, & dignitatem; illud enim *Domino* est dativi casus, ac proinde attendens ipsam rationem Domini. Sed Tridentinum exigit præparationem faciendam Domino; nam *Sess.* 6. concludit sextum caput, quod est de dispositionibus ad justificationem illo 1. Reg. 7. *Præparate corda vestra Domino*. Et hic est locus Scripturæ, quo probat illud *incipiunt diligere*.

Præparatio facienda Domino ut summo diligibili debet esse per dilectionem. Præparatio facienda Domino justificatori non necessariò debet esse per dilectionem. Dominum advenientem potest quis respicere ut summum excellens, & tunc per motus honorificos directè illum suscipit: & potest respicere ut sui Benefactorem, & tunc ipsum raspicit amore spei; vel potest respicere ut Judicem, & vindicem criminum; & tunc ipsum respicit affectu timoris, quibus omnibus modis præparatur cor Domino. Porrò Concilium, ut jam ponderavimus in capitulis illius sessionis Deum considerat tanquam misericordem largitorem nostræ justificationis, & ei præparandum esse cor docet.

Præparatio facienda Domino ut Justificatori nō per necessariò dilectionē.

Nec assumit illam auctoritatem Scripturæ, ut probet illud *Incipiunt diligere*, sed ut probet necessariam esse nostram dispositionem pro suscipienda gratia justificationis; quia licet Deus impertiatur eam gratis, in adulto tamen nostram exigit cooperationem. Præparatio, de qua Scriptura, est per abjectionem Deorum alienorum, hoc est per abjectionem terrenorum affectuum inordinatorum. Pœnitens illos abdicare potest, vel ne gehennam subeat, vel ne Beatitudinem amittat, vel ut Deo placeat; ac proinde ex illo loco præcisè citato non potest concludi necessitas charitatis. Qualis autem sit mens Concilii suo loco explicuimus.

DICES. Præparationem, de qua Concilium, initiat fides, quam describit, videlicet, quæ est motus in Deum, hoc est, fides, quæ non solùm credit Deo, sed in Deum; quod confirmat usus Ecclesiæ exhibens Catechumeno

chumano confitendum Symbolum Apostolorum: sed credere in Deum est credendo diligere dicente Augustino *Psal.* 35. — Omnes, „ qui credunt in Christum sic credunt, ut „ diligant, hoc est enim credere in Chri- „ stum, diligere Christum — *Psal.* 77. — Hoc „ est credere in Deum credendo adhærere „ ad bene operandum propter Deum — Idem repetit *tract.* 29. *in Joan. Ser.* 60. *de verb. Domini*. Ea Lupo.

Doctrina ista manifestè repugnat Concilio, quod *eadem Seff.* 6. *Can.* 28. habet — „ Si quis dixerit amissâ per peccatum gra- „ tiâ simul, & fidem semper amitti: aut „ fidem, quæ remanet, non esse veram fidem, „ licet non sit viva: aut eum, qui sine cha- „ ritate fidem habet, non esse Christianum, „ anathema sit — Ecce verè credit Deo, verè credit in Deum peccator, & sariò recitat Symbolum; & tamen charitate caret. In Deum credit, qui Deum habet sceleram punitorem, justificatorem impiorum, bonorum operum retributorem, quæ sunt motiva simplicis attritionis: In Deum credit, qui in ipsum fiduciam habet, tanquam in Deum suum misericordem; nec in illud credere in Deum aliud exigebant Apostoli de necessitate in Catechumenis baptizandis.

Petrus quis credere in Deum, & Charitate carere.

Quod de usu Ecclesiæ tangitur, mirè nostram firmat sententiam. Rituale Romanum in cap. *Baptizandorum*, Catechumenum interrogat de fide, sed non de dilectione: admonet, ut de peccatis doleat, non tamen meminit dilectionis: intimat obligationem observandæ legis, & etiam præcepti dilectionis de futuro, non autem de præsenti; signum ergo est, quod non exigit tanquam necessariam præviè ad susceptionem Baptismi dilectionem; porrò Ecclesia Romana est verax custos Traditionum Apostolicarum. D. Augustinus locis citatis agit de fide viva; reprehenditque eos Catholicos, qui ita malè agunt, ac si fide carerent.

138 OB. XXIV. Qua methodo procedit Trident. ex Scriptura in statuendis cæteris actibus, ut necessariis ad justificationem sacramentalem *Seff.* 6. *c.* 6., eâdem constat dilectionem esse necessariam: Idem cæteros actus statuit necessarios, quia Scriptura dicit: *Accedentem ad Deum oportet credere: Confide fili remittuntur tibi peccata tua: Timor Domini expellit peccatum: Pœnitentiam agite*: sed etiam Scriptura dicit *Charitas operit multitudinem peccatorum: Qui non diligit manet in morte: Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multùm*; ergo etiam dilectio est necessaria. Nec valet responsio mihi data, quod Scripturæ agentes de dilectione appellant supra justificationem extrasacramentalem; quia non minus sunt absolutæ, & indefinitæ primæ locutiones Scripturarum, quam secundæ: sed primæ ita definiunt actus Fidei, Spei, & Pœnitentiæ necessarios, ut non solùm extra, sed etiam in Sacramento sint necessarii; ergo secundæ ita determinant actum dilectionis necessarium, ut non solùm in extrasacramentali, sed etiam in sacramentali justificatione prærequiratur.

Nostrum fecimus hoc argumentum, quia si dilectio æquè esset necessaria, Concilium adduxisset Scripturam mentionem facientem dilectionis, sicut produxit Scripturas mentionem facientes aliorum actuum. Concilium ibi agnoscit Baptismum esse Sacramentum faciens ex attrito contritum, adducit enim illud Act. 2. *Baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum*. Habet Baptisma vim immediatè vivificativam, & productivam primæ gratiæ perfectiori modo, quo charitas perfecta; unde est æquivalenter dilectio, cum vim dilectionis contineat, ex quo ex sua institutione primaria dat primam vitam.

Ut igitur Scripturæ agentes de charitate locum habeant, sufficit dilectio æquivalens; nec est necessaria dilectio formalis. Habemus exemplum ibidem. Mentionem facit Concilium timoris, & Scriptura etiam: quia tamen dilectio continet vim, & efficaciam timoris, non est necesse, quod pœnitens formali timore ducatur, sed sufficit æquivalens in actu charitatis; unde peccator ex immediato motivo charitatis absque ullo respectu ad timorem servilem, potest de peccatis dolere, & justificari, & Sacramentum suscipere. Ita proportionaliter cum per se Sacramentum contineat vim dilectionis, ad ejus fructuosam susceptionem non est necessarius actus formalis prævius dilectionis. Qui ergo non diligit, vel formaliter, vel æquivalenter, non justificatur.

139 DICES. Sicut pœnitentia est Sacramentum vivificationis mortuorum, ita Baptismus est Sacramentum Fidei, sine qua nulli unquam contingit justificatio ex Concilio Tridentino *Seff.* 6. *cap.* 7.: sed hoc non obstante ad Baptismi susceptionem necessaria est fides actualis; ergo etiam non obstante, quod Sacramentum Pœnitentiæ sit Sacramentum vivificationis necessariò requiritur actualis vivificatio per dilectionem. Vel breviùs. Baptismus est æquivalenter fides, & tamen ad ejus susceptionem requiritur actus fidei; ergo etsi pœnitentia sit æquivalenter dilectio, ad ejus susceptionem requiritur actus dilectionis.

Baptismus non est Sacramentum Fidei, quia ejus primarius effectus, & per se sit Fidei productio. Hoc est falsum; effectus enim Baptismi est regeneratio spiritualis per effectionem gratiæ primordialis, & ideo Concilium ibidem docet Baptismum esse causam instrumentalem justificationis. Quapropter non est æquivalenter fides: ac proinde ad ejus susceptionem necessaria est; quia fides est prima radix omnium motuum ordinis supernaturalis. Secus accidit in Sacramento Pœnitentiæ, cujus proprius, & per se effectus est vivificatio mortuorum; unde æquivalenter est Charitas. Baptismus dicitur Sacramentum Fidei, quia est solemnis professio legis Christi, & est primus ingressus in Ecclesiam Dei. Itaque utrumque hoc Sacramentum facit de attrito contritum, cum utrumque vivificando faciat ex injusto justum, ex inimico amicum; neutrum tamen facit de non credente credentem, cum fides non sit effectus per se ipsorum.

Baptismus non est æquivalenter fides.

Sacramentum Pœnitentiæ est æquivalenter Charitas.

140 OB. XXV. Eadem Pœnitentia, quæ fuit tempore legis naturæ, & scriptæ elevata fuit a Christo in materiam Sacramenti Pœnitentiæ secundùm Concil. Trid.

Sed

Sed illa includebat dilectionem Dei benevolam; ergo simplex attritio non est dispositio sufficiens. Accipe verba Concilii *Sess.* 14. *cap.* 2. -- Fuit quidem pœnitentia universis „ hominibus &c. necessaria &c. porrò nec „ ante adventum Christi pœnitentia erat „ Sacramentum, nec est post adventum il„ lius cuiquam ante Baptismum. Dominus „ autem Sacramentum Pœnitentiæ tunc præ„ cipuè instituit, cum a mortuis excitatus „ insufflavit in Discipulos suos -- Ecce pœnitentia, quæ erat omnibus necessaria, & quæ non erat Sacramentum, facta est Sacramentum.

Instructio Pastoralis Cardinalis de Nohorsfort docet, quod Pœnitentia, quæ justificabat in lege veteri, fuit in lege nova elevata in Sacramentum; sicut contractus naturalis Matrimonii fuit elevatus in Sacramentum; nullam tamen hujusce rei affert, producitque rationem, nec produci potest absque contradictione ad propria principia. Volunt Adversarii, quod illa pœnitentia justificans esset valde perfecta, & intensa, negant autem perfectam dilectionem requiri in Sacramento. Repugnat etiam Tridentino citato loco in objectione, quod docet potestatem Sacerdotalem esse verè remissivam peccatorum; si autem illa eadem pœnitentia justificans exigitur ut dispositio ad Sacramentum, jam non esset illud remissivum peccatorum, quia semper supponeret remissa: non enim per hoc, quod esset elevata in Sacramentum amisisset primam efficaciam; sicut contractus naturalis Matrimonii non amisit efficaciam priorem.

Textus Concilii non est ad intentum argumenti, cujus series est hæc, & clara. Docet indefinitè loquendo his, qui peccaverant, in quolibet statu necessariam fuisse pœnitentiam. Quia negabant Hæretici necessariam esse post Christi adventum in Baptizandis, declarat esse illis etiam necessariam. Deinde docet, quod ante Christi adventum non erat Sacramentum. Postea affirmat Sacramentum Pœnitentiæ a Christo fuisse institutum post resurrectionem. Hic nullo modo dicit illam pœnitentiam fuisse elevatam in Sacramentum; sed solùm dicit Sacramentum Pœnitentiæ institutum fuisse a Christo, cum dixit verba ibi recitata.

141 DICES. Sicut Concilium ex illis verbis *Jo.* 3. -- Nisi quis renatus fuerit ex aqua, „ & Spiritu Sancto -- probat aquam esse materiam necessariam Baptismi; ita ex illis -- *Tibi soli peccavi: Lavabo per singulas noctes: Laboravi in gemitu meo* -- probat pœnitentiam esse materiam necessariam Sacramenti. Sed eamdem aquam naturalem, quæ non erat Sacramentum, elevavit in Sacramentum; ergo eamdem Pœnitentiam in specie, quæ non erat Sacramentum elevavit in Sacramentum Christus.

Discrimen inter materiam Baptismi, & Pœnitentiæ.

Ex primis verbis deducit Concilium aquam naturalem ut sic esse essentialem materiam Baptismi; & ex secundis verbis deducit detestationem peccati ut sic esse materiam essentialem Sacramenti absolutionis. Hæc tamen differentia est inter unum, & alium casum, quod aqua naturalis fortè non differt specie essentiali, sive sit purè elementaria, sive sit mixta, sive nascatur ex fontibus, sive descendat ex nubibus; dolor autem peccatorum dividi potest per differentias essentiales propter diversa motiva, ob quæ possumus detestari peccata. Non tamen ex illis locutionibus deduci potest dolor iste in specie, videlicet, ex motivo dilectionis, sed solùm vera detestatio peccatorum ex aliquo motivo supernaturali ex illis, quæ Concilium infra insinuat.

142 OB. XXVI. Ex Concilio major dispositio requiritur in Sacramento Pœnitentiæ, quàm in Baptismo: sed in Baptismo requiritur initialis dilectio, licèt non formalis; ergo in Sacramento Pœnitentiæ non sufficit attritio, quæ est solùm initialis, seu radicalis dilectio, sed necessaria est dilectio formalis super omnia. Accipe verba Concilii *Sess.* 14. *cap.* 2. -- Per Baptismum Chri„ stum induentes nova prorsus in illo effi„ cimur creatura, plenam, & integram „ peccatorum omnium remissionem conse„ quentes, ad quam tamen novitatem, & „ integritatem per Sacramentum Pœniten„ tiæ sine magnis nostris fletibus, & labo„ ribus, Divinâ id exigente Justitiâ perve„ nire nequaquam possumus; ut meritò „ Pœnitentia laboriosus quidam Baptismus „ a Sanctis Patribus dictus fuerit --- Clara hæc sunt.

Respondebatur mihi arguenti, majorem laborem hunc, & fletum in eo consistere, quod in Sacramento Pœnitentiæ est discutienda minutatim conscientia: aperienda sunt distinctè omnia peccata, in quo ingens erubescentia est sustinenda est correptionis Sacerdotalis confusio: acceptandum est onus pœnalis satisfactionis; & his similia. Hæc vera sunt; sed non percipitur mens Concilii. Præmisit ibi, alius est fructus Baptismi, alius pœnitentiæ: fructus Baptismi, est plena, & integra remissio peccatorum, tum quoad reatum culpæ, tum quoad reatum pœnæ, ad quam plenitudinem, scilicet remissionis totius culpæ, & totius pœnæ, non perducit Sacramentum Pœnitentiæ, nisi intensior, copiosior sit dispositio. Inde tamen non eruitur, quod essentialis dispositio debeat esse ex motivo formali dilectionis; & si id colligeretur, non esset illa imperfecta, quam statuunt Adversarii, sed valde perfecta, cum dicat Concilium magnis fletibus, & laboribus.

Quare Pœnitentia laboriosus Baptismus dicatur.

143 OB. XXVII. Concilium *Sess.* 14. *cap.* 4. eam dispositionem prærequirit, quæ non facit hominem hypocritam, sed attritio simplex facit hypocritam; ergo Concilium ipsum non ponit dispositionem ultimam, & sufficientem. Declaratur. Hypocrita, & fictus idem sunt: porrò ille fictus est, qui profitetur exteriùs conversionem in Deum, interiùs tamen non habet illam; qui autem accedit cum simplici attritione est hujusmodi, quia non est conversio in Deum, illa autem profitetur talem conversionem.

Falsum est assumptum, & falsa probatio. Qui accedit ad Pœnitentiæ Sacramentum non profitetur esse se conversum completivè, sed se disponere ad conversionem; aliàs in Sacramentali signo esset falsitas, quia Sacramentum absolutionis est signum effectivum

conversionis, quam si supponeret, falsificaretur: unde D. Thomas *q. 68. art. 4. 3. part.* dicit -- Quia in Sacramentalibus signis non „ debet esse aliqua falsitas: est autem signum falsum, cui res significata non respondet: ex hoc autem, quod aliquis lavandum se præbet per Baptismum significatur, quod se disponat ad interiorem absolutionem. Quod non contingit de eo, qui habet propositum persistendi in peccato -- Attritus autem se disponit, cum veraciter doleat de peccato commisso, renuntietque in ipsius destructionem, veraciterque proponat observare mandata; solùm non se disponit per viam perfectiorem, revera tamen se disponit, adeoq. non est fictus. Ipsam attritionem ex motivo gehennæ non facere hypocritam, docet ibidem Concilium Tridentinum, quod adeo rigidè, & minutatim discussimus, ut fine fictione appareat consonantia doctrinæ, & series legitima constitutorum Decretorum.

ARTICULUS QUARTUS.

AN ORACULIS SEDIS APOSTOLICÆ OSTENDATUR SUFFICIENTIA SIMPLICIS ATTRITIONIS.

INter loca præcipua Theologica, quibus conclusiones doctrinales fulciuntur, adnumeratur Oraculum Sedis Apostolicæ; quod ubi definitivum est infallibilem facit fidem. Ne ergo attritioni Christianæ desit fulcimentum, & decus adeo præclarum, conabimur ostendere consonam esse Decretis Romanorum Pontificum, ejusque firmari efficaciam, & sufficientiam simplicis attritionis in Sacramento ad justificandum peccatores; non quidem definitivè, sed executivè, & per illationes ex definitis Theologicas.

144 PROB. I. Ex Bulla *In eminenti* edita an. 1641. ab Urbano VIII., & confirmata ab Alexandro VIII. quatenus proscribit hanc propositionem 31. numero contentam -- *Bulla Urbani VIII. In eminenti., est subreptitia* -- damnantur istæ propositiones --

Propositiones ab Urb. VIII. proscriptæ.

„ 31. Charitas perfecta, & sincera, „ quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta tam in Catechumenis, quàm in Pœnitentibus potest esse sine remissione peccatorum. 32. Charitas illa, quæ est plenitudo legis, non est semper conjuncta cum remissione peccatorum. 33. Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem ante obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm percipitur. 57. Unde in Sacramento Baptismi, aut Sacerdotis absolutione propriè reatus peccati duntaxat tollitur, & ministerium Sacerdotum solùm liberat a reatu. 58. Peccator pœnitens non vivificatur ministerio Sacerdotis absolventis, sed a solo Deo, qui pœnitentiam suggerens, & inspirans, vivificat eum, & resuscitat, ministerio autem Sacerdotis solùm reatus tollitur --

Ex harum propositionum damnatione istæ contradictoriæ inferri debent. Charitas perfecta in Catechumenis, & pœnitentibus nusquam potest esse absque remissione peccatorum. Charitas, quæ est plenitudo legis semper est conjuncta cum remissione peccatorum. Catechumenus implet legem per charitatem obtenta peccatorum remissione. In Sacramento Baptismi, & absolutionis non tollitur solus pœnæ reatus, sed etiam culpæ. Pœnitens vivificatur ministerio Sacerdotis. Nunc sic.

Dispositio sufficiens pro Sacramento Pœnitentiæ debet componi cum efficacia Sacramenti Pœnitentiæ taliter, ut ministerium Sacerdotis in re sit ablativum culpæ, & vivificativum in actu secundo per gratiam reconciliativam; sicut habetur ex duabus ultimis adductis propositionibus, & ab aliis, quæ adduci possunt ex eadem Bulla. Sed simplex attritio componitur cum hac efficacia, secus autem si sit conjuncta cum dilectione Dei super omnia, quia sic conjuncta secum affert remissionem peccatorum absque actuali susceptione Sacramenti, ut evincunt tres primæ propositiones, & aliæ, quæ ex eadem Bulla produci possent; ergo attritio simplex est dispositio sufficiens. Illatio legitima videtur.

145 DICES. Tres primæ propositiones, sicut 70. 71., quæ possent produci loquuntur, de charitate perfecta, tum intensivè, tum extensivè; hæc enim componitur cum remissione peccatorum, nec est necessaria dispositio ad susceptionem actualem Sacramenti. Charitas autem imperfecta componitur cum reatu culpæ. De hac loquuntur Doctores, quando exigunt charitatem pro dispositione ad Sacramentum; & de hac non loquuntur Propositiones damnatæ.

Sed hæc responsio auget vim argumenti, quia pro charitate imperfecta intelligunt Adversarii charitatem intensivè imperfectam, & extensivè perfectam; de hac loqui Propositiones damnatas constat pluribus. Primò. Illæ propositiones accipiendæ sunt, prout jacent, secundùm verborum proprietatem: charitas autem sic accepta stat pro charitate summa appretiativè, & hoc sensu accipitur in sensu communi; ergo ita sunt accipiendæ illæ propositiones.

Secundò. Illæ propositiones sunt conflatæ ex ipsis fermè locutionibus, quibus Adversarii utuntur, sicut facilè videri potest ex eorum scriptis, & ex objectionibus plurimis quas produximus: ipsi verò intelligunt de charitate perfecta solùm extensivè, signum igitur est, quod illæ propositiones intelliguntur eodem modo.

Tertiò. Aliquæ ex illis non habent terminum modificativum *Perfecta*, sed simpliciter utuntur termino *Charitas*; porrò charitas simpliciter accepta stat pro charitate appretiativa, non verò intensiva.

Quartò. De ea charitate loquuntur illæ propositiones, quam sufficere ad meritum vitæ æternæ in Catechumenis, quibus non est remissa culpa, existimat Auctor illarum propositionum juxta illam numero 18. contentam -- Opera Catechumenorum, ut fides, „ & pœnitentia ante remissionem peccatorum facta, sunt vitæ æternæ merita, quam

„ vitam

„ vitam ipsi non consequentur, nisi priùs præ„ cedentium delictorum impedimenta tol„ lantur -- Ad meritum autem non est necessaria, nec gratia, nec charitas intensa, ut liquet; ergo non possunt restringi illæ propositiones ad charitatem intensivè perfectam.

Quintò. Charitas appretiativa est vera charitas; sed illæ propositiones loquuntur de vera charitate etiam contrapositivè ad perfectam, ut constat ex propositione 70. quæ est -- Homo existens in peccato mortali, „ sive in reatu æternæ damnationis, potest „ habere veram charitatem, & charitas „ etiam perfecta potest consistere cum reatu „ æternæ damnationis -- Nota verbum contrapositivum *& charitas etiam perfecta*. Igitur loquuntur de charitate appretiativa.

Sextò. Loquuntur de charitate proportionata ad statum Catechumenorum, de quibus loquuntur: sed status Catechumenorum non petit secundùm se, & regulariter charitatem perfectam extensivè, cum sit status incipientium; non ergo intelligendæ sunt de charitate intensivè perfecta.

Septimò, & efficaciter. In eo sensu accipiuntur istæ propositiones, quo charitas opponitur culpæ, & reatui damnationis, ita quod non possint esse simul: hoc evidens est ex ipsa damnatione: sed charitas ut perfecta appretiativè, non ut perfecta intensivè opponitur reatui culpæ, & damnationis; ergo de charitate appretiativa intelligit damnatio.

Declaratur assumptum. Charitas appretiativè accepta, est qua Deus præfertur omnibus creaturis; & hæc ratio est essentia charitatis. Intensio verò non est, nisi aliquod magis additum in eadem via tendendi appretiativè; taliter, quòd etiamsi cresceret in infinitum, si non supponeret illud esse appretiativum, nunquam posset tribuere. Unde pluris valet incomparabiliter, & perfectior est unus actus dilectionis Dei super omnia appretiativè in minimo gradu intensionis, quàm alius actus dilectionis Dei infinitus cathegorematicè in linea intensionis, præcisè non includens esse appretiativè, seu non pertingens ad esse præferentiæ Dei super omnia; hæc res est notissima apud Theologos. Hoc autem esse appretiativum illud est, quod directè peccato opponitur; nam esse peccati, & esse offensæ Dei consistit in eo, quòd creatura præferatur Deo. Intensio verò non est aliud, nisi aliquod magis additum in eadem via tendendi appretiativè; ita quod etiamsi intensione infinitâ aliqua diligeretur creatura, absque eo quòd præferretur Deo, non esset lethale peccatum, nec mortalis offensa Dei. Vera, ergo & directa oppositio charitatis, & peccati habetur per esse appretiativum; & penes hoc consistit utriusque incompossibilitas; intensio autem non est, nisi aliquod magis in eadem linea tendendi appretiativè. Argumentum videtur evidens, & est clara Doctrina D. August. *enarrat. in Psal.* 121., & D. Thomæ *q.* 1. *Supplementi art.* 2., quorum verba postea dabimus.

Nunc sufficit auctoritate, & confessione Baii, cui attribuuntur illæ propositiones, quod diximus confirmare; verba profero, prout reperio apud Juenin *Comment. Hist., & Dogmat. pag.* 534. *vol.* 2. In Apologia, quam in sui defensionem conscripsit, contestatus est 32., & 33. propositiones non esse suas -- Hæ duæ sententiæ in meo libel„ lo non habentur -- Priorem verò propositionem pro sua quidem habuit, sed reposuit se perfectæ charitatis nomine eam intellexisse, quæ extensivè quidem perfecta esset, seu Dei super omnia, sed non intensivè, seu (ut ait Catechismus Romanus) quæ sincera, vehemens, & intensa -- Hoc dixi, „ inquit, adversus eos, qui in Catechume„ nis, & Pœnitentibus ante remissionem „ peccatorum, contra Concilium Triden„ tinum, nullum omnino charitatis initium „ agnoscunt -- Quo non obstante declaratione, & Apologia iterum fuerunt illæ propositiones absque ulla addita modificatione prohibitæ. Subsistit ergo argumentum, quod ex istis prohibitis propositionibus colligatur sufficientia attritionis in Sacramento Pœnitentiæ.

146 PROB. II. Ex Bulla *Cum pro munere Pastorali* Gregorii XIII. qua præcipit typis Romæ edi Decretum Gratiani emendatum. Inter alia, quæ emendavit, est distinctio prima de pœnitentia sub secunda parte Decreti ad causam 33. quæst. 3., cui titulus: *Utrùm sola cordis contritione, & secreta satisfactione absque oris confessione quisquis possit Deo satisfacere*; erat ibi Glossa hæc -- Dic, quod „ nec cordis contritione, nec oris confes„ sione peccata dimittuntur, sed tantùm „ gratia Dei -- Huic jussit Pontifex addi -- „ Idest solus Deus peccata dimittit, sed per „ meritum Christi, & ministerium Sacer„ dotis, atque in pœnitente requirit con„ tritionem (aut saltem attritionem, quæ „ deinde virtute clavium fit contritio) con„ fessionem, & satisfactionem. Dum autem „ dimittit peccata simul etiam infundit gra„ tiam, & justitiam, qua formiter fit justus --

Ad finem tituli erat hæc altera Glossa -- Si tamen subtiliter intueamur „ gratiæ Dei non contritioni est attribuen„ da remissio peccatorum, ut dixi. -- Cui Pontifex jussit apponi -- Adde multò tutiùs „ hominem sibi posse persuadere post Con„ fessionem se esse contritum, & in ipsa „ Confessione, & absolutione collatam sibi „ esse gratiam, quàm antea; nam sæpè „ virtute clavium ex attrito fit contritus -- Vide S. Th 4 *dist.* 17. *q.* 2 *art.* 1. *quæst.* 1. *ad* 3. Ex quibus sic.

Dispositio, sub qua Sacramentum producit gratiam, est dispositio proxima, & sufficiens: sed ex Doctrina Gregorii XIII. corpori juris inserta sub attritione Sacramentum Pœnitentiæ producit gratiam; ergo attritio est dispositio sufficiens, & proxima. Hic advertendum, quod Pontifex hujus sententiæ facit Auctorem D. Thomam.

147 PROB. III. Ex Bulla Alexandri VII. *Cum acciperet*, in qua Romanus Pontifex præcipit, ut de materia attritionis scribentes libros, aut Scripturas edentes, prædicantes, docentes, erudientes quomodolibet pœnitentes, vel scholares -- Non au„ deant alicujus Theologicæ censuræ, alte-

 „ riusve

„ rlusve injuriæ, aut contumeliæ notâ taxa-
„ re alteram sententiam, sive negantem
„ necessitatem aliqualis dilectionis Dei in
„ præfata attritione ex metu gehennæ con-
„ cepta, quæ hodie inter Scholasticos com-
„ munior videtur, sive asserentem dictæ di-
„ lectionis necessitatem, donec ab hac Sede
„ fuerit aliquid in hac re definitum -- Hoc
Decretum expressè tangit quæstionem. Ex
quo sic.

Romanus Pontifex permittit doceri
posse utramque sententiam, sive scriptis,
sive voce, tam ex Cathedra in Scholis,
quàm ex suggestu in Ecclesiis, erudien-
do pœnitentes, instruendo studiosos: sed si
utraque tuta non esset in praxi, nequiret pu-
blicè utramque eodem modo permittere;
ergo tam attritio, quàm contritio in praxi
tuta est. Hæc conclusio est legitima; cum
enim Pontifex sit adeo solicitus de pace ser-
vanda, & de extinguendo fomite scissurarum
in disputationibus, aliisque modis pertinen-
tibus ad attritionem, multò magis solicitus
est credendus de valore, & reverentia Sa-
cramentorum conservanda, de fidelium con-
scientiis, & pœnitentium salute tutandis.

Decretum Alex. VII. nostræ sententiæ magis favet.

Ubi pariter advertendum est, quod De-
cretum nostræ simplici attritioni favorabi-
lius est tum in eo, quòd dicat communio-
rem inter Scholasticos, tum in eo, quod
verbo satis diminutivo utatur, ubi exponit
adversam sententiam, quatenus dicit: *Ne-
cessitatem aliqualis dilectionis Dei*; qua locu-
tione non videtur appellare ad opinionem
nostrorum Adversariorum, qui exigunt ve-
rum, & formalem actum dilectionis Dei
super omnia. Profectò formalis dilectio Dei
super omnia, quamvis in gradu remisso non
est aliqualis amor: sed aliquid majus; vi-
detur ergo appellare supra alium amorem
inferioris conditionis, spei videlicet, vel be-
nevoli, sed præcisè radicalis. Quidquid de
hoc sit, prout jacet nobis propitium est il-
lud Decretum. Bulla ista edita fuit an. 1667.
5. Maji feria 5.

148 PROB. IV. Ex Bulla *Ovium sibi a
Deo creditarum*, Innocentii XI. edita anno
1679. die 2. Martii feria 5. In ea prohibe-
tur sequens propositio num. 7. contenta, &
agit de obligatione diligendi Deum -- Tunc
„ solùm obligat, quando tenemur justifica-
„ ri, & non habemus aliam viam, qua
„ justificari possumus -- Ex qua sic. Decre-
tum cum Propositione damnata supponit da-
ri aliam viam, qua justificari possumus, in
qua non obliget præceptum dilectionis: aliàs
tam Propositio damnata, quàm damnatio es-
set de subjecto non supponente: sed hæc alia
via non est, nisi Sacramentum cum attritio-
ne simplici; ergo hæc sufficit ad justifican-
dum in Sacramento. Si in omni via justifi-
cationis necessaria esset dilectio Dei super
omnia, nulla esset illa exceptiva, *& non ha-
bemus aliam viam, qua justificari possumus*. In-
tendit ergo Decretum declarare, quod quam-
vis detur via alia, qua possumus justificari
absque formali dilectione Dei, quæ in prom-
ptu non sit, & peccator velit per charita-
tem justificari, nihilominus aliis vicibus te-
neatur ad dilectionem Dei, in quibus non
sit necessitas justificationis.

In eodem Decreto n. 56., & 57. dam-
A nantur sequentia -- Frequens Confessio, &
„ Communio etiam in his, qui Gentiliter
„ vivunt, est nota prædestinationis. Proba-
„ bile est sufficere attritionem naturalem,
„ modo honestam -- Videlicet ad valorem
Sacramenti reconciliationis. Hæc propositio
unum supponit, videlicet, attritionem ali-
quam simplicem (de hac enim loquuntur ex-
pressè Auctores damnatæ Propositionis) suf-
ficere ad Pœnitentiæ Sacramentum, & insu-
per contendit naturalem honestatem sufficere;
pariter ex adverso Decretum illam sup-
positionem admittens, damnat naturalem,
quamvis honestam sufficere. Non damnat
B absolutè attritionem, sed qualitatem attritio-
nis, ex motivo scilicet naturali; quapropter
firmatur sufficientia attritionis supernatura-
lis, ex regula exceptio firmat regulam in
contrarium.

149 PROB. V. Ex Bulla *Pro Pastorali
cura* Alexandri VIII. edita anno 1690. die 7.
Decembris feria 5., in qua triginta tres pro-
positiones damnantur, inter quas nona, de-
cima, decimatertia, decimaquarta, & deci-
maquinta eo tendunt, ut declarent, & stabi-
liant operari ex motivo beatitudinis æternæ
merè absque aliquo respectu ad Deum prop-
ter se, non esse bonum, ac rectum, sed
C vitiosum. Tres ultimas tantummodò tran-
scribo -- Quisquis etiam æternæ mercedis
„ intuitu Deo famulatur, charitate si caruc-
„ rit, vitio non caret, quoties intuitu licèt
„ beatitudinis operatur. Timor gehennæ
„ non est supernaturalis. Attritio, quæ ge-
„ hennæ, & pœnarum metu concipitur sine
„ dilectione benevolentiæ Dei propter se,
„ non est bonus motus supernaturalis --
Quarum quinque Propositionum damnatarum
contradictoria vera sunt.

Ex quo nunc sic. Everso principio ali-
cujus conclusionis corruit ipsa conclusio: sed
in Propositionum istarum damnatione ever-
D sum est principium, ex quo Adversarii de-
ducunt attritionem simplicem non esse pro-
ximam dispositionem in Sacramento; ergo
ruit ista conclusio, ac per consequens ædifi-
catur, & firmatur altera, quod sit sufficiens
dispositio proxima. Quod Propositiones illæ
contineant principium, quo nituntur Adver-
sarii evidens est ex his, quæ proferunt, ut
probent timorem servilem saltem ex officio,
hoc est in individuo, non esse rectum: pœni-
tentiam peractam ejus motivo, vel affectu
beatitudinis esse inutilem, infructuosam, in-
efficacem, ex fine malam, licèt non ex ob-
jecto, latentem in corde nutrire cupiditatem,
E ex amore proprio ortam, in bono proprio
sistere, & alia similia plura.

Agnoscunt ipsimet Adversarii vim ar-
gumenti, agnoscunt infirmatum opinionis
ipsorum fundamentum; hinc quidam audent
subreptitium dicere Decretum, alii ad ter-
giversationes recurrunt, clamantes Eccle-
siam nunquam Patrum damnare doctrinam.
Sed facilis est via declinandi Sanctæ Sedis
judicium proclamando ipsius Decreta subrep-
titia; quæ luce clariùs legitima sunt. Uti-
que non damnat Ecclesia Patrum Doctrinam,
sed quæ Patrum sit Doctrina declarat; Ec-
clesia scientiam clavis habet, qua legitimum
ape-

Decretum Alex. VIII. nec subreptitium, nec Patribus dissonum.

aperiat Scripturarum, Patrumque genuinum sensum. Hic obiter nota hoc Alexandri Decretum nullam declarare Adversariorum congeriem auctoritatum ex Patribus, aliisque Doctoribus compositam, quibus conantur pœnitentiæ vim, utilitatem, efficaciam, ex timore, & amore spei conceptam convellere, & annihilare.

§. I I.

SOLVUNTUR ARGUMENTA OPPOSITA.

150 OBJIC. I. Ubi agitur de valore Sacramenti debemus sequi tutiorem sententiam juxta Decretum Innocentii XI. damnans primam propositionem his terminis conceptam — Non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore, nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni incurrendi. Hinc sententia probabili tantum utendum non est in collatione Baptismi, Ordinis Sacerdotalis, aut Episcopalis — Sed hic agitur de valore Sacramenti, utpote de parte intrinseca Sacramenti, qua sublatâ Sacramentum non subsistit; ergo pars tutior est eligenda. Sed sententia exquirens dilectionem Dei super omnia, saltem inchoatam est absque dubio tutior, siquidem eâ positâ ex hoc capite nullum prorsus periculum est frustrandi Sacramentum, neque metaphysicè loquendo; ex adverso si attritio simplex non sufficit, & sententia eam sustinens non sit vera, frustratur Sacramentum, ergo. Nullus Doctorum docet pœnitentiam ex motivo benevolæ dilectionis non sufficere; plurimi tamen negant simplicem attritionem sufficere: ex quo apparet periculum grave falsitatis; ergo certò tenenda est alia opinio.

Hoc argumentum magnificant Adversarii; & cum pluries in disputationibus fuerit a nobis productum, plures audivimus responsiones, quas referre placet, & quid sentiamus, aperire. Omitto responsionem illam (ob debitam reverentiam ad Decreta Pontificia vetantia aliorum opiniones censurare) quæ docet sententiam de simplici attritione esse certam certitudine fidei propter definitionem Concilii Tridentini. Aliqui hujus responsionis Auctores obvii sunt; sed copiosum cathalogum collegit Procurator Generalis Minoritarum Gallicanorum pro causa inter ipsos, & Episcopum Dussponi in libello manuscripto Sacræ Congregationi universalis Inquisitionis exhibendo. Viam istam neque indicare mihi expedit, quia non congruit cum Constitutionibus Apostolicis.

Respondet itaque primò doctus Junior, nomine tutioris in Decreto Innocentiano venire probabiliorem sententiam, non autem tutiorem in proprietate. Innititur constructioni propositionis, quæ dicit non est illicitum sequi sententiam probabilem relictâ tutiori: probabile autem ordinem comparationis dicit ad probabilius, non verò ad tutius rigorosè acceptum; & comprobat, quod sequitur, *hinc sententiâ probabili tantum utendum non est*; sed sententia stans pro simplici attritione est probabilior; ergo est tutior in sensu Decreti.

Theologi omnes, quos videre potui ex illis, qui explicaverunt istas propositiones, ut Cassianus a S. Elia, Cardenas, Riccius, Raymundus Lumbier, accipiunt illud tutius in proprietate, non autem pro probabilius. Et hæc est intelligentia communis vivæ vocis oraculo. Ita est revera; tum quia istæ propositiones accipiendæ sunt per se primò, ut jacent, & sonant: prout autem sic, verbum tutior stat in proprietate, non autem pro probabilius; tum quia hæc erat mens Auctoris, qui illud ajebat, ut se contraponeret sententiæ exigenti in veritate tutiorem, propter valorem essentialem Sacramenti ne ei fieret injuria, & periculo frustrationis exponeretur: Auctor autem attendebat soli utilitati proximi, quam per probabilitatem sufficienter salvari putabat; tum quia contrapositivum probabili non est probabilius, sed tutum. Quare non est mihi fidendum huic solutioni.

Respondet Junior alter Decretum Innocentianum non premere, quia loquitur *In conferendis Sacramentis*, idest, de iis, quæ pertinent ad Ministrum: premit activè administrantes, non passivè suscipientes; attritio autem pertinet ad suscipientem, non autem ad collatorem. *Quid tutioris sententiæ nomine intelligi debeat in Decr. Innoc. XI.*

Ille terminus *in conferendis* non stat strictè, prout expressam importat solam partem Ministri, sed stat simpliciter, & in modo loquendi vulgari, qui accipit totum esse Sacramenti completum per ea, quæ sunt ex parte Ministri, & ex parte suscipientis: & idem est, ac dicere in materia, & casu Sacramentorum; & ita intelligunt Scribentes. Et ratio est inclusa in eo termino *De valore Sacramenti*; valor autem Sacramenti Pœnitentiæ consistit essentialiter etiam in actibus pœnitentis, & suscipientis, ac per consequens ad istos extenditur propositio.

Alia ratio includitur in illa exceptiva, *nisi id vetet lex, conventio, aut periculum gravis damni*; periculum autem gravis damni oriri potest ex defectu eorum, quæ se tenent ex parte suscipientium; adeoque hoc etiam comprehendit propositio. Deinde Minister, ut tutius sequatur, debet moraliter certificari de necessariò requisitis ex parte suscipientis, non autem certificatur, ubi solùm materia probabilis adhibetur; si ergo attritio simplex solùm probabiliter sit materia sufficiens, non sequitur tutius Minister, si absolvat; necesse est ergo, quod exigat dilectionem, adeoque semper in suo robore persistit argumentum.

Respondet Junior alius nunc Purpuratus, attritione uti non posse illum, qui tenet ipsam non esse sufficientem dispositionem, secus alii.

Sed hoc non tangit punctum difficultatis. Cardo in eo stat, an revera attritio simplex comprehendatur in illa obligatione de sequenda tutiori, vel excludatur; hoc est, an revera possimus eam docere tanquam sufficientem: an in praxi possimus uti: an Confessarius attritum præcisè possit absolvere. Pro communi Fidelium examinatur quæstio, non pro aliqua particulariter opinantis essentia

riæ Sacramentorum sunt stabilia ex institutione Christi, non autem diversæ ob varium placitum hominum; investigatur itaque, an Christus simplicem attritionem elevaverit absolutè in materiam Sacramenti Pœnitentiæ.

Respondet alius Junior doctissimus, attritionem esse tutiorem, quia est magis secundùm infirmitatem humanam, quæ facilius impellitur ad detestationem peccatorum motivo sui commodi, quàm Dei invisibili amabilitate.

Tangit scopum hæc integrè explicata, & ea pro responsione plorica usus sum; utitur enim vera doctrina S. Thomæ mox indicanda. Prout autem appellat ad solam difficultatem intrinsecam eliciendi actum dilectionis, non videtur solida, & sufficiens; tum quia parata sunt divina auxilia; tum quia etiam attritio vera non est facilis, cum debeat esse actus efficax supernaturalis per auxilium Dei propriè dictum. His dimissis solutionibus.

151 Aggredimur validissimè Adversarios eodem argumento, quod effugere non possunt, nisi clypeis nostris utendo. Ad valorem Sacramenti ex definitis ab Ecclesia clarissimè requiritur in Ministro intentio saltem faciendi, quod facit Ecclesia: contendunt Doctores qualis debeat esse intentio; requiratur ne actualis formalis, an sufficiat virtualis? actualem tuentur quidam, virtualem alii. Nunc sic. Ubi agitur de valore Sacramenti tutius est sequendum: Sed intentio actualis formalis secundùm se est tutior, quàm virtualis; ergo illa prima est necessaria, & secunda non sufficit; sed pars potior Adversariorum docet sufficere virtualem, & actualem ad perfectionem pertinere; ergo illud principium ab ipsis infringitur; ergo &c.

Hinc nostra positio firmatur. Cur sufficere dicunt intentionem virtualem? quia humano modo operandi durum est, & arduum habere actualem intentionem, afferuntque D. Th. 3. 4. *q.* 64. *art.* 8. *ad* 3. dicentem — Quamvis studiosè curare debeat „ Sacramenti Minister, ut etiam intentionem actualem adhibeat: sed hoc non est „ totaliter positum in hominis potestate, „ quia præter intentionem cum homo vult „ multùm intendere, incipit alia cogitare „ secundùm illud Psal. 139. *Cor meum dereliquit me* — Sed hoc ipsum omnino accidit in casu attritionis; nam modo humano detestandi peccata durum est pœnitere ex motivo divinæ Bonitatis remotissimæ ab hominum sensibilitate, connaturalius autem est dolere ex motivo honesti amoris concupiscentiæ, & spei; dicente Augustino *quæst.* 36. *ex* 83. — Nemo est, qui non magis fugiat dolorem, quàm affectat voluptatem — Subscribente D. Th. 1. 2. *q.* 29. *art.* 3. — Amor voluptatis est minor, quàm „ amor conservationis sui ipsius — Ubi obiter habes, quomodo attritio simplex possit expellere efficaciter voluntatem peccandi; oritur enim ex amore conservandi seipsum incolumem æternaliter; hic autem amor ex D. Th. est fortior amore voluptatis, dic amore divitiarum, & dignitatum, quæ sunt motiva peccandi.

152 Fortiùs eodem instatur exemplo. Contendunt Doctores, an intentio in Ministro debeat esse interior, vel sufficiat seria exterior. Validissimum argumentum tenet necessariam esse intentionem internam; altera classis docet exteriorem sufficere. Nunc sic. Secundùm se absque dubio tutior est intentio interior, quàm exterior, quia si prima adsit impossibile est frustrari Sacramentum ex hoc capite; secus si desit, & adsit sola secunda, si non sufficit. Sed nunc Adversarii nostri ferè omnes, docent sufficere externam, & mordicùs, & quidem confitentes pro altera parte stare plures Doctores, & insignes; ergo illud principium infringunt.

Sed confirmemus nostram Doctrinam ex ipsorum responsione. Accipio Doctrinam Contensoni, quæ est omnium illorum. Sustinens ipse sufficere intentionem externam prædictam retorsionem de tutiori sibi objicit, & omissa responsione indirecta, quæ nihil prorsus valet, utpote ex principio evidenter damnato ab Ecclesia, accipio directam. Dicit itaque alteram opinionem non esse tutam, sed obnoxiam peccato; quia si intentio interior ita est necessaria, ut Sacramentum nullum sit, & iterandum, in proximo est, ut fiant plura peccata, & frustrentur sæpè Sacramenta, cum possit ex prava voluntate Sacerdotis retineri illa intentio; ex adverso autem remotissima est ab hoc periculo, altera sententia de sufficientia exterioris intentionis; nam etsi internam Minister retineat, si externam adhibeat, irritum non est Sacramentum. Quis non videt hoc totum valere in nostro casu? Tuta dicenda est sententia de sufficientia simplicis attritionis, quia remotior a periculo peccati, & frustrandi Sacramentum; si enim Pœnitens non pertingat ad dilectionem Dei super omnia committitur sacrilegium, & frustratur Sacramentum secundùm Adversarios; secundùm autem nos, nequaquam frustratur Sacramentum; ergo remotior est a peccato nostra sententia, adeoque tutior ex vi hujus responsionis. *Ex principiis Contensoni confirmatur nostra Doctrina.*

Quia ex pravitate humana Ministri retineri potest intentio interior, remotior a peccato asseritur sententia docens sufficere externam intentionem; ergo quia ex tepore humanæ imbecillitatis Pœnitens potest non pertingere ad amorem benevolum Dei super omnia, & frequenter non pertingit, remotior est a periculo peccandi doctrina de sufficientia attritionis simplicis. Ex terminis patet (ut utar locutione Adversarii) quod major gradus, altior, & difficilior est dilectio Dei super omnia, quàm timor servilis; ergo proximior est frustrationi Sacramenti sententia docens necessariam esse dilectionem super omnia, & remotior est alia. Si ergo stante abundantia divinorum auxiliorum in lege perfectionis non tenemur in conferendis Sacramentis adhibere, nec intentionem actualem, nec interiorem, qui actus sunt proprii legis perfectionis; neque stante abundantia auxiliorum in lege dilectionis, non tenebimur ad dilectionem Dei super omnia necessitate Sacramenti.

153 Ad hominem evincamus. Inter eos, qui docent necessariam esse dilectionem

Dei

Dei super omnia, quidam docent necessariam esse dilectionem perfectam extensivè, & intensivè, quorum chorum videtur ducere Estius: alii docent sufficere dilectionem Dei initialem, idest solùm extensivè perfectam. Nunc sic. Tutior est sententia docens requiri de necessitate in casibus ordinariis dilectionem etiam intensivè perfectam; Sed communiùs Adversarii negant requiri charitatem eo sensu perfectam, mordicùs propugnantes sufficere initialem; ergo infringunt principium illud de tutiori.

Theologia Sanctorum ipsa pro aliis dat rationem, cur dilectio intensivè perfecta non sit necessaria -- Quia Pœnitentia est Sa„ cramentum mortuorum; non supponit ergo „ vitam primam in subjecto suo, sed eam „ confert *ex opere operato*, sive ex virtute „ sanguinis Christi Jesu; per consequens „ non requirit in subjecto suo dispositionem „ sufficientem ad vitam primam ipsi conse„ cundam priusquam hoc Sacramentum actu „ suscipiatur - Verba sunt Theologiæ; & postquam dirimit solutionem, quam dant Estius, & alii, videlicet, ad verificandum esse Sacramentum mortuorum, sufficere ipsius votum, postea aliam rationem subdit -- Quia „ credibile non est Pœnitentiæ Sacramen„ tum sic esse institutum, ut a paucissimis „ peccatorum venia speranda esset. A pau„ cissimis verò per illud peccatorum venia „ speranda esset, si ad eam contritio per„ fecta cum Sacramento requireretur; cum „ hujusmodi contritio admodum rara sit, & „ in paucissimis inveniatur, ut constat ex „ dictis *cap.* 82. Unde Catechismus Roma„ nus *loc. cit. qu* 31. dicit; quod a paucis„ simis peccatorum venia speranda esset, „ nisi Clementissimus Dominus faciliori ra„ tione hominum saluti consuluisset -- Solvitque responsionem Estianorum ex Patribus de historia Lazari.

Nullus est, qui non videat hæc duo motiva non solùm favere attritioni, sed ejus sufficientiam evincere. Primum, quia charitas quoad substantiam accepta, extensivè perfecta est dispositio ad vitam primam non quà intensa; què enim intensa disponit ad primam vitam quà intensam. Ut est appretiativè super omnia opponitur peccato quà offensa Dei, quæ in eo consistit, ut Deus præferatur creaturis: charitas, quæ tanta est, quanta est culpa, disponit sufficienter ad primam vitam; tanta autem est, si habeat, ut pro fine ultimo respiciat Deum, sicut culpa pro fine ultimo respicit bonum commutabile. Audi Augustinum *Enarrat. in Psal.* 121. *tom.* 8. -- Sicut amor immundus inflammat „ animam, & ad terrena concupiscenda, „ & peritura sectanda vocat, & in ima „ præcipitat, atque in profunda demer„ git; sic amor sanctus ad superna ele„ vat, & ad æterna inflammat &c. duobus „ præceptis dilectionis Dei, & proximi vo„ lat. Quò, nisi ad Deum ascendens volendo, „ quia ascendit amando? -- Appretiativè præcisè sumptus immundus amor in profunda demergit; ita appretiativè sumptus Dei amor ad superna elevat; aliàs non verificabitur paritas.

Audi D. Thomam 3. *p. de Sacramentis* *quæst.* 32. aliàs prima supplementi *art.* 2. -- „ Sicut enim inflammatio propriæ volunta„ tis ad malum faciendum importat, quan„ tum est de se, malum ex genere, ita il„ lius voluntatis annihilatio, & commina„ tio quædam de se importat bonum ex ge„ nere; quia hoc est detestari propriam vo„ luntatem, què peccatum est commissum. „ Et ideo contritio, quæ hoc significat, im„ portat aliquam rectitudinem voluntatis „ &c. -- Alibi dedimus auctoritatem *ex* 3. *part. de Sacramentis quæst.* 34 aliàs 3. *supplem. art.* 1. ubi clarissimè contritionem essentialiter acceptam docet esse dolorem excludentem omnes alios dolores, & ideo, quia finis super omnia placet, & propter hoc peccatum destruit, dum super omnia displicet, quia a fine avertit. Ecce vis tota peccati in appretiatione creaturæ supra Deum: ecce tota vis contritionis dilectivæ in appretiatione Dei supra creaturam. Intensio ad hoc solùm magis radicandum deservit, ad aliosque effectus secundarios. Igitur dilectio Dei super omnia extensivè tantùm perfecta est sufficiens dispositio ad primam vitam in voto Sacramenti; adeoque ex vi primæ rationis Adversariorum non est necessaria in Sacramento Pœnitentiæ pro consequenda venia, & consequenter absque dubio attritio simplex debet esse, & est sufficiens.

Secundum motivum evincit idem. Tota difficultas, totaque arduitas in diligendo Deo est appretiativè, est præferentia Dei super omnia bona creata; hic labor, hoc opus. Paucissimi sunt ex peccatoribus, quorum infinitus est numerus, teste Scriptura, qui pertingant ad præferendum Deum super omnia, quæ diligunt: durus est hic sermo. In avulsione arboris a terra stat labor, facilè postea a terra elevatur; in avulsione cordis ab appretiata creatura stat vis, faciliùs autem elongatur. Reclamant hic Adversarii injuriam nos facere legi gratiæ, quæ est amoris. Amor omnia levat; amanti jugum Christi jugum non est; amoris præceptum onus est, sicut plumæ onus sunt avibus. Nos ad hæc nihil modo reponimus: solùm quærimus si hæc, & alia plura, quæ congerunt, vera sunt; cur adeo difficile prædicant perfectam charitatem haberi? cur paucissimos ad eam pervenire dictitant? Lex gratiæ, lex amoris est, sed perfecti, & ad perfectam provocant Scripturæ dilectionem; & ad perfectam adhortantur Patres. Plumæ aves sublevant ad volandum, & ad celerissimè volandum, nec prope terram tantummodo, sed ad nubes usque. Cur ergo perfectam, immo perfectissimam charitatem rejiciunt, ut necessariam ad Sacramenti susceptionem? Hæc abundè declarant eodem de tutiori sequendo irruituri Adversarios argumento.

Ad solutionem directam accedamus. Ille terminus *Tutus* in Patribus stat dupliciter; contrapositivè ad non tutum, & comparativè ad tutum, & coincidit cum meliori. Status conjugii ad salutem tutus est primo modo; status cælibatus est tutior secundo modo. In *Commentariis ad cap.* 4. *primæ Joan.* agnoscit D. Th. duplicem perfectionem charitatis: sufficientiæ, & excellentiæ; illa ad implendum præceptum necessaria, hæc supererogationis

Directè solvitur argumentum.

perabun-

Perfectio charitatis duplex, alia excellentiæ, sufficientiæ altera.

perabundans. Ita pariter *tutius* duplex est: sufficientiæ, & excellentiæ; seu quod in idem redit, tutius essentiale, sive necessitatis, & tutius ampliativum, seu abundantiæ. Tutius sufficientiæ, & necessitatis, & essentiale illud est, quod directè favet præcepto: quo posito adimpletur formaliter debitum, quo posito servetur per se legis essentia, ejusque primaria institutio; tutius ampliativum, & comparativum, & excellentiæ illud est, quo posito lex adimpletur, sed perfectiori modo, sed superabundando.

Exemplis explico. Indigens pecuniâ petit a Mercatore mutuum: ille mutuum dat nihil exigens supra sortem: iste eligit tutius sufficientiæ; si detur alius, qui nihil exigat supra sortem, & insuper de sorte remittat, iste tutius eligit excellentiæ. Tenetur Sacerdos recitare Divinum Officium, applicat se exteriùs removendo impossibilia, & interiùs attendendo ad sensum pio aliquo affectu: hic eligit tutum essentiale; alius autem applicet se ferventissimo amore divinæ laudis; & eligit tutius ampliativum. Tenetur Parochus baptizare infantem virtuali intentione, administrat illud Sacramentum, & tutum eligit necessitatis; alter verò actuali, & formali intentione utitur, & hic tutius eligit comparativum.

Contritio per dilectionem Dei super omnia appretiativè est *tutius* excellentiæ: quia sub ea subsistit essentia Sacramenti, & copiosior fructus confertur: quia tamen justificationem infert cum solo voto Sacramenti, in actu secundo non salvat primariam significationem Sacramenti, quæ est effectiva primæ gratiæ; unde a quibusdam Viris doctis aliquando dicta est non tutior tutioritate Sacramenti, sed tutior tutioritate salutis. Attritio autem simplex est *tutius*, positivum, absolutum, sufficientiæ, essentiale, & necessitatis; ac proinde in casu propositionis propriè dictum. Valor Sacramenti, de quo Innocentianum Decretum, attenditur penès essentialia constitutiva, sine quibus, vel tanquam partibus, vel tanquam conditionibus non subsistit essentia Sacramenti secundùm sensum proprium institutionis, & secundùm mentem directam primariam instituentis.

Sententia de simplici attritione tutior quoad sufficientiam.

Vide infra art. 8. Object. III.

Ex principiis autem notissimis fidei natura Sacramenti Pœnitentiæ ex vi suæ institutionis, & ex primariâ, & directa mente instituentis est instrumentum reconciliationis immediatè; hoc est productivum per se, & immediatè primæ gratiæ, & remissivæ peccatorum. Cumque attritio simplex directè salvet, & per se naturam istam Sacramenti Pœnitentiæ, taliter, ut possit suum immediatè, & in actu secundo effectum producere, est *tutius* tutioritate Sacramenti, sufficientiæ, & propriè loquendo.

154 DICES. Materia solùm probabilis non est materia, de qua verificetur illud *tutius*: sed attritio simplex est solùm materia probabilis; quia altera sententia exigens dilectionem adversativè ei opponitur, ad hunc sensum, quod Auctores ipsius volunt non subsistere Sacramentum per solam attritionem, & e contra Auctores attritioni faventes concedunt subsistere per dolorem dilectivum; ergo dolor dilectivus est *tutius* absolutum, & propriè dictum, secus attritio.

A Apertè negatur min. Attritio simplex est materia certa certitudine Theologica: quia ipsam sufficere per directam illationem deducitur ex principiis fidei definitis ab Ecclesia; non est autem necesse, quod sit certa certitudine fidei per canonicam definitionem, qua certitudine caret etiam sententia doloris dilectivi. Certitudinem verò Theologicam non infringit probabilitas extrinseca alterius sententiæ; quia illa consistit in intrinseca connexione principiorum, & conclusionis. In Theologicis plura hujusmodi occurrunt. Deum esse notum fatentur Theologi quoad se, secus quoad nos: plurima dicimus de fide quoad se, non quoad nos: plurima

Attritio simplex est materia certa certitudine theologica.

B producimus probabiliora intrinsecè, sed minùs probabilia extrinsecè: satis frequenter defenditur stare fidem cum evidentia in attestante; & hoc quia unum oritur ex principio intrinseco, aliud a principio extrinseco.

Stante igitur sententia negante sufficientiam attritioni ob intrinseca motiva, stat nihilominus certitudo sufficientiæ per illationes intrinsecas ex principiis definitis, & certis in Ecclesia; cui accedit etiam certitudo moralis gravissima per auctoritatem extrinsecam multimodam insignium Doctorum.

C Unde utraque dispositio, sive per dilectionem Dei benevolam, quæ est contritio per nos, sive non, est sufficiens; & hoc est privilegium huic Sacramento concessum a Divina Bonitate commiserante nostræ infirmitati; sicut hoc Sacramentum habet duplicem materiam remotam utramque sufficientem ad constituendum Sacramentum, quamvis una sit de necessitate salutis, altera non; ita habet duplicem materiam proximam utramque sufficientem. Quemadmodum ergo subsistit Sacramentum si deponantur peccata lethalia sine venialibus: vel venialia sola sine mortalibus, si non sint; sic subsistit Sacramen-

D tum si adsit dolor cum dilectione benevola Dei absque timore servili, vel dolor cum amore spei absque amore charitatis. Insuper sicut quandoq. ex parte materiæ remotæ datur mixtio venialium, & lethalium peccatorum; ita ex parte materiæ proximæ datur sæpè mixtio doloris ex amore, & timore. Non novum in moralibus, quod utraque pars sit tuta formaliter; ut in præambulis ad Theologiam moralem docent Scribentes.

Quando dicitur, quod altera sententia opponitur contrapositivè, verum est in sensu materiali, secus in sensu formali; seu oppositione modi applicandi, non autem opposi-

E tione reali. Adversarii nostri admittunt principia fidei, & definita ab Ecclesia, & per consequens conclusiones in illis præcontentas, inter quas est ista nostra de sufficientia simplicis attritionis: adeoque in re virtualiter admittunt nostram Doctrinam; sed quia in deducenda ea illatione non applicant directè medium terminum, ideo non deducunt nostram conclusionem, sed eam negant, quod provenit ex eo etiam, quod attendunt, & reflectunt potiùs ad applicanda illa principia dilectioni.

Ex Philosophicis patet, quod ex uno principio demonstrativo unus deducit unam con-

conclusionem scientificam: alter solùm probabilem propter diversam applicationem, & penetrationem illius principii; sicut unus ex eodem principio plures infert conclusiones, alius pauciores.

Definit Ecclesia ad valorem Sacramenti requiri intentionem faciendi, quod facit Ecclesia: Calvinista (utor hoc exemplo præcisè in sensu proportionali) baptizat absque intentione faciendi, quod facit Ecclesia Romana, immo contra voluntatem Ecclesiæ Romanæ intendit facere; & tamen Ecclesia Romana neq; rebaptizat baptizatos a Calvinista, si veniant ad nos, quia Calvinista intendit observare mandatum Christi, in quo principio continetur voluntas faciendi, quod facit Ecclesia Romana, quamvis Calvinista erret negando Ecclesiam Romanam esse veram Ecclesiam, & intendere, quod intendit Christus; quia ille error particularis non præjudicat infallibili connexioni intrinsecæ inter illa duo, mandatum Christi, & mandatum Ecclesiæ Romanæ, quæ est verum Corpus Christi. Ita proportionaliter loquendo in principiis definitis per illationem Theologicam continetur sufficientia attritionis in Sacramento; huic connexioni, & continentiæ non præjudicat illa applicatio diversa, quam facit altera sententia, sed potius implicitè, & in principiis subscribit, licèt explicitè neget.

155 INSTABIS. Sedes Apostolica in Decreto Alexandri VII. prohibet censurâ oppositam notare sententiam; ergo ad minus sentit esse probabilem; ergo cum adversativè contradicat nostræ in favorem Sacramenti, est ratione absolutè, sicut nostra, quàm etiam solùm communiorem qualificat.

Nemo notat censurâ oppositam sententiam, quam commendamus, & practicari summopere cupimus. Negamus inde nostram sententiam non esse tutam; & hoc ipsum ex eodem Decreto, quod ad minus in æquali gradu certitudinis statuit cum altera, vel saltem supponit, insuper nostram communiorem appellat, in quo pondus aliquod adjicit præ alia. Si probabilitas extrinseca alterius sententiæ evacuarat securitatem simplicis attritionis ex vi damnatæ Propositionis per Decretum Innocentii XI. primo numero contentæ, jam nostra sententia esset censurâ notanda, cum illam propositionem, ut minimum scandalosam prohibeat.

Alex. VII. nostram sententiam communiorem appellat.

156 Hic (non ut venerationem minuamus alterius sententiæ, sed ut veritatem elucidemus) advertendum ducimus cum N. P. Dominico à Sanctissima Trinitate *tom. 4. p. 2. lib. 4. sect. 11. cap. 71.* non favere alteri sententiæ Doctores illos antiquos, qui charitatem exigebant pro Sacramento suscipiendo eo, quod credebant ministerium Sacerdotale esse solùm declarativum, non autem absolutivum a peccatis. Cumque apertè jam definitum sit officium Sacerdotale non esse purè declarativum, sequitur oppositum illi, quod legitimè inferrebant, posito errore, circa illud principium; & per consequens pro nostra stare dicendum est; nam contrariam illationem intulissent, si veritatem illius principii advertissent, & suscepissent; quomodo arguit D. Augustinus contra Donatistas Cyprianum esse contra ipsos, quia si vidisset Concilium definiens validum esse Sacramentum ab Hæreticis in forma Ecclesiæ collatum, sicut ipsi viderunt, nobiscum sensisset.

Excipiendi sunt pariter illi, qui timorem servilem non bonum actum in individuo, seu ex officio dicebant, propter proscriptas propositiones à Sede Apostolica. Excipiendi quoque sunt illi Patres, qui in sola dictis simpliciter commendant bonitatem, & excellentiam, & efficaciam dilectionis benevolæ ipsius Dei. Excipiendi etiam illi plurimi Patres, qui indefinitè prædicant necessariam dilectionem pro deletione peccatorum, cum facillimè explicentur de justificatione extrasacramentali. Quare pene ex toto minuitur turba illa, quam nemo enumerare potest, ut proclamat Theologia Sanctorum.

157 OBJIC. II. Nullus est, qui salvari possit ex adultis, nisi aliquando elicuerit actum charitatis, damnata est enim Propositio 5. in Decreto Innocentii XI., quæ dicebat — An peccet mortaliter, qui actum di-
„ lectionis Dei semel tantùm in vita elice-
„ ret condemnare non audemus — Sed si sufficeret simplex attritio posset adultus salvari sine ullo actu amoris Dei: ponamus enim, quòd aliquis toto tempore vitæ suæ malè vixerit, & attritus simpliciter in articulo mortis suscipiat Sacramentum, moriaturque statim, iste salvabitur, si vera est nostra positio; atqui iste nullum unquam actum dilectionis elicuisset; ergo inconveniens recitatum sequeretur.

In primis non rectè assumitur propositio proscripta, quæ a peccato excusabat eum, qui semel tantùm in vita elicuisset actum dilectionis Dei; ille verò, de quo in argumento, pluries defecisset circa præceptum dilectionis Dei, quod sæpè obligans tempore vitæ ab illo fuisset omissum, de quibus omissionibus pœnitere, & confiteri debuisset.

Cæterum pro mortis articulo est sententia asserens præceptum dilectionis formalis per se obligare; unde qui attritus in illo articulo medio Sacramento justificatur, tenetur actum dilectionis elicere, ut illi præcepto satisfaciat, vel attritioni præviæ ad Sacramentum actum dilectionis adjicere. Altera sententia docet contritionem obligare in articulo mortis, vel formalem, vel æquivalentem, quapropter sola attritione submittens clavibus peccata sua illi præcepto satisfaceret in hac sententia; quare sive in una, sive in altera sententia ille non salvabitur absque dilectione, vel formali, vel æquivalenti.

Præceptum dilectionis formalis per se obligat in mortis articulo.

158 OB. III. Dispositio sufficiens in Sacramento debet esse justitia actualis ex motione Spiritus Sancti nondum inhabitantis: Sed hæc non potest esse absque charitate, juxta propositionem in Bulla *In Eminenti* per Urbanum VIII. damnatam nu. 63. quæ dicit — Sed & illa distinctio duplicis
„ justitiæ, alterius, quæ fit per spiritum
„ charitatis inhabitantem, alterius, quæ fit
„ ex inspiratione quidem Spiritus Sancti cor
„ ad pœnitentiam excitantis, sed nondum
„ cor inhabitantis, & in eo charitatem dif-
„ fundentis, quâ Divinæ legis justificatio

Mmm „ im-

„ impleatur, similiter reficitur -- Contradictoria proinde est vera; dari siquidem justitiam per spiritum charitatis inhabitantem, & justitiam per spiritum nondum inhabitantem, sed excitantem, & diffundentem charitatem; haec secunda est dispositio ad justificationem, sed haec non est sine charitate, ut patet in contradictoria Propositionis damnatae; ergo etc.

Non urget argumentum, quod non loquitur de dispositione praevia ad justificationem in Sacramento, & de justificatione extrasacramentali, quam Auctor damnatae Propositionis negabat fieri formaliter per gratiam inhabitantem, & per praeparationem nostram ex inspiratione Sancti Spiritus, sed per obedientiam legis. Quidquid tamen sit de hoc pro nunc; illa Propositio non accipit charitatem pro actu, sed pro habitu: & sic negat operationem Spiritus Sancti diffundentis charitatem, quâ compleatur justificatio; completur autem justificatio per charitatem habitualem, non autem per actualem. Itaque nullo modo inde colligitur necessitas actualis dilectionis in susceptione Sacramenti.

159 OB. IV. Doctrina aliena a Sanctis Patribus non approbatur a Sancta Sede Apostolica, ideo Alexander VII. in Decreto *Sanctissimus Dominus Noster* edito 1665. 4. Septembris feria 5. conqueritur graviter de modo opinandi in rebus pertinentibus ad conscientiam, qui *Irrepsit alienus omninò ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum Doctrina*. Sed positio de sufficientia simplicis attritionis, neque nomen habet apud Sanctos Patres, cum ejus mentionem nullo modo faciant; ergo non approbatur ab Apostolica Sede.

Saepè responsum est huic argumento, quod saepè repetunt Adversarii, qui si a nobis interrogentur, ut producant Concilia, Patres, Pontifices, qui mentionem faciunt charitatis super omnia inchoatae, dilectionis initialis, amoris imperfecti pro dispositione necessaria ad Sacramentum Poenitentiae, vix unum ad rem valebunt adducere; afferunt aliquos plures in genere, vel laudantes charitatis virtutem, vel necessariam ad justificationem, sed multò copiosiores proferimus nos commendantes gehennae timorem, & affirmantes sine timore hominem non justificari. Etsi ergo Patres non fuerint usi tali modo loquendi rem ipsam tamen docuerunt, quemadmodum accidit in pluribus aliis dogmatibus, in quibus nunc modus loquendi etiam Ecclesiae est diversus a formalis Doctorum Sanctorum, & tamen eadem est res.

ARTICULUS QUINTUS.

AN DOCTRINA PARTICULARIUM ECCLESIARUM PROBETUR PRACTICA SUFFICIENTIA SIMPLICIS ATTRITIONIS IN SACRAMENTO POENITENTIAE.

NOstrum non est omnes colligere Doctores, qui sufficientiam attritionis simplicis pro sufficienti dispositione in Sacramento promovent; Tantummodo innuere placet aliquos praecipuos, qui propter excellentiam dignitatis maximi momenti jure censeri possunt.

Dicendum itaque, quòd Doctrinâ Ecclesiarum particularium firmatur practica sufficientia simplicis attritionis in Sacramento Poenitentiae.

160 PROB. I. Sanctiones statutae in Dioecesanis Synodis, Ecclesiarum particularium disciplinam continent: sed plerique Dioecesani conventus statuerunt simplicem attritionem sufficere in Sacramento Poenitentiae; ergo Doctrinâ particularium Ecclesiarum firmatur sufficientia simplicis attritionis. Ostenditur min. Anno 1589. Philippus Sega Episcopus Placentinus in Synodo sua Dioecesana sub titulo *de Poenitentia* dicit -- Contritio contemptis aliis partibus non delet „ peccatum; ita quamvis adsint aliae partes „ sine cordis contritione, vel saltem com„ petenti attritione, non admittunt pecca„ tum -- Michael Angelus Bonadies Catanensis Episcopus in Conventu Dioecesano sub anno 1668. mense Maji Statuto sexto actionis primae de Sacramento Poenitentiae agens, ait -- Si verò angor ille ob patrata „ crimina ex inferiori motivo, nempe vel „ ex gehennae, & poenarum metu, vel aeter„ nae gloriae jactura, aut ipsius peccati tur„ pitudine oriatur, erit imperfecta contri„ tio reputanda, atque attritio communiori „ voce dicenda, quae quidem, & sine actuali „ Sacramenti susceptione hominem per se „ justificare nequit, nihilominus, si volun„ tatem peccandi excludet, veniaeque spem „ obtinendae adnexam habeat, illum ad Dei „ gratiam in Sacramento Poenitentiae impe„ trandam disponit, & quidem dispositio„ ne ultima, & proxima; unde illud vul„ gare emanavit effatum: Homo Sacramen„ tali Confessione ex attrito fit contritus -- Expressa decisio nostra haec est. *Doctrina particularium Ecclesiarum firmat simplicis attritionis sufficientiam.*

Jacobus Circius in suo Agathensi Concilio sub anno 1682. titulo 26. de Poenitentia *cap.* 10. plurima puncta practica utilissimè declarat. I. Peccatum contritum, & confessum esse materiam proximam Sacramenti Poenitentiae. II. Contritionem propriè dictam, esse voluntariam detestationem peccati, ut est offensa Dei, & super omnia. III. Hanc non esse tristitiam solùm sensibilem, sed actum doloris rationalis partis. IV. Sufficere etsi non sit intensus dolor sicut mali temporalis. V. Non auferre totam poenam, posse esse tantam tamen, ut omnem auferat. VI. Non esse necessariam singulorum mortalium singularem, sed satis

esse

esse unam generalem. VII. Non teneri magis de uno, quàm de alio peccato dolere. VIII. Cum in memoriam venit peccatum, non teneri hominem statim conteri, sed sufficere, si in eo non complacet. IX. Contritionem istam de per se etiam sine Sacramento remittere peccatum, ita quòd in ea moriens salvandus sit. X. Descendens ad attritionem, quæ tantùm in Sacramento justificat, illam sic describit -- Quando au„tem actus non est perfectus, dicitur attri„tio, ut si peccatum detestetur alio fine, „quàm Dei offensa, vel non super omnia --

Synodus Parmæ celebrata anno 1690. in constitutis de Sacramento Pœnitentiæ hæc firmat -- Actus odii in peccatum propter „summam charitatem erga Deum, vel ob „timorem gehennæ, & turpitudinem cul„pæ elicitos, si cum absolutione Sacerdo„tali conjungantur, ad dignitatem Sacra„menti producentis infallibiliter gratiam, „Jesus Christus in novo Testamento eleva„vavit -- Est formalis decisio.

Carolus Barberinus Cardinalis omni exceptione major in Synodo Sublacensi sub anno 1674. *cap* 11. de Sacramento Pœnitentiæ salutaria documenta promovet sequentia -- „Quos animi sensus si Confessarius Pœni„tentem, nec habere, nec in eo excitari „animadvertat, cùm iterum opportunè, & „importunè arguat, obsecret, increpet in „omni patientia, & doctrina donec, aut „contritionem, aut certè attritionem eli„ciat, sed si frustra laborare se idem Con„fessarius agnoscat, caveat ne impœni„tentibus beneficium absolutionis etiam in „ipso mortis articulo, impertiatur -- Ecce qualiter sufficientem supponit attritionem, sicut contritionem pro beneficio absolutionis impendendo; pro attritione autem intelligit, dolorem ex motivo gehennæ, ut aliud ipsius testimonium infra exhibendum, manifestum facit. Omitto alia Synodalia statuta, quæ apud Moderniores Collectores videri possunt.

161 PROB. II. Doctrina Pastorum particularium Ecclesiarum dicitur Doctrina illarum: nam quæcunque illæ docent, sentiunt: sed plerique Episcopi sustinent attritionem simplicem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ; ergo sufficientia attritionis simplicis ad Doctrinam, & Disciplinam Ecclesiarum spectat. S. Augustinus Episcopus Hipponensis *lib. de catechizandis rudibus c.* 17. docet sufficientiam attritionis simplicis in Sacramento; quod negat de attritione naturali, quæ est ex motivo temporalium; recole verba, quæ in primo articulo hujus Disput. dedimus.

Sanctus Antoninus Archiepiscopus Florentinus 3. *parte Summæ tit.* 14 *cap.* 19., quod est de confessione *cap.* 19. *a.* 5., in quo explicat tertiam conditionem confessionis habet -- Sed si aliquam pœnitentiam habet „de peccatis suis tunc iterum distinguen„dum, quia aut talem habet pœnitentiam, „quæ sufficit cum Sacramento, puta attri„tus accedit ad confessionem, ex quo ibi „fit contritus, unde fugatur fictio, & sic „non habet dubium, quia & Sacramentum „suscepit, & effectum ejus, scilicet remis„sionem peccatorum, unde non tenetur „iterare, sit similiter, immò, & fortiùs si „accedit contritus -- Verba sunt clara.

Sed solent reponere Adversarii, quod D. Antoninus pro attritione intelligit dolorem gratià non informatum, qui unus in specie sit contritio sicut ex mane fit meridies, & unum est dispositio ad aliud, sicut in caeteralibus proceditur de imperfecto ad perfectum, ut dicit *cap.* 13. præcedenti explicans differentiam contritionis ab attritione ante §. 1.

Concedimus hæc dicere S. Antistitem, sed non eo sensu, quo explicant Adversarii, quod clarè demonstro. In sensu Adversariorum attritio ex D. Antonino est dolor de peccatis ex motivo dilectionis Dei super omnia appretiativè summus, sed intensivè imperfectus. Sed dolorem hìc descriptum S. Antoninus vocat contritionem, quæ remittit peccata ante sumptionem Sacramenti, ut patet §. 4., qui est de quantitate contritionis, ubi docet esse dolorem maximum, non in linea intensionis, sed in linea objecti, quia est de summo malo, quale est offensa Dei, & est ex charitate, qua Deum respicit omnibus præferendum: & in definitione contritionis in principio illius cap. 18. dando differentiam ab attritione habet -- Ex „parte Dei, quia dolor gratià informatus „est contritio quantumcumque sit modicus „dolor -- Modicus dolor, qui fit contritio, est modicus defectu intensionis; non ergo ab intensione habetur contritio, sed a motivo divinæ dilectionis, quo si caret, est attritio.

Quare autem D. Antoninus, & aliqui Scholastici antiqui docent contritionem differre ab attritione, ex quo illa informatur gratià, ista nequaquam, est, quia dolor ex motivo charitatis infert se solo justificationem, & ideo ibidem Sanctus Præsul dicit -- „Quamvis autem per contritionem solam „habeatur remissio peccati; nihilominus „tamen talis tenetur postmodum confiteri „tempore suo -- Quandò autem dicit, quod attritio fit contritio, sicut ex mane fit meridies, non est sensus, quòd ex dolore minùs intenso fiat magis intensus, sicut lux minor fit major: sed est sensus successionis; quia unus dolor specie succedit alteri.

Discrimen adductum a D. Antonino Contritionem inter, & Attritionem explicatum.

Sanctus Carolus Borromæus in Sacramentali Ambrosiano sub titulo de observandis a Parocho, & Confessario habet -- Quòd „si Pœnitens nullam contritionem, nec ve„rò saltem attritionem, aut neque proposi„tum abstinendi imposterum ab aliquo pec„cato mortali ostendet, eum minimè Con„fessor absolvet -- Quibus manifestè declarat, & esse sufficientem attritionem, & ita praxi ita sentire.

Episcopus Ruthenensis Ludovicus Abelly Parisiensi Laureà decoratus in sua Medulla Theologia ex Sacris Scripturis, ex Patribus, & ex Conciliis P. 2. *cap.* 5. *de Sacramento Pœnitentiæ sect.* 10. habet -- „Quòd verò sufficiat attritio quidio modo „sumpta, idest, quatenus per auxilium „gratiæ concipitur ex motivo aliquo bono „supernaturali, quodcumque illud sit, evi„dens est, tum ex verbis Tridentini, tum

„ ex rationibus — Episcopus Viglevatiensis Caramuel in sua Theologia Fundamentali sub an. 1619. edita; ait — In lege naturæ „ debebat Deo peccator contritionis lacrymas, seu dolorem: & modò satisfacit si „ confessionem cum attritione potiat — Omitto alios referre, quia obvii sunt.

162 PROB. III. Auctoritas Cardinalium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ magni ponderis est ad firmandam Ecclesiarum Doctrinam, cum sint singularum Judices, utpote constituentes excelsum Summi Pastoris Senatum: sed isti docent attritionem simplicem sufficere in Sacramento Pœnitentiæ pro consequenda gratia justificationis; ergo ad Disciplinam Ecclesiarum pertinet sufficientia attritionis. Ostenditur minor. Firmi sub anno 1624. editum est opus inscriptum *Memoriale sciendorum à Confessariis*, per modum Appendicis additum ad Memoriale sciendorum a Clericis; quod edi jussit Eminentissimus Cardinalis Alexander Ludovisius Archiepiscopus Bononiensis, postea Gregorius XV, & in eo sub capite de contritione, plura scienda docet:

I Quid sit contritio. II. Quotuplex sit, & utrumque à Concilio Tridentino esse accipiendum. III. Contritionem in genere esse detestationem peccati cum proposito non peccandi de cætero, & esse duplicem. IV. Contritionem charitate perfectam delere peccata cum solo voto Sacramenti, & hanc esse contritionem propriè dictam. V. —
„ Alteram imperfectam, quæ attritio voca-
„ tur, & concipitur ex turpitudinis pecca-
„ ti consideratione, vel ex gehennæ, ac
„ pœnarum metu, & hæc quidem ante
„ Confessionem non justificat, ut facit con-
„ tritio, sufficit tamen cum Sacramento ad
„ justificandum, si voluntatem peccandi ex-
„ cludat cum spe veniæ. Hæc omnia docet
„ Concilium Tridentinum citatum — Hæc Doctrina inter scienda à Confessario reponitur, quia in praxi tuta.

Cardinalis de Lugo *disput.* 5 *de Pœnitentia sect.* 9 clarissimè Doctrinam de sufficientia simplicis attritionis corroborat. Num 130. habet — Attritionis nomine in-
„ telligimus dolorem illum, qui perfectio-
„ nem contritionis non habet, & iden sine
„ Sacramento non sufficit ad justificationem,
„ sed tamen cum Sacramento disponit suffi-
„ cienter ad justificationis gratiam accipien-
„ dam, ut constat ex Trid. *Sess* 14. *cap.* 4. — Num 131. firmat, quòd attritio, & contritio distinguuntur penes motiva diversa. Dein num. 132. subdit — Sed quæ sunt hæc mo-
„ tiva attritionis communiter reducuntur
„ ad duo capita; scilicet ad metum gehen-
„ næ, & pœnarum, & ad turpitudinem
„ peccati; nam hæc duo expressit Tridenti-
„ num, ubi supra — Prosequitur ostendere quòd omnia alia motiva ad illa duo revocantur, refellitque Sylvium volentem ad constitutionem attritionis Tridentinæ requiri dilectionem Dei super omnia, sed debilem, & num. 137. subdit — Supposita ergo Do-
„ ctrina certa, & communi, quod attritio
„ ex illis motivis positis a Tridentino suffi-
„ ciat ad justificationem in Sacramento
„ etiamsi non adsit dolor propter Deum
„ summè dilectum: restat videndum quid in-
„ cludatur in singulis membris illius divi-
„ sionis —

Auctoritatem Cardinalis Bellarmini ex *lib.* 2. *de Pœnitentia cap.* 8. superius dedimus, nunc adjicimus, quæ habet in additionibus ad *cap.* 4. *Sess.* 14. Concilii Tridentini, ubi —
„ illud certum videtur attritionem hanc, de
„ qua in textu (nimirum ex turpitudinis
„ peccati consideratione, vel ex gehennæ,
„ & pœnarum metu conceptam) sufficere
„ ad gratiam consequendam cum Sacramen-
„ to Pœnitentiæ — Cardinalis Toletus in Summa sub an 1601. Romæ edita *c.* 11. *lib.* 3. habet — Si sit vera detestatio culpæ præteritæ,
„ & propositum cavendi ob pœnas inferni,
„ pura, quod licèt sciat homo se esse attri-
„ tum, est vera confessio, & accedentibus
„ hoc modo absolutio dat gratiam, ut col-
„ ligitur ex Concilio Trid. *Sess* 14. *cap.* 4. —

Cardinalis Capissucchus Consultus à Sabastiano Du Pasquier Theologicæ facultatis Doctore, respondit — Ad gratiam in
„ Sacramento Pœnitentiæ obtinendam requi-
„ ritur, & sufficit amor ergo Deum, qui di-
„ citur concupiscentiæ, qui scilicet homo
„ Deum, ut bonum ipsius, amat — Refert Didacus de Orupega *c.* 2. de attritione. Cardinalis de Richelius Tract. *de perfect. Christ.* in Latinum ex Gallico *cap.* 10. habet —
„ Contritio perfecta habet Deum pro uni-
„ co, seu ad minus pro principali objecto:
„ talis dolor non est absolutè necessarius ad
„ obtinendam remissionem peccatorum cum
„ Sacramento Pœnitentiæ, quia ex seipsa
„ contritio peccata remittit &c. Tertia est
„ attritio, quæ est media inter perfectissi-
„ mam, & invalidam, est illa, quæ est
„ necessaria, & sufficiens ad obtinendam
„ remissionem peccatorum in Sacramento
„ Pœnitentiæ. Iste dolor communiter con-
„ cipitur ex apprehensione gehennæ, pri-
„ vationis cœlestis Paradisi, & turpitudinis
„ peccati —

Cardinalis Laurentius Brancatus de Laurea *tom.* 2. *in* 4. *sentent. disput.* 9. *art.* 3. fusè ex professo inquirit differentiam inter contritionem, & attritionem: Rejectis variis dicendi modis apud Auctores recitatis resolutoriè §. 10. ait — Attritio differt a
„ contritione, quia attritio est, vel ex mo-
„ tivo turpitudinis peccati, vel ex timore
„ pœnarum: contritio verò ex alio motivo
„ nobiliori, quia scilicet est de peccato,
„ prout est Dei offensa: Probatur: Talis
„ differentia assignatur ab Ecclesia magistra
„ veritatis — Adducitque Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4. stabilità essentià attritionis pluries docet hanc esse sufficientem pro consequenda justificatione in Sacramento. Omissis locis, quibus dicit esse de Fide adduco unum, vel alterum ex aliis.

Disp. 7. *art.* 9. *num.* 183. habet — Ex
„ praxi pœnitentium, qui in statu salutis,
„ & perfectionis sunt, vel credunt se esse,
„ eam per actum aliquem contritionis per-
„ fectæ, vel attritionis accedunt ad Sacra-
„ mentum Pœnitentiæ, & experiuntur &c. — *Disp.* 8. *art.* 2. *num.* 12. habet — Hæc au-
„ tem detestatio contritio dicitur, aliquando
„ tamen est perfecta, aliquando imperfecta:
„ ut

„ at semper est actus sufficiens ex parte sua „ ad Sacramentum Pœnitentiæ — *Disp.* 12. *art.* 9. *n.* 207. habet — Ex defectu saltem „ attritionis confessio est, nulla ad salutem: ergo. Ant. prob. Hoc est unum „ ex requisitis ad Confessionem validam „ &c. — Repetit *n.* 208

163 PROB. IV. Ad confirmationem Disciplinæ, & Doctrinæ Ecclesiarum pertinet sensus celebriorum cœtuum. Sed nisi approbant sufficientiam simplicis attritionis; ergo ad praxim Ecclesiarum spectat. Ostenditur assumptum. Didacus de Oropega *cap.* 2. de attritione refert Generalem Inquisitionem Hispanicam sub excommunicatione prohibuisse sequentem propositionem complexam — Potest statui duplex genus attri„ tionis, unum, quo peccatum displicet „ super omne odibile quidem, & propter „ Deum summè dilectum, sed cum remis„ so, ac debili voluntatis conatu, & hujus „ generis attritio propriè dicta, contritio „ censeri potest, & imperfecta sufficiens ad „ hominem Deo reconciliandum accedente „ Sacramento. Alterum genus est, quo pec„ cator, etsi peccatum detestetur non ta„ men propter Deum, sed tantùm propter „ pœnas, aut propter Deum quidem, sed „ non summè dilectum, cujusmodi attritio„ nem supra notavimus, non esse sufficien„ tem ad hominem reconciliandum, ne qui„ dem accedente Sacramento — Riccardus Arsdekin. *tom.* 2. *part.* 2. *tract.* 2. *cap.* 3. *quæst.* 21. refert hanc aliam ab eodem Tribunali damnatam — Confessio ex solo pœna„ rum metu facta, & non etiam ex amore „ Dei, nulla est, adeoque iteranda — Magni porrò ponderis est pro Ecclesiis Hispanicis resolutio Generalis Inquisitionis.

Facultas Parisiensis damnans propositionem Claudii Seguenot firmat nostrã sententiam.

Facultas Parisiensis, seu Sorbonica sub anno 1638. die prima Junii, & die prima Julii adversus Claudium Seguenot, damnavit sequentem Propositionem complexam — „ Quæ tradit de insufficientia attritionis, „ & contritionis ex perfecta charitate ab„ soluta necessitate ad recipiendum Sacra„ mentum Pœnitentiæ, & quæ addit, & „ approbat de absolutione, quod nihil „ aliud sit, quam declaratio juridica pec„ cati jam remissi; damnavit quoque facul„ tas, & censuit has Propositiones esse quie„ tis animarum perturbativas, communi, „ & omni totæ praxi Ecclesiæ contrarias, „ efficaciæ Sacramenti Pœnitentiæ immuni„ tivas, & insuper temerarias, & erro„ neas — Notandum in hoc Decreto; primum, quod in plurali absque distinctione, dicit *Has Propositiones*, quæ sunt, insufficientia attritionis, absoluta necessitas contritionis, absolutio declarativa remissi peccati. Secundùm quod asserit esse contrarias omni totæ praxi Ecclesiæ; adeoque firmat attritionem esse tutam in praxi practica.

Nec possunt aufugere vim istius gravissimæ auctoritatis Adversarii dicentes, quod nomine attritionis intelligat Decretum eam, quæ mixtam habet dilectionem Dei super omnia, sed remissam; tum quia debuisset Decretum indicare differentiam unius attritionis ab altera ad tollendam æquivocationem; tum quia de ea attritione loquitur, quæ est in controversia, an sufficiat, nunquam autem fuit de illa, quæ mixtam habet motivum amoris benevoli; tum quia loquitur de ea, quæ est secundùm omnem, & communem totam Ecclesiæ praxim: est autem evidens, quod communis, & omnis praxis Ecclesiæ non est de attritione dilectiva, cum altera sententia tunc temporis esset communis, ut etiam declarat Alexander VII., tum quia plerique Sorbonici Doctores tenuerunt simplicem attritionem sufficere, inter quos Abelii, & Nicolaus Ysambertus; tum quia sic fuit intellectum ab omnibus nostræ sententiæ Doctoribus, a quibus citatur etiam a Gallicanis, inter quos Genettus; Decisiones autem Sorbonicæ multi valent apud Ecclesias Gallicanas.

Petrus Arcudius in Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis sufficientiam simplicis attritionis promovet. *Cap.* 2. *lib* 4. qui est de pœnitentia habet — Porrò circa „ materiam hujus Sacramenti nulla prorsus „ est difficultas. Confitentur enim pœniten„ tes singillatim sua peccata, a quibus re„ quiritur contritio, seu saltem attritio, & „ rigida quodammodo satisfactio — Loquitur de Græcis *cap* 3. refellens sententiam dicentium formam hujus Sacramenti esse declaratoriam, ait — Sed hæc sententia nullo pacto „ consistere potest. Primò, quia quid dicemus „ de Pœnitente attrito, sed non contrito? „ is enim antequam accedat ad Sacerdotem, „ non est solutus, & a Sacerdote non ab„ solvitur, ut isti ajunt, ergo nullo pacto „ absolvitur. *Iterùm infra*. Quippe contri„ to, atque a Deo absoluto nihil conferret; „ attritum verò nihil juvaret —

Auctoritas porrò Arcudii est magni ponderis pro confirmatione Disciplinæ Ecclesiarum: Primò, quia refert usum Ecclesiæ Græcæ: secundò, quia ex speciali commissione Pauli V. fuit liber pluribus Doctoribus revidendus commissus. Et iterùm a Clemente VIII., & Urbano VIII. novis revisionibus datus, ut certior foret Sancta Sedes de sanitate doctrinæ, quia liber Missionariis de Propaganda, & Alumnis Orientalibus pro instructione illarum Ecclesiarum commendandus erat.

..Ecclesiarum pars non ignobilis sunt Ordines Regulares: sed nonnulli Ordines hanc doctrinam nostram tradunt; ergo ad Disciplinam Ecclesiarum spectat simplicis attritionis sufficientia. Studens brevitati unicum profero exemplum. Tyrsus Gonzales de Santalla Societatis Jesu Generalis Præpositus tom. 3. *Selectarum Disputationum disput.* 42. *sect.* 3. *n.* 19. habet — Concilium „ nomine contritionis non intelligere con„ tritionem illam perfectam, quæ dolet de „ peccatis propter Deum summè dilectum, „ & essentialiter distinguitur ab attritione „ penes motivum: sed intelligere contri„ tionem quamdam communem contritioni, „ & attritioni, quæ intra Sacramentum „ sufficit ad causandam gratiam, ad illam„ que sufficienter disponit —

Scriptores Societatis simplici favent attritioni.

Cathalogum profusum particularium Scriptorum ex Societate producere facilè possemus, ex quo videri posset hunc esse quasi spiritum illius, sed citati Viri sufficit auctoritas;

rtiae; tum quia caput est piissimum totius Congregationis amplissimae; tum quia vir ille non amat probabilistarum viam, ut constat ex erudito Opusculo de probabilismo, quo intendit vindicare Societatem ab accusationibus laxitatum, quae illi objiciuntur a nonnullis.

Ex aliis Doctissimis, & Sanctissimis Ordinibus adduci possent praeclarae auctoritates plurimae, & praecipuè ex familia Sancti Dominici, cujus laus est solidas propugnare sententias; sed quia nota sunt Adversariis eas omitto, & unius tantùm testimonium deligo, quia est viri super candelabrum positi, videlicet, Vincentii Candidi Sacri Palatii Magistri. Hic in summula disquisitionum Moralium *disquisit.* 31. de dolore requisito in Sacramento reconciliationis *art.* 3. sic discurrit -- An ad recipiendum „ Sacramentum Poenitentiae, & ejus effectum „ consequendum sufficiat attritio? Respondeo „ sic: quia licèt ex se sola non sufficiat, sufficit „ cum Sacramento -- Ita Concil. Tridentinum *Sess.* 14. *cap.* 4., & D. Thomas 3. *p. in Additionibus q.* 2 *art.* 1., *&* 3. *parte q.* 80. *art.* 4. *ad* 2., *& in* 4. *dist.* 27. *qu.* 3. *art.* 1. *quaest.* 1.

Ecclesiarum Portio insignis sunt Parochiae, quarum Praesides sunt Pastores secundi ordinis; habemus autem plurimos Parochiarum Praesides, qui hanc nostram Doctrinam docent, & ad praxim deducunt. Unum praecisè subdo; tum quia res est nota; tum quia mens nostra solùm est indicare primas quasdam radices, unde desumitur notitia, quod sufficientia simplicis attritionis intra Disciplinam Ecclesiarum continetur. Hic est Joannes Henricus Manigart Leodius Sancti Remigii Pastor Leodii, & Examinator Synodalis, licentiatus in Sacra Theologia Lovanii. Hic in praxi Pastorali *parte* 1. *cap.* 5. *de Sacramento Poenitentiae*, habet -- Attritus in Sacramento semper fit „ contritus, quia infunditur gratia sanctifi„ cans, & habitus charitatis, & sic aequi„ valenter quasi, & quoad ultimum contri„ tionis effectum fit contritus, quia remis„ sionem peccati, & justitiam consequitur --

Ne desit suffragium Accademiae Lovaniensis concludamus cum auctoritate Ruardi Tappeti, quae tantò dignior est, quantò ea professò insurrexit adversus Lutherum. *Art.* 4 *qui est de contritione columnâ quartâ circa medium*, ubi rejectis duabus speciebus attritionis utpote insufficientibus, habet -- Attritio „ verò ex timore poenarum supernaturalium „ idonea est dispositio ad Sacramentorum „ Baptismi, & Poenitentiae gratiam percipien„ dam: ut cum quis detestatur peccata mor„ talia, & propterea confitetur, ne per pec„ catum excludatur a gratia, vel ne in „ supplicium ignis sempiterni conjiciatur -- Utiturque D. Thomae auctoritate pro suo dicto confirmando.

164 PROB. V. Nemo dubitat ad Disciplinam Ecclesiarum spectare instructiones catechisticas, quae dantur Fidelibus, ut instruantur de Mysteriis Fidei: sed istae docent sufficientiam simplicis attritionis pro reconciliatione habenda in Sacramento; ergo. Assumptum probari posset pluribus; sufficiant sequentia.

Primò occurrit instructio pro ordinandis formata ex Doctrina Concilii Tridentini, Ritualium, & Pontificalium Romanorum, & ex Decretis Sancti Caroli Borromaei in lucem edita per Franciscum Mariam Campionum Examinatorem Apost. Cleri in Urbe. In hac instructione *pag.* 124. *n.* 27. quaerit Discipulus -- Quotuplex sit dolor pro„ prius pro recipiendo cum fructu Sacramen„ tum Poenitentiae? -- Resp. Magister -- Esse „ duplicis generis: Contritionem, & at„ tritionem &c. -- & explicatâ naturâ contritionis, explicat naturam attritionis -- „ Secundus est dolor imperfectus, quo ho„ mo dolet super omnia Deum offendisse, „ propter metum ne nos puniat poenis aeter„ nis inferni, ob metum amittendi gloriam „ aeternam, quam Fidei lumine agnosci„ mus --

Num. deinde 31. interrogat Discipulus -- Quinam ex recitatis doloribus sufficit „ ad recipiendum cum fructu Sacramentum „ Poenitentiae? -- Respondet Magister -- „ Uterque sufficit -- *Pag.* 415. *n.* 18. satisfaciens interroganti Discipulo, an sufficiat in moribundo dolor offendisse Deum propter timorem imminentis mortis, inter alia habet -- Fides tamen docet peccatum puniri a „ Deo morte aeterna, & amissione Paradisi, „ & dolere de peccato ob hujusmodi timo„ rem actus est fide regulatus: & cum hoc „ sufficit pro confessione, sed non illa dam„ ni temporalis -- Interrogationes istae, & responsiones conceptae sunt Idiomate Italico. Reperit *pag.* 483.

Secundò Catechismus pro Abbatia Sublacensi editus per ejus Vicarium Generalem Petrum Antonium Preti sub anno 1667., quo brevibus verbis Italicis instruitur adolescens de iis, quae debet credere, sperare, & operari Christianus secundùm directionem Catechismi Romani, explicans Sacramentum Poenitentiae, & attritionem, habet -- „ Pastor. *Si unus haberet hunc dolorem ob me„ tum Inferni?* Adolescens. *Non esset contritio, „ sed attritio.* Pastor. *Quem effectum facit at„ tritio?* Adolescens. *Simul cum Sacramento „ Poenitentiae remittit peccata.*

Tertiò Catechismus Joannis a S. Thoma Ordinis Praedicatorum Idiomate Hispanico, adeoque pro Pueris Ecclesiarum Hispanicarum habet ad rem nostram. Discipul. -- „ Sufficit pro remissione peccati quaecumque „ detestatio? -- Magist. -- Vera contritio „ (quae non est absque charitate) etiam „ ante sumptionem Sacramenti est se solâ „ sufficiens ad remissionem peccatorum cum „ desiderio tamen, & onere illa confiten„ di: sed attritio non sufficit absque Sacra„ mento --

Quartò Catechismus, cui titulus, Praxis Catechistica, a Jacobo Marchant in communem Fidelium utilitatem deprompta sub anno 1667. Venetiis, *lect.* 3., *&* 4. de Poenitentiae Sacramento agens, habet -- 1. Quid „ si quis doleat propter poenas inferni, quas „ timet? *Resp.* Tunc est solùm attritio -- „ 2. Poterit ne talis justificari? *Resp.* Pote„ rit cum Sacramento absolutionis si verè „ proponat emendationem -- Possent aliae similes produci instructiones, quae distribuuntur

buuntur in Urbibus, & Oppidis, secundùm quas Parochi erudiunt oves sibi subditas, & secundùm eos Episcopi in Visitationibus solent examinare Parochianos, ut dignoscant, an Pastores munere suo fungantur; sed producta satis sufficiunt.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA ADVERSARIORUM.

Propositiones a Clero Gallicano proscriptæ.

165 OBJIC. I. Conventus Cleri Gallicani in Palatio Regio S. Germani anno 1700. celebratus in materia Fidei, & morum plures damnavit Propositiones, inter quas duas sequentes proscripsit sub titulo 29. num. 86., & 87. contentas.

PRIMA.

„ Attritio ex gehennæ metu sufficit „ etiam sine ulla dilectione Dei, sine „ ullo ad Deum offensum respectu, quia ta„ lis honesta, & supernaturalis est —

CENSURA.

„ HÆc Propositio, qua a dispositionibus „ necessariis ad absolutionem excludi„ tur quilibet ad Deum offensum respe„ ctus temeraria est, scandalosa, pernicio„ sa, & in hæresim inducit —

SECUNDA.

„ COncilium Tridentinum adeo expres„ sè definivit attritionem, quæ non „ vivificet animam, quæque supponatur sine „ amore Dei esse, sufficere ad absolutionem, „ ut anathema pronunciet adversus negan„ tes —

CENSURA.

„ HÆc Propositio falsa est, temeraria, „ Concilio Tridentino contraria, & „ in errorem inducit — In declarationibus etiam post absolutas censuras necessitatem dilectionis in Sacramento præscribit: sed Clerus Gallicanus est illustris Portio Ecclesiarum Catholicarum; ergo sufficientia simplicis attritionis non pertinet ad disciplinam particularium Ecclesiarum.

Clerus Gallicanus non est Judex definitivus.

Clerus Gallicanus Venerabilis est, non negamus; sed Judicem definitivum non agnoscimus, nec ipse se esse agnoscit, qui Romano Pontifici subditur. Non credimus eo processerit, ut voluerit contraire Decreto Alexandri VII., & Successorum Pontificum, qui præscribunt, ut nullus audeat nota alicujus censuræ afficere opiniones inter Catholicos controversas. Notavimus sub titulo primo damnare quatuor Propositiones spectantes ad Jansenianas controversias, & in earum censura dicere causam Jansenii esse finitam, propter Bullas Innocentii X., Alexandri VII., Innocentii XII.: ex quo apparet ipsum Clerum salvas velle Romanorum Pontificum Constitutiones; adeoque nam etiam Alexandri VII. vetantis carpere sententiam simplicis attritionis. Quare credendum est Illustrissimum Clerum Gallicanum in alio sensu suas censuras, & declarationes protulisse ab eo, in quo controversia inter Scholasticos versatur.

166 Meam hanc interpretationem non infirmat advertentia cujusdam Junioris, nempe Clerum Gallicanum in ea censura quatuor Propositionum in causa Janseniana dicere quidem causam esse finitam Apostolicis Constitutionibus, sed addit — Etiam accedente „ Ecclesiarum consensione &c. — Insuper — „ Brevia æquissima, & ab omnibus appro„ bata — Quibus exprimit firmitatem Pontificiorum Decretorum pendere a consensu, & acceptatione Ecclesiæ: cumque ex hoc modo, quo Illustrissimus Clerus notat Doctrinam de simplici attritione, videatur non acceptasse Constitutionem Alexandri VII. prohibentis alterutram damnare sententiam, nostra hæc voluntaria est interpretatio, atque ad declinandam argumenti vim adinventa.

Haud credo nostram interpretationem voluntariam esse, quod his momentis evincitur. Præter dicta in censura citata Illustrissimus Clerus in præambulo illius Constitutionis, & in conclusione commendat Decretum Alexandri VII. prohibentis quadraginta quinque Propositiones in materia morum; quare ergo credere non debemus, eum suscipere etiam Alexandrinum Decretum, in quo de attritione agit? Præterea cum Clemens XI. damnavisset celebrem illum casum de scrupulis cujusdam Confessarii a quibusdam Sorbonicis subscriptum, Archiepiscopus Parisiensis Cardinalis de Noailles condemnationem Pontificiam promulgavit, sua etiam addita prohibitione: in eo autem casu numero 4. unus ex scrupulis est, quia credit Auctor illius necessariam esse dilectionem in Sacramento innixus huic Constitutioni Gallicani Cleri, & damnationi factæ per Archiepiscopum de Rouen, qui tamquam errorem oppositum Scripturæ, & Ecclesiæ Doctrinæ opinionem eorum, qui prætendunt, quod homo, qui cecidit in peccatum possit justificari in Sacramento Pœnitentiæ sine ullo amore Dei, reprobavit in Epistola sua Pastorali 1698. Si huic Pontificiæ damnationi subscribunt, non est ullo modo credibile, quod Illustrissimus Clerus notare voluerit attritionem in ea significatione, qua accipitur in Decreto Alexandrino vetante alterutrius censuram.

Quomodo subditorum consensus robur addat legibus Pastorum.

167 Nec debet movere, quod addiderit *etiam accedente Ecclesiarum consensione*: quia illa consensio non est collativa firmitatis; sed est Decreti Pontificis executiva. Dupliciter intelligitur consensum subditorum, & ovium accedere legibus Pastorum, & illis robur tribuere. Primò, ut lex absque consensu populi non subsistat, nec vim habeat obligativam; ut pariter Decretum definitivum Sedis Apostolicæ non gaudeat infallibilitate, nisi accedat consensus Ecclesiarum. Secundò, ut consensus, & acceptatio legis a subditis nihil aliud sit, quam receptio obedientialis ipsius legis, ejusdemque executio, qua usu, & practicè dicitur legem firmari. Hoc secundo modo intelligendus est Cle-

rus

rus Gallicanus in verbis præciteris, ne sibi contrarios, & inconstens declaretur:

Moveor I. quia Illustrissimus Clerus illum modum consensionis intelligit, qui antiquus est in Ecclesia a primordiis; acceptatio autem Decretorum Sedis Apostolicæ in antiqua consuetudine, & Conciliis Provincialibus, nil aliud erat, quàm obedientia præstita, & suscepta, non autem collatio aliqua firmitatis in actu primo facta ipsi Constitutioni Apostolicæ, ut apertum faciunt locutiones, quæ in Conciliaribus Constitutionibus leguntur.

Moveor II. Quia Clerus in hoc Conventu, de quo loquitur objectio, suscepit damnationem, & prohibitionem Propositionum Alexandri VII., inter quas 28. habet — „ Populus non peccat, etiamsi absque ulla „ causa non recipiat legem a Principe pro„ mulgatam — Igitur tenet legem Supremi Principis obligare independenter ab acceptatione subditorum.

Clerus Gallicanus revocat quidquid an. 1682. statuit minus Apostolicæ Sedi favens.

Moveor III. Quia Clerus Gallicanus revocavit quidquid in Comitiis anno 1682. statuerat minùs favens Sedi Apostolicæ, sicut constet ex Epistola data ad Innocentium XII. per illa verba — ideirco ad pe„ des Beatitudinis Vestræ provoluti profite„ mur, & declaramus nos vehementer qui„ dem, & supra omne id, quod dici potest „ ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis „ prædictis, quæ Sanctitati Vestræ, ejusque „ Prædecessoribus summopere displicuerunt: „ ac proinde quidquid in eisdem Comitiis „ circa Ecclesiasticam potestatem, ac Pon„ tificiam auctoritatem Decretum censeri „ potuit, pro non Decreto habemus, & ha„ bendum esse declaramus. Præterea pro non „ deliberato habemur illud, quod in præjudi„ cium jurium Ecclesiarum deliberatum cen„ seri potuit — Plura alia ibi habentur, quibus summam Sedi Apostolicæ obedientiam præstare fatetur. Hæc autem conciliari non possunt, nisi pro consensione Ecclesiarum intelligat Clerus simplicem executionem obedientialem. Quare interpretatio non est arbitraria ad declinandum argumentum: sed sufficienter munita solutio; quod ulteriùs ostendo sub oculis exhibendo censuras illis Propositionibus datas.

168 Censura primæ Propositioni data hæc est — Hæc Propositio quæ a dispositionibus „ necessariis ad absolutionem excluditur qui„ libet ad Deum offensum respectus, teme„ raria est, scandalosa, perniciosa, & in „ hæresim inducit — Notetur illa clausula, *Qua omnis respectus ad Deum offensum excluditur*. Non comprehendit primam partem Propositionis, quæ est *etiam sine ullo Dei dilectione*; quia hanc notare non intendit; ac proinde illam non reassumpsit, & ut eam separaret, prædicta usus est cautione, quæ prudens est, siquidem in dolore reconciliativo amicitiæ Dei, Divina offensa per modum objecti destruendi inspici debet, ut sæpè diximus; non enim peccatum Philosophicum apud Catholicos committitur, sed Theologicum; lex Dei frangitur, & fractione Deus offenditur; hinc qui legitimè pœnitet, de eo dolet secundùm quod offensa Dei est; & offensa Dei est objectum detestatum, cum hoc discrimine, quòd per contritionem illam detestatur sub motivo charitatis, quia est malum Dei; per attritionem verò illam detestatur ex motivo amoris spei, quia trahit ad gehennam; quia Divina offensa punitur suppliciis æternis. Censura secundæ Propositioni data, appellat, ut evidens est, super illud, quod Concilium sub anathemate definierit sufficientiam simplicis attritionis: quod revera falsum est; nusquam enim hoc definivit Concilium, sicut persæpe diximus.

Nunc inspiciamus, quæ Clerus tradit in declaratione de dilectione Dei in Pœnitentiæ Sacramento requisita. Quatuor in ea declaratione continentur advertentiæ docendæ, & duas primas ex Sancta Synodo Tridentina esse dicit. Prima est, non requiri contritionem charitate perfectam, quæ justificat in voto Sacramenti, & hæc non est contra nostram sententiam.

Secunda est — Ne quis putet in utroq. „ Sacramento securum se esse, si præter Fi„ dei, & Spei actus non incipiant diligere „ Deum tanquam omnis justitiæ fontem *Sess. 6. cap. 6.* Hæc videtur esse contra simplicem attritionem, sed nullo modo est; quia non explicat, quid sit illud *Incipiunt diligere*, sed assumit pura verba Concilii, quibus ab Interpretibus multiplices dantur interpretationes. Ipsemet Clerus videtur præcisivè loqui ex industria; quia cum expressam mentionem fecerit actus Fidei, & Spei, non meminit actus dilectionis, sed subdit verba Concilii *non incipiant diligere*; & tamen erat facillimum dicere præter actus Fidei, & Spei, etiam actum dilectionis Dei super omnia in gradu remisso. Noluit ergo declarare qualitatem illius verbi *Incipiunt diligere*; adeoque possumus illud intelligere, sicut explicuimus Concilium suo loco. Duas ultimas posteriores advertentias non meminit verbis expressis esse a Concilio.

Tertia ergo in ordine est, quòd non potest adimpleri satis propositum servandi mandata divina, & inchoandi novam vitam — „ Si pœnitens primi, ac maximi mandati, „ quo Deus toto corde diligitur, nullam „ curam gerat; nec sit saltem animo ita „ præparato, ut ad illud exequendum Di„ vinâ opitulante gratiâ sese excitet, & pro„ vocet — Sed nec hic quidquam asserit Clerus adversùs simplicem attritionem: quia attritus pœnitens curam habet primi, & maximi mandati; siquidem vult illud observare, quando occurret ejus obligatio, quæ est præcepti affirmativi; vultque tunc auxilio Dei se adjuvare, ut illud adimpleat. Hoc habet in animo, & ad hoc est dispositus; sed hæc dispositio, hic animus non est actus dilectionis Dei formalis, sed est voluntas suo tempore diligendi concepta ex metu gehennæ, quam evitare nequit, nisi paratus sit adimplere quodlibet mandatum Dei in circumstantiis, in quibus obligat.

Quarta advertentia est, ut Ministri in administrandis Sacramentis non sequantur opinionem probabilem de valore Sacramenti relictâ tutiori, & moneant incessanter Fideles — ut in pœnitendo inchoata saltem dile„ ctionis Dei ineant viam, quæ sola secura „ sit, graviter peccaturi in hoc salutis di„ scri-

„ scrimine, vel eo solo, quod certis incerta „ præponour — Sed quandiu non explicatur, quid sit inchoatæ dilectionis Dei via, nihil efficitur, & io tuto relinquitur sufficientia simplicis attritionis; via siquidem inchoatæ dilectionis multifariè dicitur, & simplex attritio absque inclusione formalis actus amoris Dei benevoli est vie inchoatæ dilectionis Dei ex variis capitibus, quæ suo loco recitate sunt.

Episcopus Meldensis nomine inchoatæ dilectionis intelligit amorem spei.

Illustrissimum Clerum nomine inchoatæ dilectionis intelligere determinatè amorem spei suadet auctoritas Illustrissimi, & Doctissimi celeberrimi Meldensis Episcopi eo tempore io Aula Regie florentis. Hic seriò interrogatus quid nomine inchoatæ dilectionis veniret, apertè respondit, amorem spei. Testem personalem produco R. P. N. Franciscum Mariam Præpositum Generalem in Regia Curia notissimum, qui mihi expostulanti, & cupienti penetrare mentem Gallicanorum coram studiosis id retulit, ut rem omnino certam. Non est autem verosimile, quòd tantus Præsul nesciverit suorum Compræsulum sensum, aut contradicere voluerit. Quod si monita hujuscemodi declarationis sunt consilii, ea ultrò adoptamus: Nam sæpè indicavimus adhortandos esse Fideles non solùm ad initialem dilectionem benevolam Dei, sed ad perfectam; distinguenda tamen sunt præcepta a consiliis cum Paulo Apostolo 1. Corinth. 7. qui subdit, *ne vobis laqueum injiciam*.

269 OB. II. Non potest pertinere ad disciplinam Ecclesiarum Doctrina, cui opponitur Cœtus Episcoporum: sed sufficientiæ simplicis attritionis refractantur Episcopi, comprehensis Cardinalibus, triginta sex, seu miam 778., quorum nomina Theologia Sanctorum pag. 422., & 423. cap. 61. recitat, non adducendo tamen, nec verba, nec loca, in quibus id docent, quos & sanctimoniæ, & doctrinæ laude celebres commendat; ergo.

Multiplicasti gentem, sed non magnificasti lætitiam. Acies hæc tam concionè ordinata nequaquam terribilis est; si loca producerentur universorum, facili negotio satis inermis appareret. Plerique nomen darent militiæ nostræ. Agnosce ex ungue Leonem.

D. Carolus Borromæus simplici attritioni subscribit.

Primum locum concedit Sanctissimo Cardinali Borromæo, quem nostrum esse vidimus, & pro nobis stare confirmat auctoritas, quam pro se affert illa Theologia 38. cap. 58. pag 399. ex instructione de Sacramento Pœnitentiæ, ubi — Antequam Confessarius absolutionem tribuat pœnitenti, videbit „ an propter Deum veram peccatorum suorum contritionem habeat. Quòd si talem „ contritionem illum non habere intellexit, „ illius desiderio accendere conabitur, hoc „ admonens propter Deum ipsum, usque „ adeo quantùm potest, eum peccata dolere „ oportere, ut saltem adjutrice Divina gratia, quam a Deo intimè precetur, ex Sacramentique virtute, ex attrito contritus „ fiat — Videas qualis sit mens Sancti Antistitis. Supponit pro certo attritionem sufficere, ad quam saltem, ut possit pervenire pœnitens, monet Confessarios, ut constanter promoveant illum ad actum perfectiorem,

propter regulam illam mysticorum, quòd oportet scopum inspicere altiorem, ut pertingere valeamus ad necessariam lineam.

A

Producit Cardinalem Bellarminum, qui luce clariùs stat pro nobis: Citat Cardinalem Toletum, & Richelium, quos nostros vidimus. Ejusdem labii alios fore, si eorum sensa perpenderentur, compertum quisque habere posset; nam plerique illorum attritionem simplicem dicunt pœnitentiam imperfectam præparaotem ad gratiam in Sacramento alludendo ad locutionem Tridentinam, quæ, cum intelliget de præparatione proxima, jam in re, & virtualiter nobis consentiunt.

B

Sit exemplum in Francisco Sonnio primùm Sylvaducensi, postea Antuerpiensi Episcopo, a Philippo Secundo ad Concilium Tridentinum misso, quem Theologia illa citat in alio numero, cujus verba Merbesius producit ex Tract. 4. de Pœnitentia 1576. edito, & sunt — Conteritur autem, attri„ turve, quando peccator incipit sibi ex „ corde displicere super turpitudine, & pra„ vitate commissorum, atque seriò odisse „ malè actam vitam suam commemorando „ secum, quòd fontem bonitatis perdiderit, „ quòd mortem invenerit, quòd funibus il„ laqueatus extiterit; quæ sanè, si faciat prorsùs „ ex amore ad Deum bonum cum fiducia

C

„ inveniendæ reconciliationis per Christum, „ est contritio: sin autem remissè, vel solo „ metu pœnæ evadendæ est attritio non effi„ ciens veram pœnitentiam, et tamen ad il„ lam præparans — Utique loquitur de præparatione proxima in Sacramento; & clarè evincitur. Dividit Præsul iste attritionem in eam, quæ est ex remisso amore ad bonum Deum. — Sin autem remissè. Et in „ eam, quæ est ex solo timore. Vel solo „ metu pœnæ evadendæ — & de utraque dicit, quòd est præparans: sed quæ est ex amore Dei remisso præparat proximè in Sacramento; ergo etiam illa, quæ est ex solo metu. Est evidens discursus ad hominem.

D

Similes locutiones habent alii, qui in abstracto dicunt de attritione ex metu præparare ad gratiam, hoc autem dicunt propter Concilium, quod cum loquatur de proxima, huic & ipsi virtualiter consentiunt:

Plerique Adversantibus non suffragantur ex quo volentes ad reconciliationem Dei dilectionem benevolam non loquuntur determinatè in Sacramento; vel loquuntur de dilectione habituali, sine qua non completur justificatio. Do exemplum in Sancto Francisco Salesio, cujus verba alibi citat illa Theologia, & Merbesius ex *lib. 2. de Divino*

E

Amore cap. 19. — Ubi pœnitentia, quæ Divinum amorem non objicit, tametsi eum „ nondum complectatur, bona est, optabi„ lisque, sed manca, & imperfecta, nec ad „ salutem provehere potest, donec ad amo„ rem pertingerit, eique permista fuerit, „ ita ut quemadmodum Apostolus ait, quòd „ si traderet corpus suum, & distribue„ ret in cibos pauperum omnes facultates „ suas, & charitatem non haberet ista sibi „ nihil prodessent. Ita verè affirmare possu„ mus pœnitentiam, tametsi præ dolore „ oculos liquefaceret, & in lacrymas resol-

Nnn veret,

„ veret, cordaque nostra præ mœrore dif- „ funderet, si absque Dei amore id equi- „ dem fierat, nihil ad salutem sempiternam „ conferendam proficere — Ecce apertè loquitur Sanctus Præsul de pœnitentia sa sola accepta, non de pœnitentia ut in Sacramento; & omnes concedimus, quòd ad salutem non conducit pœnitentia, quæ non pertingit ad charitatem actualem, vel habitualem, de qua loquitur Apostolus; ad hanc autem pertingit etiam medio Sacramento attritio.

Plerique tandem accipiunt timorem pœnarum serviliter, non autem in recto sensu, & ab Ecclesia definito; & infra dabimus solemne exemplum. Jam ergo Patroni minuuntur Adversariis, qui nobis accedunt, & potiori titulo post Propositiones a Sede Apostolica damnatas per Alexandrum VIII. Denique Illustrissimus ille Chorus nobis non officit; componitur ex Episcopis Romano Pontifici obsequentibus, adeoque admittentibus Alexandri VII. Constitutionem, quæ nostram sententiam qualificat communiorem, & æquat cum altera, quoad immunitatem a censura, sententia proinde esse tutam, & quidem practicè.

170 OB. III. Publicatam Academiarum Doctrina ad Ecclesiarum particularium disciplinam revocatur: sed istæ sentiunt simplicem attritionem non sufficere; ergo non est dicenda Doctrina Ecclesiarum particularium. Assumptum probant auctoritate Lovaniensium, qui annuendo votis Pastorum Gandavensium, qui anno 1662. occasione cujusdam libri annulnantis novam instructionem pro recipiendo Sacramento Pœnitentiæ, & Eucharistia postulavere a Doctoribus de facultate judicium circa articulum, in quo asserebatur *attritionem*, quæ ex solo gehennæ, & pœnarum a Deo infligendarum metu concipitur, sine interventu alicujus saltem imperfecti amoris benevolentiæ erga Deum, non sufficere ad justificationis gratiam in Sacramento impetrandam, pleno consensu approbaverunt ejusdam insufficientiam.

Lovaniensis Facultatis Decretum doctrinæ nostræ non adversatur.

In illo Decreto Lovaniensis Facultatis non video præjudicium fieri nostræ doctrinæ, quod ut appareat, illud refero. — Die ultima Maji 1662. in Curia Academica sub „ juramento convocata, & congregata fa- „ cultas Theologica Lovaniensis a RR. DD. „ Pastoribus Civitatis Gandavensis per literas „ hisce junctas, requisita referre judicium „ suum super hoc articulo, attritionem, quæ „ ex solo gehennæ &c., & simul super hoc „ scripto eidem Epistolæ per eosdem adjuncto, „ per quod doctrina ista probatur: unanimi „ consensu censuit doctrinam dicti articuli „ esse sanam, securam, veram, nulli reprehen- „ sioni obnoxiam, & meritò fidelibus esse „ prædicandam, & inculcandam, & insu- „ per fundamenta, quibus doctrina ista per „ idem scriptum confirmatur, solida esse — Cum hoc elogio stat sufficientia nihilominus simplicis attritionis, quia non tolluntur fundamenta intrinseca illius, sed solùm commendatur altera sententia, ut non reprobanda, & adjicitur pondus probabilitatis extrinsecæ; sed tanta non est, ut infirmet robur attritionis simplicis, & obliget Lovanienses ipsos ad eam sequendam, siquidem plures ex ipsis tenent oppositum, quorum aliquos recitat Joannes Baptista Vermas parte prima de Pœnitentia in Cathalogo alphabetico Auctorum, qui stant pro simplici attritione sub littera R.; unde quando dicit Facultas *Veram*, non intelligit veritatem intrinsecam, sed eam veritatem, quam parit extrinseca probabilitas, quæ in proprietate locutionis non est veritas. Roborabitur solutio ex sequentis argumenti solutione.

Plures ex Lovaniensibus simplici attritioni suffragantur.

171 OB. IV. Libri, qui ab Episcopis promulgantur pro instituendis moribus subditorum exprimunt mentem Ecclesiarum, quibus præsunt: sed ab Episcopis sunt promulgati libri insufficientiam simplicis attritionis statuentes; ergo hæc ad disciplinam Ecclesiarum non pertinet. Ostenditur assumptum. Illustrissimus Genettus Vasionensium Episcopus in sua Theologia Morali Gallicè edita *tom. 4. tract. 6. cap. 5.* negat sufficere in Sacramento attritionem ex pœnarum, & gehennæ metu, vel ex turpitudine peccati conceptam, & adductis Concilio Tridentino *Sess. 6. cap. 6.*, *cap. 4.* Epist. 1. *S. Joannis*; & cap. 13 1. *ad Corinth.* sequentem elicit conclusionem — Ex his evidenter patet pœni- „ tentiam non posse esse veram, nec pro- „ desse ad nostram coram Deo justificatio- „ nem, & quidem licèt impelleret, & mo- „ veret ad patiendum martyrium, si desti- „ tuta sit illo amore, & ea charitate, qua „ cor convertitur, & qua Deus plusquam „ creatura diligatur — Hæc porrò Theologia publicata fuit nomine, & auctoritate Emi Cardinalis Le Camus Gratianapolitani Episcopi, quam libram hac epigraphe munivit Cardinalis Capissuchus tunc Sacri Palatii Magister anno 1678. — Sanam, solidam, „ ac tutam doctrinam; quam proinde cal- „ lere debent, qui Christianam professione „ censentur continere —.

Incipiendo ab hoc ultimo. Hoc elogium non tollit, quo minùs plures sententiæ contentæ in illo libro adversæ sint praxi veraciter tutæ; & Eruditis notum est, quòd in Galliis aliquæ opiniones sunt in usu publico, & indubiè, quas ille liber rejicit; ita illud elogium non tollit securitatem saltem formalem simplicis attritionis. Accedendo ad illationem recitatam, quam facit Auctor ex productis Scripturis, intelligendus est de pœnitentia virtute justificante in solo voto Sacramenti; & si aliter velit, illa illatio ex illis Scripturis vera non est, quia illæ Scripturæ loquuntur de dilectione non initiali, & parè affectiva, sed de dilectione nata, & effectiva, & veraciter justificante extrasacramentaliter, sicut contextus manifestat.

Plures Genetti Propositiones praxi veraciter tutæ adversantur.

Veniamus ad rem nostram. Hoc, & præcedens argumentum laborat in falso supposito, ac proinde corruit utrumque. Sunt Auctores illorum in ea opinione, quòd timor servilis, vel non sit supernaturalis, vel non sit bonus ex officio, vel non sit efficax sine Dei amore: quæ omnia falsa sunt, & ad minùs post Decretum Alexandri VIII. damnantis triginta, & unam Propositiones non est ambigendi locus; nam attritio post hoc Decretum supernaturalis remanet ex declaratis, recta est & honesta, & efficax; absque

enim

enim efficacia est simplex velleitas . Quòd ita sit in Theologia Vasionensis constat ; nam in probatione dicit , ut attritio sit sufficiens , ac salutaris ad remissionem peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ recipiendam, oportet , ut sit supernaturalis ; quasi quod si amorem benevolum Dei non includat, non possit esse supernaturalis . Quòd in doctrina etiam Lovaniensium ita sit , res plana est ; sed duplicem afferre auctoritatem , prout apud Merbesium allatam contra nos .

Prima est Adriani VI. 4. *Sent.* q. 1. -- „ Pœnitentia vere est dolor voluntarius propter Dei offensam &c. Subditur in definitione propter Dei offensam , quia si „ quis de peccato doleat propter pœnam , „ aut consimilem causam non est vera pœnitentia , unde Gregorius tractans illud „ *Genes.* 3. de Adam quomodo se abscondit „ &c. cum ex peccato pœnæ metuitur , & „ Dei facies non amatur , timor ex tumore „ est , non ex humilitate ; superbit enim , „ qui peccatum, si , licèt impunè , non deserit . Unde apud damnatos est pœnitentia juxta illud Sapientiæ &c. dicent intra „ se pœnitentiam agentes , sed infructuosa, „ quia propter læsionem naturæ , vel punitionem , non autem , quia est offensa Divina Majestas , aut læsa justitia -- Vides, quod clarè tenet non esse rectum timorem servilem ; æquiparat namque illi , qui est in damnatis , qui inutiliter omnino timent, & naturali timore .

Secunda auctoritas est Joannis Hesselii Accademiæ Lovaniensis Theologi , quem multi faciunt Adversarii . Hic *tract. de Pœnit.* edito 1562. cap. 3. habet -- Sciendum „ est autem , quòd timor iste æterni supplicii etiam cum spe ipsum supplicium per „ Dei gratiam evadendi non est contritio , „ neque aliqua pars justitiæ : non est enim „ tristitia secundùm Deum , quia per illam „ non servit Deo, sed sibi, spectans tantùm „ evasionem pœnarum ; Ideoque non est rectus hoc modo ; est præterea hujusmodi „ timor frequenter in eis , quos Deus despicit, & derelinquit -- Ecce quàm apertè dicit hunc timorem non esse rectum. Ecce quàm directè consonat Propositioni decimæ damnatæ in Decreto Alexandri VIII. -- „ Intentio , qua quis detestatur malum , & „ prosequitur bonum , merè ut cœlestem „ obtineat gloriam, non est recta, nec Deo „ placens -- Cum ergo per damnationem hujus , & sequentium Propositionum ruat principium Lovaniensium , evacuata manet vis resolutionis factæ per Facultatem Lovaniensem , circa quam versabatur objectio antecedens .

172 OB. V. Catechismi , & Ritualia ad disciplinam Ecclesiarum pertinent : sed hæc sufficientiam simplicis attritionis pro Sacramento reprobant ; ergo Ecclesiarum doctrinâ non firmatur . Assumptum ostenditur primò ex Catechismo Romano , qui requirit dilectionem Dei in dispositione ad sacramentalem justificationem . Secundò ex Rituali Romano jussu Pauli V. edito, quod admonet Confessarium, ut audita Confessione conetur verbis efficacibus ad contritionem adducere pœnitentem ; quod præstare non jubetet, nisi necessaria esset ad Sacramentum Pœnitentiæ . Tertiò ex Rituali Rhemensi edito ab Illustrissimo Archiepiscopo Carolo Mauritio Le Fellier , & ex aliis plusibus Christiani orbis Provinciarum per Doctissimos , & pios Præsules promulgatis .

Fusiori stylo prosequuntur Adversarii hoc argumentum , quod tamen multimodis infirmatur . I. Catechismi non solùm necessaria docent , sed etiam supererogatoria , & consilii . II. Prudentissimè urgent perfectiora , ut saltem ad sufficientia perducant oves , quia humana infirmitas ad inferiora facillimè labitur . III. Non rarò accipiunt nomen contritionis abstractivè, & genericè, ac proinde prout comprehendit etiam attritionem simplicem , & hoc sensu loquitur Rituale Romanum Pauli V. Catechismum Romanum nobis favere satis superque suo loco ostensum est .

Ad alia autem , quæ producuntur , respondemus , vel nimis probare, vel recto supposito non initi, quod satis evincitur ex momentis , quæ adducit Juenin , ut ostendat hæc Ritualia , & Catechismos requirere dilectionem Dei . Primum . Quia asserunt oportere,ut pœnitens detestetur peccatum,ut offensa Dei est. Et hic falsò supponitur,quòd peccatum , prout offensa Dei non sit odibile, nisi motivo dilectionis benevolæ, cum prout offensa Dei sit malum Dei , & malum creaturæ . Potissimè etiam, prout est offensa Dei turpitudinem dicit,æternam meretur pœnam, & a sempiterna gloria exclusionem . Quare simplex attritio veraciter detestatur peccatum , prout offensa Dei ex motivo amoris spei ; Etenim *prout* stat etiam specificativè , quia est formalitas quædam modificans ipsum peccatum , & statuens illud in linea propria distinctivè e peccato hominum, seu ab offensa hominum , vel etiam si vis a peccato , quod aliqui appellant Philosophicum ; de quo in prohibitione facta per Sedem Apostolicam .

Secundum motivum . Utuntur exemplo Legis veteris , in qua nullus adultus absque charitatis actu consequebatur justitiam . Et hic non benè concluditur ab ipsis necessitas initialis dilectionis , sed debet concludi necessitas perfectæ dilectionis ; ipsi enim intendunt arguere per illud exemplum a minori ad majus , hoc est a lege timoris ad legem amoris . Quare si tunc nullus adultus justificabatur absque perfecta dilectione , nunc ad minùs eadem est necessaria in Sacramento . Aliunde etiam illa illatio paralogizat ; quia utitur exemplo legis , quæ carebat instrumento immediatè productivo gratiæ , adeoque faciente ex attrito contritum ad legem , quæ habet instrumentum per se vivificativum .

Tertium motivum . Proferunt hæc verba Concilii Tridentini -- Illumque tanquam „ justitiæ fontem diligere incipiunt -- Intelligunt igitur loqui ad mentem Concilii . Omissis alibi dictis, Concilium dicit *Incipiunt diligere* , non autem diligunt , & ipsi dicunt *diligunt* , seu *diligere debent* , non quomodocumque, sed super omnia ; quem actum nullatenus indicant verba Concilii . Longè satis diversum est *Incipiunt diligere*, quod pluribus

Nnn 2 modis

modis habent, & diligunt super omnia ; licet addant remisse, quod non tantùm modo est intelligibile. Non ergo illa Ritualia nobis nocent ; quia vel falso supposito innituntur, vel irregulariter concedunt.

Adde non multùm fidendum esse his Ritualibus ; & ex eo patet, quia non semel præcipiunt non esse dandam absolutionem, nisi præmissa satisfactione, & tamen si non præmittatur, optima est Sacramenti susceptio ; si adsint partes à Concilio requisitæ ; & oppositum damnatum est ab Alexandro VIII. n. 16. 17. & 18. Aliàs illa Ritualia, & Catechismi in tantùm subsistunt, & vim obtinent, quatenus Pontificiis Decretis subordinantur : cumque Alexander VII. ut alia omittam, ad minus parem declaraverit utramque Propositionem ; sequitur quod non sunt intelligenda contrapositivè, & exclusivè ad simplicem attritionem. Cæterùm, & nos iterum, iterumque optamus promoveri contritionem perfectam, amorem eximium, & quidquid utilius est ad salutem, & perfectionem.

ARTICULUS SEXTUS.

AN SIMPLICIS CHRISTIANÆ ATTRITIONIS PROXIMA SUFFICIENTIA IN SACRAMENTO PŒNITENTIÆ PROBETUR AUCTORITATE SANCTI THOMÆ.

§. I.

QUoniam ipsimet Adversarii in hac causa tam frequenter, & tam fidenter D. Thomæ suffragio utuntur, ut ab eo unicè dependere ipsius veritatem adjudicare videantur : & Scholastici, quos producunt, ut plurimùm D. Thomæ inhærere constanter affirmant ; operæ pretium erit ejusdem sensa palam facere.

Dicendum itaque, quòd simplex attritio Christiana ex principiis D. Th. sit sufficiens, & proxima dispositio in Sacramentis mortuorum, Baptismo, videlicet, & Pœnitentia.

173 PROB. I. 4. *Sent. dist. 6. q. 1. art. 3.* inquirit, an in baptizato requiratur fides, & in 2. Sed Contra sic arguit — Charitas propinquior est ad gratiam, quàm fides, „ quia charitas non potest esse sine gratia, „ sicut fides : sed non requiritur charitas „ in recipiente Baptismum, quia sic nullus „ adultus de novo acciperet ibi gratiam ; „ ergo non requiritur fides — Huic argumento sic respondet -- Ad quintum dicen„ dum, quòd recta intentio requiritur ad „ consequendam rem Sacramenti ; fides au„ tem intentionem dirigit, & sine ea non „ potest esse (præcipuè in talibus) intentio „ recta : sed charitas ulteriùs facit inten„ tionem meritoriam ; & ideo ad hoc, quòd „ homo præparet se ad gratiam in Baptis„ mo percipiendam, præexigitur fides, sed „ non charitas ; quia sufficit attritio præce„ dens, etsi non sit contritio — Solus iste textus sufficit : quia est ponctualis, ut Legistæ dicunt : quia est intrinsecus statui quæstionis : quia procedit ex natura propria Sacramenti : quia est per locutiones negativas excludentes unum, & per affirmativas includentes aliud ; quia est per terminos claros non subjectos æquivocationi.

Et sanè quid clariùs ? Ibi loquitur I. de charitate absolutè, & secundùm se, suamque substantiam, non autem ut intensâ ; quo pariter sensu loquitur de fide. II. Simpliciter docet, quòd charitas non potest esse sine gratia : & hoc intelligit necessariò de charitate quoad substantiam accepta ; quia illa propositio esset omnino falsa, si solùm quatenus intensa esset conjuncta cum gratia. III. Asserit, quòd charitas facit intentionem meritoriam ; ut intelligamus, quòd charitas secum semper habet justificationem IV. Ait, quòd ad præparationem non requiritur charitas, sed requiritur fides ; & per hoc negat omninò præexigi charitatem, & non præcisè talem charitatem ; sicut exigit fidem absolutè, & non talem fidem ; quælibet enim fides etsi remissa sufficit in omnium sententia ; & ideo excluditur necessitas charitatis etsi remissæ. V. Docet, quòd sufficit attritio præcedens, utique non includens charitatem, ut patet ex contrapositione *præcedens* : ut sciamus attritionem esse dispositionem antecedentem, non verò concomitantem. VI. Concludit *Et si non sit contritio* ; ut sciamus, eo ipso dari contritionem, quæ dolor est dilectivus.

174 PROB. II. 4. *Sent. dist. 22. q. 2. art. 1. quæstiunc. 3. in corp.* quærens, an remissio peccatorum sit res Sacramenti, habet — „ Res Sacramenti alicujus ultima est, non „ tantùm, quam efficit actualiter dispensa„ tum, sed etiam, quam efficit in proposi„ to existens, sicut patet de Baptismo in „ adultis ; & ideo cum Pœnitentia Sacra„ mentum in proposito existens efficiat re„ missionem peccatorum non solùm quoad „ pœnam, sed etiam quoad culpam, remis„ sio peccatorum utroque modo est res ip„ sius Pœnitentiæ Sacramenti, quæ aliquan„ do tempore præcedit Sacramentum exte„ rius, aliquando autem in ipso Sacramen„ to efficitur : quia quando aliquis accedit „ ad confessionem attritus, non plenè con„ tritus, si obicem non ponat, in ipsa con„ fessione, & absolutione gratia, & remis„ sio peccatorum ei datur ; unde Glossa supra „ illud *Psal. 95.* Confessio, & pulchritudo in „ conspectu ejus, dicit : Si amas pulchri„ tudinem, confitere, ut sis pulcher, idest „ rectus — Hoc loco nil clariùs. Nomine autem attritionis intelligit dolorem non ex dilectione Dei ; eam enim contraponit contritioni, quæ est dolor dilectivus ; & patet ex probatione, quam adducit ex Glossa, in qua pro motivo assignatur fœditas peccati, & amor oppositæ pulchritudinis, quæ est unum ex motivis simplicis attritionis.

175 PROB. III. De Sacramentis 3. p. *quæst. 41.* aliàs 10. *in supplem. art. 2. in corp. ex 4. sent. dist. 17. q. 3. art. 5. quæstiuncula 1.* habet — Et similiter dicendum est de confes„ sione adjuncta absolutione, quòd secun„ dùm quod in voto pœnitentis præcessit, a „ cul-

„ culpa liberavit, postmodum autem in actu
„ confessionis, & absolutionis gratia auge-
„ tur, & etiam remissio peccatorum dare-
„ tur, si præcedens dolor de peccatis non
„ sufficiens ad contritionem fuisset, & ipse
„ tunc obicem gratiæ non præberet; &
„ ideo sicut de Baptismo dicitur, quòd li-
„ berat a morte, ita & de Confessione dici
„ potest — Dolor autem non sufficiens ad
contritionem est dolor dilectione carens, quia perpetuus est D. Thomas in hoc, quòd dilectivus dolor absolutè, & non ratione intensionis est contritio. Hinc Capponus a Porrecta Commentator in nota habet — Ex
„ verbis, inquam, istis elice ex plano
„ sensu vulgatissimum dictum illud, quòd
„ sub manu Confessoris pœnitens virtute
„ clavium de inconttito fit contritus —

176 PROB. IV. 4. *Sent. dist.* 17. *qu.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3. *ad* 2. habet — Dicendum
„ quòd timor est remota dispositio ad gra-
„ tiam: nunquam enim ad gratiam attin-
„ git, nisi amor adjungatur; nos autem
„ loquimur hic de dispositione ultima ad
„ gratiam, cum qua gratia datur. *Ibidem*
„ *art.* 4. *quæstiunc.* 3. *ad* 1. Dicendum, quòd
„ Augustinus loquitur de timore servili,
„ cujus actus non est motus liberi arbitrii,
„ qui est simul cum justificatione; quia ti-
„ mor servilis non est simul cum gratia,
„ quâ iste motus informatur —

Pro intelligentia hujus loci notandum I. quòd S. Thomas hic agit de justificatione extrasacramentali; & hoc evidens est. Notandum II. quòd dispositio ultima, quâ solâ positâ ponitur forma gratiæ, & gratia informatur, est dispositio ultima concomitans; & hoc est certum ex D. Thoma. Notandum III. quòd D. Th. proportionaliter explicat justificationem adulti per nostram dispositionem ad regulas agentium naturalium, ut *quæst. de verit.* 28. *art.* 3. habet — Tertia
„ ratio desumitur ex similitudine divinæ
„ operationis in rebus corporalibus; Deus
„ enim aliquem effectum producens, quem
„ potest natura producere secundùm eam-
„ dem dispositionem producit, sicut &
„ natura &c. — In naturalibus autem datur duplex dispositio ultima; alia concomitans, alia antecedens. Dispositio ultima antecedens operatur effectum juncta cum causa; & quoties causa applicatur subjecto disposito per ultimam dispositionem antecedentem, semper effectum suum producit; & ex natura rerum dispositio ultima antecedens petit, secus concomitans.

Nunc sic. His duobus locis citatis attritio ex timore servili accipitur pro dispositione ultima antecedenti; & remotam vocat D. Th. quia se solâ non sufficit ad inferendam justificationem, contrapositivè ad dispositionem concomitantem, quæ se solâ infert justificationem absq. actuali sumptione Sacramenti. Quod S. Th. intelligat in illo termino *Remota* ultimam antecedentem patet ex contrario: quia si addatur amor statim efficitur dispositio proxima concomitans, sicut dicit Angelicus, adeoque uno gradu tantùm distat, ac per consequens est ultima antecedens; porrò ille gradus, seu amor est supplebilis per Sacramentum. Pro con-

A firmatione hujus nostræ probationis, & totius conclusionis patet textus ibidem *art.* 4. *quæstiunc.* 2., quem dedimus *art.* 1. hujus Disput.

177 PROB. V. 3. *p. de Sacram. q.* 33. *art.* 6. aliàs 2. *supplem. ex* 4. *sent. distin.* 17. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 2. ubi inquirit, an sufficiat una contritio pro omnibus peccatis, habet — Contritio potest dupliciter consi-
„ derari: scilicet, quantùm ad sui princi-
„ pium, & quantùm ad terminum; & dico
„ principium contritionis cogitationem, quâ
„ quis cogitat de peccato, & dolet, etsi
„ non dolore contritionis; terminus autem
„ contritionis est, quando dolor ille jam
B „ gratiâ informatur; quantùm ergo ad prin-
„ cipium contritionis oportet, quòd sit de
„ singulis peccatis, quæ quis in memoria
„ habet, sed quantùm ad terminum suffi-
„ cit, quòd sit una communis de omnibus;
„ tunc enim ille motus agit in omnium di-
„ spositionum præcedentium. Et per hoc
„ patet responsio ad primum —

In responsione ad 3. quod intendebat probare unam sufficere contritionem pro omnibus peccatis, ex quo sufficit unus Baptismus pro actualibus, & originali, data prima solutione, subdit secundam — Vel,
„ dicendùm, quòd Baptismus est spiritualis
C „ generatio, sed pœnitentia quantùm ad
„ attritionem, & alias sui partes est spiri-
„ tualis quædam sanatio per modum cujus-
„ dam alterationis: patet autem in genera-
„ tione corporali alicujus, quæ est cum cor-
„ ruptione alterius, quòd una generatione
„ removentur omnia accidentia contraria
„ rei generatæ, quæ erant accidentia rei
„ corruptæ: sed in alteratione removetur tan-
„ tùm unum accidens contrarium accidenti,
„ ad quod terminatur alteratio: & similiter
„ unus Baptismus simul delet omnia pecca-
„ ta, novam vitam inducendo; sed pœni-
„ tentia non delet omnia peccata, nisi ad
D „ singula feratur; & ideo oportet de sin-
„ gulis conteri, & confiteri —

Iste locus sincerè inspectus continet clarè nostram doctrinam. Pro cujus intelligentia duo sunt ostendenda ibi contineri. Primum. Dolore non contritionis, & dolore attritionis intelligere D. Th. dolorem de peccatis non ex motivo charitatis, sed alio inferioris ordinis licèt supernaturali. Secundum. Nomine principii contritionis venire dispositionem ultimam, & proximam antecedentem; unde dolor ille, quem multiplicandum asserit ad multiplicationem peccatorum est dispositio sufficiens in Sacramen-
E to. Priusquam utramque demonstremus adverto, quod in aliquibus Codicibus in relato textu ad tertium in illa adversativa *Pœnitentia quantùm ad attritionem*, legitur *contritionem*; sed in correctioribus, ut Romanâ, & Venetâ, habetur *Attritionem*. Quidquid tamen sit de hoc, nobis sufficit, quod habetur in corpore articuli.

Nunc declaramus priusquam inferendo notam marginalem Nicolai ad illud verbum *Dolorem non contritionis*. Nota hæc est —
„ Qualem jam superiùs ex Concilio Tri-
„ dentino *Sess.* 14. *cap.* 4. notavimus im-
„ pulsu quodam Spiritus Sancti, licèt nun-
„ dum

„ dum inhabitantis factam, per quam Pœnitens viam sibi ad justificationem parat, „ & quam idem Concil. imperfectam contritionem vocat longè alio sensu, quàm intelligat Jansenius, qui eam quoad gradus dumtaxat imperfectam contritionem agnoscendam contendit, quamvis essentialem Dei dilectionem contineat; utique „ non advertens, quòd si talis intelligatur, „ jam supponat inhabitantem Spiritum Sanctum contra expressam Concilii doctrinam, cui præfractè contradicit, dum „ illius interpres videri vult — Et contrarius inadet, cum comraponit illum dolorem contritioni: contritio autem per D. Th. est dolor substantialiter acceptus ex motivo dilectionis; unde in principiis D. Th. impossibile est, quòd dolor de peccatis contineat dilectionem Dei essentialem, & non sit vera contritio conjuncta cum gratia sanctificante: suo enim loco vidimus sufficere ex D. Th. dolorem contritionis de peccatis minimum intensivè.

Videat Lector ad Annibaldum 4. *dist.* 17. *q.* 2. ubi in *art.* 1. resolvit idem de multiplicatione doloris ad multiplicationem peccatorum, & statim *art.* 2. firmat contritionem minimam intensivè sufficere; & tunc sic. In textu citato eminenter affert, cur una sufficiat contritio in termino, scilicet, quia dolor ille jam gratiâ informatur, quæ quia opponitur omnibus peccatis, ita etiam una contritio opponitur omnibus; cumque minima gratia intensivè opponatur omnibus peccatis, ita una contritio minima intensivè illâ gratiâ informata opponitur omnibus peccatis; ac proinde minimus dolor intensivè ex motivo charitatis est vera contritio; ergo dolor, qui non est contritio, non est ex motivo dilectionis.

Deinde dolor, qui innititur amori concupiscentiæ, non est ex motivo charitatis; iste autem dolor, de quo in argumento, innititur amori concupiscentiæ, ut habetur *q. 7. de malo art.* 11. *ad* 3. ubi — Ejusdem „ rationis est, quòd voluntas feratur in appetitum unius contrarii, & in detestationem alterius. Nullus autem habens usum „ liberi arbitrii potest inchoare novam vitam, quæ est per infusionem gratiæ, nisi „ appetat, & amet gratiæ bonum; & ideo „ oportet quòd detestetur omne malum repugnans, ita tamen, quòd peccata mortalia, quæ propria voluntate commisit, & „ directè contrariantur gratiæ in speciali „ detestetur, ut remota causa subtrahente „ gratiam per displicentiam peccati mortalis tollatur effectus, scilicet, privatio gratiæ per ejus infusionem: peccatum autem „ originale non ex propria voluntate hujus „ personæ contractum est; peccatum autem „ veniale est quidem propria voluntate humana hujus personæ commissum; non „ tamen est causa privationis gratiæ, unde „ non requiritur displicentia in particulari, „ sed in universali tantùm, in quantùm „ habet aliquam rationem repugnantis ad „ gratiam — Bonum gratiæ est bonum nostrum, non bonum Dei: Privatio gratiæ est malum hominis, non malum Dei; his ergo motivis innitens dolor non potest esse ex benevola dilectione. Rursus detestatio peccati non secundùm rationem generalem oppositionis ad gratiam, sed secundùm rationes particulares absque dubio non est ex motivo dilectionis benevolæ; talis autem est dolor hic a D. Thoma descriptus; quod etiam colligitur ex argumento primo, sed Contra.

Secundum, quòd iste dolor sit ultima dispositio antecedens sufficiens in Sacramento, evincitur manifestè his momentis. Primum. Ex Glossa Nicolai in illa verba D. Th. ad Annibaldum. *Sed sufficit tunc in generali, in speciali verò ante, vel post*, ubi — Puta cum de peccatis in speciali con- „ sideratis atteritur pœnitens; & fit virtute „ Sacramenti, vel absolutionis ex attrito „ contritus — Secundùm. Quotquot sunt Theologi, qui post D. Th. scripserunt ex hoc loco Angelici movent quæstionem, an dolor requisitus, ut pars in Sacramento debeat esse multiplex ad multiplicationem omnium peccatorum, vel unus sufficiat; ergo consensus unanimis interpretatur de ultima dispositione. Tertium. Dolor, qui exprimitur, & fit sensibilis per Sacramentum est pars, & dispositio ultima: talis est hic dolor, ut habet D. Thomas in argumento, sed Contra secundò, ubi — Contritio per con- „ fessionem explicatur: sed oportet singula „ peccata mortalia confiteri: ergo & de „ singulis conteri — Et in solutione ad 3. loquendo de hoc dolore, quem vocat principium contritionis, ait — Et ideo oportet „ de singulis conteri, & confiteri — ergo. Quartum. Æquiparat expressè D. Th. dolorem hunc alterationi terminatæ, ad quam sequitur generatio in corporalibus: sed in omni bona Philosophia alteratio terminata, ad quam sequitur generatio substantialis est dispositio ultima antecedens; ergo etiam iste dolor est ultima dispositio in generatione spirituali. Obiter adverte qualiter D. Thomas in justificatione semper tenet analogiam cum generatione corporali. Quintum. Pœnitentia prout comprehendit actum primarium, & secundarium est ultima dispositio ad justificationem: iste dolor est pœnitentia, ut dicit D. Thomas ad 3.; ergo est ultima dispositio, non concomitans, ergo antecedens.

178 PROB. VI. 2. 2. *q.* 19. *art.* 8., in quo inquirit distinctionem timoris initialis a filiali, in corpore articuli habet — Sed „ sic non accipitur timor initialis secundùm, „ quod distinguitur a timore filiali, & ser- „ vili, sed accipitur secundùm, quòd competit statui incipientium, in quibus inchoatur quidem timor per inchoationem „ charitatis: non tamen inest eis timor filialis perfectè, quia nondum pervenerunt „ ad perfectionem charitatis; Ideo timor „ initialis hoc modo se habet ad filialem, „ sicut charitas imperfecta ad perfectam. „ Charitas autem perfecta, & imperfecta „ non differunt secundùm essentiam, sed „ solùm secundùm statum; & ideo dicendum est, quòd etiam timor initialis, prout „ hic sumitur, non differt secundùm essentiam a filiali —

Ad primum, in quo objicit sibi Angelicus,

dicens, quòd timor filialis ex dilectione oritur; initialis verò dilectionis est initium, habet -- Timor, qui est initium dilectionis, „ est timor servilis, qui introducit chari„ tatem, sicut seta introducit linum, ut Au„ gustinus dicit: vel si hoc referatur ad ti„ morem initialem dicitur esse dilectionis „ initium non absolutè, sed quantùm ad „ statum charitatis perfectæ --

Art. 9. sequenti, inquirit, an timor sit donum Sancti Spiritus. Posita distinctione plurium specierum timoris, exclusis timore humano, & servili, includit initialem, & filialem, &c. ait -- Unde relinquitur, quòd „ timor Dei, qui numeratur inter septem „ dona Spiritus Sancti est timor filialis, sive „ castus --

Nunc sic. Nullus benè sentiens de D.Th. ad dictamen Romanorum Pontificum potest dicere, quòd S. Doctor necessariò pro dispositione essentiali, sine qua non, exigat ad Sacramentum Pœnitentiæ gratiam gratum facientem, (quod est heresim ei attribuere,) sed ex his immediatè adductis timor initialis, qui est ex amore Dei initiali est conjunctus originativè cum gratia sanctificante, quia constituit statum justorum, qui dicuntur incipientes: quia est indivisus a substantiali filiatione adoptiva Dei: quia non est initium dilectionis absolutè, sed status dilectionis perfectæ: quia est donum Sancti Spiritus; ergo non exigit D. Th. dolorem de peccatis ortum ex amore Dei initiali, timoreque initiali; ergo attritio simplex per D. Thomam debet esse, & est sufficiens dispositio, de qua habet 4. *sent. dist.* 17. *q.* 2. *art.* 1 *quæstiunc.* 3. -- „ Naturalia non fiunt gratuita secundùm „ communiorem opinionem: sed naturale „ dicitur, quod est ante gratiam, & sic „ attritio inter naturalia computabitur, ergo „ non potest fieri contritio, cum sit gratui„ tum bonum --

Obiter adverte, quòd Angelicus non accipit hic naturale contrapositum ad supernaturale, sed accipit naturale pro supernaturali essentialiter informi contrapositivè ad supernaturale formatum; ex quo arguit optimè, quòd attritio non potest fieri contritio. Sicut essentialiter naturale non potest fieri essentialiter supernaturale, sed tantùm modificativè; ita essentialiter informe nequit essentialiter formatum fieri, sed solùm modificativè. Ex hoc habes attritionem differre essentialiter a contritione per D. Th., & non solùm ratione intensionis. Omittimus alia plura, & subdimus unam, vel alteram demonstrationem ad hominem, & ab Adversariis manubias colligamus:

§. I I.

PROBATUR DEMONSRATIVE (*ut dicitur*) *AD HOMINEM CONTRA ADVERSARIOS.*

179 PROB. VII. Loca præcipua, quibus Adversarii utuntur ex D. Thoma requiri ad Sacramentalem absolutionem necessitatem divini amoris super omnia tantùm initialis, evincunt S. Thomam errasse contra Doctrinam Ecclesiæ: sed hoc ipsi Ecclesiæ injuriosum est, cum sæpè numero per Pontifices ejusdem Doctrinam plurimùm commendaverit; ergo illa loca, vel abs re adducuntur, vel non rectè intelliguntur. Restat probandum assumptum, quòd ut clarè fiat, tria occurrunt facienda. Primum, afferenda sunt loca ab Adversariis producta, non quidem omnia (plurima enim sunt extra rem) sed illa, quæ intrinseca videntur esse, ea scilicet, quæ agunt de justificatione Impii. Secundum, inbjicienda est a D. Thoma intellecta connexio charitatis, & pœnitentiæ cum gratia sanctificante. Tertium inferenda est doctrina Ecclesiæ; Dein facienda est applicatio.

180 Ostendimus primum. 4. *sent. dist.* 17. *quæst.* 1. *art.* 3. *quæstiunc.* 3., in qua inquirit, an motus liberi arbitrii in Deum, quem requiri in justificatione impii probavit, sit actus fidei? Respondet esse actum fidei charitate formatum, & conclusionem hanc ponit -- Et ideo cum actu fidei in justifica„ tione semper adjungitur actus charitatis -- In disputatis de veritate *q.* 28, quæ tota est de justificatione Impii *art.* 3. inquirit, utrum ad justificationem Impii liberum arbitrium requiratur, & in argum. sed Contra 5. ait -- Justificatio Impii non fit sine charita„ te -- In corpore articuli in prima ratione, ait -- In adultis, qui possunt Deum „ cognoscere, & amare requiritur aliquis „ usus liberi arbitrii, quo Deum agnoscant, „ & ament -- *Art.* 4. Inquirit num motus liberi arbitrii in Deum requiratur, respondetque affirmativè concludens -- Sic ergo li„ berum arbitrium in justificatione Impii „ movetur in Deum motu fidei, charitatis, „ & spei: oportet enim justificatum in „ Deum converti amando ipsum cum spe „ veniæ. *Ad* 5. Motus charitatis in Deum „ requiritur, sed tamen in hoc motu inclu„ ditur motus fidei -- Similia ad 8. 11., & 12.

In Summa adversus Gentiles *lib* 4 *c.* 72. quod est de Sacramento Pœnitentiæ, docens in pœnitentia requiri reordinationem mentis per conversionem ad Deum dicit -- Nam „ mens nostra debitè ad Deum converti non „ potest sine charitate -- In Summa Theologica 1. 2. *quæst.* 113., quæ est de effectibus gratiæ *art.* 4. inquirit, utrum in justificatione Impii requiratur motus fidei, resolvit affirmativè. Ad primum habet -- Unde simul „ ad justificationem impii est etiam motus „ charitatis -- *Articulo* 5. firmat requiri motum liberi arbitrii in peccatum -- Opor„ tet igitur, quòd in justificatione Impii sit

„ mo-

„ motus liberi arbitrii duplex, unus quo
„ desiderium tendat in Dei justitiam: &
„ alius quo detestatur peccatum. *Ad primum.*
„ Ad eandem virtutem pertinet prosequi
„ unum oppositorum, & refugere aliud:
„ & ideo sicut ad charitatem pertinet dili-
„ gere Deum; ita etiam detestari peccata,
„ per quæ anima separatur a Deo — Ad
7. firmat justificationem fieri in instanti,
& ad 2. habet — Propter hoc enim homo
„ detestatur peccatum, quia est contra
„ Deum, cui vult adhærere — Similia
art. 8.

Tertia parte de Sacramentis *q.* 25. aliàs 84., quæ est de Sacramento Pœnitentiæ *art.* 5. resolvit Sacramentum Pœnitentiæ esse de necessitate salutis. Ad 2. habet — Ex quo ali-
„ quis peccatum incurrit &c. requiritur enim
„ charitas, quòd homo doleat de offensa in
„ amicum commissa — Art. 10. in corp. —
„ Cum enim ad verum pœnitentiam chari-
„ tas requiratur (sine qua non delentur pec-
„ cata.) *Quæst.* 26. aliàs 85 *art.* 5. annumerans D. Thomas actus, quibus homo pœnitens Deo cooperatur, habet — Quintus
„ actus est motus charitatis, quo alicui
„ peccatum displicet secundùm se ipsum —
Quæst. 27. aliàs 86. *art.* 3. in secunda ratione habet resolvens unum peccatum non posse remitti absque alio per pœnitentiam —
„ Unde non potest esse verè pœnitens, qui
„ de uno peccato pœnitet, & non de alio.
„ Si enim displiceret ei illud peccatum,
„ quia est contra Deum super omnia dile-
„ ctum (quod requiritur ad rationem veræ
„ pœnitentiæ) sequeretur, quòd de omni-
„ bus peccatis pœniteret — *Art.* 6. ubi inquirit, num remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ, ad 3. habet — Actus pœnitentiæ
„ virtutis habet, quòd sine eo non possit
„ fieri remissio culpæ — Hæc sunt præcipua loca, quæ communiter Adversarii urgent ex D.Th., in quibus omnibus volunt, quòd agat de justificatione etiam in Sacramento facienda; & ideo ferè semper quemlibet locum eo notant scholio *In Sacramento*, ut videre est maximè apud Theologiam Sanctorum.

181 Ostendimus secundum, videlicet, qualem connexionem ponat D. Th. inter illos actus charitatis, & pœnitentiæ, & gratiam sanctificantem; & dicimus talem esse, ut eodem instanti simul ponatur ille actus charitatis, vel pœnitentiæ, & gratia sanctificans cum sola prioritate naturæ etiam mutua; & ut evidentiùs res pateat ab iisdem ferè locis omnibus demonstramus, & ordinem, quam in afferendis textibus adhibuimus, sequemur.

4. *Sent. dist.* 17. *q.* 1. *art.* 4. *quæstiunc.* 2. inquirens ordinem liberi arbitrii, & infusionis gratiæ, habet — Tunc autem aliquis
„ justificatur, quando gratiam recipit: unde
„ simul cum gratiæ infusione, & justifica-
„ tione est motus contritionis. Et præterea
„ sicut ad contritionis motum requiritur,
„ quòd adsit gratia; ita etiam requiritur,
„ quòd absit culpa. Et ideo dicendum est,
„ quòd aliquo modo gratiæ infusio, & cul-
„ pæ remissio præcedunt; aliquo autem mo-
„ do prædicti actus: quod patet a simili in
„ generatione naturali, quæ est terminus
„ generationis. Et ideo cum isti motus,
„ qui sunt in ipsa justificatione Impii stat
„ quasi dispositio ultima ad gratiæ suscep-
„ tionem suo modo præcedunt quidem in
„ via causæ materialis, sed sequuntur in
„ via causæ formalis — Quid clariùs? *art.*
3. *quæstiunc.* 3. ad primum dicitur — Mo-
„ tum liberi arbitrii, cum quo gratia in-
„ funditur, oportet accipi in sua ultima
„ perfectione, actus autem fidei perfectus
„ non est, nisi actu perfecto existente —
Art. 5. *quæstiunc.* 3. resolvens justificationem esse in instanti, præmissâ doctrinâ de illis, quæ accidunt in generatione naturali habet — Ita infusio gratiæ est in instanti, &
„ in eodem instanti est remissio culpæ, &
„ motus liberi arbitrii, qui est quasi dispo-
„ sitio completa ad suscipiendam gratiam.
„ *Ad* 2. Unde cum motus liberi arbitrii in
„ peccatum elicitus a pœnitente imperatus
„ a charitate sit (quia propter Deum dete-
„ statur quis peccatum, quod commisit)
„ simul uterque motus esse potest —

In disputatis *quæst.* 28. *de veritate* ab Adversariis citata *art.* 8. resolvit motum liberi arbitrii in peccatum, & in Deum (quem requiri in justificatione Impii statuit tertio, & quarto, ex quibus suum argumentum sumunt Adversarii) eodem instanti præcedere in signo naturæ gratiæ infusionem dispositivè, & in alio signo naturæ subsequi gratiæ infusionem; Rejectis aliorum dicendi modis habet — Sic motus liberi arbitrii
„ præcedit naturaliter gratiæ infusionem,
„ sicut dispositio materialis formam. Si au-
„ tem attendatur secundùm rationem causæ
„ formalis est e converso; & est simile in
„ rebus naturalibus de dispositione, quæ est
„ necessitas ad formam, quæ quodamodo
„ præcedit formam substantialem, scilicet
„ secundùm rationem causæ materialis, di-
„ spositio enim materialis ex parte materiæ
„ se tenet; sed alio modo scilicet ex parte
„ causæ formalis forma substantialis est
„ prior, in quantùm perficit, & materiam,
„ & accidentia materialia —

In responsione ad octo primæ partis argumenta intendentia probare prioritatem contritionis, & charitatis, semper docet præcedere in genere causæ materialis; & in responsione ad septem alia pro secunda parte semper docet subsequi in genere causæ formalis. Ad 1. — Contritio est a gratia
„ sicut ab informante, & ita sequitur, quòd
„ in genere causæ formalis gratia sit prior.
Ad 3. Contritio est a libero arbitrio, & a
„ gratia: secundùm quod procedit a libero
„ arbitrio est dispositio ad gratiam simul
„ existens cum gratia, sicut dispositio quæ
„ est necessitas, simul est cum forma; sed
„ secundùm quod est a gratia, comparatur,
„ sicut actus secundus ad gratiam — In *art.*
9. sequenti resolvit justificationem impii esse in instanti — Nam forma, & dispositio ad
„ formam completam, & abjectio alterius
„ formæ totum est in instanti —

Ex libris contra Gentiles *lib.* 3. *c.* 151. probat gratiam gratum facientem causare in nobis dilectionem Dei. Concludit primam rationem — Igitur ex gratia gratum faciente,

„ hoc

hoc in homine consequitur, quòd Deum diligat. *Concludit secundam*. Per gratiam ergo gratum facientem homo constituitur Dei dilector, *Concludit tertiam*. Principalis ergo effectus gratiæ gratum facientis est, ut homo Deum diligat. *Concludit quartam*. Per gratiam ergo homo efficitur Dei dilector. *Concludit quintam*. Unde patet, quòd gratia, quæ ad finem divinæ visionis dirigit, dilectionem Dei causat in nobis -- Quid evidentius?

Citat Theologia Scotorum cum aliis *cap. 157.* in secunda ratione, ubi dicit Sanctus Thomas, quòd offensa Dei non tollitur, nisi per dilectionem; sed hanc dilectionem docet a gratia sanctificante esse -- Non ergo homo potest a peccato mortali resurgere, nisi per gratiam, per quam fit quædam amicitia inter Deum, & hominem -- Citant omnes *cap. 72. lib. 4.*, ubi ostendit ad pœnitentiam requiri ordinationem mentis in Deum, quam facit conversio ad Deum, dum homo dolet de commissis promittens non committere de cætero -- Hæc verò mentis reordinatio sine gratia esse non potest: Nam mens nostra debitè ad Deum converti non potest sine charitate; charitas autem sine gratia haberi non potest, ut patet ex his, quæ *lib. 3* dicta sunt *cap. 151.* videlicet.

Ad hunc locum hanc notam interponit Theologia citata (*nota benè*), qui tamen *cap. 67. num. 824.* referens D. Th. advertit non esse accipiendam charitatem, quæ est propria justorum, sed communiter dictam secundùm Augustinum. Ex quo habemus inconhærentiam doctrinæ apud Adversarios; citant enim loca D. Thomæ, in quibus expressè loquitur de charitate orta ex gratia sanctificante, & postea volunt non requiri, nisi charitatem communiter dictam, quæ uno verbo non est nisi motus ad Deum, quem habet in suo conceptu quilibet actus supernaturalis, cujuscumque speciei sit. Hæc obiter.

Ex Summa Theologia provocarunt nos Adversarii ad 1. 2. *q.* 113., quæ tota est de justificatione Impii. In 1. *art.* resolvit justificationem esse remissionem culpæ. In 2. *art.* firmat requiri infusionem gratiæ. In 3. requiri motum liberi arbitrii. In 4. requiri actum fidei. In 5. motum liberi arbitrii in peccatum. In 6. remissionem peccatorum numerari inter ea, quæ requiruntur ad justificationem. In 7. justificationem fieri in instanti, ubi in corpore *art.* habet -- Tota justificatio Impii originaliter consistit in gratiæ infusione; per eam enim, & liberum arbitrium movetur, & culpa remittitur; gratiæ autem infusio fit in instanti absque successione -- Opponit sibi quinque argumenta, quibus potissimè propter motum liberi arbitrii in peccatum, & in Deum necessarium ad justificationem, videtur impossibile, quod justificatio fiat in instanti, & componit omnia.

Unde ad 1. -- Motus liberi arbitrii, qui concurrit ad justificationem impii, est consensus ad detestandum peccatum, & ad accedendum ad Deum, qui quidem consensus subitò fit -- *Art.* 8. explicat ordinem inter ea, quæ requiruntur ad justificationem impii, & firmat omnia illa quatuor esse simul in eodem instanti, & nullum aliud præcedere tempore, sed solùm naturâ, deinde habet -- Inter ea naturali ordine primum est gratiæ infusio: secundum motus liberi arbitrii in Deum: tertium est motus liberi arbitrii in peccatum: quartum verò est remissio culpæ -- Iterum repetit in eodem corpore articuli iisdem verbis, & utitur sua consueta paritate de generatione naturali. Ad 2. -- Et ideo motus liberi arbitrii naturæ ordine præcedit consecutionem gratiæ, sequitur autem gratiæ infusionem -- Hæc sunt evidentia. Vide etiam *art. 4. ad 1.*

Tandem provocaverunt nos *ad 3. part. de Sacram. Pœnit. q. 27.* aliàs 86. *art. 6.* ubi inquirit num remissio culpæ sit effectus pœnitentiæ. Ad primum habet -- Effectus gratiæ operantis est justificatio impii, ut in secunda parte dictum est (1. 2. *q.* 113.) in qua ut ibidem dictum est, non solùm est gratiæ infusio, & remissio culpæ, sed etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ. Hi tamen actus humani sunt ibi, ut effectus gratiæ operantis, simul producti cum remissione culpæ, unde remissio culpæ non fit sine actu pœnitentiæ virtutis, licèt sit effectus gratiæ operantis --

Clarissimè docet *art. 6. in corp. q. 26.* aliàs 85. -- Secundùm hoc igitur dicendum est, quòd actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum, & habitum pœnitentiæ, sicut actus fidei, & spei informium, & actus timoris servilis. Actus autem, & habitus charitatis simul sunt tempore cum actu, & habitu pœnitentiæ, & cum habitibus aliarum virtutum. Nam sicut in secunda parte habitum est (1. 2. *q.* 113.) in justificatione impii simul est motus liberi arbitrii in Deum, qui est actus fidei formatæ per charitatem, & motus liberi arbitrii in peccatum, qui est actus pœnitentiæ, horum tamen duorum actuum, primus naturaliter præcedit secundum; nam actus virtutis pœnitentiæ est contra peccatum ex amore Dei, unde primus actus est ratio, & causa secundi --

Quæst. 36. aliàs 5. *suppl. in* 4. *dist.* 17. *q.* 2. *art. 5. quæstiunc.* 2. *ad* 2. habet -- Uno modo peccati remissio præcedit virtutem, & gratiæ infusionem, & alio modo sequitur, & secundùm hoc, quod sequitur, actus a virtute elicitus potest esse causa aliqua remissionis peccati -- Inquirit ibi, an remissio peccati sit effectus contritionis, & cum consideret in articulo, ut est pars Sacramenti, ut est virtus; de ea, ut est virtus, resolvit præcedere in signo naturæ in genere dispositivo, & subsequi in alio signo in genere causæ formalis.

182 Ostendamus tertium, qualis videlicet sit sensus Ecclesiæ circa connexionem necessariam dispositionis ad absolutionem, quâ completur Sacramentum Pœnitentiæ. Fidei est Catholicæ, in Sacramento Pœnitentiæ non prærequiri statum gratiæ pro es-

ſentiali diſpoſitione : quia per ſe hoc Sacramentum eſt factivum ſtatus gratiæ ; in quo immorari ſuperfluum eſt. Certa doctrina Eccleſiæ eſt, quòd dolor de peccatis debeat præcedere abſolutionem Sacerdotis. Docet Tridentinum *Seſſ. 6. cap. 6.*, ubi agit de diſpoſitionibus ad juſtificationem per Baptiſmum, requiri odium aliquod, & deteſtationem — Hoc eſt, per eam pœnitentiam, „ quam ante Baptiſmum agi oportet — Et hunc dolorem habendum ibidem docet, dum quis ſuſcipere Baptiſmum proponit.

Seſſ. 14. cap. 3. docet — Sunt autem „ quaſi materia hujus Sacramenti ipſius Pœ„nitentiæ actus, nempe Contritio, Confeſ„ſio, & Satisfactio — Ita tamen quòd ſatisfactio ſit pars omnino integralis, aliæ autem duæ ſint partes conſtitutivæ : ſed materia ſemper præſupponitur ad formam ; ita & illi duo actus debent præſupponi ad abſolutionem Sacramentalem. Idem *cap. 5.*

Rurſus *Cap. 6.* docet — Quamvis au„tem abſolutio Sacerdotis alieni beneficii „ ſit diſpenſatio, tamen non eſt nudum ſo„lum miniſterium, vel annunciandi Evan„gelium, vel declarandi remiſſa eſſe pecca„ta ; ſed ad inſtar actûs judicialis quo ab „ ipſo, velut a Judice ſententia pronuncia„tur. — Porrò priuſquam Judex pronunciat ſententiam debet cognoſcere cauſam rei, & ſic Sacerdos debet priùs certificari de diſpoſitione pœnitentis, deinde dare abſolutionem ; neceſſe eſt ergo, quòd dolor diſpoſitivus præcedat abſolutionem.

Nunc prædicta ad rem noſtram accommodando ſic diſcurrimus. Secundùm fidem pro actuali ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ non eſt neceſſarius ſtatus gratiæ pro diſpoſitione : ſed dolor de peccatis ex motivo charitatis probatæ ab Adverſariis per loca producta de mente D. Th., per eadem loca de evidenti mente D. Th. oritur in genere cauſæ formalis a ſtatu gratiæ ſanctificantis, & talis non eſt, ſi gratiâ non ſit formatus ; ergo D. Th. evidenter non exigit ad actualem ſuſceptionem Sacramenti dolorem de peccatis ex motivo charitatis ab Adverſariis explicatum ; vel dicendum eſt, quòd D. Th. teneat requiri ſtatum gratiæ, adeoque pœnitentiam non eſſe Sacramentum mortuorum ; quod ſine gravi injuria D. Th. dici nequit.

Item diſpoſitio neceſſaria pro actuali ſuſceptione Sacramenti Pœnitentiæ ex doctrina Concilii, & praxi Eccleſiæ, & omnium Theologorum aſſerto præcedere debet tempore, vel ſaltem poſſe præcedere abſolutionem completam Sacerdotis : ſed diſpoſitio prætenſa ab Adverſariis de mente D. Th. ex mente ejuſdem D. Th. non poteſt tempore præcedere abſolutionem completam ; ergo ab Adverſariis inducta diſpoſitio non eſt de mente D. Thomæ ; vel D. Thomas tenuit contra doctrinam Concilii, quod ipſi Concilio injurioſum eſt, cum D. Th. Doctrinam pro re nata adoptaverit. Declaratur aſſumptum. Dolor, de quo Adverſarii, & quem ex D. Th. prætendunt colligere, per D. Th. eſt in ipſo inſtanti intrinſeco juſtificationis : ſicut apertè oſtenſum eſt : gratia autem juſtificationis medio Sacramento non datur, niſi in inſtanti ultimo prolationis formæ ſacramentalis ; adeoque illa prætenſa diſpoſitio ex motivo charitatis nequit præcedere abſolutionem.

Si quis firmiter perſiſtere velit, quòd debet eſſe in eodem inſtanti cum præcedentia ſaltem in aliquo ſigno naturæ, conſtituet, & attribuet D. Th. ſiſtema impoſſibile moraliter, & etiam phyſicè, & exponens Sacramentum ex ſui inſtitutione periculo manifeſto nullitatis ut in pluribus : quia non eſt poſſibile, quòd coincidant in eodem inſtanti reali ultima prolatio formæ abſolutoriæ, & ultima ſufficientia, & alicientia actus charitatis, & contritionis ; & ad ſummum metaphyſicè accidere poterit illa coincidentia. Sed diſpoſitionem debere præcedere abſolutionem eſt certa Doctrina D. Thomæ pluribus locis, & ſufficiat, quod habet *Opuſc. 22. cap. 2. ad 7.* ubi — Per hoc ergo „ non oſtenditur, quòd Sacerdos non ab„ſolvat, aut non debeat dicere ego te ab„ſolvo, ſed quòd eum non debeat abſol„vere, in quo ſigna contritionis non videt, „ per quam homo juſtificatur interiùs a Deo dimiſſâ culpâ — Requirit ergo D. Thomas, quòd dolor præcedat abſolutionem dandam a Sacerdote. Per illa ultima verba non intendit ſtatuere, quòd ad abſolutionem præſupponi debeat contritio, quâ culpa dimittatur ; ſed illic explicat efficaciam veræ contritionis, quæ cum ſolo voto Sacramenti juſtificat, ut ibidem expreſsè docet ſtatuens, quòd quandoque homo conſequitur juſtificationem ante Sacramenti ſuſceptionem actualem, & aliquando per ipſum Sacramentum. Clarus ibi eſt D. Thomas.

183 PROB. VIII. Secundùm Doctrinam Concilii, Theologorum omnium, & etiam Adverſariorum diſpoſitio, quæ ſufficit ad juſtificandum cum ſolo voto Sacramenti, non eſt neceſſaria pro diſpoſitione ad actualem ſuſceptionem ejuſdem : ſed dolor de peccatis ex motivo charitatis prætenſus de mente D. Th. ab Adverſariis ſufficit ex D. Th. ad juſtificandum cum ſolo voto Sacramenti ; ergo D. Th. non requirit dolorem de peccatis ex motivo charitatis. Aſſumptum demonſtro. Inquirit *3. p. de Sacramentis q. 36.* aliàs *5. ſupplem. art. 1.*, num culpæ remiſſio ſit effectus contritionis, & ibi ad 3., quo ſibi objicit contritum ante confeſſionem non poſſe accedere ad Euchariſtiam, ac proinde per contritionem non remitti culpam, ſic habet — Diſpenſatio Euchariſtiæ pertinet ad „ Miniſtros Eccleſiæ, & ideo ante remiſ„ſionem peccati per Miniſtros Eccleſiæ non „ debet aliquis ad Euchariſtiam accedere, „ quamvis ſit ſibi culpa quoad Deum remiſ„ſa — Vide etiam ad 2., cujus verba dedimus ſupra *nu. 196. Quæſt. 38.* aliàs *7. ſupplem. art. 1. ad 2.* — Dicendum, quòd con„feſſio præſupponit charitatem (loquitur „ de confeſſione juſtorum) quâ quis vivus „ efficitur, ut in littera dicitur : Contritio „ autem eſt, in qua datur charitas : timor „ autem ſervilis, qui eſt in ſpe, prævius eſt „ ad charitatem —

Quæſt. 39. aliàs *8. ſupplem. art. 1. ad 2.* reſolvens quemlibet hominem non eſſe miniſtrum pœnitentiæ, dansque diſparitatem inter Baptiſmum, habet — Sed non eſt ita de„ con-

Cur quilibet queat eſſe miniſter Baptiſmi non verò Pœnitentiæ.

„ confessione , & absolutione , quæ tantùm „ ad adultos pertinant , in quibus contritio „ cum proposito confitendi, & desiderio ab- „ solutionis sufficit ad liberandum a morte „ æterna , & ideo non est simile de Baptis- „ mo , & Confessione — Art. 2. inquirens , num in casu necessitatis laico facienda sit confessio, ad 1. habet — Sed quando necessi- „ tas imminet debet facere pœnitens , quod „ ex parte sua est , scilicet conteri, & con- „ fiteri cui potest , qui quamvis Sacramen- „ tum perficere non possit , ut faciat id , „ quod ex parte Sacerdotis est ; absolutio- „ nem scilicet , defectum tamen Sacerdotis „ Summus Sacerdos supplet . *Et ad* 3. Et „ ideo quamvis ille laico confessus in arti- „ culo necessitatis consecutus sit veniam a „ Deo , eo quòd propositum confitendi , „ quod secundùm mandatum Dei percepit , „ sicut potuit , implevit .

Omissis duobus locis alibi datis ex *quæst.* 41. aliàs 10. *supplem. art.* 1. resolvens confessionem sacramentalem liberare a morte æterna , ad 1. habet — Contritio habet vo- „ tum confessionis annexum ; & ideo eo mo- „ do liberat a culpa pœnitentes , sicut desi- „ derium Baptismi baptizandos — Quod in corpore articuli docet , superiùs dedimus . Art. 3. resolvens confessionem aperire Paradisum ad 2. habet — Ante votum confessio- „ nis Paradisus clausus erat peccanti mor- „ taliter , quamvis postea per contritionem „ votum confessionis importantem apertus „ sit etiam ante confessionem actualiter fa- „ ctam : non tamen obstaculum reatus est „ totaliter amotum ante confessionem , & „ satisfactionem — Art. 5. inquirens , an generalis confessio deleat oblita , in corp. habet — Contingit autem quandoque , quòd „ per contritionem præcedentem peccatum „ aliquod deletum est quoad culpam , sive „ in generali , si ejus memoria tunc non „ habebatur, sive in speciali, & tamen ante „ confessionem illius peccati oblitus est : & „ tunc confessio generalis Sacramentalis „ operatur ad dimissionem pœnæ ex vi cla- „ vium —

Hæc , aliave hujusmodi evidenter demonstrant S. Thomam sanxisse contritionem, hoc est dolorem ex motivo charitatis sufficere ad remittenda peccata cum solo voto Sacramenti Pœnitentiæ ; adeoque evincitur D.Th. non requirere ad Sacramentum Pœnitentiæ pro essentiali , & necessaria dispositione detestationem peccatorum ex motivo charitatis, sed ex alio motivo inferioris ordinis , qualis est gehenna , turpitudo peccati, amissio gloriæ æternæ . . Nec datur aditus effugio Adversariorum de contritione perfecta , & imperfecta , idest ex charitate perfecta , & imperfecta , seu initiali ; hoc enim omnino voluntariè applicant dictis D. Th. , nec unquam assignabant vestigium aliquod hujus distinctionis in ordine ad effectum remissionis peccatorum ; in ordine quidem ad alios effectus hujusmodi distinctio reperitur . Si D. Th. quando dicit contritionem sufficere ad dimissionem culpæ cum voto Sacramenti, intelligeret contritionem intensam , acrem , vehementem , ut dicunt Adversarii , in aliquo saltem loco indicaret : sed semper absolutè utitur verbo *Contritio* ; valde durum est, ergo quòd tam frequenter hoc repetat , & nunquam mentionem faciat de hac conditione . Hoc planum , & evidens esse videtur .

184 Cæterùm , quia omnibus debitor sum , omissis pluribus in hoc Opere datis , indico aliqua momenta desumpta non ex omnibus Operibus D. Th. , sed ex quæstionibus solùm supplementi coordinatis a Seraphino Cappono a Porrecta, cujus coordinatione utimur ; & ostendemus, quòd D.Th. nomine contritionis deletivæ peccatorum cum voto Sacramenti , intelligat contritionem essentialiter acceptam, seu dolorem ex motivo charitatis substantialiter acceptæ ; non autem intensum , acrem , vehementem in linea intensionis , sed appretiativum tantùm .

Quæst. 1. *supplem.*, quæ est 32. *de Sacramentis art.* 2. firmat S. Thomas contritionem fine addito esse actum virtutis pœnitentiæ , secus attritionem : & in argumento , *Sed Contra* , docet contritionem esse meritoriam, quia est actus virtutis : porrò constituitur in esse virtutis pœnitentiæ ratione objecti specialis , quod respicit pœnitentia secundùm ea , quæ dicit *q.* 25. aliàs 85. , non ratione intensionis , ut apertè constat ; ergo contritio per D. Th. non ut intensa; sed secundùm speciem accepta est meritoria , & conjuncta cum gratia. Art. 3. firmat, quòd attritio nequit fieri contritio , quia contritio est actus formatus per charitatem, & est proinde conjunctus cum gratia : secus autem attritio ; porrò charitas non tribuit per D. Th. formationem virtutibus, ut intensa , sed secundùm suam accepta essentiam ; & ideo 2. 2. *q.* 23. ostendit charitatem esse formam omnium virtutum , quia ex sua essentia habet respicere ultimum finem, per cujus ordinem habetur formatio virtutum ; ergo contritio conjuncta est gratiæ sanctificanti ut contritio essentialiter est , non ut intensa .

D.Th. non requirit contritionem vehementem pro dimissione culpæ .

Quæst. 3. *supplem. quæst.* 34. *de Sacramentis art.* 1. resolvit contritionem esse dolorem majorem , qui possit esse in natura , quia ab amore charitatis oritur, qui est maximus, & ideo maximus , quia versatur circa ultimum finem , qui super omnia placet , non quia intensus : quia contritio est dolor de majori malo , quale est peccatum ; & idem majus malum , quia aversio ab ultimo fine , non quia intensum ; ergo contritio deletiva peccati est maximus dolor quoad speciem , non ratione intensionis . Art. 2. resolvit contritionem , quæ est in ratione non posse esse nimiam , quia sequitur naturam amoris charitatis quo intensa ; & contritio intenditur , quo discursu agnoscit veram contritionem haberi absque intensione , & intensionem esse accidentalem perfectionem , adeoque justificativam esse quoad suam substantiam acceptam .

Quomodo contritio sit dolor omnibus major .

Contritio nunquam nimia .

Quæst. 4. *supplem.* quæ est 35. *de Sacram. art.* 2. resolvit optimam esse semper pœnitere de peccatis per contritionem , quia cum sit actio pœnitentiæ virtutis — Nunquam „ potest esse ibi superfluum, sicut nec quan- „ tùm ad intensionem , ita nec quantùm ad „ durationem — & supponit , ac admittit in primo argumento — Statim post primam

„ contritionis tristitiam peccatum deleturum „ est — Igitur non requiritur ex parte durationis moram pro delendo peccato; ergo neque requiritur ex parte intensionis; hæc enim duo æquiparat in linea perfectionis accidentalis ipsius contritionis.

Quæst. 5. supplem. quæ est 36. *art.* 2. resolvit posse dari contritionem, quæ tollat totum reatum culpæ, & pœnæ. Omitto ejus rationem ex corpore art., ex qua evidenter colligitur contra Adversarios, quòd D. Th. non requirit contritionem vehementissimam pro remissione solius culpæ; & tantùm addo solutionem ad 3., quo contenditur per nullam contritionem, utpote finitam deleri posse totam pœnam peccato debitam, cum sit infinita. Sic ergo respondet — Dolor contritionis quamvis sit finitus quantùm ad intensionem, sicut etiam „ pœna peccato mortali debita finita est; „ habet tamen infinitam virtutem ex charitate qua informatur, & secundùm hoc „ potest valere ad deletionem culpæ, & „ pœnæ — Charitas informans est, quæ tribuit infinitam virtutem contritioni; non quidem, quia infinita sit intensivè, hoc enim repugnat æquè charitati, ac aliis virtutibus, sed quia infinita est objectivè juxta principia D. Thomæ, quia tendit immediatè in Deum objectum infinitum, ut optimè in notis advertit a Porrecta; ratione ergo hujus infinitatis objectivæ informans contritionem intensam delet totam pœnam; ac per consequens necesse est, ut informans contritionem substantialem non intensam deleat omnem culpam, ad quam habet oppositionem propter formam charitatis. In art. 3. habet illam clarissimam alibi datam resolutionem, quòd contritio minima delet omnia peccata. Hæc sufficienter, & abundè demonstrant ex mente D. Thomæ contritionem substantialiter acceptam (hoc est, dolorem de peccatis simpliciter ex motivo charitatis cum voto Sacramenti) esse deletivam culpæ, ac per consequens non requirere dolorem ex motivo charitatis pro necessaria dispositione in actuali susceptione Sacramenti. Remanet etiam concordatus D. Th. admirabili connexione doctrinæ per consonantiam ad principia fidei, quæ non possent salvari, si aliter exposita intelligerentur. Remanent insuper solutæ omnes objectiones. Ceterum claritatis gratiâ,

§. III.

SOLVITUR PRIMUM ARGUMENTUM ADVERSARIORUM, QUOD PHILALETES *Opusc. de Contritione cap.* 4. §. 3. PROFUSE' AMPLIFICAT.

185 OBJIC. I. Ad actum pœnitentiæ requiritur motus charitatis ex D. Th., sed pro dispositione essentiali ad actualem susceptionem Sacramenti requiritur actus pœnitentiæ virtutis; ergo ex D. Th. requiritur charitas. Hic syllogismus continet totum controversiæ pondus. Probandus igitur est diligenter per partes. Ostenditur major per loca intrinseca, & propria. *Tertiâ p. q.* 26. *de Sacram.* aliàs 85. A quæ tota est de pœnitentia virtute *art.* 2., in quo inquirit, an pœnitentia sit virtus specialis, & resolvit affirmativè, habet — „ in pœnitentia invenitur specialis ratio „ actus laudabilis, scilicet, operari ad destructionem peccati præteriti, in quantum „ est Dei offensa, quòd non pertinet ad rationem alterius virtutis — Hic autem respectus non stat absque charitate; ergo.

In responsione ad 1. quo intendit probare dolere de præterito peccato esse proprium charitatis, quia ipsius est gaudere de bono, posita distinctione actus eliciti a charitate, & actus imperati, habet — Si ergo B „ in actu pœnitentis consideretur sola displicentia actus præteriti, hoc ad charitatem „ immediatè pertinet, sicut & gaudere de „ bonis præteritis: sed intentio operandi „ ad deletionem peccati præteriti requirit „ specialem virtutem sub charitate — Art. 3. resolvit pœnitentiam esse speciem justitiæ, & habet — Pœnitentia non habet, quòd sit „ virtus specialis ex hoc solo, quòd dolet „ de malo perpetrato, ad hoc enim sufficeret charitas, sed ex eo, quòd Pœnitens „ dolet de peccato commisso in quantum est „ offensa Dei cum emendationis proposito —

C In responsione ad 4. quod intendebat probare pœnitentiam pertinere ad prudentiam ex quadam Glossa, resolvens quodammodo pertinere ad plures virtutes, habet — „ In quantum enim est justitia quædam hominis ad Deum, oportet, quòd participet ea, quæ sunt virtutum Theologicarum, quæ habent Deum pro objecto: Unde pœnitentia est cum fide Passionis Christi, per quam justificamur a peccatis, & „ cum spe veniæ, & cum odio vitiorum, „ quod pertinet ad charitatem — Art. 5., & 6. idem affirmat, & alibi sæpe.

186 Ostenditur minor ex pluribus locis, D quæ claritatis gratia sequenti pacto partimor. Primus locus. *Quæst.* 25. *de Sacram.* quæ est 84. 3. *part. art.* 2. resolvit pœnitentiam esse Sacramentum, & actus pœnitentis esse loco materiæ; quod repetit ad 2. habens — In Sacramento autem pœnitentiæ, „ sicut dictum est, sunt actus humani pro „ materia, qui proveniunt ex inspiratione „ interna — Secundus locus. Art. 2. resolvit peccata esse materiam remotam, proximam verò actus pœnitentis, habet enim — „ Dictum est autem, quòd materia proxima „ hujus Sacramenti sunt actus pœnitentis. Tertius locus. Art. 3. resolvens formam E esse verba Sacerdotis, ad 2. habet — Præmittitur tamen etiam in Sacramentali absolutione talis oratio, ne impediatur effectus Sacramenti ex parte Pœnitentis, cujus actus materialiter quodamodo se habeat in hoc Sacramento, non autem in „ Baptismo, & Confirmatione — Quartus locus. Art. 4. resolvit impositionem manuum non esse materiam necessariam Sacramenti Pœnitentiæ, & ad 3. habet — Sed loco materiæ se habent ea, quæ sunt ex „ parte Pœnitentis —

Quintus locus. Art. 5. ejusdem *quæst.* ubi resolvit Sacramentum Pœnitentiæ esse necessa-

necessariam supposito peccato, ad 1. habet -- " Sed ea qua bona voluntas tollitur per peccatum, non potest restitui sine tristitia, qua " quis dolet de peccato præterito, quod pertinet ad pœnitentiam. Sextus locus. Ad 2. ejusd. Art. -- Requirit enim charitas, quod " homo doleat de offensa in amicum commissâ, & quod amico homo studeat satisfacere . Septimus locus . Art. 7. ejusd. *quæst.* resolvit Sacramentum Pœnitentiæ convenientes esse institutum in nova lege, & in corp. art. statuit, quod actus pœnitentis se habet, sicut materia : statuit, quod in aliis Sacramentis præexistit a natura, ut aqua., vel ab arte, ut panis : statuit, quod in hoc Sacramento -- Materia præexistit a natura " (ex naturali enim ratione homo movetur " ad pœnitendum de malis, quæ fecit) sed " quòd hoc, vel illo modo homo pœnitentiam agat est ex institutione divina -- Ad 1. statuit esse de jure naturali, quòd aliquis pœniteat de malis, quæ fecit, deinde concludit -- Sed sicut alia, quæ sunt de jure " naturali determinationem acceperunt ex " institutione legis divinæ, ut in secunda " parte habitum est, ita etiam, & pœnitentia -- Ad 2. resolvit, quæ juris sunt naturalis diversimodè accipiunt determinationem in veteri, & nova lege ab institutione divina ; & resolvit, quòd pœnitentia in lege veteri habet adjunctam aliquam confessionem peccati, sed non Sacramentalem, quia -- Nondum erat instituta potestas clavium, quæ a Passione Christi derivatur ; " & per consequens nondum erat institutum, quòd aliquis doleret de peccato cum " proposito subjiciendi se per confessionem " clavibus Ecclesiæ sub spe consequendæ " veniæ, virtute Passionis Christi -- Quo discursu videtur docere, quòd pœnitentia, quæ erat necessaria sub lege naturæ, & sub lege scripta, fit in lege nova elevata in Sacramentum ; ac proinde pœnitentiam virtutem, qualis illa erat, esse partem essentialem Sacramenti .

Octavus . Art. 8. ejusd. *quæst.* resolvens quomodo pœnitentia debeat durare usque ad finem vitæ, habet -- Duplex est pœnitentia, " scilicet, interior, & exterior : interior " quidem pœnitentia est, qua quis dolet de " peccato commisso, & talis pœnitentia " debet durare usque ad finem vitæ -- Quam dicit locum habere in proficientibus, & perfectis ; isti autem habent pœnitentiam virtutem . Nonus . Eamdem supradictam pœnitentiam interiorem conjunctam cum exteriori admittit in incipientibus in resp. ad 2. Art. 10. resolvens Sacramentum Pœnitentiæ esse iterabile, & refellens causam primam erroris oppositi, habet -- Errabant " circa rationem veræ pœnitentiæ ; cum " enim ad veram pœnitentiam charitas requiratur (sine qua non delentur peccata) " credebant, quòd charitas semel habita " non possit amitti, & per consequens pœnitentia si sit vera, nunquam per peccatum tollatur --

Decimus . *Quæst.* 27. aliàs 86. *art.* 1. inquirens, num per pœnitentiam remitti possit peccatum, resolvit -- Impossibile est " peccatum actuale mortale sine pœnitentia " remitti, loquendo de pœnitentia, quæ est " virtus -- Et rationem assignat, quia debet immutari voluntas aversa a Deo per conversionem ad eumdem, ut ipse possit gratiam infundere, quæ offensæ opponitur. Undecimus. Art. 4. ejusd. *quæst.* 27. resolvit dimissâ culpâ per pœnitentiam, non semper dimitti totum reatum pœnæ temporalis, & in solutione ad 3. dans disparitatem inter Baptismum, & Pœnitentiam, habet -- In pœnitentia verò consequitur virtutem Passionis " Christi secundùm modum propriorum " actuum, qui sunt materia pœnitentiæ, " sicut aqua Baptismi, ut supra dictum est, " & ideo non statim per primum actum " pœnitentiæ, quo remittitur culpa solvitur " reatus totius pœnæ, sed completis omnibus pœnitentiæ actibus --

Duodecimus . Art. 6. ejusd. *quæst.* 27. in argum. Sed contra, resolvit remissionem culpæ esse effectum pœnitentiæ virtutis, & in corp. art. habet -- Pœnitentia est virtus, " secundùm quod est principium quorumdam actuum humanorum . Actus autem " humani, qui sunt ex parte peccatoris, " materialiter se habent in Sacramento Pœnitentiæ . Omne autem Sacramentum " producit effectum suum, non solùm virtute formæ, sed etiam virtute materiæ " ex utroque enim est unum Sacramentum " &c. Ita etiam, & remissio culpæ est effectus pœnitentiæ principaliùs quidem ex " virtute clavium, quas habent Ministri, " ex quorum parte accipitur id, quod est " formale in hoc Sacramento (ut supra dictum est) secundariò autem ex vi actuum " pœnitentis pertinentium ad virtutem pœnitentiæ, tamen prout hi actus aliqualiter ordinantur ad claves Ecclesiæ : & sic " patet, quòd remissio culpæ est effectus " pœnitentiæ secundùm quod est virtus, " principaliùs autem secundùm quod est Sacramentum --

Decimus tertius . *Quæst.* 30. *de Sacram.*, quæ est 89. 3. *part. art.* 1. resolvit omnes virtutes restitui per pœnitentiam, & ad 2. habet -- in Sacramento Pœnitentiæ actus " humani se habent materialiter : sed formalis vis hujus Sacramenti dependet ex " virtute clavium ; & ideò virtus clavium " effectivè causat gratiam, & virtutes, instrumentaliter tamen, sed actus primus " pœnitentis se habet, ut ultima dispositio " ad gratiam consequendam, scilicet contritio : alii verò sequentes actus pœnitentiæ procedunt jam ex gratia, & virtutibus -- Decimus quartus . Ad 3. -- Quandoque post primum actum pœnitentiæ, qui " est contritio, remanent quædam reliquiæ " peccatorum --

Decimus quintus . *Quæst.* 31. aliàs *quæst.* 90. *art.* 1. resolvens pœnitentiam habere partes, habet -- Et ideo cum plures actus " humani requirantur ad pœnitentiæ perfectionem, scilicet Contritio, Confessio, " & Satisfactio (ut infra patebit) consequens est, quòd Sacramentum Pœnitentiæ habeat partes -- Art. 2. resolvens tria prædicta convenienter assignari tamquam partes, habet -- Sic igitur requiritur ex " parte Pœnitentis : primò quidem volun-

" tas

Digitized by Google

„ tas recompensandi quod fit per contritio-
„ nem -- Et concludens responsionem ad 4.
A habet -- Ad perfectionem tamen pœnitentiæ „ requiritur, & contritio cordis, & con- „ fessio oris, & satisfactio operis --

Decimus sextus. *Quæst.* 32. quæ est prima *supplem. art.* 1. habet -- Et quia actus „ contritionis est actus virtutis, & est pars „ Sacramenti Pœnitentiæ, ideo manifesta- „ tur in prædicta definitione. Decimusseptimus. *Quæst.* 36. aliàs 5. *supplem. art.* 1. resolvens remissionem esse effectum contritionis, habet -- Contritio potest dupliciter „ considerari, vel in quantùm est pars Sa- „ cramenti, vel in quantùm est actus vir-
B „ tutis, & utroque modo est causa remis- „ sionis peccati, sed diversimodè -- Hæc sunt, quæ ad punctum difficultatis deserviunt: omisi quædam alia loca ab Adversariis recitata, quia nullo modo ad rem sunt; & quæ sunt magis ad propositum addidi ex studio proprio D. Thomæ.

187 Consequentia videtur evidens, posità veritate utriusque præmissæ, eamque Junior quidam in manuscripto putat evincere ex illo D Th. *quæst.* 27. *de Sacramentis*, aliàs 86. *art.* 6. *ad* 2. ubi -- In justificatione impii „ non solùm est actus pœnitentiæ, sed etiam „ actus fidei, ut dictum est, ideo remissio
C „ culpæ non ponitur effectus solùm pœniten- „ tiæ virtutis: sed principaliter fidei, & cha- „ ritatis -- Addit ille etiam illud ex 40. *quæst.* quæ est 9. *suppl. art.* 1. -- Confessio non „ valet sine charitate -- Est tamen propositio obtruncata a suo textu;

188 Hoc argumentum est evidenter solutum ex nostris probationibus, ubi diximus talia nos cogere ad dicendum, quòd D. Th. senserit contra definita ab Ecclesia. Hoc verò Catholicas aures ferit; immo D. Thomam sentire cum Ecclesia circa qualitatem dispositionis necessariæ in Sacramento Pœnitentiæ vox una est omnium Adversariorum, qui uno ore fatentur Concilium Tri-
D dentinum *Sess.* 6. *cap.* 6. agens de dispositionibus ad justificationem doctrinam illam non tam desumpsisse, quàm rescripsisse ab Angelico Doctore ex *q.* 26. *de Sacram.*, aliàs 85. 3. *p. art.* 5.

Sentit Ecclesia, quòd Sacramentum Pœnitentiæ per se est in actuali susceptione remissivum peccati quoad maculam: sentit Ecclesia, quòd pro necessaria dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ non requiritur motus liberi arbitrii supponens statum gratiæ sanctificantis, nec requiritur motus meritorius. Si hoc non sentit D. Thomas, cum Ecclesia non sentit. Si autem dicatur D. Th.
E requirere pro necessaria dispositione actum pœnitentiæ virtutis propriè dictæ ad actualem susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ cogimur asserere Ipsum dissentire a recitata Doctrina Ecclesiæ; quia apertè docet actum pœnitentiæ virtutis propriè dictæ esse a gratia sanctificante, seu cum ea conjunctum pro eo instanti reali, quo elicitur, quo tempore Sacramentum Pœnitentiæ non est, nec potest esse completum, adeoque nec gratiæ productivum, completur enim Sacramentum per formam, & absolutionem, quæ necessariò supponere debet materiam remotam, & proximam, qui sunt actus Pœnitentis.

A Assumptum jam superiùs fusè ostendimus; quare in præsenti solùm unum, vel alium textum producam ex 3. part., ex quo totum argumentum præsens curavimus desumere, nec quomodocumque, sed ex iisdem locis, ex quibus Adversarii suos textus desumpserunt, ut pateat nullus aditus prætensæ distinctioni contritionis, & dilectionis perfectæ, & initialis.

189 *Quæst.* 27. *de Sacramentis*, aliàs 86. 3. *part. art.* 6. quo resolvit culpæ remissionem esse effectum pœnitentiæ virtutis, ad 1. habet -- Effectus gratiæ operantis est justi-
B „ ficatio impii, ut in 2. part. dictum est, „ in qua ut ibidem dictum est, non solùm „ est gratiæ infusio, & remissio culpæ, sed „ etiam motus liberi arbitrii in Deum, qui „ est actus fidei formatæ, & motus liberi „ arbitrii in peccatum, qui est actus pœni- „ tentiæ. Hi tamen actus humani sunt ibi, „ ut effectus gratiæ operantis simul produ- „ cti cum remissione culpæ: unde remissio „ culpæ non fit sine actu pœnitentiæ virtu- „ tis, licèt sit effectus gratiæ operantis -- Videant Clarissimi Adversarii, quomodo clarè dicat actum pœnitentiæ virtutis esse productum simul cum remissione culpæ, &
C esse effectum ipsius gratiæ remissivæ. Ad 3. hæc habet -- Ad id autem, quod in con- „ trarium objicitur, dicendum est, quòd „ actus pœnitentiæ virtutis habet, quòd sine „ eo non possit fieri remissio culpæ in quan- „ tùm est inseparabilis effectus gratiæ, per „ quam principaliter culpa remittitur -- Ecce quomodo clarè actus pœnitentis ponitur effectus gratiæ sanctificantis; ecce quomodo intelligat actum pœnitentiæ virtutis necessarium esse ad remissionem culpæ, quia est effectus inseparabilis gratiæ justificantis.

Quæst. 30. aliàs 89. qua inquirit, qualiter per pœnitentiam recuperentur virtutes
D art. 1. ad 1. habet -- Eodem modo pœni- „ tentia restituit virtutes, per quem modum „ est causa gratiæ, ut jam dictum est. Est „ autem causa gratiæ in quantùm est Sacra- „ mentum, nam in quantùm est virtus, est „ magis gratiæ effectus. Et ideo non opor- „ tet, quòd pœnitentia, secundùm quod est „ virtus sit causa omnium aliarum virtutum: „ sed quod habitus pœnitentiæ simul cum „ habitibus aliarum virtutum, per Sacra- „ mentum pœnitentiæ causentur -- Noscant Adversarii mentem S. Th. *quæst.* 36. aliàs 5. *supplem. art* 1. ubi resolvit remissionem culpæ esse effectum contritionis, a quo art. Ad-
E versarii fortè celebriorem locum depromunt, ad 2. in quo arguitur contritionem non posse causare remissionem culpæ, quia est actus virtutis, & virtus sequitur peccati remissionem, habet -- Peccati remissio uno modo „ præcedit virtutem, & gratiæ infusionem; „ & alio modo sequitur, & secundùm hoc, „ quod sequitur actus a virtute elicitus po- „ test esse causa aliqua remissionis peccati -- Perpetuus est Angelicus, quòd actus pœnitentiæ virtutis simul est in eodem instanti cum gratia sanctificante. Benè notent Adversarii, quòd est ille idem actus pœnitentiæ, de quo in corpore articuli; adeoque est

est illis impossibile effugium præteusæ distin-
ctinniv de dilectione perfecta, & imperfecta. A
Quest. 40., que est 9. suppl art 1., quo
resolvit dari confessionem informem, habet --
,, Confessio est actus virtutis, & pars Sacra-
,, menti : secundùm autem, quòd est actus
,, virtutis est actus meritorius propriè, & sic
,, confessio non valet sine charitate, quæ est
,, principium merendi, sed secundùm quod
,, ast pars Sacramenti &c. -- Eludi non
potest hic textus; nusquam enim admittit
D. Thomas actum pœnitentiæ virtutis sepa-
ratum a gratia eodem instanti, quo elicitur.
Ad 2. habet -- Contritio, & satisfactio fiunt
,, Deo, sed confessio fit homini : & idea de
,, ratione contritionis, & satisfactionis ast, B
,, quòd homo fit Deo per charitatem unitus,
,, non autem de ratione confessionis -- Hæc
clarissima, & indissolubilia testimonia abun-
dè sufficiunt ad demonstrandam propositio-
nem præmissam. Qui ergo dicunt D. Th.
exigere pro actuali susceptione Sacramenti
actum pœnitentiæ virtutis propriè dictæ,
tribuere cogantur D. Th., quòd ad actualem
susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ exigat
statum gratiæ sanctificantis; adeoque teneat
contra Doctrinam Ecclesiæ; quod nefas est
suspicari.

190 Tenere autem Angelicum Docto-
rem non esse necessarium statum gratiæ evi- C
dens est, cum doceat frequenter Sacramen-
tum Pœnitentiæ in actu susceptum primam
gratiam producere, ac proinde facere ex
attrito contritum; unde omnia loca, quibus
contendit actualem susceptionem sanctificare,
assumuntur a Doctoribus ad evincendam suf-
ficientiam attritionis simplicis, hoc est, ex
non dilectione. Subdamus aliqua.

Quest. 25. de Sacram. aliàs 84. art. 3.,
quo resolvit formam Sacramenti Pœnitentiæ
,, esse, Ego te absolvo, habet -- Cum autem
,, Sacramenta novæ legis efficiant, quod fi-
,, gurant, ut supra dictum est, oportet,
,, quòd forma Sacramenti significet quod D
,, in Sacramento agitur proportionabiliter
,, materiæ Sacramenti, unde forma Baptismi
,, est, Ego te baptizo &c. hoc autem Sa-
,, cramentum scilicet Pœnitentiæ, non consi-
,, stit in consecratione alicujus materiæ, nec
,, in usu alicujus materiæ sanctificatæ, sed
,, magis in remotione alicujus materiæ, sci-
,, licet peccati, prout peccata dicuntur esse
,, materia pœnitentiæ, ut ex supra dictis
,, patet, talis autem remotio significatur a
,, Sacerdote cum dicitur, Ego te absolvo,
,, nam peccata sunt quædam vincula secun-
,, dùm illud Proverb. 5. Iniquitates suæ ca-
,, piunt impium, & funibus peccatorum E
,, suorum quisque constringitur --
Ad 3. -- Solùm Deus per auctoritatem
,, a peccato absolvit, & peccatum remittit :
,, Sacerdotes tamen utrumque faciunt per
,, ministerium in quantùm scilicet verba
,, Sacerdotis in hoc Sacramento instrumenta-
,, liter operantur in virtute divina, sicut etiam
,, in aliis Sacramentis. Nam virtus divina est,
,, quæ interiùs operatur in omnibus sacra-
,, mentalibus signis, sive verbis, sicut ex supra-
,, dictis patet, unde & Dominus expressit
,, utrumque, nam Matth. 16. dixit Petro,
,, Quodcumque solveris super terram &c.,
,, & Joann. 20. dixit Discipulis, Quorum
,, remiseritis peccata, remittuntur ei -- Ad
quintum -- Illa expositio Ego te absolvo,
,, idest absolutum ostendo quantùm ad ali-
,, quid quidam vera est, non tamen est perfe-
,, cta : Sacramenta enim novæ legis, non
,, solùm significant, sed etiam faciunt, quod
,, significant. Unde sicut Sacerdos bapti-
,, zando aliquem ostendit hominem ablutum
,, interiùs per verba, & facta, non solùm
,, significativè, sed etiam effectivè, ita etiam
,, cum dicit Ego te absolvo, ostendit homi-
,, nem absolutum, non solùm significativè,
,, sed etiam effectivè -- Hæc alibi sæpè.
Habemus ergo Angelicum Doctorem
docentem Sacramentum Pœnitentiæ in actua-
li susceptione esse productivum immediatè,
& per se remissionis peccatorum; ac proin-
de non potest docere pro dispositione essen-
tiali necessarium esse statum gratiæ sanctifi-
cantis; ac per consequens neque requiri
actum pœnitentiæ virtutis propriè dictæ,
contritionemque rigorosè dictam, idest do-
lorem de peccatis ex motivo formalis dile-
ctionis, quam indispensabiliter S. Doctor
conjunctam ponit cum statu gratiæ. Modò,
priusquam applicemus Doctrinam clarissimè
concordantem D. Th. recensendum est aliud
principium apud D. Thomam certissimum,
videlicet, Sacramentum Baptismi, & Pœ-
nitentiæ etiam in voto susceptum conferre
primam gratiam. Hoc centies in suis
scriptis occurrit; pauca tamen subdamus.

191 Quest. 9. de Sacram., aliàs 68 3 p.
art. 2. resolvens neminem salvari absque
Baptismo, habet -- Alio modo potest Sa-
,, cramentum Baptismi alicui deesse, re, sed
,, non voto : sicut cum aliquis baptizari de-
,, siderat, sed aliquo casu prævenitur morte,
,, antequam ad Baptismum perveniat, an-
,, tequam Baptismum suscipiat, & talis sine
,, Baptismo actuali, salutem consequi potest
,, propter desiderium Baptismi, quod pro-
,, cedit ex fide per dilectionem operante,
,, per quam Deus interiùs hominem sancti-
,, ficat --

Quest. 39. de Sacramentis, aliàs 8. suppl.
art. 1., quo resolvit necessarium esse confi-
teri Sacerdoti, ad 2. habet -- Sed non est
,, ita de confessione, & absolutione, quæ
,, tantùm ad adultos pertinent : in quibus
,, contritio cum proposito confitendi, &
,, desiderio absolutionis sufficit ad liberan-
,, dum a morte æterna -- Art. 2., quo re-
solvit licere in aliquo casu confiteri non Sa-
cerdoti, habet -- Et ideo quamvis ille laico
,, confessus in articulo necessitatis consecu-
,, tus sit veniam a Deo, eo quòd propositum
,, confitendi, quod secundùm mandatum
,, Dei percepit, sicut potuit implevit -- Quest.
41. aliàs 10. supplem. art. 1., quo resolvit
confessionem a morte peccati liberare, ha-
bet -- Liberat enim Baptismus a morte pec-
,, cati non solùm secundùm quod actu su-
,, scipitur, sed etiam secundùm quod in
,, voto habetur &c. & similiter dicendum
,, est de confessione adjuncta absolutioni;
,, quia secundùm quod in voto pœnitentia
,, præcessit, a culpa liberavit -- His posi-
tis, concordatur dilucidè, & solidè D. Tho-
mas.

192 Du-

192 Duplex, ut vidimus, admittit Angelicus genus dispositionum ad justificationem. Primas vocant Philosophi dispositiones prævias, seu antecedentes ultimatè disponentes ad formam; & ad hoc genus pertinet attritio simplex, hoc est, quæ est dolor de peccatis non ex motivo dilectionis Dei benevolæ. Secundas vocant iidem Philosophi concomitantes; & ad hoc genus pertinet contritio propriè dicta, idest dolor de peccatis ex motivo dilectionis Dei benevolæ, quæ vocatur actus pœnitentiæ virtutis in proprietate; nam attritio simplex est actus pœnitentiæ virtutis, sed non in proprietate, seu non ex primario motivo, sed ex secundario. Ea ratione pœnitentia dicitur virtus, quia (loquendo de actu) est motus voluntatis ex electione secundùm rectam rationem, ut probat S. Doctor *q. 26. de Sacramentis*, aliàs 85. *art.* 1.; & est virtus specialis, quia habet specialem laudabilitatem, hoc est, operari ad destructionem peccati præteriti in quantùm est Dei offensa, quod non pertinet ad rationem alterius virtutis, ut declarat 2. art. Dolere autem de peccato ex motivo timoris Dei potentis punire, & volentis est secundùm rectam rationem; ac proinde ad virtutem pœnitentiæ pertinet. Dolor de peccatis ex hoc motivo timoris assumitur ex electione, ex intentione destruendi peccatum præteritum, & ipsam offensam Dei; ac per consequens spectat ad pœnitentiam virtutem specialem.

Probat Angelicus pœnitentiam esse virtutem art. 1. argum. sed Contra illo Matt 4. *Pœnitentiam agite, appropinquat enim Regnum Cælorum*: art. postea 5. ad 2. explicat illud motivum *Appropinquat*, prout comprehendit Deum præmiantem, & punientem; ac proinde dolere de peccato ex hoc motivo pertinet ad virtutem pœnitentiæ. Ad 3. primi articuli, quod contendit dolere de peccato præterito, quod non potest non esse, stultum esse, & non virtuosum, respondet S. Doctor: quòd non intendit Pœnitens conari, ut factum non sit factum, sed reprobare factum præteritum cum intentione removendi sequelam ipsius, scilicet offensam Dei, & reatum pœnæ; & hoc non est stultum, sed secundùm virtutem. Cùm ergo attritus simplex ex motivo timoris conetur removere offensam Dei, & reatum pœnæ, attritio utique est virtutis pœnitentiæ actus. Itaque virtus pœnitentiæ specialis, vel pœnitentiæ virtutis specialis est dolor de peccato præterito ex intentione destruendi peccatum præteritum, & offensam Dei: si iste dolor sub hac intentione tendat in destructionem peccati, in quantùm est Dei offensa, ly *in quantùm* acceptum pro motivo, idest prout offensa est malum Dei, hoc est, prout imperatur a charitate, ut ad 1. secundi artic. S. Doctor explicat, ille actus est pœnitentiæ virtutis in proprietate acceptæ, quia est ex motivo primario; Si verò illud *in quantùm est Dei offensa* stet pro objecto, & dolor imperetur a timore Dei punientis æternaliter sui offensam, ille actus est verè actus pœnitentiæ virtutis, sed ex motivo secundario, adeoque non in proprietate acceptæ.

Consimiliter contritio genericè accepta est detestatio peccati, & offensæ Dei cum proposito emendationis; si a charitate imperetur, dicitur contritio rigorosa, & in proprietate: si verò a timore imperetur dicitur contritio, sed non rigorosa, sed imperfecta; & nos hanc vocamus attritionem simplicem. Admittere autem D. Thomam contritionem illam genericè acceptam evidens est ex pluribus, quæ attulimus in nostris probationibus; placet tamen unum hic addere.

193 *Quæst.* 32. *de Sacramentis*, quæ est 1. *supplem. art.* 1. explicat contritionem per varias definitiones traditas a Patribus, quarum aliquæ loquuntur de contritione imperfecta, ut evidens est. Prima definitio ex Augustino *lib.* 24. *de Civit. Dei cap.* 6. 7., *&* 8. scilicet -- Dolor pro peccatis assump„tus cum proposito confitendi, & satisfa„ciendi -- comprehendit contritionem specialiter dictam, & non specialiter dictam; quam definitionem, dicit Angelicus, esse quoad substantiam actus, datam -- Quia „ actus contritionis est actus virtutis, & est „ pars Pœnitentiæ Sacramenti, ideo ma„ nifestatur in prædicta definitione, in „ quantùm est actus virtutis in hoc, quòd „ ponitur genus ipsius, scilicet dolor, & „ objectum in hoc, quòd dicitur pro pec„ catis: & electio, quæ requiritur ad actum „ virtutis in hoc, quòd dicitur assumptus. „ Sed in quantùm est pars Sacramenti per „ hoc, quòd tangitur ordo ad alias partes, „ cum dicitur cum proposito confitendi „ &c. -- Deinde subdit aliam definitionem, quam dicit esse de contritione præcisè, ut actus virtutis specialis est, pœnitentiæ in proprietate; & hæc est de contritione specialiter dicta. Tertio loco reponit definitionem Isidori *lib.* 2. *de Summo bono cap.* 12. idest -- Contritio est humilitas mentis cum „ lacrymis, veniens de recordatione pec„ cati, & timore judicii -- Hanc Angelicus explicat per partes, & veniens ad ultimam partem, ait -- Et principium contri„ tionis (tangit) in hoc, quòd dicit veniens „ de consideratione peccati, & timore judi„ cii -- Quarto loco reponit alteram definitionem ex D. Augustino super Psal. 146., quæ est per effectus, videlicet -- Contritio „ est dolor remittens peccatum -- & hæc potest applicari perfectæ, & imperfectæ, quia utraque peccatum remittit intra, vel extra Sacramentum. Altera ex D. Gregorio *Homil.* 22. *super Ezech. tom.* 2. est -- Contri„ tio est humilitas spiritus annihilans pec„ catum inter spem, & timorem -- quam explicans per partes, ultimam sic exponit -- „ Originem (tangit) in hoc, quòd dicit „ inter spem, & timorem: nec solùm po„ nit causam principalem, quæ est timor, „ sed etiam concausam, quæ est spes, sine „ qua timor desperationem facere posset -- Et hæc definitio, sicut illa Isidori est de contritione impropria, seu imperfecta, quam apertissimè attritionem vocat Angelicus art. 3. in argumento, sed Contra sic -- Quorum „ principia sunt diversa omnino, eorum non „ potest fieri unum, id quod est alterum: „ sed attritionis principium est timor servi„ lis, contritionis autem timor initialis, er„ go attritio non potest fieri contritio --

Utrùm-

Attritus quomodo fiat contritus.

Utramque Isidori, & Gregorii definitionem de attritione pura traditam esse explicat, & probat Commentator Capponi a Porrecta per verba Concilii Tridentini *Sess.* 14. *cap.* 4. *parte* 2., & auctoritate S. Clementis. Hanc illa fieri posse contritionem in proprietate docet, si superveniat motivum dilectionis; non quòd idem actus fiat alius, sed quia unus alteri succedit. Quandiu ille dolor est elicitus a solo timore servili vocatur contritio informis; quando autem accedit dilectio dicitur formata -- Eo quomodo contritio oritur, & priùs informis ex timore solo, postea media spe charitate formatur -- inquit Capponi. Ubi habes quomodo apud antiquos dicebatur, quòd attritio fit contritio; quia attritio præcedit, dolor nempe ex solo timore, & subsequitur contritio, alius actus doloris, videlicet ex motivo dilectionis. Habes quomodo apud antiquos dicebatur attritio informis; quia non ex motivo charitatis elicitur, contritio autem dicebatur formata, quia ex motivo charitatis elicitur. Habes quomodo apud antiquos dicebatur attritum virtute clavium fieri contritum; quia virtus clavium supplet formationem, quam tribuit motivum charitatis.

Deinde art. 2. resolvit D. Th. contritionem esse actum virtutis; & hic nomine contritionis accipit dolorem de peccatis ex motivo dilectionis benevolæ. Primò hoc patet ex argumento, *sed Contra*, in quo ponit esse actum meritorium. Secundò ex corpore articuli, in quo contritionem appellat annihilationem voluntatis peccaminosæ præteritæ: sed annihilatio est maximus modus destructivus rei; ergo qui conteritur in proprietate dolet ex maximo motivo, quod est illud dilectionis. Tertiò ex conclusione articuli, in qua declarat contritionem actum esse illius pœnitentiæ, quæ est destructiva peccati; & hæc est, quæ a charitate informatur; quod repetit ad 1., & ad 2. Quartò ex corp. articuli tertii, in quo firmans attritionem non posse fieri contritionem, docet actum contritionis esse ab habitu infuso charitatem consequente; & in hoc sensu attritio, utpote ex solo timore servili non est virtus, sicut concedit ad tertium articuli secundi, est tamen virtus ex alio motivo, ut vidimus.

Ulteriùs procedendo. Duplicem pariter modum causandi agnoscit, ut innuimus, in Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramentis; cui duplici modo causandi primam gratiam distribuit necessariam dispositionem cum proportione. Ad Sacramentum Pœnitentiæ ut in actu causans primam gratiam necessaria est dispositio ultima, & proxima antecedens, quæ non habet connexionem cum forma, nisi accedente causa secunda effectiva, & productiva cum subordinatione ad causam primam, ut patet inductione in naturalibus; attritio autem simplex pertinet ad genus dispositionis ultimæ antecedentis formam, ac proinde est sufficiens ad justificationem accedente influxu effectivo causæ secundæ justificantis activè instrumentaliter, quæ est Sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ. Ad Sacramentum Pœnitentiæ, ut in voto causans primam gratiam necessaria est dispositio ultima concomitans, quæ habet connexionem cum forma per se ipsam, & ad genus dispositionis ultimæ concomitantis pertinet dolor de peccatis ex motivo dilectionis benevolæ.

194 Itaque quando Doctor Angelicus requirit ad justificationem per Sacramentum contritionem, quæ est dolor dilectivus Dei, vel actum pœnitentiæ specialiter dictæ, loquitur de justificatione Sacramentali in voto, quam contritionem tunc vocat partem Sacramenti ratione voti contenti, & ratione ordinis ad Sacramentum, a quo ordine habet efficaciam inferendi justificationem. Quando autem docet in actuali sumptione requiri actus doloriferos pœnitentis, loquitur indefinitè de dolore proveniente ex aliquo vero motivo supernaturali apto ad causandam displicentiam. Cum dicit contritionem, & actum pœnitentiæ esse partes Sacramenti Pœnitentiæ, accipit contritionem, & pœnitentiam genericè, hoc est, prout est displicentia peccati ex motivo supernaturali, non autem determinatè pro dolore dilectivo; & quia Angelicus Doctor pro sufficientia dispositionis Sacramentalis exigit dolorem supernaturalem, addere solet illam modificationem peccati *prout est offensa Dei*, ut excludat dolorem naturalem ex motivo temporalium, paupertatis, infamiæ, infirmitatis, mortis, carceris, & similium.

His explicatis nulla est necessitas respondendi ad singulas auctoritates productas in argumento. Solùm adverto, quòd S. Doctor sæpè in eodem articulo nomen pœnitentiæ, & etiam contritionis aliquando accipit genericè, aliquando specificè: aliquando pro pœnitentia virtute, aliquando pro Sacramento; & hoc fatebitur quilibet candidus studiosus D. Th. in quæstionibus in hoc argumento citatis, & citandis; & ratio est clara, quia respondet argumentis, prout fert eorum conditio.

Abundè, & quidem coherenter, & ab incohærentia defendentes D. Thomam satisfecimus singulis formalitatibus argumenti, & dedimus sufficientissimam regulam, qua singula loca explicari possunt; sed quia studiosi panem in minutiores partes frangi exoptant, ideo brevissimè singula reassumam. Non omnia loca, quæ produximus in probationem majoris propositionis syllogismi in objectione relati, sunt ad eum finem directa a D. Thoma, sed aliqua sunt inserta occasione alterius doctrinæ. Concedimus per ea probari actum pœnitentiæ virtutis in proprietate dictum originari a motivo divinæ dilectionis benevolæ, seu includere amorem Dei super omnia; negamus tamen per ea concludi votum hujusmodi pœnitentiæ esse necessarium pro actuali susceptione Sacramenti, cum illum in eodem instanti doceat dari, quo gratia sanctificans infunditur, immo asserat non posse dari, nisi præsupposito habitu infuso in priori saltem naturæ, ut expressè vidimus allegatis punctualibus textibus ejusdem S. Thomæ. Concludunt quidem actum hujusmodi pœnitentiæ necessarium esse pro Sacramento Pœnitentiæ operante in voto suscepto.

195 Junior quidem, qui ut trahat in suas partes nostræ opinioni faventes Theologos, huc, illucque foliam evulgans vim facit in textu ex art. 3. q. 90. 3. p., quæ est 31. de Sacramentis; eaque vis comprehendi potest hoc syllogismo. Contritio, quæ virtute continet totam pœnitentiam est contritio dilectiva: sed contritio hujusmodi asseritur a D. Th. ibi pars integralis pœnitentiæ Sacramenti; ergo contritionem dilectivam exigit D. Thomas pro necessaria dispositione ad actualem susceptionem Sacramenti. Verùm labor Junioris non premit. Contritio ibi accepta a D. Thoma est contritio generice sumpta, prout videlicet importat detestationem peccati contra divisivè ad vocalem ejusdem confessionem, & satisfactionem; & quia detestatio seria peccati includit propositum aliarum partium, ideo dicitur virtute continere totam pœnitentiam. Ex hac est mens clara D. Th., qui ad primam præcedentis articuli habet — Virtualiter autem „ pertinet ad exteriorem pœnitentiam in „ quantùm, scilicet implicat propositum „ confitendi, & satisfaciendi —

Alium locum profert idem Junior ex 2. 2. *quæst.* 23. *art.* 7. ubi docet, quòd nulla vera virtus datur sine charitate; sed ad rem non est, quia Angelicus loquitur de virtute secundùm statum, ut benè ibi notat Cajetanus, non autem de virtute secundùm essentiam; nuda fides, & spes prævie ad charitatem sunt essentialiter virtutes Theologicæ. Hæc sufficiant quantùm ad majorem syllogismi, quam cum Philalete probare conabantur Adversarii. Veniamus ad Minorem.

196 Ex primis quatuor locis, de quibus supra num. 186. nulla vis eruitur, quia solùm exprimunt actus humanos pœnitentis esse materiam proximam Sacramenti. Quintus locus loquitur de pœnitentia genericè sumpta, quod illamet ratio evincit. Bona voluntas ablata per delectationem habitam per peccatum optimè restituitur per tristitiam ortam ex justo supplicio taxato ipsimet peccato. Sextus non accipit ibi charitatem pro actu charitatis, qui debeat præsupponi in alliciens actum doloris de peccato; sed accipit charitatem pro natura charitatis; & jure. Sensum facit: Natura charitatis, seu lex charitatis postulat, ut offendens doleat, & compenset offensam amico irrogatam, & amico satisfaciat: idest, aliàs amico, hoc est, qui fuit amicus; non enim pro Amico actu intelligit D. Th. nec intelligere potest, alioquin priùs ad actum doloris de peccato supponeretur pœnitens Deo reconciliatus, & multò magis ante actualem susceptionem Sacramenti.

197 Septimus malè assumitur, & applicatur. Non intendit statuere Angelicus, quòd pœnitentia necessaria ad justificandum in lege naturæ, & scriptâ sit elevata in partem essentialem Sacramenti: sed solùm declarat, quòd jure naturali teneatur peccator Deo satisfacere per pœnitentiæ modum a lege divina statutum; qualis autem sit, ibi non explicat, nisi ad hunc sensum, quòd in lege naturæ, & scriptâ pœnitentia, hoc est, modus pœnitendi non erat Sacramentum, in lege autem nova est Sacramentum; cæterùm ibi non explicat qualitatem requisitorum in specie.

198 Octavus loquitur de pœnitentia interiori in primo sui instanti remissiva peccatorum, idest, quæ in voto Sacramenti justificationem infert, quæ, cum includat propositum subjiciendi clavibus peccata, in incipientibus exigit, ut debito tempore executioni mandetur pœnitentia exterior, quæ est actualis confessio peccatorum, ad quam non tenentur proficientes, & perfecti, qui semel sunt peccata legitimè confessi. Alia solutio, quam non rejicio, dicit Angelicum pro pœnitentia interiori accipere pœnitentiam genericè, prout est dolor de peccatis præscindendo a motivo; & ideo habet — „ Semper enim debet homini displicere, „ quod peccavit —

199 Nonus agit expressè de pœnitentia interiori justificante prævie ad actualem susceptionem Sacramenti, ut consideranti discursum D. Th. patebit. Titulus quidem articuli est de Sacramento: sed ratiocinium, quod facit in corpore articuli nullam mentionem facit Sacramenti; unde nonnisi per aliam adjunctam illationem ex eo concluditur Sacramentum esse iterabile. Admitto etiam aliam solutionem. Nomine charitatis, sine qua non delentur peccata, intelligit charitatem habitualem, & evidenter colligitur ex discursu, & textu: improbat enim errorem dicentium charitatem semel habitam non posse amitti: unde inferebant illius Auctores pœnitentiam non esse iterabilem; charitas autem, de qua illi agebant, & de qua est controversia, quam examinasse fatetur S. Doctor *in* 2. 2. *q.* 24. *art.* 11. est charitas habitualis.

200 Decimus loquitur absolutè, & de justificatione absoluta independenti ab actuali susceptione Sacramenti; unde concludit nullum adultum posse justificari absq; pœnitentiæ virtute, posse autem absq. Sacramento. Aliam adde solutionem, quæ per accommodam distributionem applicat dictum etiam in Sacramento, videlicet. Neque in Sacramento potest adultus justificari absque pœnitentiæ virtute: intelligendum tamen est de pœnitentia virtute genericè, prout dicit detestationem conversionis præteritæ ad bonum commutabile, & propositum emendationis; nec aliud postulat ratio inserta Divi Thomæ.

201 Undecimus necessariò debet intelligi de pœnitentia justificante extrasacramentaliter, aliàs cogeretur fateri Adversarii requirere D. Th. pro dispositione ad actualem susceptionem Sacramenti actum pœnitentiæ inferentem justificationem prævie ad absolutionem; siquidem eo actu dicit manifestè culpam deleri. Quod si dictum applicari velint Sacramento, pro actu pœnitentiæ intelligere debent, pœnitentiam communiter dictam: nec aliud postulat intentum articuli, & ratiocinium ejusdem; vult enim concludere, quòd in actuali susceptione Sacramenti, remissâ culpâ, non semper remitti totam pœnam temporalem, quia virtus sacramentalis applicatur juxta dispositionem subjecti, quæ major est, vel minor, prout intensiores, aut perfectiores sunt actus humani

mani pœnitentiæ, qui sunt velut materia Sacramenti.

202 Duodecimus evidentissimè loquitur de pœnitentia virtute, prout est justificativa extra actualem receptionem Sacramenti, seu de Sacramento operante in voto. Ad 2. expressè loquitur de actu pœnitentiæ, qui simul infunditur cum remissione culpæ. Ad 3. De actu pœnitentiæ loquitur, qui est inseparabilis effectus gratiæ sanctificantis. In argumento, sed Contra, ponit sine Sacramento haberi remissionem culpæ, secus absque actu pœnitentiæ. In corpore articuli ponit actus humanos remittere culpam, quatenus sunt materia Sacramenti; prout tamen hi actus aliqualiter ordinentur ad claves Ecclesiæ. *Ordinentur*, inquit, hoc est in voto Sacramenti, ut rectè notat Commentator a Porrecta. Quare paritas, quam ibi ponit inter aquam baptismalem, & actus humanos pœnitentis in eo consistit, quòd sicut aqua elevata in Sacramento Baptismi actu sub forma, comproducit tanquam materialis pars gratiam regenerativam; ita actus humani pœnitentis denominati pars materialis ex ordine ad claves, producunt gratiam sanativam; sed aqua effectivè instrumentaliter, actus verò humani pœnitentis sic accepti solùm dispositivè, & *ex opere operantis*, sicut ibi colligitur, & infra loco immediatè adducendo, & *quæst. 5. supplem. art. 2.*, & alibi sæpè.

203 Decimustertius agit de Sacramento Pœnitentiæ operante in voto, nec aliter intelligere possunt Adversarii absque nota in Doctrinam D. Thomæ. Tum quia dicit Angelicus ibi ad primum, quòd pœnitentia virtus est magis effectus gratiæ quàm causa; secus autem Sacramentum. Tum quia ad secundum docet, quòd Pœnitentiæ Sacramentum causat remissionem culpæ effectivè instrumentaliter; secus autem actus pœnitentiæ virtutis; si autem intelligeret de actu pœnitentiæ, prout est pars actualis in Sacramento instrumentaliter, etiam effectivè causaret remissionem culpæ. Nec est ad intentum D. Thomæ in illo articulo sumere actum pœnitentiæ, prout est pars actualis Sacramenti; sed solùm ei sufficit demonstrare, quòd per pœnitentiam restituuntur omnes virtutes infusæ: quas simul cum habitu pœnitentiæ, a quo est actus pœnitentiæ, restitui docet per Sacramentum, concludens ad primum alias virtutes non causari a pœnitentia virtute; quæ conclusio esset falsa si acciperet actum pœnitentiæ pro parte actuali Sacramenti; prout enim sic esset vera causa aliarum virtutum, quia constitueret Sacramentum in esse Sacramenti.

Decimus quartus patet ex responsione ad decimum tertium. Nec est ad rem siquidem solùm intendit explicare, unde proveniat difficultas exercendi actus virtutum, si per pœnitentiam restituuntur omnes virtutes, scilicet, quia contritio non tollit omnes reliquias peccatorum, quo modo loquendi docet primum actum contritionis remittere omnem culpam; primum actum pœnitentiæ vocat contritionem, quia, ut sæpè docet, ipsa continet in proposito alias partes, non autem quia ad remittendum peccata debeat actu conjungi cum aliis partibus actualibus.

204 Decimus quintus nihil concludit, nisi quòd requiritur in Sacramento pro parte aliquis actus humanus propriè detestativus peccati; quapropter nomen contritionis sæpè repetitum ibi stat pro contritione communiter dicta. Nec aliud evincunt rationes, quas producit S. Doctor. Non primi articuli fundamentum in eo consistens, quòd ubi est pluralitas ex parte materiæ, ibi sunt plures partes, quia hæc pluralitas actuum humanorum in Sacramento datur, sive contritio accipiatur rigorosè, sive ampliativè. Non secundi articuli ratiocinium pro eo determinans contritionem, quia in pœnitente requiritur voluntas recompensandi offensam, quæ voluntas subsistit, sive moveatur ex amore Dei, sive ex timore Dei; & utroque modo accepta imperat oralem confessionem, & satisfactionem. Multò minùs tertii articuli discursus, qui potiùs evincit oppositum. Ut ostendat partes pœnitentiæ esse integrales, firmat, ad harum rationem sequi, ut totum non adsit singulis partibus, neque secundùm totam virtutem ejus, neque secundùm totam essentiam ejus, sed omnibus simul: sed D. Thomas centies docet contritionem ex motivo charitatis separatam actu ab aliis partibus habere totam virtutem remissivam culpæ; ergo de illa non loquitur.

Deinde in solutione ad 3. clarè docet, quòd istæ partes pœnitentiæ habent ordinem virtutis, & temporis, quatenus unus actus continet alium in proposito, & unus tempore alium præcedit: & his duobus modis apud D. Thomam alios actus præcedit contritio, quia hæc continet in proposito confessionem, & satisfactionem: atqui apertissimè apud Divum Thomam contritio, prout dicit motivum dilectionis benevolæ, non præcedit tempore gratiæ sanctificantis infusionem, sed simul producitur; ergo de ea non loquitur, & confirmatur invictè nostra positio. Quòd si Adversarii ad eludendam hanc claritatem, & certitudinem hujus, & aliorum, quæ diximus recurrant ad dilectionem initialem, cujus nullum afferunt momentum a contextu, nobis æquè liberum erit explicare D. Th. de contritione communiter dicta. Verùm quibus nos fundamentis loquamur, satis elucescit ex dictis.

205 Decimus sextus loquitur de contritione abstractiva, ut jam vidimus. Decimus septimus, & ultimus accipit contritionem abstractivè divisibilem in eam, quæ sufficit pro parte Sacramenti, & in eam, quæ est propriè virtus quoad suam essentiam; non enim accipit contritionem eamdem, & prout est pars Sacramenti, & prout est virtus ibi, nec accipere potest ex mente Adversariorum, qui volunt in Sacramento sufficere amorem initialem, ad justificandum autem extra Sacramentum requirunt valde perfectam, & summam dilectionem; Sanctus autem Doctor ibi sustinet contritionem, ut actus virtutis est, remittere culpam ante absolutionem Sacerdotis, ut patet ad tertiam; & ad secundum docet contritionem, ut actus virtutis est, in eodem instanti infusionis gratiæ præ-

præire, & subsequi eamdem, & tamen ut pars Sacramenti debet necessariò præcedere tempore gratiæ infusionem. Hæc candidè Lector inspica in suis fontibus.

§. IV.

SOLVITUR SECUNDUM ARGUMENTUM ADVERSARIORUM, ET PHILALETIS ex §. 4. cap. 4.

806 OBJIC. II. D. Th. ad susceptionem Sacramenti Pœnitentiæ exigit amorem Dei affectivum: sed Dei amor affectivus est vera dilectio benevola; ergo ex D. Th. hæc est necessaria pro dispositione Sacramentali. Pro intelligentia hujus argumenti necesse est paulò fusiùs in medium afferre mentem arguentis, ac quæ sub oculis habebimus sistema in hac controversia à quibusdam aliis ex clarissimis Adversariis excogitatum; quod ut clariùs fiat aliquibus Propositionibus distinguemus.

Prima Propositio. Amorem Dei super omnia partitur Philaletes in affectivum, & effectivum. Amor affectivus ille est, quo ita incipit dulcescere divina bonitas -- ut solùm proponatur eam omnibus præferre -- Effectivus ille est, quo ita dulcescit divina bonitas, ut non solùm proponatur omnibus præferre, sed de facto omnibus præferatur. Itaque illud super omnia in voto constituit amorem affectivum; illud verò super omnia in effectu constituit amorem effectivum. Utriusque notionem distinctiùs aperit sequentibus verbis -- Quorum differentia non est penès ipsum actum amoris, ita ut in amore affectivo, amor sit solùm in proposito, & in amore effectivo amor actu habeatur: in utroque enim amore amor est in actu; sed unus amor habet solùm in voto, & desiderio prælectionem Dei super omnem creaturam, & ideo affectivus dicitur: alter verò amor habet non solùm in voto, sed etiam in effectu prælectionem Dei super omnem creaturam; & ideo effectivus nominatur -- Pro horum terminorum elucidatione, sit

Secunda Propositio. Amor, ait, affectivus non est a gratia habituali, secus effectivus. Ut hanc positionem declaret, recolit præcitatus Auctor cum Augustino posse dari voluntatem faciendi absque potestate faciendi; & ex adverso potestatem faciendi absque voluntate faciendi. Ita in casu voluntas præponendi Deum omni creaturæ potest esse sine potestate, & ex adverso potestas præponendi Deum omni creaturæ haberi potest sine voluntate; porrò potestas præponendi Deum omni creaturæ est gratia habitualis in anima, & habitus charitatis. Rationem assignat, quia sic præponere Deum est tendere in Deum ut ultimum finem, de cujus ratione est subdere non solùm omnes affectus actuales, sed etiam habituales; sola autem gratia subdit omnes affectus habituales, & actus, qui ab ea procedunt. Cum ergo affectivus amor, qui est desiderium efficax præponendi Deum omni creaturæ, non procedat a gratia, sed ab auxilio, non subdit omnes affectiones habituales, sed solùm actuales; quoniam actus non potest ultra vim sui principii.

Tertia Propositio. Probatur descriptus amor affectivus. Pro hoc stabiliendo fundamento unicum affert testimonium D. Thomæ, quod 1. *part. q. 62. art. 2. ad 3.* illis verbis concipit -- Quilibet motus voluntatis in Deum potest dici conversio in ipsum, & ideo triplex est conversio in Deum. Una quidem per dilectionem perfectam, quæ est creaturæ jam Deo fruentis, & ad hanc conversionem requiritur gratia consummata. Alia conversio est, quæ est meritum beatitudinis, & ad hanc requiritur gratia habitualis, quæ est merendi principium. Tertia conversio est, per quam aliquis præparat se ad gratiam habendam, & ad hanc non exigitur aliqua habitualis gratia, sed operatio Dei animam ad se convertentis, secundùm illud *Thren. ult.* Converte nos Domine ad te, & convertemur -- Ex hoc loco prætendit arguens, quòd D. Th. statuat triplicem amorem Dei super omnia, creaturæ fruentis, creaturæ merentis, & creaturæ præparantis se ad gratiam, & ad hanc tertium non exigat gratiam habitualem, sed solùm auxilium.

Quarta Propositio. Tres isti amores sunt ejusdem speciei. Probat Philaletes ex D. Th. *quæst. de Verit. 24. art. 1. ad 2.*, cujus textum totum refero, prout est -- Opus meritorium a non meritorio non distat in quid agere, sed in qualiter agere. Nihil enim est, quod unus homo meritoriè agat, & ex charitate, quod alius non possit absque merito agere, vel velle. Et ideo hoc, quod homo non potest sine gratia agere opera meritoria nihil derogat perfectæ libertati, quia homo dicitur esse liberi arbitrii secundùm quod potest agere hoc, vel illud, non secundùm quod potest agere sic, vel sic, quia secundùm Philosophum ille, qui nondum habet habitum virtutis, non habet in sua potestate agere taliter, qualiter virtuosus agit, nisi in quantùm potest acquirere habitum virtutis. Gratiam autem, quæ opera meritoria facit, quamvis homo non possit ex libero arbitrio acquirere, potest tamen se ad gratiam habendam præparare, quæ ei à Domino non denegabitur, si fecerit, quod in se est, & ideo non est omnino extra potestatem liberi arbitrii opera meritoria agere, quamvis ad hoc per se potestas liberi arbitrii non sufficiat, eo quod modus, qui ad meritum requiritur, facultatem naturæ excedit, non autem modus, qui est in operibus ex virtutibus politicis, nullus autem dicerer propter hoc hominem non esse liberi arbitrii, quia non potest taliter velle, vel eligere qualiter Deus, vel Angelus -- Ecce, inquit arguens, opus meritorium non differt in quid agere, sed in qualiter agere. Quid agere sonat objectum, a quo desumitur specificatio; qualiter agere sonat modum actionis; adeoque stat identitas ex parte objecti cum distinctione ex parte modi. Ita in divina dilectione bonitas Dei est objectum specificans in illa triplici divisione amoris;

modus

modae verò diligendi applicatas in tertia Propositione ponit differentiam inter dilectionem effectivam, & affectivam.

Quinta Propositio. Amor affectivus non impedit efficaciam Sacramenti. Probat arguens. Hic amor non oritur a gratia sanctificante, sed ab auxilio; ergo non supponit gratiam justificationis; ac proinde relinquit locum efficaciæ Sacramenti ad producendam primam gratiam remissivam peccatorum. En ergo quòd D. Thomas exigit amorem Dei verum super omnia, & tamen salvat naturam Sacramenti mortuorum.

207 Si vellemus fusiori stylo objectionem istam diluere, possemus plurimam, & excellentem Doctrinam Thomisticam producere, qua omnino futilis convinceretur speculatio Doctoris arguentis, & falsa promere in Schola Thomistica constaret; Cum verò nulla sit fusioris responsionis necessitas, pauca subdimus In via D. Thomæ in creatura erga Deum nullus datur amor effectivus, sed affectivus tantùm, & in solo Deo erga creaturam datur, & dari potest amor affectivus. Ratio est, quia ex D. Th. amor effectivus ille est, qui efficit objectum suum, quod diligit: quo motivo S. Doctor concludit justificationem Impii fieri a Deo per formam intrinsecam; Affectivus autem amor ille est, qui non facit, sed supponit bonitatem objecti circa quod diligendo versatur voluntas. Videatur Collegium Nostrum Salmaticense *Tom. 1. de Gratia tract. 14. disput. 4. dub. 1.*, & *Tom. 2. tract. 15. disput. 2. dub. 2.*, & alibi, ubi invenientur loca producta ex D. Th. Ad imitationem amoris effectivi Dei ad creaturas inducunt Patres in creaturis amorem aliquem Dei effectivum, sed diverso satis modo explicatum. Effectivum dicunt qui transit ad opera juxta illud Christi, *Qui diligit me, mandata mea servabit*; Affectivum autem, qui sistit in simplici complacentia divinæ bonitatis.

In homine erga Deum nullus amor est effectivus.

208 In secunda Propositione multùm discrepat a Doctrina Scholæ nostræ discipulus iste. Verus actus dilectionis Dei affectivæ oritur a gratia habituali juxta principia D. Th. ut excellenter demonstrat Collegium Nostrum Salmaticense pluries. Videatur *tom. 2. de Gratia tract. 15. disp. 2. dub. 6.*, ubi pulchra D. Th. argumenta producit; & prosequitur illud ab objectionibus vindicando sequenti syllogismo comprehensum. Primum principium intrinsecum motus in ultimum finem, & ipse ultimus finis debent esse formaliter ejusdem ordinis, quia mutuò sibi correspondent, cum talis sit ordo finium, qualis est ordo agentium: sed ultimus finis, in quo sistimus per amorem Christianum, est supernaturalis, cum sit Deus in seipso; ergo primum principium intrinsecum illius motus debet esse ordinis supernaturalis. Sed primum principium intrinsecum motus est natura: & sola gratia sanctificans est natura ordinis supernaturalis; ergo est principium primum intrinsecum dilectionis Dei affectivæ.

Actus amoris Dei affectivi oritur a gratia habituali.

Videatur *de Charitate tom. 9. tract. 19. disp. 4. dub. 2., & 3.*, ubi productis egregiis testimoniis Angelici, tum potentiâ ordinariâ, tum absolutâ hujusmodi actum oriri a gratia sanctificante tanquam a principio effectivo ostendit, prosequiturque sequentem rationem. Amor super omnia Dei ut finis supernaturalis est ex sua specie condignus vitæ æternæ, neque hac condignitate carere potest: tum quia est motus tendens ex natura rei in visionem beatificam, sicut in proprium terminum: tum quia est summum obsequium, quod ex sua specie possit creatura Deo offerre, summo autem obsequio correspondet summum præmium: tum quia ex sua specie est actio summè proportionata cum ultimo fine, qualis est objectum beatificans, constat autem actionem summè proportionatam alicui fini habere cum eo condignitatem: sed repugnat, quòd aliquis actus habeat condignitatem vitæ æternæ, & non proveniat a gratia sanctificante; ergo amor Dei super omnia quoad suam speciem sumptus procedit a gratia sanctificante. Nulla alia ratione actus procedens a gratia est condignus vitæ æternæ, nisi quia participat ab illa relationem ad ultimum finem supernaturalem, ex vi cujus relationis habet ex se intrinsecè pretium æqualis valoris cum gloria: sed amor Dei super omnia ex sua specifica differentia importat habitudinem ad ultimum finem supernaturalem; ergo ex sua specie est condignus vitæ æternæ, adeoque postulat esse a gratia sanctificante.

Deinde est falsissimum in via D. Thomæ, quòd amor affectivus Dei super omnia subdat Deo solas affectiones actuales ultimo fini, non autem habituales, licèt absque gratia sanctificante non deleatur macula peccati habitualis; solidissimè enim probat Sanctus Doctor 1. 2. *q.* 1. *art.* 5. non posse simul, & semel plures ultimos fines hominis unius esse; si autem amor ille super omnia solas affectiones actuales Deo subderet, jam unius hominis simul, & semel plures essent fines, unus habitualiter inspectus, alter actualiter; ergo Auctor directè pugnat cum D. Thoma. Doctissimè hanc Doctrinam prosequitur Collegium Salmaticense *Tom. 3. tract. 8. disp. 4. dub. 1., & seqq.*

Validissima est ratio Angelica in *art. cit.* quam sub hoc ratiocinio breviter complector. De ratione ultimi finis est plenè dominari voluntati, cujus est finis: siquidem de ratione boni est trahere, & sibi subdere appetitum, & magis, ac magis juxta gradum suæ bonitatis, adeoque totale bonum, & adæquatum, quale est ultimus finis, adæquatè, & totaliter, & plenè dominari debet voluntati: sed implicat in terminis, quòd ultimus finis dominetur plenè voluntati, & non subjiciat sibi omnes affectiones habituales, & actuales; ergo amor affectivus ex sua differentia specifica tendens in ultimum finem ut talem nequit subdere affectiones omnes actuales, quin subdat etiam habituales. Affectus dilectionis, quo actualiter est voluntas conversa in ultimum finem, vel aliquo modo subordinatur alteri affectui habituali, quo est conversa voluntas ad alium ultimum finem peccatoris, vel non subordinatur. Si subordinatur, ergo jam non est conversio ad ultimum; sicut enim de ratione ultimi finis est, ut nullo modo alteri fini subordinetur, ita de ratione conversionis ad

ipsam

ipsum est, ut nullo modo subordinetur conversioni ad alterum finem. Si non subordinatur, ergo altera conversio habitualis, cui actualis non subditur, non est conversio ad ultimum finem, cum finis per illam non dominetur voluntati, nec voluntas ei subjicitur adæquatè, siquidem omnes affectiones actuales, vel saltem aliquæ fiunt extra ipsius subjectionem.

In justificato remanent vitiosi habitus, cum inclinatione materiali ad finem aliàs dissonum, sed non dominantur voluntati, nec denominant subjectum vitiosum; signum ergo est, quòd subduntur inclinationi gratiæ; ex adversò si habitualis conversio ad ultimum finem dominetur, seu præstet suam denominationem formalem subjecto, constituit subjectum in præparatione animi ad repellendum omnem affectum illi ultimo fini adversum, adeoque subordinat sibi etiam affectiones actuales saltem radicaliter, quæ sunt charitati contrariæ. Scio quòd inter habitum, & actum alterius ordinis non datur directa oppositio contraria, unde quandoque habitus ad unum objectum convertens stare potest cum actu ad oppositum objectum; sed in casu repugnat, quia inevitabiliter consequitur virtualis contradictio, scilicet, quòd ultimus finis esset, & non esset plenum, & adæquatum bonum, totum, & non totum dominans voluntati:

Validissima est, & casui nostro intrinseca ratio, quam D. Th. adhibet 3. *dist.* 31. *q.* 1. *art.* 1. *q.* 13. *de Malo art.* 2. ut probet (quod facit ex professò) quolibet peccato mortali amitti habitum charitatis, scilicet — „Quia non est possibile unius hominis esse „ multos fines ultimos — Et loquitur in casu, quo unus illorum appetitur habitualiter, & alter actualiter: hoc enim ad intentum ipsius facit, alioquin nihil concluderet, quia stante actuali conversione ad finem ultimum peccati, componi posset habitualis conversio, & appetentia habitualis ad ultimum finem charitatis, ac per consequens quolibet peccato mortali non amitteretur habitus charitatis. Eadem autem est oppositio inter actualem conversionem perfectam ad finem ultimum peccati, & habitualem ad ultimum finem charitatis, ac inter habitualem conversionem ad finem ultimum peccati, & actualem ad ultimum finem charitatis; ac proinde pariter per quemlibet actum affectivum tolli debet habitualis conversio ad finem ultimum peccati. Videat itaque Philaletes quantùm distet a suo Magistro. Videat qualiter omnis verus actus dilectionis Dei affectivus in sua specie acceptus petit, vel oriri a gratia tanquam a principio effectivo, vel ad minùs est illi essentialiter conjunctus.

209 In tertia Propositione voluntariè interpretatur D. Th.. Nullimodè colligi potest ex testimonio allato amor affectivus prætensus: tum quia apertè contradistinguit D. Th. conversionem dilectivam, quæ est in duabus primis, a non dilectiva, de qua in tertia loquitur: tum quia manifestè præmittit, quòd omnis motus voluntatis in Deum dici potest conversio ad ipsum: tum quia frequenter præcavet, quòd actus ad gratiam præparatorius ad lineam attritionis pertinet:

Actus disponens ad gratiam ad attritionē spectare possunt.

tum quia perpetuò est in eo, quòd actus dilectionis Dei super omnia a gratia oritur. Paralogizat etiam arguens, cum separat actum dilectionis affectivum a gratia sanctificante: quia dato, quòd hæc non sit principium effectivum illius actus, sed auxilium, nihilominus a gratia sanctificante nequit dividi; unde plurimi illi Scholastici, & præcipuè ex Schola D. Th., qui negant primum actum charitatis oriri a gratia tanquam a principio effectivo, volunt quòd essentialiter ei sit connexus, & quòd hoc firmiter probent rationes D. Thomæ.

210 In quarta Propositione minùs rectè applicat Doctrinam D. Thomæ. Concedo, quòd dilectio Dei, quæ est in Beato, quæ est in Viatore justo, quæ est in Peccatore, qui se convertit, sit ejusdem speciei essentialiter propter identitatem objecti; sed negamus hoc probari ex illo generali principio Angelici; nam possunt esse actus meritorii inter se specificè differentes, & actus non meritorii specie ad invicem differentes, & possunt esse actus meritorii, & non meritorii simul comparati specie non distincti. In Justo actus Justitiæ, Temperantiæ, Castitatis &c. sunt meritorii, & tamen differunt specie: ex adversò in peccatore non sunt meritorii, & tamen differunt specie. Actus justitiæ in justo meritorius, in peccatore non meritorius, est ejusdem speciei. Quare ratio meritorii, vel non meritorii, nec facit, nec variat speciem, sed aliunde desumi debet; per consequens debet aliunde arguens ostendere, quòd motus ille præparatorius, de quo D. Th., pertineat ad eamdem speciem, in qua est dilectio consummata Beati, & meritoria Viatoris. Productus textus D. Thomæ probat oppositum.

Ratio meriti, vel demeriti non variat speciem.

Mens D. Thomæ est facere satis argumento probanti nos non habere liberum arbitrium, quia merita non sunt in nostra potestate: cui satisfacit dicendo, quòd licèt merita non sint immediatè in potestate nostra, sunt tamen mediatè, quatenus peccator potest se præparare ad gratiam; notum est autem in via D. Thomæ, quòd actus præparatorii ad gratiam differunt specie a charitate. Ne ulteriùs immorer; textum Scripturæ superiùs citatæ in tertia specie conversionis ad Deum explicat de timore, ut sæpè diximus allegando locum, & verba.

Meriti quomodo in nostra potestate.

212 In quinta Propositione claudicat arguens dupliciter. Primò dicens amorem Dei affectivum non oriri a gratia. Secundò, dato quòd non oriatur a gratia, est tamen in sua specie essentialiter connexus cum gratia. Hoc validissimè, omissis alibi dictis, probant ratiocinia posita in elucidatione secundæ Propositionis statutæ a Philalete: quod principium, ita verum a pluribus Doctoribus creditur, ut dicant actum divinæ dilectionis affectivæ habere in se quidquid requiritur ad exercendam rationem formæ sanctificantis, quod nos dicere non audemus; dicimus tamen non esse mentem claram D. Thomæ, ex quo plura dedimus in hoc Opere, quibus demonstrat actum dilectionis Dei super omnia in sua specie acceptum inferre justificationem. Hic tamen duo placet subdere momenta alibi non recensita ex *quæst.*

amica

unica de Charitate art. 6., ex qua aliàs plura excerpsimus testimonia. In sexto articulo stabilit actum charitatis non posse conjungi cum peccato mortali; & manifestè accipit charitatem secundùm speciem præcisè, scilicet, prout dicit ordinem ad ultimum finem, & prælationem ad bonum commutabile.

Actus charitatis nequit esse cum peccato.

Hoc posito primum argumentum sic formo. Actus, qui ex sua specie essentialiter nequit esse informis, debet essentialiter connecti cum gratia sanctificante: qua connexione, quia carent actus Fidei, Spei, Justitiæ, Temperantiæ, Religionis, ideo possunt esse informes: sed actus dilectionis Dei super omnia præcisè in sua specie acceptus essentialiter nequit esse informis; ergo ex sua specie est connexus essentialiter cum gratia. Totum habetur ad undecimum illius *art. 6.*, quo intendebat probare charitatem esse informem, quia in via non habet omnem perfectionem, quam potest habere in patria, & sic habet — Dicendum, quod non facit „ virtutem informem defectus cujuscumque „ perfectionis, sed ille tantùm defectus, qui „ tollit ordinem ultimi finis, qui quidem ordo „ existit in charitate viæ, licèt charitas viæ „ non habeat perfectionem patriæ, quæ est „ secundùm fruitionem propriam, & per„ fectam — En clarissimè ordo ultimi finis constituit esse formatum, & hic ordo est essentiale constitutivum dilectionis Dei.

Secundum argumentum, quod meritò ineluctabile credi potest, sic formatur. Actus ille est essentialiter connexus cum gratia habituali, qui ex sua intrinseca perfectione exigit destructionem peccati commissi lethalis, quia absque gratia habituali non potest tolli peccatum commissum lethale: sed actus dilectionis Dei affectivus exigit ex sua specie destructionem peccati commissi; ergo est essentialiter connexus cum gratia habituali. Ostenditur assumptum. Peccatum habituale hominis elevati consistit in privatione gratiæ non qualitercumque accepta, sed voluntaria, ex voluntarietate, quæ est terminus actus peccaminosi nondum retractati, propter quod ab aliis dicitur peccatum habituale actus peccaminosus perseverans irretractatus: sed actus dilectionis Dei super omnia verus secundùm suam speciem est essentialiter retractativus peccati commissi, adeoque tollit rationem voluntarietatis a peccato commisso; ergo non remanet privatio gratiæ sub statu voluntarietatis, ac proinde neque peccatum habituale.

Actus dilectionis destruit peccatum.

Docet D. Thomas in corpore *cit. 6. art.* quòd tandiu perseverat aëris illuminatio, quandiu perseverat præsentia Solis irradiantis: si verò corpus opacum interponatur, impeditur Solis irradiantis operatio, & cessat aëris illuminatio, quæ non solum quoad primum esse, & fieri, sed in conservari dependet a Solis præsentia; pariter carentia illuminationis dependet in suo primo esse, & conservari a præsentia corporis opaci, quo sublato tollitur carentia illuminationis. Hoc autem totum applicat charitati relatè ad peccatum. In suo primo fieri peccatum dependet a voluntate, & etiam in suo conservari; non enim est peccatum nisi voluntarium; ergo sublata voluntarietate necesse est auferri peccatum. Quare cum actus charitatis in sua specie acceptus sit retractativus aversionis formalis ab ultimo fine, ponatque conversionem formalem ad eumdem, indispensabiliter tollitur voluntarietas a peccato, & inevitabiliter debet peccatum destrui, & substituere gratia habitualis. Hoc non accidit in attritione, licèt sit dolor efficax de peccato; quia non tendit sub motivo ultimi finis, nec includit formalem conversionem ad Deum ultimum finem.

Hinc quinta Propositio Auctoris totaliter ruit. Primò, quia arguens non probat in tertia specie conversionis ad Deum, quòd D. Th. exigat actum affectivum dilectionis; sed potiùs oppositum ostendimus. Secundò, quia errat in via D. Th., quòd dilectio affectiva non oriatur a gratia habituali. Tertiò, quia admisso, quòd ille actus oriatur ab auxilio, nihilominùs est essentialiter connexus cum gratia habituali, illiusque indispensabiliter illativus. Est ergo ille actus impeditivus efficaciæ Sacramenti quoad effectum primarium, ad quem producendum est per se institutum Sacramentum Pœnitentiæ; & Doctrina nostra confirmatur.

213 Ceterùm arguens in suo scripto aliud prætendit a doctrina posita in hac objectione. Suis probationibus concludit necessariam esse dilectionem manantem a gratia habituali tanquam a principio effectivo, seu ad minùs cum ea connexam, quòd clarè evincitur illam breviter repetendo. Ut probet timorem gehennæ non excludere voluntatem peccandi absque amore Dei super omnia, & absque illo non esse sufficientem dispositionem ad Sacramentalem justificationem, profert primò aliquot testimonia Augustini, quibus dicit peccatum expelli per amorem castum Dei, & amorem castum vocat eum, qui manet in æternum juxta Scripturas, & foras mittit timorem: sed iste amor, ut pater, est vera charitas emanans a gratia habituali, & cum ea connexa; ergo.

Secundò profert ea loca Augustini, quibus probat ad expellendam voluntatem peccati requiri fidem operantem per dilectionem: sed hæc operatio supponit innegabiliter gratiam habitualem; ergo. Profert tertio loco testimonia D. Augustini, & D. Thomæ, quibus probat requiri dilectionem, quæ est propria legis novæ, prout contradistinguitur a lege veteri, & per quam clamamus Abba Pater: hæc autem dilectio oritur a gratia habituali, & est connexa cum illa; ergo. Profert quarto loco ea, quibus utitur Augustinus ad probandum, quòd timor inducit charitatem, sicut seta linum, quæ mittit foras timorem: hæc porrò charitas est gratiæ proprietas.

Profert quinto insignem locum D. Th. ex *art. 5. 26. de Sacramentis*, quo justificationem ponit effectum immediatum timoris filialis: porrò hic timor evidenter supponit gratiam sanctificantem. Profert 6. loco omnia loca, quibus probat Divus Thomas requiri ad justificationem actum pœnitentiæ virtutis, qui est effectus gratiæ. Profert septimo Tridentinum docens eam contritionem in Sacramento requiri, quæ semper fuit necessaria ad remissionem peccatorum, quæ

absque

absque dubio est simul cum gratia habituali; ergo Philaletes non tantùm prætensum amorem affectivum in suo sensu, sed amorem affectivum postulat.

Itaque idea hujus duplicis amoris affectivi, & effectivi non prodest quidquam Adversariis; & sic concludimus. Actus iste amoris affectivi, quo propono præferre Deum omni creaturæ, vel est simplex propositum, efficax tamen servandi legem Dei, & ipsum mandatum dilectionis: & tunc nihil novi dicitur, quod omnes Doctores non dicant, necessarium esse videlicet propositum non peccandi de cætero; Vel est aliquid aliud a proposito simplici distinctum, nempe efficax actualis complacentia divinæ bonitatis, ex qua oritur desiderium præferendi Deum omni creaturæ; & hic est verus actus amoris Dei in se, & in effectu cum proposito manendi in eo per observantiam mandatorum, qui actus est actualis amicitia hominis ad Deum inferens habitum charitatis. Quapropter ille actus subjicit ultimo fini omnes affectiones actuales, & habituales; & voluntas est conversa actualiter, & habitualiter ad Deum, quod convenit amori effectivo descripto ab arguente.

Propositum non peccandi necessarium.

214 Nec valet argutiæ Adversarii docentis Thomistas nostros optimè loqui in casu, quo voluntas se movet, tunc enim se movet ex præconcepto fine, ac proinde unum eligit finem cum retractatione alterius præcedentis, seque determinat ad non volendum aliquid contrarium præconcepto, quem respicit pro ultimo: secùs est, quando voluntas ab alio applicatur, tunc enim non se movet in finem sibi præstitum, sed in finem, quem intendit ille, a quo movetur; in amore autem affectivo voluntas hoc modo se habet, quia ab alio applicatur, cum ad auxilium se habeat tantùm ut mota.

Non valet, inquam, siquidem voluntas elicit illum actum per modum causæ principalis vitalis effectivæ, causa autem principalis vitalis agit se movendo; adeoque voluntas se ipsam applicat ad illum finem, in quem tendit per actum. Per hoc, quod voluntas passivè se habeat ad susceptionem auxilii non fit, quo minùs se moveat, & applicet eodem modo, quo se movet susceptâ gratiâ habituali passivè; & ratio, quia illud auxilium, vel supponit, vel constituit potentiam proximam ad agendum, quo posito voluntas operatur. Præterea voluntas ut mota, & applicata tendit in finem, quem intendit Deus dans auxilium, movens, & applicans: sed Deus habet seipsum pro fine ultimo, & largiens auxilium intendit seipsum pro ultimo fine actuali, & habituali, nec aliter potest intendere; ergo voluntas sic applicata tendit in Deum tanquam in ultimum finem tam actualem, quàm habitualem, subditque illi omnes affectiones actuales, & habituales.

Causa vitalis agit se movendo.

§. V.

SOLVITUR TERTIUM ARGUMENTUM ADVERSARIORUM, ET PHILALETIS ex §. 5. cap. 4.

215 OBJIC. III. Dolor de peccatis, ut sit sufficiens dispositio in Sacramento Pœnitentiæ debet esse ex amore casto concupiscentiæ (hanc propositionem urget Philaletes toto ferè opusculo): sed amor castus concupiscentiæ est ejusdem speciei cum amore casto amicitiæ; ergo requiritur dolor ex motivo charitatis. Minorem propositionem probat in Appendice ad *cap.* 2. Vis tota sequentibus comprehenditur. Amor, qui procedit ex eodem motivo est ejusdem speciei: amor castus concupiscentiæ, & amor amicitiæ procedunt ex eodem motivo; est ergo ille ejusdem speciei. Ostendit assumptum.

Primò. Affectus omnes voluntatis radicantur in amore; proinde omnes tendunt in bonum sub ea ratione, sub qua bonum amatur. Qui amat vinum quia delectabile, si vinum sit absens, desiderii affectio tendit in vinum ut delectabile: si vinum sit præsens, affectio gaudii tendit in vinum ut delectabile; propter hoc D. Th. 1. 2. *q.* 24. *art.* 2. in arg. *Sed Contra* ex August. habet -- „ Rectus amor omnes istas affectiones habet: metuunt enim peccare, cupiunt perseverare, dolent in peccatis, gaudent in „ operibus bonis -- Atqui fruitio Dei procedit ex motivo charitatis, & habet rectitudinem charitatis; ergo & desiderium videndi Deum, & amor, a quo oritur hoc desiderium, procedunt ex eodem motivo, sub quo ipsa fruitio: & hic est processus: Desiderium tendit ad habendum Deum sub ea ratione qua possidetur; possidetur autem sub ea ratione, sub qua amatur.

Secundò. Charitatis est attingere Deum sub ratione ultimi finis supernaturalis, & ad hunc ordinare omnes aliarum virtutum actus: sed amor concupiscentiæ, quo tendimus in beatitudinem supernaturalem, attingit Deum sub ratione ultimi finis, & ad illum ordinat omnes actus nostros: hinc D. Th. 1. 2. *q.* 3. *art.* 3 habet -- Nam beatitudo „ hominis consistit essentialiter in conjun„ ctione ipsius ad bonum increatum, quod „ est ultimus finis, ut supra ostensum est -- ergo oritur ex motivo charitatis.

Tertiò. Omnis amicitia fundatur in communicatione. Amicitia charitatis fundatur in beatitudine Dei nobis communicata: proinde necessè est, quòd idem sit formale motivum beatitudinis Dei, & beatitudinis nostræ; ac per consequens eadem bonitas divina est ratio formalis objecti, quo beatificatur Deus, & quo beatificatur creatura. Ex hoc sic. Dum bonitas divina est ratio diligendi creaturam, eodem motivo diligitur Deus, & creatura; ergo dum bonitas divina est ratio beatificandi creaturam eodem motivo amatur beatitudo Dei, & beatitudo creaturæ: atqui amare beatitudinem Dei est amare Deum amore amicitiæ, &

ama-

amare beatitudinem creaturæ est amare Deum amore concupiscentiæ; ergo uterque amor procedit ex eodem motivo. Habes totum apud D. Th. 2. 2. *q.* 23. *art.* 1. ubi — Cum ergo „ sit aliqua communicatio hominis ad Deum „ secundùm quod nobis beatitudinem suam „ communicat; super hanc communicatio„ nem oportet aliquam amicitiam fundari, „ de qua quidem communicatione dicitur „ 1. *ad Corinth.* 1. Fidelis Deus, per quem „ vocati estis in societate filii ejus. Amor „ autem super hanc communicationem fun„ datus est charitas —

Quartò. Amicitia tendit in bonum alterius, concupiscentiæ amor tendit in bonum proprium: ergo ubi aliquod sub ea ratione, sub qua est bonum alterius, est bonum proprium, idem est motivum utriusque amoris: sed Divina bonitas sub ea ratione est nobis bona, qua est Deo bona, nam est bona nobis, quia est summum bonum nostrum, ut habet D. Th. 1. 2. *qu.* 3. *art.* 1. ad 2. — Beatitudo dicitur esse summum ho„ minis bonum, quia est adeptio, vel frui„ tio summi boni — Porrò Deus est summum bonum nostrum, quia est in se ipso summum bonum, & est sibi ipsi summum bonum; ergo sub eadem ratione procedit amor amicitiæ, & amor concupiscentiæ.

Quintò. Sicut unus Deus, unum Baptisma, una Fides, ita una Spes: si verò circa Deum ultimum finem supernaturalem daretur duplex specie amor, daretur etiam duplex Spes, quia ex D. Th. 1. 2. *quæst.* 40. *art.* 7. oritur amor ex spe: non datur duplex spes specie; ergo nec datur duplex specie amor. Hinc D. Thomas 2. 2. *q.* 17. *art.* 8. docet amorem concupiscentiæ distingui ab amore amicitiæ penès imperfectum a perfecto intra eamdem speciem. Quod uterque amor (addit arguens) sit ejusdem speciei provenit ex eminentia objecti, quod ratione suæ bonitatis sibi simul est bonum, & alteri; unde quacumque ratione ametur, sive ut sibi bonum, sive ut alteri bonum semper amatur propter propriam bonitatem. Deinde concludit arguens suum discursum sequenti ratiocinio. Bonitas divina, ut est ratio diligendi Deum, & ratio diligendi proximum, non constituit duplex motivum charitatis; ergo pariter diligere Deum, seu divinam bonitatem, ut est ratio beatificandi Deum, & ut est ratio beatificandi creaturam, procedit ex eodem motivo; sicut ex eodem motivo amatur Deus, & proximus a nobis; & Deus amat seipsum, & proximum.

216 Summam, & substantiam prolixæ Appendicis retuli non eo fine, quòd velim immorari in singulari confutatione ejus: oporteret enim plurima Theologica versari; sed ideo retuli, ut clarè constet de mente Auctoris, videlicet ipsum velle pro dispositione necessaria ad Sacramentum Pœnitentiæ statum gratiæ; hoc concludit ipsius discursus, licèt verbis hoc non dicat. Uno verbo: exigit amorem amicitiæ, si enim amor concupiscentiæ habet idem formale motivum amoris amicitiæ, non differunt specie isti duo amores, sed amor amicitiæ non stat sine gratia habituali, quia amicitia hominis ad Deum fundatur in communicatione bonorum

Dei amicitia a gratia habituali.

gratiæ sanctificantis. Hoc constat ex doctrina clara Scripturæ, quæ pro eodem semper habet justum, & amicum Dei. Insuper D. Th. *quæst.* 11. *de Sacram.*, aliàs 70 3. *parte art.* 4. habet — Minima gratia potest resistere cui„ libet concupiscentiæ, & vitare omne pec„ catum mortale, quod committitur in „ transgressione mandatorum legis: Mini„ ma enim charitas plus diligit Deum, quàm „ cupiditas millia auri, & argenti — Sed in D. Th. est res luce clarior, quòd amor amicitiæ fundatur in communicatione gratiæ sanctificantis; ergo ex eodem D. Th. &c.

217 Discursus arguentis evidenter probat, quòd Pœnitens debet priùs diligere Deum amore amicitiæ, quàm amore concupiscentiæ, & non solùm quolibet amore, sed amore perfecto. Probatur. Dicit quòd sicut eadem est ratio diligendi Deum, & diligendi proximum, ita bonitas, quæ est ratio beatificandi Deum est ratio beatificandi creaturam: Atqui dilectione illa charitatis nunquam diligi potest proximus, nisi priùs præsupponatur amor Dei, & non qualiscumque, sed perfectus, cum perfectum sit diligere proximum ex motivo propriæ dilectionis Dei; ergo non potest amari divina bonitas ut ratio beatificandi creaturam, nisi priùs amatur eadem divina bonitas, ut est ratio beatificandi Deum; ergo priùs habenda est charitas, & quidem perfecta, quæ foras mittat timorem, qui enim diligit Deum, & creaturam sub eadem ratione, sub qua beatificatur Deus, & est bonum Dei, nullum motivum timoris respicit, neque secundario respectu.

Et ratio est manifesta apud omnes Theologos. In omni processu ordinato actuum, & potentiarum tendentium sub eodem motivo formali necessè est, quòd ex attingentia actus primarii ad suum objectum oriatur attingentia actus secundarii. Per ipsum etiam arguentem in bonitate divina, ut beatificante primaria ratio est, quæ est bona Deo, secundaria qua bona creaturæ; ergo necessè est, quòd priùs ametur Deus amore amicitiæ, ut possit illa eadem bonitas movere ad amorem concupiscentiæ; ergo priùs debet præsupponi charitas, & amicitia cum Deo; ergo status gratiæ; ergo iste status est necessaria dispositio ad Sacramentum Pœnitentiæ. Hæ illationes sunt evidentes, & ad hominem adversùs arguentem.

218 Quibus illationibus illa alia additur, quòd opera prævia ad gratiam Sacramentalem Pœnitentiæ essent meritoria contra Ecclesiæ Doctrinam. Indubius est D. Th., quòd actus charitatis, sive actualis dilectio Dei super omnia essentialiter acceptus est connexus cum gratia sanctificante sive originativè, sive illativè. Plura in hoc Opere dedimus testimonia: quoniam tamen in magna sylva nova inveniuntur ligna; ideo aliud unum invenio testimonium nondum exploratum, & declaro. De Charitate *quæst. unica art.* 3. resolvit, quòd actus charitatis est forma actuum aliarum virtutum: & ideo est forma, quia ipsa charitas per se, & immediatè respicit summum bonum, & ultimum finem pro objecto, & ab ordine ad finem habetur formatio; respicit autem

Qqq actus

actus charitatis ultimum finem non quia intensus, non quia fervens, non quia consummatus, sed secundùm propriam essentiam, & formale prædicatum constitutivam, quod evidens est.

Idem deinde est dare formationem aliis actibus, & dare esse meritorium apud D. Thomam qui *loco cit. ad 1.* ait — Licèt charitas non det unicuique virtuti propriam „ speciem, dat tamen unicuique virtuti „ cōmunem speciem virtutis secundùm quod „ loquimur de virtute, prout est principium „ merendi. *Ad 3.* Dicendum, quòd charitas cadit in definitione virtutis meritoriæ, ut patet per definitionem Augustini dicentis, quòd virtus est bona qualitas mentis, qua rectè vivitur; non enim „ rectè vivitur, nisi per hoc, quod vita „ nostra ordinatur in Deum, quod charitas „ facit. *Ad 9.* Dicendum, quòd a proprio „ fine, & a proprio objecto quælibet virtus „ habet formam specialem, per quam est „ hæc virtus. Sed a charitate habet quamdam formam communem secundùm quam „ est meritoria vitæ æternæ — Dat ergo actus charitatis actibus aliarum virtutum esse meritorium, speciem communem meritorii. Cum ergo amor amicitiæ sit verus actus charitatis tendentis in ultimum finem essentialiter, vel supponit, vel infert gratiam sanctificantem, ac proinde opera præcedentia absolutionem Sacramentalem essent meritoria requisita ab arguente.

Charitas dat virtutibus rationē meriti.

219 Cæterùm aliunde discursus arguentis deficit a principiis D. Th., & latibula in verbis abscondit. Amorem concupiscentiæ propriè dictum, quem simplicis concupiscentiæ vocamus, specie distingui ab amore amicitiæ est evidens apud D. Thomam. Et rationem insuperabilem ipsemet assignat pluriès. Firmum principium est apud D. Th. quòd potentiæ, habitus, & actus distinguuntur per objecta formalia, non autem per objecta materialia; hinc fit, quòd circa idem objectum materiale datur multiplex actus, & habitus specie distinctus. Ipsum audiamus. *1. 2. q. 54. art. 2.* — Habitus „ autem importat ordinem ad aliquid: omnia autem, quæ dicuntur secundùm ad „ aliquid distinguuntur secundùm distinctionem eorum, quæ dicuntur. *Ad 1.* habet -- „ In distinctione potentiarum, vel etiam „ habituum non est considerandum ipsum „ objectum materialiter, sed ratio objecti „ differentis specie, vel etiam genere -- *2. 2. q. 17. art. 6.* resolvens spem distingui ab aliis virtutibus, ad 1. sibi objicit, quòd unum, & idem est objectum spei, & aliarum virtutum Theologicarum, & respondet -- Deus secundùm aliam, & aliam ra„ tionem est objectum harum virtutum, ut „ dictum est. Ad distinctionem autem ha„ bituum sufficit diversa ratio objecti, ut „ supra habitum est —

Amor amicitiæ specie distinguitur ab amore concupiscentiæ.

Ratio autem formalis objectiva amoris benevoli, & amoris concupiscentiæ est diversa. Ratio formalis objectiva amoris benevoli est bonum secundùm se dilectum; Ratio formalis objectiva amoris concupiscentiæ est bonum sibi. D. Th. *1. quæst. 60. art. 3., & 4. ad 3., 1. 2. quæst. 26. art. 4., quæst. 28. 1., 2. 2. quæst. 17. art. 8., quæst. 23. 1., 2. sent. distin. 3. quæst. 4. distin. 28. 1. 2. 5. dist. 19. 3., 4. sent. dist 49. q. 1. art. 2. q. 1. ad 3., de Malo quæst. 1. art. 5., de Virt. quæst. 4. art. 3., Opusc. 61. cap. 2.*, & alibi sæpè. Eodem modo discurrit D. Th. de amore benevolo, & amore concupiscentiæ, ac de timore filiali, & servili; Timor autem servilis, & filialis specie differunt. Hujus doctrinæ referamus verba ex *2. 2. quæst 19. art. 5. ad 2.* ubi sibi objicit, quod idem est objectum utriusque timoris, Deus videlicet, qui timetur, adeoque non distinguitur, & respondet -- Timor „ servilis, & timor filialis non habent eam„ dem habitudinem ad Deum. Nam timor „ servilis respicit Deum sicut principium „ inflictivum pœnarum; timor autem filia„ lis respicit Deum non sicut principium „ activum culpæ, sed potiùs sicut terminum, „ a quo refugit separari per culpam. Et „ ideo ex hoc objecto, quod est Deus non „ consequitur identitatem speciei; quia „ etiam motus naturales secundùm habitu„ dinem ad aliquem terminum specie diver„ sificantur. Non enim est idem motus spe„ cie, qui est ab albedine, & qui est ad „ albedinem — Est autem diversa habitudo ad Deum in amore benevolo respiciente bonum divinum ut ipsi Deo bonum, & in amore concupiscentiæ respiciente bonum divinum ut bonum creaturæ. Utraque quidem ratio habetur ab eminentia boni divini; sed diversimodè in esse formali, seu in esse objecti formalis utraque se habet, ut patet in eodem Deo respecta ad virtutes Theologicas.

Timor filialis, & servilis specie differunt.

Non negamus tamen, quòd non detur amor concupiscentiæ, qui sit actus secundarius charitatis; nam bona nostra possumus diligere ex motivo charitatis, ut docet Eximius Doctor Salmaticensis Noster *Tom. 8. tract. 19. de Charitate disput 1. dub. 2. §. 3.* qui *n. 27.* dat disparitatem inter amorem concupiscentiæ puræ, & amorem concupiscentiæ, qui est actus secundarius amicitiæ. Actus amoris concupiscentiæ puræ erga Deum, quem ad virtutem spei pertinere docet D. Thomas *2. 2. q. 17. art. 5.* habet pro fine ultimo formali visionem beatificam, qua Deus a nobis possidetur, & in hac possessione quantùm est ex suis meritis ultimò quiescit. Amor autem concupiscentiæ, quo charitas Deum attingit, non sistit ultimò in prædicta visione, sicut in fine formali, sed in beatitudine increata ipsius Dei, qua a se ipso possidetur; producitur quippe prædictus actus concupiscentiæ in virtute actus primarii charitatis, qui est formalis amicitia erga Deum; ob idque non potest non attingere illum formaliter, vel virtualiter aliquo amicitiæ respectu.

Duplex concupiscentiæ amor.

Ad justificationem autem sacramentaliter habendam sufficit dolor ex amore concupiscentiæ puræ, non autem est necessarius amor, qui sit actus secundarius amicitiæ, & charitatis; quia ista essentialiter supponit gratiam sanctificantem, ut ex principiis arguentis ostensum est. Amor concupiscentiæ puræ est amor castus: quia secundùm regulas rationis: quia ad spem pertinet Theologicam: quia in Scripturis commendatur: quia

Qui amor concupiscentiæ in Sacramento requiritur.

quia a Christo præceptus: quia optimos producit effectus, quos Sancti Patres recensent. Si autem pio amore casto arguens aliud intelligat supra amorem honestum peter principium; & exiget amorem charitatis, quod est circuire.

220 Ratiocinia, quæ infarit, nullatenus probant requiri amorem concupiscentiæ, qui sit actus secundarius charitatis; immo nec probant dari amorem concupiscentiæ ex motivo charitatis, quem tamen dari, & posse dari nos ultrò fatemur, sed negamus illum esse necessarium pro actuali susceptione Sacramenti Pœnitentiæ. Primum ratiocinium ex auctoritate D. Augustini malè applicatur; est enim a linea ad lineam. Verùm est, quòd sub eo motivo, sub quo tendit amor in bonum, tendat desiderium si sit absens, fruitio si sit præsens: & ita similiter de aliis affectionibus ab eo amore regulatis; unde si bonum amatur sub ratione proprii, sub eadem desideratur, possidetur &c. Sed non valet inferri, quòd si bonum divinum amatur, ut ipsi bonum, sub eadem ratione ametur, ut nobis bonum: quia sit transitus a genere, seu linea ad lineam; licèt enim possit justus ex eodem motivo charitatis sibi bonum divinum diligere, non tamen indispensabiliter sic diligit; justus in sensu composito justitiæ potest diligere bonum divinum sibi amore concupiscentiæ puræ, & spei simpliciter.

Secundum ratiocinium est directè contra D. Thomam 1. 2. *q.* 2. *art.* 7. *ad* 2. ubi expressè negat summum bonum nos beatificans esse objectum amoris amicitiæ — Dicendum quantùm ad propositum pertinet, „ quòd beatitudo maximè amatur tanquam „ bonum concupitum: amicus autem ama„ tur tanquam id, cui concupiscitur bonum: „ & sic etiam homo amat seipsum: unde „ non est eadem ratio amoris utrobique — Ecce quàm clarè dicit non esse eandem rationem amoris concupiscentiæ, & amoris amicitiæ. Ecce, quàm manifestè docet, quòd Deus ut est summum bonum beatificans est objectum amoris concupiscentiæ, non autem amicitiæ. Hoc idem optimè elucidant NN. PP. Salmaticenses *Tom.* 4. *tract.* 9. *de Beatitudine disp.* 1. *dub.* 4.

Tertium ratiocinium non est ad rem. Concludit solùm, quòd quando diligitur summum bonum nostrum amore amicitiæ, tunc sub eodem motivo diligatur; cum amicitia dicat amorem mutuum fundatum in communicatione bonorum. Cæterùm non probat, quòd quotiès amatur summum bonum ut nos beatificans, ametur, & debeat amari amore amicitiæ; quod esset probandum. Videantur Salmaticenses ibidem.

Quartum ratiocinium est de subjecto non supponente. Implicat in terminis, quòd ratio terminandi amorem ut bonum proprium, & ut bonum alterius sit idem motivum formale; potest tamen coincidere utraque ratio in eodem objecto materialiter accepto, & in esse entis. Deus quidem ut summum bonum est sibi, & nobis bonum; sed illud ut summum bonum importat rationem radicalem, rationem objecti materialiter accepti, in quo est duplex ratio formalis objectiva, bonum summum propter se diligibile, & bonum summum propter nos diligibile.

Quintum ratiocinium nimis probat, probat enim, quòd non possit dari spes informis: nam probat, quòd non possit dari amor Dei concupiscentiæ absque amore amicitiæ; spes autem informis non stat absque amore concupiscentiæ, & non potest esse informis, si non potest esse sine amore Dei amicitiæ. Contra D. Thomam, & contra rectam Philosophiam est, quòd amor concupiscentiæ propriè dictus, & amor amicitiæ differant penes perfectum, & imperfectum intra eamdem speciem; cum respiciant duo objecta formalia diversa. Ultimus finis est unum objectum in esse entis, sed est multiplex in esse objecti, ut explicat D. Th. *locis cit.* & ideo potest terminare duplicem amorem specie diversum; in ordine verò ad spem est unum objectum in esse entis, & in esse objecti, ideo est una tantùm spes specie. Deus ut inspectus a Virtutibus Theologicis est una eminentia realis, & tamen virtutes Theologicæ distinguuntur specie ad invicem: quia in illa eminentia est multiplex ratio formalis objectiva; ita in casu nostro.

§. VI.

SOLVITUR QUARTUM ARGUMENTUM ADVERSARIORUM, ET PHILALETIS ex §. 6. cap. 4.

221 OBJIC. IV. D. Th. *q.* 27. *de Sacramentis*, aliàs 86. 3. *partis art.* 2. resolvit impossibilem esse remissionem peccatorum in adulto absque pœnitentia loquendo de pœnitentiæ virtute: sed Sanctus Doctor nomine pœnitentiæ virtutis intelligit dolorem de peccatis dilectivum Dei super omnia; ergo ex D. Th. non sufficit attritio ad remissionem Sacramentalem. Probat assumptum arguens quinque argumentis ex eo articulo desumptis, quæ tamen unicum sunt; sed, ut sim fidelis, omnia refero. Primum format ex his verbis Angelici — Offensa autem directè opponi„ tur gratiæ: ex hoc enim aliquis dicitur „ alteri esse offensus, quòd repellit eum a „ gratia sua — Ergo nisi quis detestetur peccatum secundùm quod repellit a gratia Dei, non detestatur illud sub ratione offensæ, & sic semper manet affectus ad peccatum sub ratione offensæ, quamvis possit illi sub alia ratione displicere. Nullus autem potest detestari peccatum secundùm quod repellit a gratia Dei, nisi plus illi placeat Deus, quàm quodlibet aliud bonum temporale, quod est Deum amare super omnia. Hæc ille.

Secundum construit ex verbis Angelici — Offensa autem peccati mortalis proce„ dit ex hoc, quòd voluntas hominis est „ aversa a Deo per conversionem ad aliquod „ bonum commutabile —. Qui ergo dolet de aversione a Deo, & conversione ad bonum commutabile, dolet de peccato, in quantùm est offensa Dei: atqui in amore concupiscentiæ, quo concupiscimus Deum

ut ultimum finem nostrum, & summum bonum nostrum, dolor inde exurgens est de aversione a Deo ut ultimo fine, & de conversione ad bonum commutabile, sicut ad ultimum finem; ergo dolor ex dicto amore concupiscentiæ exurgens est dolor de peccato, ut est offensa Dei, quia magna perfectio est in Deo, quòd sit ultimus finis, & summum bonum nostrum, & ideo multùm offenditur, dum in aliquo alio a se distincto quærimus finem, & bonum nostrum. Ibidem ille.

Tertium efformat super eadem verba D. Thomæ sic discurrens. Offensa peccati mortalis procedit ex hoc, quod voluntas hominis est aversa a Deo per conversionem ad aliquod bonum commutabile, idest ex hoc quòd plus amet creaturam, quàm Creatorem, ut dicit 28. *de Veritate art.* 2. -- „ Quicumque in re temporali finem sibi „ constituit, quod facit omnis mortaliter „ peccans, ex hoc ipso, quantùm ad affe- „ ctum suum præponit creaturam Creatori „ diligens plus creaturam, quàm Creato- „ rem: finis enim est, quod maximè dili- „ gitur -- Ergo quandiu voluntas non plus amat Creatorem, quàm creaturam tandiù manet affecta ad peccatum, sive cum voluntate peccandi. Prob. conseq. Tandiu voluntas reputatur manere affecta ad peccatum, quandiu peccatum non retractatur: sed si voluntas non plus amat Creatorem, quàm creaturam, non retractat peccatum suum: non enim retractatur peccatum, nisi per actum contrarium, ut docet August. *lib.* 2. contra Adversarium legis *cap.* 7. -- Dile- „ ctioni, qua creatura præponitur Creatori, „ sola dilectio, qua Creator præponitur „ creaturæ, est contraria; ergo -- Ibidem.

Quartum fingit ex sequentibus ejusdem Angelici -- Unde requiritur ad remissionem „ Divinæ offensa, quòd voluntas hominis „ sic immutetur, ut convertatur ad Deum „ cum detestatione conversionis prædictæ, „ & proposito emendæ, quod pertinet ad „ rationem pœnitentiæ secundùm quod est „ virtus -- Sed immutatio voluntatis, qua convertitur ad Deum cum detestatione conversionis ad bonum commutabile, necessariò fit per amorem Dei super omnia: cum talis ad Deum conversio non fit, nisi amor Dei super omnia; ergo.

Quintum desumit ex resp. S. Thomæ ad primum loquentis de Baptismo suscepto ab adulto --. Sed adulto, in quo sunt „ actualia peccata, quæ consistunt in deor- „ dinatione actuali voluntatis non remit- „ tuntur peccata etiam in Baptismo sine „ actuali immutatione voluntatis, quod fit „ per pœnitentiam -- Sed multò magis requiritur immutatio actualis voluntatis pro Sacramento Pœnitentiæ; ergo multò magis requiritur actus virtutis pœnitentiæ.

221 Sibi constans est D.Th. ejusq. mente legitima perspecta omnia corruunt Adversarii argumenta. Mens D. Th. *in cit. art.* est resolvere neminem Adultorum posse justificari absque operibus pœnitentiæ interioris, quæ consistit in actibus elicitis pœnitentiæ, posse tamen justificari absque opere Sacramenti Pœnitentiæ in re. Non determinat autem qualitatem illius pœnitentiæ interioris, nec pro justificatione Sacramentali, nec extrasacramentali; quia loquitur absolutè, ut omnes Interpretes affirmant.

Pro cujus clariori intelligentia distinguitur apud Doctores duplex pœnitentia interior; una formalis dicitur, altera virtualis, seu apud alios una implicita, altera explicita. Pœnitentia formalis est dolor expressus de peccatis, qui subdividitur in sufficientem, & æquivalentem: sufficiens ille dicitur, qui absque alio adminiculo actuali externo, seu ut alii, absque pœnitentia externa, potens est inferre justificationem. Æquivalens dicitur, cujus efficacia non sortitur effectum absque adminiculo actuali externo, puta absque martyrio, vel Sacramento. Pœnitentia virtualis interior est actus aliquis virtutis supernaturalis distinctæ a detestatione expressa peccatorum, vim habens illativam justificationis, & retractationis peccatorum. Hic porrò actus apud aliquos subdistinguitur in eminentem, & æquivalentem. Eminens dicitur, quia propter sui perfectionem facit id totum, quod facit pœnitentia formalis sufficiens; & hic est actus charitatis. Æquivalens ab illis appellatur, qui est actus supernaturalis illativus justificationis conjunctus actualiter cum Sacramento externo, & coincidit cum membro posito in prima subdivisione; & est actus simplicis attritionis. Pœnitentia formalis ex parte actus potest esse explicita, vel implicita ex parte objecti; si habeatur distincta peccatorum cognitio est explicita; si habeatur tantùm confusa peccatorum cognitio est implicita.

Interior pœnitentia duplex.

Conclusio D.Th. loquitur Indefinitè de pœnitentia interiori, prout comprehendit omnes istos modos; unde peccator justificatur sive sub uno, sive sub alio modo pœnitendi. Si absque ulla cogitatione peccatorum in actuali amore Dei super omnia moriatur, salvatur: & si oblitus omnino de suis peccatis ad martyrium Christianè properet: si per confusam tantùm cognitionem peccatorum doleat: & si tantùm per Æquivalentem; Absque autem pœnitentia interiori uno ex his modis accepta nullus adultus justificari potest. Et hæc est mens legitima, & unica litteræ D. Thomæ. In quo sensû accipitur a Doctoribus, quando resolvunt celebrem illam controversiam de necessitate medii ipsius pœnitentiæ, & de necessitate præcepti.

222 Itaque resolutio articuli est, nullum adultum posse justificari absque propriis actibus pœnitentialibus dispositivis: sive formalibus: sive virtualibus: sive æquivalentibus: sive sint de linea primaria pœnitentiæ: sive reductivè; & ideo utitur terminis applicabilibus rigorosæ contritioni, & minùs rigorosæ, sicut etiam 4. *sent. dist.* 14. q. 2. *art.* 5., & ad Annibaldum eadem distinctione: Hinc patet solutione etiam eorum, quæ arguens submiscet. Hinc ad primum. Offensa opponitur directè gratiæ solùm in sensu demeritorio; in sensû verò formali non opponitur gratiæ, sed ordini rectitudinis statutæ per legem, & propter hanc oppositionem constituit hominem reum æternæ damnationis.

Offensa demeritoriè opponitur gratiæ.

nationis . Potest autem homo offensam Dei demeritoriè oppositam gratiæ detestari , vel sub motivo boni divini , & tunc fiet per actum dilectivum ; vel sub motivo præcavendæ damnationis æternæ , & tunc fiet per actum attritionis ; quocumque modo offensam Dei aggrediatur , illam aggreditur , ut gratiæ oppositam .

Pœnitentia a pluribus virtutibus valet imperari.

Ad 2. Actus aggressivus offensæ Dei , qui pœnitentiæ dicitur , accipi potest, vel ut insequitur offensam , prout est malum Dei formaliter , & tunc imperatur a charitate : vel ut eam insequitur ex fine vindicandi injuriam Deo irrogatam , & tunc imperatur a justitia : vel prout opponitur bono concupito , & tunc imperatur a spe . Quilibet ex istis modis detestationis retractat conversionem ad bonum commutabile, & aversionem a Deo , & immutat voluntatem ab uno ad aliud extremum .

Deordinatio tollitur multipliciter.

Ad 3. Admittimus peccantem interpretativè magis creaturam , quàm Creatorem diligere ; ex hoc tamen fit reus æternæ mortis , & summæ infelicitatis . Unde moveri potest ad detestandum hujusmodi deordinationem , vel ex fine evitandi promeritam damnationem , vel amore boni divini secundùm se ; & semper retractat illam deordinationem, siquidem illi displicet, quod inordinatè fecit , & corrigit illum affectum pravum , & sub quolibet motivo illi datur contrarietas ad offensam . Contrarium per contrarium utique tolli debet ; sed non est necessarium exercitium contrarietatis lineæ formalis , & directæ , & immediatæ ; sed sufficit , quòd contrarietas intercedat inferens incompossibilitatem . Nec aliter loquitur D. Augustinus , nec aliter loqui debet , quia peccans opponitur revera Deo ultimo fini, & tamen non peccat ex intentione formali auferendi a Deo rationem ultimi finis ; ita revera detestans illud peccatum ex amore salutis ponit actum contrarium, licèt non sit ex intentione formali restituendi Deo rationem ultimi finis .

Voluntas ex pluribus mutari potest.

Ad 4. Voluntas immutatur , quando repellit priorem affectum erga objectum, & substituit alium. Clericus firmiter proposuit ire Romam , ut Beneficium sibi acquireret : immutat illam voluntatem , si seriò retractat illud propositum, & statuat manere apud parentes ; & hoc sive per unum, sive per aliud motivum eligat ; nec est necessè, quòd ducatur ex fine directè opposito illi priori fini, quia v. g. ei displiceat status Ecclesiasticus . Ita absque dubio peccator immutat voluntatem , quotiès seriò deserit priorem affectum ad bonum commutabile, & substituit alium, quocumque motivo supernaturali moveatur . Si ducatur ex titulo boni divini propter se, erit ex dilectione ; si ducatur ex titulo timoris divinæ vindictæ , erit ex spe . Prima immutatio sufficit ad justificandum absque actuali Sacramento ; secùs secunda . Cæterùm semper verificatur , quòd Deus non remittit peccatum absque immutatione voluntatis .

Ad 5. constat ex dictis . Concedimus, quòd in utroque Sacramento pro adulto necessaria est immutatio voluntatis ; sed superest probandum , quòd nisi uno modo fiat ille immutatio, seu ex unico motivo . Justus quando per peccatum recedit ab affectu concepto placendi Deo , immutat voluntatem ; sive moveatur ad peccandum ex delectatione, sive ex interesse, sive propter sanitatem, sive metu verberum, sive amore amicorum ; nec requiritur , ut dicatur mutare voluntatem , quòd unicè moveatur, quia displicet ei Deus formaliter . Consimiliter voluntas peccatoris immutatur, quando sincerè abominatur priorem affectum : ad abominandum autem potest moveri , tum ex turpitudine peccati commissi, tum ex gravitate promeriti supplicii , tum ex privatione maximi , æternique boni ; nec est necessè , quòd indispensabiliter ducatur ex bonitate Dei propter se .

224 Itaque clarissimè mens D. Th. est, quòd peccator adultus nunquam potest consequi justificationem sive in Sacramento, sive extra Sacramentum absque aliquo genere pœnitentiæ interioris : cum distributione autem accommoda ; ita quòd , quæ sufficit cum Sacramento , non sufficit extra Sacramentum , & quæ sufficiat extra Sacramentum , non fit necessaria in Sacramento . Ad cujus propositum facit , quod habet ad Annibaldum 4. *sent. dist.* 16. *art.* 4. quo resolvit aliquam pœnitentiam esse necessariam ante susceptionem Baptismi in adulto, ubi -- „ Dicendum, quòd pœnitentia dupliciter accipitur ; aut ut est Sacramentum officio „ Ministrorum dispensata , & sic sequitur „ Baptismum : aut ut est virtus, & sic dupliciter accipitur : aut enim ut est virtus „ formata , & sic non requiritur, quòd de „ necessitate Baptismum præcedet, sed quasi „ per Baptismum causatur , quia sic virtute „ Baptismi nunquam culpa actualis adulto „ remitteretur , cum jam esset remissa : aut „ ut informis virtus , quasi quædam peccati „ detestatio, quamvis non omnino sufficiens, „ & sic requiritur, ut causa removens prohibens, sed defectus ejus supplетur in Baptismo. Ratio autem quare requiritur hæc est : „ quia voluntas semel fixa in peccato semper „ manet in eo fixa (actu, vel habitu) nisi per „ actualem detestationem avellatur ab eo . „ Voluntas autem fixa in peccato non est „ subjectum susceptibile gratiæ -- Locus iste verè deservit pro attritione simplici , si sincerè consideretur ; pro cujus majori confirmatione advertenda sunt sequentia .

Pœnitentia formata , & informis.

225 Primum . Pœnitentia virtus dividitur in formatam , & informem . Pœnitentia virtus formata apud D. Thomam est dolor de peccatis imperatus a charitate, ratione cujus tenet actum pœnitentiæ hujusmodi remittere peccata ; sed quia plura jam dedimus , unum subdo ex 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 4. ubi resolvit peccatorum remissionem esse effectum pœnitentiæ virtutis : ibi in argumento e. sed Contra , quod pro sua decisione retinet , ait -- Pœnitentia ex „ actu proprio habet , quòd a peccato liberet , ut dictum est : sed ad actum proprium comparatur in quantùm est virtus : „ ergo in quantùm est virtus peccatum remitti ex actu proprio -- Adverte illud quod denotat substantiam actus , non intensionem actus . Et in corpore Articuli -- Quia enim ex ipsa actus inordina-

„ tione

„ tione homo quantùm in se erat, injuriam „ Deu faciebat, ideo ex parte illa peccatum remittitur secundùm quod inæqualitas prædicta injuriæ ad æqualitatem justitia reducitur, quod facit pœnitentia in„ quantùm est virtus quædam per suum „ actum, ut priùs dictum est. *Et ad* 2. „ Non qualibet virtus est gratia informata, „ nec qualibet virtus habet actum ordina„ tum ad prædictam æqualitatem inter „ Deum, & hominem restituendam, ut „ dictum est: & ideo non oportet quòd „ qualibet virtus peccata remittat: hoc „ enim pœnitentiæ convenit non in quantùm „ est virtus simpliciter, sed in quantùm est „ virtus quædam — Ex propria constitutione sui actus pœnitentia remittit peccata; & non est nisi dolor imperatus a dilectione, sine qua non datur via remissiva extrasacramentalis. Pœnitentia verò virtus informis est dolor de peccatis non imperatus a dilectione Dei: distinguitur enim contrapositivè ad alium actum a dilectione imperatum; & hæc pœnitentia informis est attritio simplex, quam optimè describit, dicens — Quasi „ quædam peccati detestatio — Qua locutione exponit attritionem *quæst.* 1. *suppl. art* 2. *ad* 2. — Et ideo significat attritio in spiri„ tualibus quamdam displicentiam de pec„ catis commissis —

Pœnitentia virtus informis.

226 Secundum notabile est, quòd illa pœnitentia attritionis — Non est omnino „ sufficiens: & sic requiritur ut causa re„ movens prohibens; sed defectus ejus sup„ pleatur in Baptismo — Quibus verbis exponit S. Doctor naturam attritionis, quam defendimus, videlicet: quòd extra Sacramentum non perducit ad justificationem, benè verò cum ipso: & quòd non est dispositio ex suis intrans justificationem, sed concomitans, sed extra disponens, seu antecedens ultima, quæ est proprietas timori attributa ab Angelico alibi citato ex 2. 2. *quæst.* 19.

227 Tertium notabile est in illis verbis — Quia sic virtute Baptismi nunquam „ culpa actualis adulto remitteretur, cum „ jam esset remissa — Traditur hic invicta ratio, videlicet; evacuatur virtus Sacramentalis ex divina institutione Sacramentis mortuorum collata, si attritio simplex non sufficit, quia semper supponeretur remissa culpa per actum pœnitentiæ dilectivum secundùm substantiam acceptum, sive secundùm suum essentiale constitutivum, quod exprimit clarè S. Doctor illis locutionibus — „ Ad actum proprium per suum actum, in „ quantùm est virtus quædam — Actus, & proprietas alicujus virtutis non mensurantur ab intensione, sed ab essentia: virtus non est *quædam*, idest hæc, ut ab aliis diversa, per intensionem, sed per suum essentiale constitutivum; adeoque actus pœnitentiæ est remissivus peccati secundùm suam essentiam acceptus. Quoniam ex D. Th. demonstrativè concluditur simplicem attritionem sufficere in Sacramento, si semel constet actum pœnitentiæ imperatum a charitate quoad substantiam acceptum justificare in voto; placet post tot jam dicta unum adhuc subjicere.

Dupliciter, docet D. Th. *loco cit. ex* 4. *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 4., Pœnitentia virtus remittit peccata: per actum suum videlicet, & per habitum. Per primum efficienter, per secundum formaliter propter gratiam, in qua radicatur, secundùm quam rationem convenit cum aliis habitibus. Idem docet ibidem *art.* 1. — Operatur etiam ad dimissionem „ peccati in quantùm est virtus speciali mo„ do præ aliis virtutibus: quia secundùm „ omnem virtutem formatam ex parte ha„ bitus peccata dimittuntur ratione gratiæ, „ quæ cum ea infunditur; sed hoc est for„ maliter remittere: sed pœnitentia ex ra„ tione sui actus habet, quòd per eam pec„ cata dimittantur, secundùm quod peccata „ commissa sunt materia actus ejus: cum „ enim peccatum ex hoc remitti dicatur, „ vel retineri, quod habet rationem offen„ sæ, illud quod offensam aufert, peccatum „ tollit: cum autem offensa in quantùm hu„ jusmodi sit inæqualitas quædam, qua unus „ alii subtrasit quod debitum erat, actu il„ lius virtutis peccatum remittitur, quæ „ inæqualitatem prædictam ad æqualitatem „ reducit: hoc autem facit pœnitentia (ut „ ex dictis patet) quæ in recompensationem „ Divinæ offensæ Spiritum Deo contribula„ tum offert: & ideo pœnitentiæ etiam ex parte „ actus sui competit peccatum tollere: & „ hoc est efficienter (& non solùm forma„ liter) per pœnitentiam peccata dimitti —

Tangit hic triplex caput ex quo sustinet actum proprium pœnitentiæ, non ut intensum, sed ut talem substantialiter acceptum, remittere peccata extrasacramentaliter. Primum caput est, quòd eum effectum facit; prout ab aliis virtutibus distinguitur, & non per illud, quod commune habet cum aliis: ratione autem intensionis cum aliis convenit, & disconvenit solùm ratione sui specialis constitutivi; adeoque secundùm essentiam acceptus ille actus id operatur. Secundum est, quòd eum effectum facit, quatenus tollit inæqualitatem, quam ponit peccatum: peccatum autem non ut intensum, sed secundùm essentiam ponit inæqualitatem; adeoque etiam actus pœnitentiæ non ut intensus, sed ut talis illam inæqualitatem tollit. Tertium est, quòd per suum actum efficienter remittit peccatum, quomodo formaliter remittit per habitum, seu per gratiam habitualem; sed formaliter dimittit per gratiam non ut intensam, sed ut gratia est substantialiter accepta; ergo etiam efficienter per actum substantialiter acceptum, non ut intensum de necessitate. Non negamus tamen tam in actu, quàm in habitu intensionem conducere ad perfectiorem remissionem peccatorum.

228 Quartum notabile est in illis verbis — Ratio autem quare requiratur, hæc „ est; quia voluntas semel fixa in peccato „ semper manet in eo statu (actu, vel habi„ tu) nisi per actualem detestationem avel„ latur ab eo — Per actualem detestationem, inquit, indefinitè; quia sufficit vera detestatio ex quocumque motivo oriatur, ut verificetur absque pœnitentia interiori non remitti peccatum absolutè loquendo.

229 Quintum notabile est in illis verbis —

bis -- Voluntas autem fixa in peccato non „ est subjectum susceptibile gratiæ -- Cum autem per attritionem simplicem serio detestativam peccatorum voluntas ab adhæsione illa moveatur, efficitur subjectum susceptibile gratiæ medio Sacramento, quod supplet defectum insufficientiæ ipsius attritionis, ut in textu docet Angelicus, cujus excellenti doctrinâ iterum, iterumque remanet confirmata nostra doctrina, & assertio.

ARTICULUS SEPTIMUS.

AN DOCTRINA OMNIUM SECULORUM SUFFICIENTIA CHRISTIANÆ ATTRITIONIS PRO SACRAMENTO PŒNITENTIÆ COMPROBETUR.

CLarissimi Adversarii, ut necessitatem Dilectionis Dei super omnia pro dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ conentur ostendere, docent omnium seculorum fuisse doctrinam; proindeque recensitis pluribus Patrum sententiis, eos per secula distribuentes, Catalogum satis copiosum conficiunt, quo aliqui commoti sunt, qui ea testimonia legentes ulteriùs non sunt progressi, conferendo loca locis, & contextibus. Animadvertens igitur, quòd aliqui multitudine, & mole capiuntur, pondere, & pretio non expensis, disposueram prolixum satis apparatum auctoritatum efformare per omnes Mundi ætates distributum, quibus ostenderem, quanta protulerint Patres faventia salutari pœnitentiæ conceptæ ex motivo vel gehennæ, vel æternæ retributionis; sed consilio in meliùs mutato abstinere decrevi, ne plùs justo gravarem Lectorem, & tædio afficerem eum detinendo in re oculis Eruditorum clarissimâ; cum Sacrorum Scriptorum volumina frequentissima sint, ubi exponunt multimodas Scripturas, quæ de timore servili Dei agunt, vel propheticas commonitiones explicant, vel de stantis peccatorum suppliciis, vel de Novissimis sermonem habent, vel de flagellis, quibus hoc seculo vexantur impii, declamant. Quare ex solùm intentione præsentem Articulum proponimus, ut quibusdam Patrum testimoniis a Clarissimis Adversariis productorum satisfaciamus, quæ non sunt ad Articulos præcedentes revocata. Ne tamen mancus sit Articuli titulus, aliquod fundamentum subjiciemus. Sit ergo conclusio.

Dicendum est doctrinâ omnium seculorum comprobari Christianæ attritionis sufficientiam.

* * * * *

§. I.

PROBATUR EX VETERI TESTAMENTO.

230 PROB. I. Primus mundi, & hominis status fuit ille felicissimus Innocentiæ, in quo Adam conditus fuit, & in quo peccavit. Quamvis esset Protoparens excellentissimis gratiæ, & charitatis donis ditatus, nihilominùs ut a peccato Deus ipsum averteret, timorem servilem ei specialiter intimavit: Genes. 2. 16. *Præcepitque ei dicens: ex omni ligno Paradisi comede; de ligno autem scientiæ boni, & mali, ne comedas. In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Et ut serpens callidus mulierem in peccatum induceret, frænum servilis timoris amovere aggressus est. Cap. 3. 4. *Nequaquam moriemini*, ubi Divus Thomas in Commentario, habet -- Ubi ut inducat ad „ transgressionem, promittit impunitatem, „ & abjicit divinum timorem, inter enim „ omnia, quæ tenent hominem in bono, & „ retrahunt a malo est timor divinus, nam „ qui timet Deum faciet bona, & ideo cum „ vult Diabolus introducere peccatum in „ mentem hominis conatur abjicere timo„ rem Dei, & sui justitiæ, vel sui rigoris -- Quod autem potens est amovere cor ab affectu peccati, optimum est ad disponendum ad justificationem. Salvum esse Adamum, Catholicum dogma est. Per attritionem autem ad sanctificationem perductus est. Aperti sunt ei oculi, & conspexit se nudum esse; oculi non solum corporis, sed & animæ. Conspexit turpitudinem membrorum quidem, sed moltò magis cordis, & conscientiæ, cujus fœditate commotus construxit sibi perizomata ex foliis asperis ficus non solùm ut tegeret nuditatem materialem, sed ut pœnitentiam ageret, ut advertit S. Irænæus -- „ Peccati sui fœditate suffusus fugiebat a fa„ cie Domini, cujus judicium timebat; „ cumque timore, & rubore commotus „ pœniteret, & confiteretur peccatum suum „ veniam consecutus est -- Hoc eodem artificio usus est Deus, ut a peccato suo avocaret Cain, turpitudinem peccati præ oculis objiciens in sanguine Abel, qui clamabat de terra. Timorem Divini rigoris præferens vagus, & profugus super terram se ab omnibus occidendum justo Dei judicio existimabat; cum tamen plus justo timorem conceperit, in salutarem pœnitentiam non erupit, desperans veniam granditate peccati præceptus, dicens; *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.*

Adam per attritionem ad sanctificationem perductus.

Cain plus justo timorem conceptus.

231 PROB. II. Septimum ab Adam Enoch elegit Deus sui Prophetam, & Præconem, ut ad pœnitentiam perduceret lapsos, & a lapsu contineret stantes. Sed quo medio est usus? Motivo timoris: hinc ultimum judicium prædixit, & prædicavit, ut habetur in Canonica Judæ; & ut posterioribus seculis deserviret ea doctrina pro inducenda pœnitentia, in columna marmorea insculpsit. Concedimus, & pro certo supponimus, quòd ante Sacramenti Pœnitentiæ institu-

stitutionem, attritio descripta servilis non perducebat ad consummatam justificationem ex se, nisi pœnitentia dilectiva accederet: sed ad pœnitentiam dilectivam proximè disponebat; quod autem tunc faciebat dilectiva pœnitentia, facit nunc Sacramentum Pœnitentiæ, utpote *ex opere operato* primam gratiam producens ex sui institutione; adeoque ad gratiam per Sacramentum consequendam attritio proximè disponit.

232 PROB. III. Crescente hominum multitudine multiplicata sunt peccata, ut Deum pœnituerit fecisse hominem, & decrevit delere terram. Assumpsit ad hunc finem Noe, qui & futuram punitionem evulgaret, & Arcam construeret, qua pauci homines erant salvandi, & animalia. Quia Deus benignus, indulsit centum annorum spatium, ut Arca fabricaretur videntibus hominibus, ad terrorem, inquit S. Thomas, ut scilicet justo timore suppliciorum divinorum conversi pœnitentiam agerent de peccatis; & ita factum est in aliquibus, qui a peccatis recesserunt attriti prius, deinde contriti salvati sunt, sicut in Epist. 1. cap. 3. indicat S. Petrus, describens descensum Animæ Christi ad Inferos, sic. *In quo, & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe cum fabricaretur Arca.* Certum est spiritibus damnatorum Christum non prædicasse, sed salvatorum, quorum aliqui fuerant contemporanei Noe, qui ab initio comminanti Diluvium non crediderunt, sed conspicientes proximiora signa, timore casto percussi pœnitentiam egerunt, & salvati sunt. Timor imminentis flagelli, ut a Deo immissi conjunctus periculo æternæ damnationis avulsit cor illorum a pravibus affectibus creaturarum, & induxit affectum erga Deum, quem diligere ceperunt, & ad gratiæ justificantis consecutionem pervenerunt, ut certò constet amorem servilem rectum immediatè disponere ad justificationem, vel per charitatem consummandam, vel per Sacramenti susceptionem, ubi imperat peccatorum detestationem.

Cur Deus centum annorum spatium indulsit ad Arcæ constructionem.

233 PROB. IV. ab exemplo Sodomorum, in quo sunt præclara pro salutari timore inducente amorem, & pœnitentiam notorum. Historiam habemus Genes. 19., sinemque eorum habemus in Epist. S. Judæ num. 7. *Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ Civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes.* Exemplum est sancti timoris stantibus, ut non cadant, & ut resurgant pœnitentes, alioquin subituri pro certo cum Sodomitis æterna supplicia. Tantæ efficaciæ visum est Spiritui Sancto exemplum illud ad commovendos, & revocandos peccatores salutari metu, ut quatuordecim Canonicis Scriptoribus dictaverit. Moysi *Deuter.* 29., Salomoni *Sap.* 10., Davidi *Psal.* 106., Isaiæ pluriès: Hieremiæ, & Ezechieli item pluriès: Amos 4., Sophoniæ 2., Matth. 10., & 11., Lucæ 10., & 17., Paolo *Roman.* 9., Petro 2. 2., Judæ *cit. loco*, Joanni *Apocal.* 11. Quorsum tam repetita commemoratio, & comminatio, si

Sodomorum historiæ cur toties Scriptura meminerint.

Divinorum suppliciorum meditatio efficax non esset avocandi peccatores ab impietate, & disponendi eosdem ad justificationem? Non delectatur Deus in morte peccatorum, sed in conversione.

Quærunt Eruditi propter quandam D. Hieronymi sententiam, an omnes Sodomitæ, & finitimarum Civitatum incolæ sint æternaliter damnati? Nihil quidem certi habemus ex sacris litteris; nihilominus inclinant nonnulli Interpretes in partem negativam, volentes, quòd aliqui salvati fuerint, non quidem absque pœnitentia, sed quòd aspicientes cursitantem ignem consummativum Urbium, & hominum, ad se reversi timore salutari misericordiam consecuti fuerint. Motivum primum est illud generale principium in Scripturis notum, *Universæ viæ Domini Misericordia, & Veritas. Pax, & Justitia osculatæ sunt.* Locum non habuisset Misericordia, si nulli pœnitentiam egissent. Secundum motivum est promptitudo exhibita a Domino ad parcendum Urbi, & Gomorrhæ propter merita decem Justorum: propter preces Abrahæ supplicantis pro illis; deprecabatur autem Abraham, utpote justus, per se primò pro salute æterna Sodomitarum; estque verosimile, quòd ipsum exaudierit Deus concedens illi aliquos ad celerem pœnitentiam. Tertium motivum includitur in placito Angeli ad preces fugientis Loth, cui donavit saltem ad tempus parvam illam Civitatem propinquam Segor, quam primò est ingressus. Illius Incolæ vastationem intuentes proximam Urbis, sufficiens tempus habuerunt agendi pœnitentiam propriorum scelerum conscii, sicut & cæterarum finitimarum Civitatum, ad quas per aliquam moram descendisse ignem, & aliquali successivo tractu, indicare videtur Scriptura. Nec valet locutionem Scripturæ esse generalem, nulliusque exceptivam; stat namque generalis verificatio propter combustionem temporalem singulorum cum salvatione spirituali aliquorum conversorum, sicut cogimur excipere a damnatione æterna parvulos ab originali purgatos, combustos tamen corporaliter. Quidquid sit de hoc soli Deo noto, certum illud est, non inutiliter hæc tradita fuisse in Scripturis; nec alia utilitas est excogitabilis, quàm efficacia casti timoris servilis ad emerenda corda peccatorum.

Aliqui ex Sodomitis conversi.

234 PROB. V. ex Veteri Lege novam præfigurante. Hæc lex servitutis dicitur, & timoris, quia mediis flagellis perducebat Deus durum populum ad æternam salutem. In temporalibus vexationibus præsignabat sempiterna supplicia, sicut sub promissione terrenorum bonorum occultabat promissiones æternorum; ut timore pœnarum amoveret a peccatis, & amore bonorum promoveret ad observantiam mandatorum. Produci nunquam possunt præ multitudine loca Scripturæ, & exempla, quibus usus est Deus ad provocandum ad pœnitentiam peccantes mediis flagellis corporalibus quidem, sed præfigurativis æternalium. Sufficiat hic duo breviter expendere circa promulgationem legis veteris præfigurativæ legis novæ.

Primum petitur ab iis, quæ præmisit Deus dans Moysi legem tradendam, & expli-

esplicandam Populo Hebræorum Exodi 19. ubi a versu 16. dicitur, *Jamque advenerat tertius dies, & mane inclaruerat: & ecce cœperunt audire tonitrua, ac micare fulgura, & nubes densissimes operire montem, clangorque buccinæ vehementiùs perstrepebat: & timuit Populus, qui erat in castris. Cumque eduxisset eos Moyses in occursum Dei de loco castrorum, steterunt ad radices montis. Tunc autem Mons Sinai fumabat: eò quòd descendisset Dominus super eum in igne, & ascenderet fumus ex eo, quasi de fornace, eratque omnis Mons terribilis &c.* Terribilia hia, & Deut.4. descripta ad septem genera revocantur, & in tria capita distribuuntur, ut notat D. Th. *lect.* 4. *in cap.* 12. *ad Hebr.*, ita quòd aliqua se tenebant ex parte Dei dantis legem, alia ex parte legis datæ, reliqua ex parte Ministrorum legis. Omnia eò spectabant, ut Hebræos sacro quodam horrore, timore, & reverentia tum Numinis, tum Legis, quam accepturi erant observandæ, percellerent. Speciatim de igne occurrit mentio, secundùm Interpretes ad designandum Deum Judicem, Deum punitorem violantium legem, ut timore suppliciorum contineret se populus, & legem custodiret. Timor Divini Judicii sufficiens fuit ad acceptandam, consequendam, & reparandam integram totius legis gravissimæ observantiam: cumque lex tota nequeat impleri absque gratia, & charitate sanctificante, inferre oportet timorem servilem sanum disponere ad gratiam, & charitatem habendam; proinde etiam proximè ad Sacramenta mortuorum, quæ in vi sanctificativa continent gratiam, & charitatem.

235 Secundum quoniam Clarissimi Adversarii putant vim declinare illo dicto Augustini -- Brevis differentia legis, & Evan„ gelii est timor, & amor -- Apostolum adeamus locum hunc producentem ad Hebr. 12. vers. 18. *Non enim accessistis ad tractabilem montem, & accessibilem ignem, & turbinem, & caliginem, & procellam: & tubæ sonum, & vocem verborum, quam qui audierunt, excusaverunt se ne eis fieret verbum, non enim portabant, quod dicebatur. Et si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et ita terribile erat, quod videbatur. Moyses dixit exterritus sum, & tremebundus. Sed accessistis ad Sion Montem &c.* Utique Doctor Gentium refert, & assignat excellentiam novi Testamenti supra vetus, ejusdemque præstantiam comparativè ad illud, sed ex hoc eodem principio validissimum argumentum conficit a minori ad majus ad continendos conversos Hebræos in fide, & ad revocandos lapsos, si qui forent, sequentem ordinem, sicut contextus exprimit, & D. Th. exponit.

Primò. In superioribus posuit admonitionem ad evitanda mala culpæ. Secundò. In posterioribus assignat radicem hujusmodi admonitionis declarando differentiam inter veterem, & novam legem. Tertiò. Deducit graviùs peccare, & graviùs puniendos esse violatores legis novæ, quàm veteris transgressores, atque. *Videte ne recusetis loquentem. Si enim illi non effugerunt, recusantes eum, qui super terram loquebatur: multò magis, qui de Cœlis loquentem nobis avertimus.* Quartò. Urget eos metu, & minis narrans qualiter Deus, cum dedit legem veterem, commoverit Cœlum, & Terram, ut ostenderet se terribilem suæ legis vindicem. Quintò. Concludit sub lege nova adhortando ad observantiam Christianæ Religionis, & professionis motivo timoris servilis proponendo illis Deum severum Judicem, ac ultorem violatæ fidei. *Itaque Regnum immobile suscipientes, habemus gratiam, per quam serviamus placentes Deo, cum metu, & reverentia: etenim Deus noster ignis consumens est.* Ignis consumens est Deus noster, quia adinstar ignis punit, urit, consumitque suæ legis transgressores. Ubi D. Thomas -- Item consu„ mit peccatores puniendo, supra 10. Ter„ ribilis autem quædam expectatio, & ignis „ æmulatio, quæ consumptura est adversarios: „ & ideo, quia ista nobis promissa sunt „ *Esaiæ* 10. Erit lumen Israel in igne, & „ sanctus ejus in flamma. *Psalm.* 96. Ignis „ ante ipsum præcedet, & inflammabit in „ circuitu inimicos ejus. Ideo debemus stu„ dere ad serviendum, & placendum „ Deo --

Unde colligitur primò, quòd a lege nova longè præstante supra veterem non excluditur timor servilis, qui est differentia legis veteris. Secundò, quòd timor servilis, Dei videlicet punientis, judicio Pauli, est motivum efficax ad continendum Christianos in observantia legis susceptæ; proinde sufficientissimum ad excludendam voluntatem peccandi. Tertiò, quòd timor servilis aptus est ad impetrandam gratiam, qua serviamus placentes Deo. Cumque lex observari nequeat integra absque charitate, nec sit possibile placere Deo absque eadem charitate, jam fit timorem servilem proximè disponere ad charitatem, quæ a gratia sanctificante oritur; & consequenter disponit proximè suo modo ad formam justificantem, vel extrasacramentaliter, vel sacramentaliter inducendam.

236 Posset sexta approbatio afformari ex plurimis sententiis Sanctorum Prophetarum Isaiæ, Jeremiæ, Ezechielis, Zachariæ, Oseæ, Jöelis, & reliquorum, qui erant Ministri, & Præcones, quibus Deus utebatur ad corrigendos Israelitas transgressores Legis, & eos ad pœnitentiam provocandos; qui minas assumebant, ut in plurimùm, ut ad emendationem, & conversionem peccatores perducerent.

Posset & septima afferri ex actualibus conversionibus factis motivo suppliciorum comminatorum in Lege, & a Prophetis populo, Principibusque delatorum. Quoniam hæc & sunt obviam Eruditis, ac Scripturam scientibus, & revocantur ad generalem conditionem illius legis, neque diversum addunt argumentum a præcedenti jam expenso; ideo omittenda duxi.

§. II.

COMPROBATUR EADEM VERITAS EX NOVO TESTAMENTO.

237 PROB. VI. *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio.* Ad Heb. 1. Locutus est nobis in Filio, utique consona Prophetarum doctrinis, quæque præfiguratè dixerunt vetera oracula: qui cum frequenter sub comminationibus ad pœnitentiam provocaverint legis transgressores, eâdem viâ incedere debuit Dei Filius figurarum impletivus, legem etsi charitatis, & gratiæ condens; quoniam eandem escam manducaverunt, & eundem potum biberunt, Paulo docente. Nec pugnat in lege charitatis vis sancti timoris servilis; siquidem justa ratio dictat, quòd gravior pœna debeatur filio rebelli adversùs Patrem, quàm servo infideli adversùs Dominum.

Christus prædicationem à Pœnitentia exorditur.

238 PROB. VII. Christus suam prædicationem exorditus est a pœnitentia apto motivo procul-dubio: sed motivum assumptum a Domino fuit attritionis Christianæ a nobis descriptæ; ergo attritio sufficiens est ad pœnitentiam veram, & statui gratiæ convenientem, quæ & ordinatur, & completur per Sacramentum absolutionis. Mic' habetur Matth. 4. v. 17. *Exinde cœpit Jesus prædicare, & dicere pœnitentiam agite: Appropinquavit enim Regnum Cœlorum.* Quod Marci 1. repetitur. Ecce motivum spectans ad lineam spei ex ordine concupiscibili. Urget, ut Evangelio credant, ut a peccatis revertantur Auditores spem excitando æternæ felicitatis, Regnum sempiternæ Beatitudinis promittens. *Et ideo dicit appropinquat Regnum Cœlorum, scilicet Beatitudo æterna*, ait D. Thomas in hunc locum, qui paulò ante præmisit -- Circa hoc autem duo facit; „ Unum admonet, aliud promittit — De pœnitentia admonet: In promissione motivum assignat, utique sufficiens, utique proximum; non enim in necessariis defecit Christus.

239 Expendamus hunc locum. Advertit ibi D. Th. *Quòd eadem verba dicit hic Christus, quæ Joannes*; tum ad humilitatem docendam; tum, *Quia Joannes est vox: ipse verò Verbum; Idem autem significatur per verbum, & vocem, nisi quia verbum est expressum vocis.* Atqui pœnitentia prædicata a Joanne sub motivo amoris concupiscentiæ, *Venit Joannes Baptista prædicans in Deserto Judeæ, & dicens: Pœnitentiam agite: appropinquavit enim Regnum Cœlorum*, erat proxima dispositio ad justificationem in susceptione Baptismi præparativi ad Baptismum Christi, in confessione peccatorum prælusiva ad Confessionem Sacramentalem a Christo institutam; ergo pariter pœnitentia sub eodem motivo concupiscibilis amoris est proxima dispositio ad justificationem in susceptione Sacramenti Baptismi, & Pœnitentiæ. Assumptum habetur ibi. *Et baptizabantur ab eo in Jordane, confitentes peccata sua.*

Quærit hic D. Thomas quare in Jordane baptizaret Joannes, & respondet -- Quia

Cur in Jordane baptizaret Joannes.

„ in Jordane primò fuit præfiguratus Baptismus 4. *Reg.* 2. ubi dicitur de Elisco,
„ quando transivit per Jordanem, & Elias
„ raptus est in Cœlum. Item ubi fuit mundatus Naaman leprosus, qui significat
„ mundatum a peccatis Baptismo -- Marci 1. dicitur, quòd Joannes fuit *Prædicans Baptismum pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Non quòd esset Sacramentum *ex opere operato* justificans, sed quia proximè disponebat ea pœnitentia ad Sacramentum Baptismi Christi, quod optimè expendit Doctor Angelicus 3. *p. q.* 38. *art.* 3. *in corp.* -- Et ideo Bap-
„ tismus Joannis gratiam non conferebat,
„ sed solùm ad gratiam præparabat tripliciter. Uno quidem modo per doctrinam
„ Joannis inducentem homines ad fidem
„ Christi. Alio modo, assuefaciendo homines ad ritum Baptismi Christi. Tertio
„ modo, per pœnitentiam, præparando homines ad suscipiendum effectum Baptismi
„ Christi -- Dispositio præparans ad effectum suscipiendum Sacramenti, profectò est dispositio proxima secundùm Theologorum principia. Illa porrò pœnitentia ex motivo erat spei, & amoris concupiscibilis: adeoq. ex motivo proprio attritionis nostræ; & cum idem motivum assignet Christus, planè fit pœnitentiam directam, & elicitam ex amore concupiscentiæ esse dispositionem sufficientem proximè ad effectum Sacramenti mortuorum, quale est Sacramentum absolutionis.

240 PROB. VIII. Prosequitur explicare Populo Joannes Baptista superiorem excellentiam personæ supra seipsum, & majorem dignitatem Baptismatis Christi supra suum Baptismum, & ait. *Ipse vos baptizavit Spiritu Sancto, & igne.* Quod Lucæ 3. repetitur. Illud additum *igne* significat secundùm D. Basilium *in cap.* 4 *Isaiæ*, & D. Damascenum *lib.* 4. *de Fide Ortodoxa cap.* 10., & D. Hilarium apud D. Thomam, ignem inferni: quæ expositio consonat contextui, ut notat idem D. Th.; subditur enim immediatè apud utrumque Evangelistam: *Cujus ventilabrum in manu sua, & permundabit aream suam, & congregabit triticum in horreum suum, paleas autem comburet igni inextinguibili.* Profectò mira hæc connexio, quam intendimus, continet doctrinam. Conjungitur cum doctrina Baptismi Christi rigor Divini Judicii, & terribilis pœna gehennæ æternæ infligendæ nolentibus suscipere Baptismum Christi, & non observantibus post sacram regenerationem legem Christi; ut Infideles timore concussi ad Baptismum veniant, & Baptizati eodem timore acti custodiant legem promissam, & lapsi ad pœnitentiam revertantur. Frustra autem hoc motivum proponeretur, si aut timor servilis non esset bonus motus in individuo; aut non excluderet voluntatem peccati; aut salutarem non pareret pœnitentiam ultimò ad sanctificationem disponentem sub Sacramento.

Quid sit igne baptizare.

Præstat audire Chrysostomum explicantem efficaciam utriusque motivi Regni, & gehennæ *tom.* 5. *homil.* 55. *ad Populum Antiochenum*, habet enim -- Et propterea de ge-

„ henna

„ heuna jugiter audiamos,ut ex hujus minis,
„ & timore moltum emolumenti capiamus. A
„ Nam si Deus peccantes in eam dejectu-
„ rus hujus minas non præmisisset, in
„ eam multi cecidissent. Si nunc enim ti-
„ more animas nostras concutienta, sunt
„ aliqui tam facilè peccantes, tamquam nec
„ ipsa sit: Si nibil horum dictum fuisset,
„ neque intentatum, quid mali non fecisse-
„ mus? Itaque quod semper dico, gehenna
„ non minùs, quàm Regnum Dei circa nos
„ curam ostendit. Gehenna namque cum
„ Regno cooperatur, ad ipsum homines ti-
„ more compellens: nequè sævitiæ, neque
„ crudelitatis rem esse censeamus, sed mi-
„ sericordiæ, multæque benignitatis, & cu- B
„ ræ, & dulcis erga nos amoris. Nisi per
„ Jonam subversio denunciata fuisset, non
„ fuisset prohibita subversio. Nisi dixisset,
„ quòd subverteretur Ninive, Ninive non
„ stetisset: Nisi fuisset intentata gehenna,
„ in gehennam omnes cecidissemus: Nisi
„ pronunciatus ignis fuisset, ignem fugisset
„ nemo. Eorum, quæ facere vult, contra-
„ ria dicit, ut quæ vult faciat. Non vult
„ mortem peccatoris: & dicit mortem pec-
„ catoris, ne mittat in mortem. Nec verbo
„ tantùm testatur, verùm, & factis ostendit,
„ ut fugiamus, &c. --

241 Ex quibus sic discurrimus. Primò. C
Timor gehennæ est beneficium Dei; non est
ergo actus individualiter malus. Secundò.
Ad curam, quam Deus habet de nostra sa-
lute, spectat; ergo est utilis. Tertiò: Mul-
tum emolumenti producit timor gehennæ;
ergo est motus efficax. Quartò. Amoris Dei
erga nos est effectus; ergo non proprius Ju-
dæorum Christiano statui repugnans, ac in-
congruus, sicut unus ex primariis Adversa-
riis proclamat. Quintò. A Domino annun-
ciatur, ne homines peccent, & in Infernum
prolabantur; ergo expellit voluntatem pec-
candi. Sextò. Ad Deum compellit; ergo
ad Deum convertit. Septimò. Ejusdem est D
efficaciæ cooperationis, ac Regni amor: sed
amor Regni connectitur proximè cum cha-
ritate etiam perfecta, siquidem in perfectis
Viris stat desiderium propriæ Beatitudinis;
ergo gehennæ timor disponit proximè ad
charitatem, quæ est effectus Sacramenti ju-
stificantis. Octavò. Facit, quod timor sub-
versionis peperit in Ninivitis: sed ille dispo-
suit proximè ad charitatem extrasacramenta-
liter justificantem; ergo iste ad minùs dispo-
nit proximè ad justificationem Sacramenta-
lem. Nonò. Pronunciatus est a Deo, ut
non pereant peccatores; ergo timor gehen-
næ est efficax, & proximè disponens ad con- E
versionem. Ergo gehenna, & Regnum sunt
motiva sufficientia, & efficacia proxima sa-
lutaris pœnitentiæ Christianæ: cumque sint
motiva lineæ concupiscibilis, ad attritionem
spectant; adeoque hæc in lege gratiæ est suffi-
ciens proximè dispositio ad dignam suscep-
tionem Sacramenti Pœnitentiæ.

242 PROB. IX. Christi prædicatio
scripta in Sacris Evangeliis continetur; sa-
cra autem Evangelia frequenter referunt a
Christo Domino productam, ac promotam
doctrinam de Morte, de Inferno, de ultimo
Judicio, ejusque severitate. Ipsa die Ascen-
sionis per Angelos illud annunciavit Apo-
stolis stantibus, & admirantibus gloriam
Ascendentis. *Viri Galilæi, quid statis aspi-
cientes in Cœlum? Hic Jesus, qui assumptus est
a vobis in Cœlum; sic veniet quemadmodum vidi-
stis eum euntem in Cœlum*. Act. c. 1. De
Regno, ac beatitudine, præmioque æterno
instruuntur, eo fine, ut efficaciter inducerent
homines ad præcavenda peccata, ad resur-
gendum a commissis per seriam conversio-
nem, ac pœnitentiam, ad avellendos inor-
dinatos affectus circa temporalia: Sed hæc
motiva omnia spectant ad ordinem amoris
concupiscentiæ; ergo Sapientissimus Magi-
ster judicavit motiva lineæ concupiscentiæ
esse proportionata, & sufficientia, & effica-
cia ad trahendos peccatores ad pœnitentiam
ab ipso institutam reconciliativam in Sacra-
mento. Proinde pœnitentia concepta ex mo-
tivis lineæ concupiscibilis est proximè dispo-
sitiva ad justificationem Sacramentalem.

243 Et sanè frequens illa comminatio
ad incredulos, atque incircumcisos corde:
illa multitudo parabolarum de Villico Ini-
quitatis, de servo venundato, de Epulone,
de ficu, de arbore exiccata, de fure super-
veniente, de divite a morte prævento, dum
ampliare horrea meditabatur, &c. quò re-
spicit, nisi ut obstinata corda amolliat, &
vitiis illaqueatos ad veram pœnitentiam per-
ducat? Profectò nisi affectus timoris servi-
lis efficax esset ad convertendos peccatores,
ad eosque ultimatè disponendos ad justifica-
tionem, tanta solicitudine, tot, tantisque
repetitis modis eum non urgeret. Finis præ-
dicationis Christi erat peccatorum conver-
sio; quem etiam præ oculis habuit in pluri-
mis illis sermonibus de Beatitudine æterna.
Ad hæc attendens Chrysostomus *hom.* 15. ad
Populum Antiochenum, habet -- Nisi bo-
„ num esset timor, non multos impendisset
„ Christus sermones, & longos de illa pœ-
„ na, & supplicio loquens. Timor nibil
„ aliud est, quàm murus, & munimentum,
„ & turris inexpugnabilis &c. --Murus im-
pedit, ne hostes ingrediantur: Munimen-
tum resistit, ne hostes sibi januam aperiant:
Turris inexpugnabilis quaquaversum existen-
tes hostes repellit; & hi effectus immediatè
a salutari metu promanant.

244 Sub initio *Hom.* habet -- Quid ge-
„ henna gravius? sed hujus metu nil utilius?
„ gehennæ namque timor Regni nobis affert
„ coronam -- Probat ex eo, quòd extermi-
nat omnem irrationabilem passionem, om-
nemque improbam cupiditatem: Probat ex
eo, quòd omnem cum facilitate inducit vir-
tutem; Nec amplius aliquid exigi potest ad
dispositionem proximam pro justificatione
sacramentaliter habenda. Circa finem co-
lumnæ secundæ ejusdem Homiliæ de eodem
timore loquens, & ejus bonos effectus pro-
bans adducit illud Ecclesiastes 7. 3. *Melius
est ire in domum luctus, quàm in domum con-
vivii*. Quem locum explicans per exemplum
defuncti prosequitur declarare excellentes
effectus timoris servilis, nulla facta mentio-
ne divini amoris benevoli, & multò minùs
de illius necessitate pro illis fructibus ha-
bendis -- Non hæc autem sola datur hinc
„ bona capere, verùm, & alia his non

„ minora. Etenim peccatorum quisque suo-
„ rum reminiscitur, & tremendi Tribuna-
„ lis, & pœnarum, & judicii, licèt sit
„ infinita ab aliis passus mala, & dumi tri-
„ stitias habeat, omniam ipsorum capiens
„ medicinam ita revertitur. Cogitans enim
„ quòd & ipse paulò post hoc patietur, &
„ quòd transitoria cuncta præsentia sunt, sive
„ suavia sint, sive tristia, tristitiam, &
„ invidiam omnem deponens, & levem red-
„ dens animam, & relevatus sic domum
„ revertetur: & hinc mansuetior erit in
„ omnes jam, & humanior, benignior, &
„ sapientior, futuream timora ipsius ani-
„ mam subingresso, & omnes spinas abso-
„ mente — Adnotetur, quòd tam præclaros affectus tribuit immediatè timori servili: Effectus porrò descripti nequeunt stare absque dispositiona prosima ad justificationem. Si absumit omnes spinas, excludit profectò omnem voluntatem peccandi, qua exclusa paratum est cur immediatè ad justificationem Sacramentalem sub timore attritum de peccatis.

245 PROB. X. Eadem doctrina vigait temporibas Apostolorom. Hi motivo timoris servilis usi sunt, ut spiritum veræ pœnitentiæ, non alienum a lege nova plantarent in Ecclesia, ad eamque perducerent justificatos baptismali ablutione Gentiles; propterea crediderunt pœnitentiam timore servili conceptam sufficere proximè ad illius Sacramenti susceptionem. Act. 20. 42. Petrus exponens præceptum Apostolis datum evangelisandi gentibus, ait: *Et præcepit nobis prædicare populo, & testificari, quia ipse est, qui constitutus est a Deo Judex vivorum, & mortuorum. Huic omnes Propheta testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen ejus, qui credunt in eum.* En quale motivum præmittit Apostolus Petrus, ut inducat homines ad accipiendam remissionem peccatorum, in susceptiona Fidei, & Baptismatis. Motivum Christi Judicis prædicat; non motivum Divinæ amabilitatis exprimit.

Act. 17. 30. B. Paulus sermonem habens, non ad homines rudes, sed ad sapientiores, scilicet, ad Ariopagum congregatum ait: *Et tempore quidem hujus ignorantiæ despiciens Deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est Orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum a mortuis.* Notetur illa conjunctio. *Ut omnes ubique pœnitentiam agant, eò quòd statuit diem, in quo judicaturus est Orbem.* Significat motivum proprium agendi pœnitentiam a Christo commendatam; ille namque terminus *eò quòd*, causalem importat, non quidem ultimi finis, sed finis prosimi moventis. Pariter coram Præside Felice *cap.* 24. 25. disputabat de justitia, & castitate, & de judicio futuro, ut Præsidem ipsum, cæterosque Auditores ad pœnitentiam revocaret timore Divini Judicii, quo contremuit ipse Felix, sed non usque ad efficaciam, quia noluit serið veritatem audire, ad alium diem dimittens sermonem.

246 Eodem salubri servili timore utebatur idem D. Paulus in suis Epistolis ad avocandos efficaciter homines a malo, promovendosque ad justitiam. In re satis clara aliquot indicabo testimonia. Ad Rom. 1. 18. *Revelatur enim ira Dei de Cœlo super omnem impietatem, & injustitiam hominum, eorum, qui veritatem Dei in injustitia detinent.* 1. Corinth. 3. 13. *Uniuscujusque opus manifestum erit; Dies enim Domini declarabit, quia in igne revelabitur.* 2. Corinth. 5. 10. *Omnes nos manifestari oportet ante Tribunal Christi, ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum. Scientes ergo timorem Domini suademus hominibus.* 2. ad Thessalonicenses 1. 5. *In exemplum justi judicii Dei, ut digni habeamini in Regno Dei.* Ad Heb. 9. 27. *Statutum est hominibus semel mori, & post hoc judicium.*

247 Consonanter iisdem vestigiis inhæserunt alii Apostoli. Jacobus 5. vers. 9. *Ecce Judex ante januam assistit.* Judas Ep. unicâ v. 15. *Ecce venit Dominus in Sanctis millibus suis facere judicium contra omnes.* 2. Petri 3. v. 10. *Adveniet dies Domini ut fur, in quo Cœli magno impetu transient &c. Igitur quales oportet vos esse in sanctis conversationibus, & pietatibus, expectantes, & properantes in adventum diei Domini?*

§. III.

INDICATUR EADEM DOCTRINA EX SECULIS PATRUM.

248 PROB. XI. Doctrina Patrum est, absolutionem Sacramentalem in se, & in actu secundo remittere peccata, & conferre ministerialiter peccatorum remissionem: Doctrina Patrum etiam est minimam contritionem, non ut intensam, sed specificè inspectam, scilicet, quæ ex motivo Dei dilecti super omnia ortum habet, justificare extrasacramentaliter; ergo doctrina Patrum est contritionem, seu dolorem de peccatis ortum ex motivo Dei dilecti super omnia, non esse necessarium ad justificationem Sacramentalem. Prima propositio probata jam fuit ex Scripturis I. Par. Disp 3. Contr. 2. Hic ad rem evincitur ex Patribus tum Græcis, tum Latinis. Ex Græcis Joannes Chrysostomus *Homil. de verbis Isaiæ tom.* 1. ait — Regi
„ corpora commissa sunt, Sacerdoti animæ;
„ Rex macula corporum remittit; Sacerdos
„ autem maculas peccatorum — Maculæ corporum sunt transgressiones legum civilium. Idem satis clarè *in cap. 3. Epist. 2. ad Corinth. tom. 4., lib. 3. de Sacerdotio tom. 5.*, S. Cyrillus Alexandrinus *lib. 5. in Joann. tom. 1. cap. 17., & lib. 12. cap. 56.*, Nazianzenus Jambico 75 *Definitionum* Athanasius in illud *Matth. 27. Invenietis pullum.* Irenæus *lib* 5. adversus Hæreses *cap.* 13., quos alii sequuntur.

Ex Latinis Hieronymus *in Commentariis cap. 16. Matth. lib. 3. tom. 6.* eam dat disparitatem inter Sacerdotes veteris, & novæ legis, quòd isti judicabant Leprosos, sed non faciebant immundos, vel mundos; isti autem faciunt — Legimus in Levit. de Lepro-
„ sis: ubi jubentur, ut ostendant se Sacer-
„ dotibus, & si lepram habuerint, tunc a
„ Sa-

„ Sacerdote immundi fiant; non quo Sacerdos leprosos faciant, & immundos, sed quo habeant notitiam leprosi; & possint discernere, qui mundus, quive immundus sit. Quomodo ergo ibi leprosum Sacerdos mundum, vel immundum facit: Sic & hic alligat, vel solvit Episcopus, & Presbyter, non eos, qui insontes sunt, vel noxi, sed pro officio suo, cum peccatorum audierit varietates, scit qui ligandus sit, quive solvendus. — Idem docet Comment. *in cap.* 14. *Isaiæ tom.* 4. *in Ps.* 17. & alibi, D. Ambrosius *in cap.* 10. *Lucæ lib.* 7. *tom.* 3. *lib.* 10., clarius *lib.* 1 *de Pœnit. c.* 2., & alibi, cujus pleraque loca referuntur *dist.* 1. *de Pœnit.*, Gregorius Magnus *homil.* 26. *in Evang. tom.* 3., & alibi, Cyprianus *Epist.* 52. *Epist.* 54., Isidorus *lib.* 6. *Originum*, Leo Magnus *Epist.* 91. ad Theodorum Forojuliensem Episcopum. Augustinus pluriès, & alii.

Secunda propositio demonstrata est in superioribus 2. P. Disput. 3. Art. 3. Nunc subjicio auctoritatem Sancti Vincentii Ferrerii *Serm.* 4. *Dom.* 17 *post Trinit.* — Una gutta, sive lacryma veræ contritionis curat animam ab omnibus peccatis mortalibus — *Serm.* 2. *Dom.* 24 *post Festum SS. Trinit.* commendans Divinam Misericordiam, ait, tantam esse — Ut si unus occidisset omnes Apostolos, & Josephum Patrem putativum &c. & ipsum Christum propriis manibus crucifixisset, & si post haberet tantam contritionem, ut granum sinapis, & peteret veniam in hoc Mundo, Christus statim parceret sibi — *Serm. Fer.* 5. *post Dominica Passionis* occasione Evangelii de Sancta Maria Magdalena, ait — Alabastrum est cor peccatoris, in quo est unguentum pretiosum, & medicinale contritionis ad curandum peccata; nam gutta hujus unguenti curat omnes culpas peccatorum mortalium; nam conclusio est Theologorum, quòd vera contritio quantumcumq; minima non est sine gratia — Notabilis est illa particula, *Conclusio est Theologorum*; ut sciamus Patres, & Scholasticos in hac positione sibi obviare, & osculari: quibus adjungimus Canonistas, siquidem cap. *Talis de Pœnitentia dist.* 3. dicitur — Talis est erga homines pietas Dei, & quantulamcumque, & quamlibet non respuat pœnitentiam —

Illatio est legitima, cæteroqui esset vera contradictoria primæ propositionis, scilicet, Sacramentum Pœnitentiæ non esse in actu productivum reconciliationis: collatio primæ gratiæ non esset effectus per se proprius Sacramentalis absolutionis: potestas Sacerdotalis non esset veraciter solutiva a maculis peccatorum, sed simpliciter declarativa solutionis a Deo factæ: confessio auricularis non esset necessaria in actu per se unquam ad justificationem, quia in eam actualiter posita nihil operaretur; cum tamen esse per se necessariam ad remissionem peccatorum post Baptismum susceptum commissorum, omissis, quæ Catholici proferunt in tractatu de Pœnitentia, sufficit recolere, quæ Gratianus collegit in Decreto Cap. *Voluissent iniqui dist.* 1. *de Pœnit.*, quæ non hic transcribuntur, quia obvia.

His robur additur ex alibi dictis: etenim, si ea illatio non esset legitima ordo naturæ confunderetur; siquidem causa per se ordinata ad aliquem effectum, semper per se illum productum, & causatum supponeret. Confunderetur profectò ordo naturæ, si potentia ordinata per se ad generandum, per se solùm semper in actu cogeretur augmentum perducere, seu aggenerare. Pœnitentiæ Sacramentum per se institutum est ad dandam primò spiritualem vitam; & tamen solùm posset augere. Et hinc alia in rebus suboriretur confusio. Causa vivificans ad ordinem non vivificantium transiret; & hoc per se. Quinque Sacramenta vivorum per se semper petunt vitam supponere; per se semper augent vitam spiritualem. Primum Sacramentum mortuorum per se primò contra originale, in re per se sæpè operatur suum effectum; cur autem aliud mortuorum Sacramentum contra actualia peccata institutum nunquam debet, nunquam potest suum effectum in re operari?

249 PROB. XII. Ex Patrum sententia in ordine dispositivo proximo ad justificationem, quod facit amor Dei, facit timor æternarum pœnarum: sed amor Dei, non refragantibus Adversariis, perducit in Sacramento ad justificationem; ergo ad eandem in Sacramento perducit timor servilis. Assumptum habetur apud S. Bernardum de modo benè vivendi *serm.* 6. — Sunt multi homines, qui ex sola mentis devotione convertuntur ad Deum. Multi etiam coacti plagis convertuntur ad Deum, qui ex sola mentis devotione non convertebantur, sicut in Psalm. legitur; in camo, & freno maxillam eorum constringe — Sanctus Joannes Chrysostomus *Hom* 2. *in cap.* 2. *epist.* 2. *ad Thessalon. Tom.* 4. habet — Qui est bonus, & virtute valde præditus, neque a timore, neque a Regno inducitur ad virtutem, sed propter ipsum Christum; sicut faciebat Paulus; sed nos seu cogitemus bona, quæ sunt in Regno, & mala, quæ sunt in gehenna, sic nos quoque componamus, & erudiamus, sic nos ipsos inducamus ad ea, quæ sunt agenda — En quod facit dilectio Christi in Viris pietate provectis, hoc facit amor Regni Cælorum in imperfectis. Ille ad virtutem eos movet; iste ad eandem alios impellit. Ille primos urget ad implenda, quæ debent: iste secundos inducit ad ea, quæ sunt agenda: porrò peccatorum inquinati, qui sunt veri imperfecti, pœnitentiam agere debent; ad eam proinde inducit amor æternæ beatitudinis, & timor gehennalis supplicii. Ille proximè justos movet; iste peccatores impellit proximè; id enim exigit natura antithesis.

Quod facit dilectio in perfectis facit amor Regni in imperfectis.

S. Hieronymus *in Comment. cap.* 1. *Malachiæ* habet — Vult Deus, ut primùm ejus filii simus, & bonum voluntate faciamus: si hoc consequi nolumus, ut saltem nos servos habeat, a malis per suppliciorum formidinem recedamus, ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus — Vide quòd Deus intendit tanquam bonam pœnitentiam ortam ex spiritu dilectionis filialis; & eam etiam, quæ oritur ex timore gehennæ; licèt primariò illa sit intenta.

Qua-

Quapropter timorem moventem ad pœnitentiam ordinavit ut medium proportionatum ad illam assequendam; & quidem proximè, ut evincit comparatio, atque dictum illud, *Ut de timore servorum ad gratiam filiorum transeamus*. Significat hæc locutio transitum immediatum ex statu servi ad statum filii. Id voluit August. *serm.* 214. dicens — Sic & „ timor perducit ad charitatem, & charitas „ foras mittit timorem — Ubi charitas est introducta, ibi filiatio Dei existit. Id voluit S. Basilius in *Ps.* 32. — Necessariò velut „ introductorius ad pietatem timor assu„ mitur, dilectio verò deinceps succedens „ a timore scientificè adoptatos perficit — Ecce dilectio perficit adoptatos, in filios Dei scilicet, a timore; proinde timor gratiam filiationis proximè introducit cum Sacramento; hoc enim esse adhibendum docet scientia Christiana, propterea dicit scientificè adoptatos.

250 PROB. XIII. Nos docent Patres Baptismi, & Pœnitentiæ Sacramentum esse ex sua institutione Sacramenta mortuorum: sed dolor de peccatis ortus ex metu servili gehennæ ex Patrum doctrina est proxima dispositio ad justificationem in Baptismi susceptione; ergo etiam est proxima dispositio pro justificatione in Sacramento Pœnitentiæ. Assumptum habetur ex D. Augustino *lib. de catechizandis rudibus cap.* 17. — Qui autem „ vult fieri Christianus, ut non eat in ignem „ æternum cum Diabolo; sed in Regnum „ æternum cum Christo, verè ipse Chri„ stianus est — Non solùm veritate characteris, qui reperitur etiam in iis, qui fiunt Christiani ob mala, vel bona solùm temporalia, sed veritate justificationis, quæ æterni ignis reatum tollit, & tribuit jus ad Regnum æternum. Hoc delibasse sufficiat, alibi enim expendimus præclarum hoc testimonium. Placet id unum advertere, loqui Augustinum de actuali susceptione Sacramenti, de ejusque sufficienti dispositione proxima, nec assignare aliud motivum proximum, & explicitum, quàm motivum gehennæ, & beatitudinis. Ad idem facit D. Ambros. auctoritas ad Virginem corruptam *cap.* 8. ubi docet timorem gehennæ proximè impellere ad Martyrium, quod est una species Baptismi, de quo alibi. Nec abs re erit, quod habet *lib. de Jacob, & vita beata cap.* 3. *tom.* 1. ubi in illud Psal. 33. *Venite filii, audite me, timorem Domini docebo vos*. Ubi S. Doctor — Utique timor Dei de nu„ mero virtutum est, quia initium sapientiæ „ timor Domini, per quem adsciscitur piæ „ forma doctrinæ, de qua Paulus *6. ad Rom.* „ ait: Gratias autem Deo, quòd fuistis servi „ peccati, sed obedistis ex corde in eam „ formam doctrinæ, in qua traditi estis: „ liberi autem a peccato, servi facti estis „ justitiæ — In iis verbis clarissimè affirmat D. Ambrosius per timorem adsciscí eam formam, per quam secundùm doctrinam Divi Pauli homines ex servis peccati facti sunt servi justitiæ: sed hæc forma est gratia sanctificans in susceptione Baptismi habita, ut constat manifestissimè ex contextu citato D. Pauli; ergo sentit D. Ambrosius conceptam timore pœnitentiam perducere proximè ad justificationem in usu Sacramenti Baptismi; ac proinde etiam in usu Sacramenti Pœnitentiæ, cujus est eadem ratio. Loquitur autem Sanctus Doctor clarè de timore servili.

Timor gehennæ proximè ad Martyrium impellit.

Timor servum peccati facit servum justitiæ.

251 PROB. XIV. Qui approbat Confessionem auricularem tanquam salutarem, aptamque ad delenda peccata motivo timoris servilis factam, sentit doloram de peccatis ex motivo simplicis attritionis sufficere ad justificationem cum Sacramento: sed Patres hoc approbant; ergo doctrina Patrum est attritionem simplicem, hoc est destitutam dilectione Dei benevola formali, sufficere ad justificationem habendam in Sacramento. Assumptum declaratur duplici auctoritate, omissis aliis datis in hac Disp. Art. 2. colum. 805. Prima Tertulliani lib. de Pœnitentia — Si de Exomologesi retractas, ge„ hennam in corde considera, quam tibi „ Exomologesis extinguet: & pœnæ magni„ tudinem priùs imaginare, ut de remedii „ adeptione non dubites — Ecce qualiter proponit Tertullianus gehennæ considerationem pro Exomologesi facienda. Ecce qualiter proponit pœnæ magnitudinis memoriam pro Exomologesi exercenda, & adhibenda in remedium sananda conscientiæ. Habet insuper ibid. — Igitur cum scias ad„ versus gehennam post prima illa intinctio„ nis Dominicæ munimenta esse adhuc in „ Exomologesi secunda subsidia, cur salu„ tem tuam deseris, cur cessas aggredi, quod „ scias mederi tibi? &c. peccator restituen„ di sibi institutam a Domino Exomolo„ gesim sciens, præteribit illam, quæ Ba„ bylonium Regem in Regna restituit? — Hic solius attritionis, amorisque concupiscentiæ proponit motivum, atque egregiè explicat Exomologesim actam motivo solius pœnæ gehennalis sanare conscientiam, peccata delere, restituere Dei amicitiam, atque jus ad cœleste Regnum reparare.

Secunda est Sancti Cypriani de lapsis, ubi exhortans ad auricularem, adeoque Sacramentalem Confessionem, motivum solius attritionis promovet, dicens — Deum ta„ men Judicem subterfugere, & vitare non „ poteris, cum dicat Spiritus Sanctus in „ Psalmis, quòd & imperfectum meum vi„ derunt oculi tui, & in libro tuo omnes „ scribentur. Et iterum: homo videt in fa„ cie, Deus autem in corde. Ipse quoque „ Dominus præmoneat, & præstruat, dicens: „ Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum „ scrutator renis, & cordis. Perspicit ille „ abdita, & secreta, atque occulta consi„ derat. Nec Dei oculos potest aliquis eva„ dere, dicentis: Ego Deus approximans, „ & non Deus de longinquo. Si abscondi„ tus fuerit homo in abditis, ego ergo non „ videbo eum? Nunne Cœlum, & Terram „ ego impleo? Videt illa corda, & pecto„ ra singulorum, & judicaturus non tantùm „ de factis, sed & de verbis, & de cogi„ tationibus nostris, omnium mentes, vo„ luntatesque conceptas in ipsis adhuc clausi „ pectoris latebris intuetur. Denique quan„ to, & fide majore, & timore meliores „ sunt, qui quamvis nullo sacrificii, aut „ libelli facinore constricti, quoniam tamen „ de

„ de hoc vel cogitaverunt, hoc ipsum apud „ Sacerdotes Dei dolenter, & simpliciter „ confitentes Exomologesim conscientiæ faciunt, animi sui pondus exponunt, salutarem medelam parvis licèt, & modicis „ vulneribus exquirunt, scientes scriptum esse, „ Deus non deridetur, derideri, & circumveniri Deus non potest, nec astutia aliqua „ fallentis deludi. Plus immo delinquit, qui „ secundùm hominem Deum cogitans evadere se pœnam criminis credit, si non „ palam crimen admisit.

Egregiè sanè pro re nostra. Clarè loquitur S. Martyr de Exomologesi Sacramentali, cum de exteriori auriculari confessione facta Sacerdotibus sit sermo. Unicè urget motivum simplicis attritionis. Deum Judicem videlicet, & antecedenter, & consequenter. Positivè timoris mentionem facit, nullatenus amoris, nec verbum miscet, ex quo saltem implicitè colligi possit. Agit de peccatis occultis, & in latebris cordis absconditis, videlicet de peccatis sola cogitatione, & voluntate interiori commissis; ut hinc discamus timorem servilem non solùm peccata externa cohibere, sed etiam voluntatem interiorem; proinde attritio eo motivo concepta est efficax ad detestandum omne genus peccati, omnemque formalitatem, cum Deus Judex penetret totaliter cordis profundum, & quælibet formalitas peccaminosa ab ipso judicetur, & puniatur.

Istis auctoritatibus, si placet, addantur aliæ, quas contra Hæreticos ad propugnandam auricularem Confessionem in hoc Tract. 1. P. Disp. 6. colum. 567. fusiori calamo retulimus, quasque plurima eruditione exscribit Jodocus Coccius *tom. 2. lib. 7. de Pœnit. art. 2., & 3.*

252 PROB. XV. Nisi timor servilis proximè & gigneret veram pœnitentiam, & proximè disponeret ad justificationem in Sacramento, non eo in Concionibus regulariter, ac frequenter uterentur Sancti Patres ad proximè perducendos peccatores ad seriam conversionem: sed eo usi sunt ferventissimi Sancti Patres, aliàs excellentissimi Dei dilectores ad prædictum finem; ergo ex sensu Patrum dolor de peccatis ortus ex timore servili est proximè dispositivus in Sacramento ad justificationem. Assumptum ostendi posset producendo fusum Catalogum eorum Sanctorum, qui innumerabiles e cœno vitiorum eduxerunt urgendo in Concionibus, & Confessionibus sacra novissima, & præcipuè gehennalia tormenta; sed unica auctoritas sufficiat Sancti Vincentii Ferrerii, de quo in lectione prima Officii a Sacra Rituum Congregatione recognita, & approbata dicitur — Mox obtentâ a Superioribus licen„ tiâ Verbum Dei prædicare, Judæorum „ perfidiam arguere, Saracenorum errores „ confutare, tanta virtute, & efficacia cœ„ pit, ut ingentem ipsorum Infidelium mul„ titudinem ad Christi fidem perduxerit, „ & multa Christianorum millia, a peccatis „ ad pœnitentiam, a vitiis ad virtutem re„ vocavit. Electus enim a Deo, ut monita „ salutis in omnes gentes, Tribus, & lin„ guas diffunderet, & extremi, tremendi„ que Judicii diem appropinquare ostende„ ret omnium Auditorum animos terrore „ concussos, atque a terrenis affectibus „ avulsos, ad Dei amorem excitabat — Ecce qualiter Dei amorem, qui est justificativus, introducebat medio timore servili in corda Auditorum; proinde ille proximè introducit actualem dilectionem Dei, quæ non stat sine justificatione; cumque vis Sacramenti sit virtualiter vis dilectionis, sufficiens etiam est servilis timor, ut proximè disponat ad Sacramenti susceptionem.

253 PROB. XVI. Quotidianâ experientiâ apprimè notum est Sacra, ut aiunt, exercitia obduratos Peccatores ad meliora revocare: sed ad hoc immediata urgentur motiva ex linea timoris servilis, & amoris interessati supernaturalis ordinis, quæ sunt specificativa simplicis attritionis; ergo simplex attritio est proxima dispositio ad justificationem in Sacramento. Prima propositio bonis omnibus Viris saluti animarum incumbentibus, in aperto est, propterea sufficit auctoritas Sacræ Rituum Congregationis illud Elogium proferentis de S. Ignatio inclytæ Societatis Jesu Parente — Quo tem„ pore homo litterarum planè rudis admi„ rabilem illum composuit Exercitiorum „ librum, Sedis Apostolicæ Judicio, & „ omnium utilitate comprobatum — Quæ utilitas in dies crescit promovente Societate horum Exercitiorum frequentem usum.

Utilitas exercitiorum S. Ignatii.

Secunda propositio per se est evidens ex regulis, & dispositione eorundem Exercitiorum. Prima pars ordinatur ad purgandas conscientias a maculis peccatorum, & ad salutares Confessiones Sacramentales justificativas peragendas. In ea distribuuntur Meditationes aptæ ad inducendam justam æstimationem gravitatis peccati mortalis, quæ desumuntur a turpitudine intrinseca peccati, a gravissimis pœnis, quibus Deus punivit peccata Angelorum, & Protoparentis Adæ, ab amissione æternæ Beatitudinis, a severitate ultimi Judicii, a gravibus damnatorum suppliciis. Hisce Meditationibus compuncti ad Sacramentalem absolutionem admittuntur: deinde sanati, & purgati a maculis criminum, & Deo reconciliati, in sequentibus altioribus meditis corroborantur adversus præteritas consuetudines, & promoventur ad perficiendam charitatem; quæ praxis cum istis seculis sit universalissima universalissimâ opinione, ac sententiâ comprobatur doctrina de sufficientia attritionis proximè dispositivæ in Sacramento. Hæc summis labiis attigisse sufficiat: Concludamus addendo aliquas Theologorum auctoritates.

254 PROB. XVII. Pater Frater Martinus Wigandt Ordinis Prædicatorum Doctor in D. Th. versatissimus in Tribunali suo Confessariorum, & Ordinandorum declinato probabilismo, & editio 1705. tractatu 13. examine 3. definita attritione, quòd sit dolor de peccato commisso ex motivo supernaturali inferiori, quàm sit dilectio Dei super omnia, v. g. ex metu gehennæ, ex amissione beatitudinis, seu ob Deum, ut vindicem, vel ex speciali deformitate talis peccati sub responsione 3. firmiter ait — „ Contritio, & attritio supernaturalis specie „ essentiali differunt, nec potest attritio fieri „ con-

,, conteltio. Prima pars sequitur ex dictis: ,, quia habent specie diversa principia, & ,, motiva formalia -- Probat deinde secoodam partem, & sob resp. 1. Quæsiti tertii ostendit attritionem esse actum honestum. Postea sub resp. 4. habet -- Respondeo ,, probabiliùs contra Jausenium, quòd ut ,, attritio ex metu gehennæ concepta com ,, Sacramento ad justificationem sofficiat, ,, non requiratur ad eam actus charitatis, ,, seu dilectioois Dei super omoia, etiam ,, imperfectus, & remissus -- Subditque probationes optimas; osteuditque sine addito illos amoris benevoli excludere omoem affectum peccandi; refellitque simul æquivocationem notam apud Adversarios de ultimo, & proximo fine.

Postremò subdit. Resp. 5. -- Ad di- ,, ctam attritionem requiritor aliqois actos ,, dilectionis Dei, oon quo sit verè amor ,, amicitiæ, vel charitatis tendeos io Deum ,, summè diligendum ratione suæ bonitatis ,, secuodùm se sumptæ, seu ut in se bonus ,, est, sed qui sit actus, seu amor spei, sive ,, concupiscentiæ, quo attritus amat, vel ,, amare incipit Deum, ut sibi (oimirom ,, attrito, seu amaoti) bonum, & utilem: ,, Sic ut motivum talis amoris, sit inferiùs ,, motivo dilectionis Dei super omoia, ni- ,, mirum, vel spes salutis, vel cuosideratio ,, turpitudinis peccati, vel metus gehennæ ,, &c. -- Et hoc ex Trident.

255. Rev. P. Fr. Anaclatus Reiffenstuel Ordinis Minorum Sancti Francisci &c. in sua Theulogia Morali juxta Sanctos Canones &c. edita 1701. *tract.* 14. *dist.* 6. *sub n.* 41. habet -- Contritio imperfecta, quæ proprio ,, nomioe communiter dicitur attritio, est ,, dolor aoimi, ac detestatio peccati contra ,, Deum commissi ob turpitudinem peccati, ,, vel metum gehennæ, aut pœnarum con- ,, ceptus cum firmo proposito oon peccandi ,, de cætero. Unde patet banc a contritio- ,, ne perfecta differre dumtaxat penès moti- ,, vum formale: nam perfecta contritio ,, concipitur ex motivo amoris Dei per pec- ,, catum offensi, attritio aotem, vel ex tur- ,, pitudinis peccati consideratiooe, vel ex ,, gehennæ, & pœoarum metu communiter ,, concipitur, ut loquitur Concilium Tri- ,, dentinum *citat. sess.* 14. *cap.* 4 -- Hæc pro ooia distiuctiva.

Num. 47. ponit 6. coocluf., quæ est -- ,, Quamvis ad salutem, & justificatiooem ,, peccatoris extra Sacramentum, omnino ,, requiratur contritio perfecta cum voto ,, Sacramenti saltem implicito: attamen ,, cum Sacramento Pœnitentiæ sofficit attri- ,, tio etiam cognita. Ita de facto Doctores ,, commuoiter, &c. --

256 Noster P. Franciscus a Jesu Maria in cursu Theologiæ Moralis *tract.* 6. *de Sacramento Pænitentia cap.* 1. *puncto* 4. *num.* 16. habet -- Alter est actus pœnitantiæ imper- ,, fectus, qui in Scholis attritio Christiaoa ,, dici solet: & est detestatio, & dolor im- ,, perfectus de peccatis, qui non attingit ,, ad perfectionem contritioois bactenus ex- ,, plicatam: est tameo supernaturalis, & ,, absoluta detestatio cum spe veniæ dispo- ,, nens hominem ad gratiam remotè, & su-

,, fficienter ex se sola; proximè, & suffi- A ,, cienter cum Sacramento Pœnitentiæ &c.-- Et explicatis conditionibus Christiaoæ attritionis ad eundem finem productivæ ex Concillo Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 4. evincit in Sacrameoto dispouere proximè ad gratiam.

Doctissimum nostrum Collegium Salmaticense Scholasticum in prima parte de Pœnitentia *tract.* 24 *disp.* 5 *a num.* 300. banc doctrinam de Christiana attritione tradit, docetque sufficere ad salutem attritionem cum Sacramento etiam in articulo mortis. Idem ex professo *p.* 2. *disp.* 7. *dub.* 1.

Noster P. Fr. Christophorus a S.Joseph Procurator Generalis in Curia Romana pro B Congregatiooe Hispaoiæ in tractatu de Regulis morum Romæ edito anno 1711. *part.* 2. *quæst.* 5. *de conscientia probabili art.* 3. §. 2. habet -- Et tameo sententia communis ho- ,, die defenditur, scilicet sufficere attritio- ,, nem, seu contritionem imperfectam, ,, quam exponit Concilium Tridentinum ,, *Sess.* 14. *cap.* 4. Ita (præter innomeros su- ,, per hanc quæstionem de attritione scri- ,, bentes) oovissimè, & non inefficaciter ,, &c. Recenset aliquos Auctores moder- oos.

257 Noster P. Fr. Eliseus Garsias Stri- C ctioris Observantiæ Generalis Assistens pro Natione Hispanica Vir doctissimus, in Quæstionibus Theologico-Moralibos Romæ editis anno 1710. super quartum librum secundùm mentem Doctoris Resoluti Bacconii *tract.* 4. *de Sacram. Pænitentia dist.* 2. *quæst.* 8. *art.* 3. §. 1. habet -- Attritio servilis est ,, sofficiens dispositio cum Sacramento ad ,, justificationem. Ita communiter Theolo- ,, gi post Tridentinum -- Et istam materiam totam profectò benè digerit distingoendo per capita.

Noster P. Fr. Ignatios Pootius Scoti Cathedræ oonc Salmanticæ Moderator in libro Romæ edito anno 1705. fusè, & doctè D simplicem attritiooem Christianam in Sacramento proximè sufficere ad justificationem, timorem servilem Christianum esse honestum, excludere voluntatem peccandi, Actum dilectionis benevolæ super omoia minimæ intensionis inferre justificatiooem ante actualem susceptiooem Sacramenti, Patribus, rationibus, aliisque mediis, ostendit, atque evincit. Titulus est Theologico-Dogmatica Controversia in Tridentini Sacri Concilii de Contritione &c.

258 Rev. P. Clemens Pisellus ab Olibano Clericorum Regularium Minorum Theologiæ Moralis Lector in Romano Sa- E pientiæ Archigymnasio io Summa Theologiæ Moralis edita Romæ anno 1710. *de Pænitentia part.* 2. *tract.* 5. *cap.* 2. §. 2. *de contritione*, habet -- Contritio, quæ est dolor de pecca- ,, tis, proot sunt offensa Dei, com proposito ,, de cætero non peccaodi, si elicitor ex ,, motivo amoris est perfecta, diciturque ,, contritio: si verò elicitur ex motivo ti- ,, moris, vel turpitudinis peccati est im- ,, perfecta, dicitorque attritio; & hæc pro ,, Sacramento Pœnitentiæ sufficit &c. --

259 Rev. P. Balthassar Fraocolinus Societatis Jesu celebris, insigoisque Theologus in libro Romæ edito anno 1706. de dolore ad

ad Sacramentum Pœnitentiæ ritè suscipiendum necessario funditùs discutiens Controversiam, firmissimè propugnat sufficientiam attritionis pro Sacramento Pœnitentiæ: præter solida fundamenta innuit capita quædam, quibus detegitur, quòd adversa opinio non gaudet in se ea firmitate, quam præseferre videtur profusus apparatus ex Patribus ab ea productus.

260 Demum pro pluribus unus Reverendissimus Pater Joannes Antonius a Panormo Ordinis Fratrum Minorum Observantiæ Romæ celebris sufficiet, qui in erudito Scrutinio Doctrinarum qualificandis assertionibus, Thesibus, atque libris edito Romæ anno 1709. *cap. 7. art. 5. a num. 11. usque ad* 40. Doctrinam de vera, & practica sufficientia Christianæ attritionis ad justificationem in Sacramento profundè tuetur, vindicatque a notis, quibus impetitur a quibusdam, potiora perpendit momenta, quibus exigitur necessitas amoris benevoli ab aliquibus, dissolvitque, ostenditque quid ponderis habeat series illa auctoritatum producta, & quid roboris firmioris possideat causa attritionis.

Scotus simplicis attritionis partes tuetur. Cum Vir iste sit in Doctrina Subtilis Doctoris apprimè versatus, atque acerrimus ejusdem Doctrinæ propugnator palam evincitur Subtilem Doctorem stare pro sufficientia attritionis in vero, & stricto sensu acceptæ. Hæc sufficiant pro nostræ conclusionis firmitate. Nunc argumenta subdemos, quæ videntur contraria in antecedentibus Articulis prætermissa. Ex professò incumbimus, ne ubi producta iterum afferantur, nisi fortè quid novi occurrat. Expendimus etiam aliqua Patrum testimonia, quæ hucusque in aliis Auctoribus non vidimus; ut Deo salutem Animarum sitienti, & media congrua preparanti laus sit, & gloria.

§. IV.

SOLVUNTUR ARGUMENTA SCRIPTURIS INNIXA.

261 OBJIC. I. Nullus prudens Legislator inducit ad observantiam legis per medium contrarium intentioni legislativæ: sed promissiones bonorum, & comminationes malorum sunt medium contrarium intentioni legis Divinæ; ergo non possunt assumi, ut inductivæ ad ejus observantiam; ergo non possunt movere proximè ad justificationem, quæ est finis legis. Explicatur. Intentio legis divinæ est subdere Deo homines per amorem, & timorem sapientialem, ut habetur *Deut.* 10. Promissiones bonorum, & comminationes abducunt a Deo, quia respiciunt bonum proprium hominis, & refugiunt a malo contristante.

262 RESP. Duo sunt genera malorum, & bonorum; Alia ordinis naturalis, alia ordinis supernaturalia. Utraque sub bono usu perducunt ad Deum; unde Psalm. 48. *Confitebitur tibi, cum benefeceris illi*. Naturalia magis remotè, supernaturalia proximè inducunt ad Dei amorem, proindè ad justificationem, vel extra Sacramentum media charitate, vel intra supplente virtute Sacramenti efficaciam dilectionis. Amor bonorum, & fuga malorum abducunt a Deo, quando in illis homo constituit ultimum finem; non autem quando solùm assumuntur ut motivum.

263 OB. II. Quò aliqua facultas altior est, tantùm per altiora media procedit, ut constat per inductionem in scientiis: sed lex Divina est excellentior, quàm lex humana, est enim lex spiritus *ad Rom.* 8.; ergo per altiora media procedit; sed præmia, & supplicia sunt propria legis humanæ; ergo non conveniunt legi Divinæ, nec sunt apta ad finem.

264 RESP. Media in qualibet facultate sunt proportionata subjecto applicabili. Præmia, & supplicia statuta per legem humanam sunt ab hominibus inducenda: præmia verò, & supplicia statuta a lege divina sunt a Deo danda; unde ista sunt proportionata ad inducendam subjectionem Deo, sicut illa humana supplicia, & præmia apta sunt ad inducendam obedientiam ad homines. Lex quidem Christiana lex spiritus est; sed etiam præmia, & supplicia ad spiritualem retributionem sunt proportionata; & de facto solis animabus tribuuntur ante diem ultimum.

265 OB. III. Fides formata est fides cum dilectione Dei super omnia: sed fides formata est necessaria ad justificationem in Sacramento; ergo dilectio Dei super omnia est necessaria ad Sacramentalem justificationem. Explicatur. Joannis 1. dicitur. *Dedit eis potestatem filios Dei fieri his, qui credunt in nomine ejus*. Idest per fidem charitate formatam opera salutis faciunt; illi enim, qui habent solam fidem informem non credunt in nomine ejus, quia non operantur ad salutem, explicat D. Th. Quòd agatur de sacramentaliter suscepta filiatione sequentia declarant verba. *Qui non ex sanguinibus &c. Sed ex Deo nati sunt*; scilicet per Baptismum, qui est lavacrum regenerationis secundùm Apostolum.

266 RESP. Fides formata in sensu Theologico est fides conjuncta cum charitate habituali, proinde, & cum gratia sanctificante; & in hoc sensu accipit D. Th., qui propterea dicit operari ad salutem, mediis, videlicet, operibus meritoriis. Nullus autem Catholicorum de necessitate ad susceptionem Sacramenti mortuorum exigit fidem gratia sanctificante formatam. Sensus planus illius Scripturæ est, quòd Deus contulit auxilia gratiæ, quibus se disponendo homines possunt acquirere filiationem Dei adoptivam, si veram habeant fidem; nam credere in nomine ejus non est nisi dogmata revelata veraciter credere.

Filiatio Dei tripliciter habetur. Primò per gratiæ infusionem, quæ gratum facit. *Filiatio Dei triplex.* *Ad Rom.* 8., secundò per operam perfectionem *Matth.* 5., tertiò per gloriæ adeptionem *Phil.* 3. Omnibus enim istis tribus modis habetur assimilatio ad Deum, per cujus assimilationem homines efficiuntur filii Dei. Per fidem formatam habent homines potestatem filios Dei fieri tertio modo, quatenus pos-

possuos per opera meritoria acquirere gloriæ coronam. De hac tertia filiatione loquitur D. Th. citatus in objectione, quam tamen non credit meliorem expositionem, unde subdit — Sed prima expositio, quæ „ accipitur, ut expositivum præmissorum, „ melior est —

267 OB. IV. Non stat vera dilectio proximi absque dilectione Dei, dilectio enim proximi est effectus secundarius charitatis: sed ad proximam dispositionem pro sacramentali justificatione est necessaria dilectio vera proximi; ergo est necessaria dilectio Dei. Explicatur. Sacra Scriptura, ut Deus remittat nobis peccata, exigit, ut remittamus offensas proximis nostris. Lucæ 6. *Dimittite, & dimittemini, date, & dabitur vobis*. Hæc autem dimissio debet esse ex corde, ut habetur *Matth.* 18. Nequit autem ex corde esse, nisi oriatur ex dilectione. Cum hoc Christus docuerit respondens Petro interroganti, quoties deberet suis clavibus dimittere peccata, sequitur requiri hujusmodi dilectionem in actuali susceptione Sacramenti.

Roboratur argumentum. I. In dimissione injuriarum debemus servare proportionaliter formam, quam Deus tenet dimittendo nobis peccata, ad Coloss. 3. *Sicut Dominus donavit vobis, ita & vos*: sed dimissio Dei oritur ex vera dilectione erga nos; ergo dimissio nostra oriri debet ex vera dilectione erga proximum; cumq. Sacramentum sit ejusdem naturæ tam pro iis, qui receperunt injurias, quàm pro aliis, dilectionem Dei semper esse necessariam in aperto est.

Roboratur II. Dilectio positiva inimicorum exemplata a divina est necessaria pro acquirenda filiatione adoptiva Dei Matth. 5. 44. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros, & benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumniantibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui Solem suum oriri facit super bonos, & malos, & pluit super justos, & injustos*. Filiatio autem Dei habetur per justificationem, in qua infunditur gratia sanctificans a Deo.

Ex triplici affectu condonari possunt injuriæ.

268 Argumento respondetur dubio procul necessariam esse dimissionem injuriarum, ut Deus nobis peccata dimittat, & hoc profitemur quotidie in Oratione Dominica. Hæc injuriarum condonatio fieri potest ex triplici affectu: humano, & naturali: & supernaturali ex amore concupiscentiæ: & supernaturali ex amore benevolo; & quocumq. modo fiat, sufficit, quia est necessaria solùm per modum removentis prohibens. Si fiat condonatio ex affectu naturali, non arguitur necessitas dilectionis Dei supernaturalis pro justificatione intra, vel extra Sacramentum habenda. Si fiat ex amore concupiscentiæ supernaturali arguitur ad justificationem Sacramentalem sufficere etiam pro ultima dispositione positive dolorem de peccatis ortum ex amore supernaturali consequendi vitam æternam, & evitandi gehennam; quia hic amor sufficit ad tollendam voluntatem peccandi, & aptat subjectum ad immediatam receptionem charitatis formalis, vel æquivalentis, quæ est ipsa virtus Sacramenti. Si verò condonatio fiat ex motivo veræ charitatis supernaturalis, tunc dolor de peccatis disponet ad justificationem extrasacramentalem in voto Sacramenti. Non ergo arguitur necessaria dilectio pro Sacramento.

Inimicorum dilectio quid exposcat.

Res clarescet ex D. Th. *Matth.* 5., & 18. Condonatio injuriarum necessaria consistit in depositione odii. Dilectio inimicorum necessaria in præparatione animi ad eis succurrandum in necessitate consistit, & in hoc, quòd comprehendantur inimici in amore communi, & universali, quo proximum diligimus; nec est necessarius per se amor aliquis specialis, & multò minùs positivæ amicitiæ; hinc fit, quòd existens in peccato mortali in sensu composito possit homo satisfacere præcepto diligendi inimicos. Ex hoc palam fit hanc condonationem non oriri ex motivo veræ charitatis divinæ, nec esse ejusdem affectum secundarium; quapropter nullatenus arguitur necessariam esse dilectionem Dei benevolam super omnia; immo arguitur sufficere amorem aliquem lineæ inferioris cum animi præparatione diligendi benevolè Deum, quando urgebit præceptum dilectionis. Hæc veraciter habentur in simplici attritione.

269 Ad primum additamentum. Proportio in eo consistit, quòd sicut Deus gratis dimisit, & sincerè, sic ut & nos dimittamus, & sincerè Deus donat nobis peccati remissionem vialiter, & consummatè. Vialiter largiens nobis auxilia, quibus disponamur ad consecutionem justificationis, ut docet Trident. *Sess. 6. cap. 6.* Consummatè per infusionem gratiæ sanctificantis, ut ibidem Tridentinum cap. sequenti. Amor, quo Deus dat auxilia excitantia, non attingit perfectionem amoris, quo consummatè donat remissionem peccati, quia primus componitur cum jure odii, non autem secundus; sic amor quo dimittitur injuria proximo non est necessè, quòd spectet ad lineam amoris amicitiæ, sed sufficit, quòd sit alterius inferioris conditionis, quia inter præparatoria numeratur dimissio injuriæ.

270 Ad secundum additamentum. Dilectio positiva inimicorum ex motivo bonitatis divinæ benefaciendo eis extra necessitatis casum ad perfectos pertinet, ut dicit D. Thomas *in cap. 5. Matth.* Dilectio hæc non est necessariè ad acquirendam filiationem, quæ est per gratiam sanctificantem; sed spectat ad filiationem, quæ dicitur per operum perfectionem, sicut docet D. Th. in 1. *Joan.* ad verba citata in antecedenti objectione. Sæpe in hoc Opere novimus ex Augustino dilectionem inimicorum spectare ad charitatem perfectam, & esse quàm maximè perfectorum.

271 OB. V. Quotiescumque suminur Sacramentum pœnitentiæ, urget illud præceptum: *Nolite dare sanctum canibus*. Matth. 7. Atqui simpliciter attritus est canis, seu impius; ergo simplex attritio non est dispositio sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ; ergo necessaria est pœnitentia dilectiva.

Augustinus Canum nomine Hæreticos intelligit.

272 RESP. D. Th. ex sententia D. Augustini nomine canum intelligit Hæreticos, & Infideles, qui sunt omnino indispositi, cum careant vera fide, quæ est initium justificationis, quo sensu argumentum non est

ad

ad rem. Sed neque benè urget sumendo nomine etiam peccatores in ordine ad Sacramentum Pœnitentiæ; siquidem neque pœnitentia ex amore dilectivo, ut vocant, inchoato sufficeret, quia illa non justificat per suos Patronos ante Sacramenti susceptionem, & cum illâ Pœnitens canis est, hoc est impius; vel dicendum, quòd illa dilectio justificat extrasacramentaliter; quapropter in utraque sententia stat argumentum, & ab utraque sententia est solvendum.

Peccator, qui sincerè dolet de peccatis per attritionem non est canis in statu viali, & dispositivo, quia conatur expellere a se impietatem, quam detestatur; est quidem propter peccatum habituale impius, quia illud expellitur per gratiam sanctificantem. Status habitualis peccati sub actuali pœnitentia non est obex, nec positivus, nec negativus pro Sacramento mortuorum, aliqua distinctè a Sacramentis vivorum, quæ per se exigunt statum positivum gratiæ. De hac re jam sæpè. Christus eo loci loquitur de canibus habitualiter, & dispositivè, & de iis, qui actu non conantur in peccati destructionem, sed sunt potiùs in statu, & dispositione contemnendi Sacramenta; ideo ait *Ne fortè conculcent eas pedibus suis &c.*

273 OB. VI. Conversio Latronis cum Domino crucifixi fuit ex amore dilectivo, concordi Patrum calculo: sed conversio Latronis fuit in exemplum conversionis Sacramentalis, & practicum declarativum illius, quia justificatus est aspersione aquæ, quæ exivit ex latere percussi Christi Domini, quæ aqua erat Sacramentalis, cum ex latere Christi exiverint Sacramenta ex August., & Sanctus Thomas *lect. 5. in cap. 20. Joan.* ait — „ Hæc duo specialiter pertinent ad duo Sa„ cramenta. Aqua ad Sacramentum Bap„ tismi. Ad Eucharistiam sanguis — ergo in Sacramento requiritur dilectio Dei.

Dictum cujusdam Concionatoris explóditur.

274 Quemdam audivi Concionatorem dixisse per verum Baptismum latronem fuisse mundatum, ac salvatum ex ratione, quòd aqua, quæ effluxit ex vulnerato Christi pectore ex parte illum contigerit. Sed doctrina hæc nullatenus est audienda: nedum quia nihil certi habetur de hoc aquæ contactu: nedum quia ad verum Baptismum est necessarius Minister verba proferens, & in casu nullus potest excogitari cum Scripturæ, & traditionis fundamento; sed quià ex Scripturâ constat latronem conversum fuisse ante Christi mortem. Confitetur latro se justè digna factis pati; increpans socium blasphemantem contra Jesum. Deinde ad Jesum dicit: *Memento mei dum veneris in Regnum tuum*; cui Dominus: *Amen dico tibi hodie mecum eris in Paradiso.* Ex tunc Dominus constituit illum justum, cum inter habentes jus ad gloriam connumeraverit. Post mortem autem vulneratus fuit Christus Joan. 19. *Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt ipsum jam mortuum, non fregerunt ejus crura: sed unus militum lanceâ latus ejus aperuit, & continuò exivit sanguis, & aqua.* Quapropter per illius aquæ aspersionem latro non est mundatus, neque verè baptizatus, nec Sacramentaliter a peccatis expurgatus.

Sacramenta exierunt e latere Christi.

Dicuntur Sacramenta ex latere Christi exivisse, quatenus Christus merito suæ Passionis elevavit illorum constitutiva, quæ implicitè significabantur in duobus illis liquoribus aquæ, & sanguinis, quatenus aqua naturalis est materia Baptismi, qui est primum Sacramentum de necessitate sumendum, ut janua, & fundamentum cæterorum, & sanguis Eucharistiam significat, quæ est Sacramentum Corporis, & Sanguinis Domini, & hoc est finis omnium Sacramentorum, prout ex D. Th. habetur. Et hic est sensus D. Th. ibidem dicentis — Item hoc factum „ est ad ostendendum, quòd per Passionem „ Christi plenam ablutionem consequimur „ a peccatis scilicet, & maculis —

Alio Baptismo videlicet, sanguinis mundatum, ac salvatum fuisse latronem dici posset, cum mortuus, & passus fuerit Christum confitendo, etsi ob hoc a Judæis non fuerit morti traditus, immo ab initio & ipse blasphemabat Dominum, sicuti habetur apud S. Matthæum. Hæc tamen solutio non prodest Clarissimis Adversariis, qui cum Augustino tenentur admittere esse charitatem valde perfectam eam, quæ requiritur ad constituendum Baptismum sanguinis; quam perfectionem charitatem non exigunt necessariam pro actuali susceptione Sacramenti. Quare latro sanctificatur est Baptismo flaminis, hoc est media contritione dilectiva Dei, quæ propterea sufficit ad justificationem cum solo Sacramenti voto.

Latro sanctificatus Baptismo flaminis.

275 DICES. Latro conversus est media contritione dilectiva valde intensa, idcirco statim fuit admissus ad consortium beatitudinis Christi. *Hodie mecum eris in Paradiso.* Sed conversio latronis fuit in exemplum conversionis extrasacramentalis à Domino assumpta, cum fuerit prima, vi efficaciæ Passionis Christi, & in ipsa consummatione Mysterii Redemptivi; ergo ad conversionem extrasacramentalem requiritur necessariò contritio dilectiva Dei super omnia valde intensa.

Hoc est, quod dicit S. Joannes Chrysostomus *Homil. 27. in Genes.* ubi commendans divinam Misericordiam erga nos facto latronis, qui ad Deum placandum non nisi momento indiguit, eam universalem causalem assignat — Nam ubi viderit voluntatis no„ stræ firmum propositum, & ferventi eos „ desiderio ad se accedere, non tardat, ne„ que differt, sed accelerat — Fervens pœnitentia placatur Deus: Fervanti desiderio ipsius amicitiæ ad nos trahitur Deus: ferventem ergo pœnitentiam non producit charitas imperfecta.

276 Causæ nostræ affabrè deservit latronis conversio; quoniam ipsius affectus a Sacra Scriptura recensiti non magnam exprimunt intensionem. Hæc simplicibus verbis describit latronis affectus; sicque innuit efficaces, non tamen valde intensos. Quatuor actus recenset, nullam intensionis vim importantes. Primus fuit increpationis: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es.* Secundus confessionis proprii reatus; *Et nos quidem justè; nam digna factis recipimus.* Tertius confessionis de Christi innocentia: *Hic verò nihil mali gessit.* Quartus fuit postulantis misericordiam; *Domine memento mei, dum veneris in Regnum tuum.* Nec ex Christi re-

sponsione, & promissione deducitur intensio actus; quia continet solùm collationem juris ad gloriam, non verò immediatam assecutionem, cum eo die profectò non fuerit latro receptus in Paradisum cœlestis gloriæ.

Alio modo patrocinatur causæ nostræ, & meliùs vi formæ argumenti. Deducitur fuisse valde intensam eam conversionem ex magnitudine promissionis, & præmii collati, videlicet ex subita acceptatione ad consortium glorificationis Christi, quæ involvit purgationem a maculis peccatorum, & a reatu pœnæ temporalis; & in exemplum eximiæ conversionis, atque perfectæ fuit assumpta latronis conversio. Patrum etiam communis expositio fert eam conversionem ortam fuisse ex fide perfectissima; nec est opus referre Patres, quia obvii sunt, & citatus Chrysostomus *Homil. de Cruce, & Latrone* præfert illius fidem fidei Abrahæ, & Moysis &c. Concedimus libenter conversionem purgativam a maculis peccatorum, & a reatibus cujuslibet pœnæ extrasacramentalem oriri debere a pœnitentia valde intensa; & firmatur regula in contrarium, quod conversio ordinaria a macula, & ab æternæ pœnæ reatu non postulat necessariò intensionem.

Latronis conversio charitate completa.

Tertiò nobis favet conversionis motivum. Motivum, quo concepit latro firmissimam illam fidem, efficacissimam pœnitentiam, fuit ardentissimum desiderium suæ salutis, & supernæ beatitudinis; dicebat namque. *Memento mei, dum veneris in Regnum tuum*. Quod idem est, ac dicere, participem me facias beatitudinis. Hoc motivum veram peccatorum detestationem imperavit, atque immediatè Dei dilectionem, quæ est inseparabilis a justificatione adduxit; adeoque pœnitentia ex motivo spei immediatè disponit ad justificationem dandam, vel vià charitatis, vel vià Sacramenti, cujus efficacia, & virtus est virtualiter, & æquivalenter charitas.

Probatio ex D. Chrysostomo non valet pro communibus conversionibus. Ratio plana est. Illam universalem causalem subdit sub proposito exemplo conversionis latronis, & modi ejusdem, qua Deus accelerat ad nos accedere accessu omninò pleno, non retardato ab ullo pœnæ etiam temporalis reatu, & ad hanc speciem conversionis requiritur intensa conversio; non autem dedit illam causalem pro conversione ordinaria, per quam homo mundatur a maculis, & reatu gehennæ, permanentibus aliis reatibus temporalibus, aliisque defectibus &c.

277 OB. VII. Quæ exegit S. Philippus in Baptismo Eunuchi *Act.* 8. sunt necessaria in cujuslibet adulti Baptismo, & proportionaliter in Sacramento Pœnitentiæ: sed exegit fidem formatam dilectione Dei super omnia; ergo semper hæc requiritur. Assumptum ostenditur. Postulanti Eunucho Baptismum, respondit Philippus: *Si credis ex toto corde, licet*: Credere ex toto corde est credere fide dilectiva, aliàs non creditur ex toto corde, sed solùm ex aliqua parte; ergo. Præterea docet D. Augustinus *lib. de fide, & operibus* Philippum evangelizasse Eunucho non solùm, quæ sunt credenda de Christo „ Sed etiam, quæ observanda ei, qui accedit ad compagem Corporis Christi „ Compago autem Corporis Christi habetur per dilectionem, quæ est aglutinativa membrorum cum capite; ergò.

278 RESP. Quamvis Scriptura solius fidei mentionem faciat tam in ore Ministri, quàm in ore Catechumeni, intercessit tamen perfecta instructio totius legis Evangelicæ: atque in eo, quod ait, *Baptizavit eum Philippus*, intelligi voluit impleta omnia, quæ licèt taceantur in Scripturis gratià brevitatis, tamen serie traditionis scimus implenda August. *loc. cit.* docente. Satis innuit etiam Scriptura dicens, cum pervenisset currus ad aquam, dixit Eunuchus, *Ecce aqua, quis prohibet me baptizari*; fuerat ergo instructus de necessitate Baptismi, & de ejus constitutivis, inter quæ unum est aqua naturalis; aliàs ad quid subsistere ad aquam, & petere Baptismum? Propterea, & aquâ fuit ablutus Eunuchus, & verba Sacramentalia protulit Philippus Minister.

Utrum autem exigità fide formatâ abluerit Philippus, non constat. Illud est certum eum docuisse doctrinam Christi de bonitate, & efficacitate timoris servilis gehennæ, & quomodo Christus prædicationem suam inceperit a pœnitentia sub motivo amoris concupiscentiæ, ut constat ex Evangelio. Certum est eum docuisse, alia esse præcepta, alia esse consilia. Certum insimul est eum docuisse naturam Baptismi, sicut & cæterorum Sacramentorum, distinguendo, quæ sint mortuorum Sacramenta, quæ vivorum. Quapropter non docuit fidem formatam esse de necessitate Sacramenti mortuorum; ut teneret doctrinæ consonantiam, & jura timoris, amorisque servaret.

Credit ex toto corde, qui verè credit.

Nec vim habent probationes. Non prima; quia credere ex toto corde est credere veraciter, firmiter, & fideliter, nullum dogma resecando, nullum errorem miscendo, & cum animo observandi suo ordine, quæ fides dictat, & præcipit. Non secunda. Quia forma incorporans cum Christo primordialis est fides, qua deficiente actu, & in re nemo fit membrum Corporis Christi, quod est Ecclesia; qua stante, & deficiente charitate, adhuc homo est membrum Ecclesiæ licèt imperfectum. Unde dilectio compaginem facit vivam. Charitas accipitur dupliciter; Pro actu, & pro habitu. Similiter compago incorporans Ecclesiæ accipitur dupliciter: in esse viali, seu dispositivo, & in esse consummato. Compago in esse consummato habetur per charitatem habitualem, & gratiam sanctificantem, quæ producitur per Baptismum ritè susceptum, vel a Deo extrasacramentaliter infunditur prævia contritione dilectiva. Compago in esse viali habetur per proximam dispositionem ad justificationem, si esse viale sit proximum: si sit remotum in dispositionibus remotis; cumque pœnitentia ex motivo concupiscibili supernaturali sit proxima dispositio pro Sacramentis mortuorum, hæc sufficit ad esse viale proximum compaginis; & hanc pœnitentiam docere Eunucham sufficiebat pro Baptismo suscipiendo. Docuit quidem Philippus præceptum dile-

dilectionis certis temporibus urgere, sed inter hæc tempora non connumeratur tempus suscipiendi Sacramentum mortuorum per se, ad hunc sensum, ut nò tunc sit necessarius actus positivae dilectionis, sed sufficit in proposito adimplendi legem divinam &c. quando occurret, juxta instructionem datam Apostolis a Domino Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes &c.*

279 OB. VIII. In Scriptura correlativè proponitur conversio peccatoris ad Deum, & conversio Dei ad peccatorem: *Convertimini ad me, & ego convertar ad vos*: sed Christus convertitur ad nos per dilectionem parcendo; ergo peccator debet ad Deum converti detestando peccatum ex vera Dei dilectione super omnia.

280 RESP. Correlativè proponitur salva proportione Dei, & hominis. Prima Scripturæ applicatur a Tridentino *Sess. 6. cap. 5.* de libertate humani arbitrii, quo cooperatur gratiæ moventi. Secunda agit de beneficio Redemptionis excessu Divinæ bonitatis operatæ, de quo Paulus ad Rom. 5. *Commendat autem charitatem suam Deus in nobis, quia cum adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est &c. cum inimici essemus reconciliati sumus Deo per mortem Filii ejus.* Hæc charitas summum perfectionis gradum attingit, propterea eam a nobis Deus non exigit tanquam essentialiter necessariam pro justificatione, sive cum Sacramento habeatur, sive non. Beneficium Redemptionis est fons totius nostræ salutis. Attrahit nos Deus in funiculis charitatis, cum ex meritis Christi confert nobis auxilia, quibus disponimur ad justificationem per Fidem, Spem, & Pœnitentiam, sive ex motivo gehennæ, sive dilectionis benevolæ. Attrahit nos in funiculis charitatis, cum merita Christi applicat nobis per Sacramenta, quibus reconciliamur, & efficimur ex attritis contriti; adeoque, ut conversio nostra sit correlativa, necesse est, quòd suo amore effectivo per infusionem gratiæ sanctificantis Deus nos ad ipsum attrahat, ut deinde nos ipsum amicabiliter diligamus.

281 OB. IX. Dispositio evacuans Christum non est congrua pro Sacramentis Christi: sed dispositio ex timore servili evacuat Christum; ergo non est apta pro Sacramento Pœnitentiæ. Explicatur argumentum. Evacuat Christum, qui vult justificari per opera legis Mosaicæ ad Galat. 5. *Evacuati estis a Christo, qui in lege justificamini.* Et cap. 2. *Si per legem justitia: ergo Christus gratis mortuus est.* Evacuat Christum, qui vult justificari non per opera, & fidem Christi. Ad Rom. 3. *Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* Et repetitur cap. 4. Fides autem hæc excludens opera Mosaica, postulat opera Christi, sine quibus est mortua: sed opus legis Christi est charitas, ut in Epistolis suis docet Apostolus; ergo qui vult justificari absque charitate, evacuat Christum.

282 RESP. Duplex operum genus in Doctrina Pauli evacuat Christum: opera legis Mosaicæ cessata per mortem Christi, & opera naturalia, seu ex viribus nostris: nam omne opus bonum salutare ex auxilio per Christum fit; ex meritis autem Christi sunt actus Fidei, Spei, Attritionis, quibus homo disponitur ad justificationem intra Sacramentum, sicut omnes alii actus salutares. Charitas est quidem opus Christi, sed non necessarium pro justificatione Sacramentali. Ex eodem argumento Sacramenta legis Mosaicæ erant elementa vacua, unde ad justificationem requirebatur contritio. Sacramenta verò novæ legis sunt plena, continentque Christi sanguinem; quapropter ipsa causant justificationem, & abundantiùs æquivalent charitati, & per consequens ex opposito non debent exigere præviè charitatem, loquendo de Sacramentis mortuorum. Dilectio, quæ est opus legis Christi, est finis legis: ideo ad Rom. 13. dicitur *Plenitudo legis*; cumque inter præcepta legis sint Sacramenta, hæc debent perducere ad consequendam charitatem, sicut media ad finem. In hoc Opere pluries vidimus etiam timorem servilem pertinere ad legem Christi, utpote ab eo præceptum.

283 OB. X. Peccatum est magis horribile, quàm mors corporalis. *Jerem. 15.*, *Matth. 26.*, & alibi: sed mortem refugit homo medicinis, aliisque modis summo amore naturali; ergo peccatum contractum pellendum est medicinis Sacramentalibus ex summo amore supernaturali, qui est dilectio Dei.

284 RESP. Instantia evincit sufficere ad pellendum peccatum, accedente Sacramento, pœnitentiam ortam ex amore concupiscentiæ ordinis supernaturalis; Amor enim, quo mortem refugimus temporalem, est amor concupiscentiæ naturalis. Evincit pœnitentiam mandativam a peccatis debere esse summam, & maximam appretiativè, & prælativè, sicut amor vitæ naturalis est summus prælativè, cum pro vita conservanda exponantur alia bona naturalia; sed non concluditur necessitas pœnitentiæ dilectiva Dei super omnia.

§. V.

RELIQUA ARGUMENTA SOLVUNTUR.

ARgumenta ex SS. Patribus communiter producta a Clarissimis Adversariis distributa in præcedentibus sufficienter solvimus; & quamvis non omnium verba protulerimus, sensum fideliter dedimus, & congruè explicuimus. Quapropter hîc solùm inserimus aliqua Patrum nomenta, quæ inter legendum occurrerunt, & nonnulla testimonia Auctorum boni nominis, quibus utuntur Contritionistæ, ut ipsorum doctrinam omnium Seculorum sensum esse, annunciant.

285 OBJIC. XI. Dispositio simpliciter remota non sufficit ad justificationem cum Sacramento: sed attritio simplex pertinet ad dispositionem remotam; ergo non sufficit cum Sacramento ad justificationem. Assumptum habetur apud Sanctum Clementem Alexandrinum *lib. 2. Stromatum* — Fides est „ prima inclinatio ad salutem: post quam „ timor, & spes, & pœnitentia — Ecce timor

timor est prior spe, quæ ad ordinem remotum spectat.

286 Clementem Alexandrinum jam nostrum dedimus; & ex loci iterum nobis favet. Jungit simul S. Doctor illa tria, quia unum faciunt. Timor æterni Judicii puniensis gehennalibus suppliciis peccata parit pœnitentiam ex amore spei, quæ est in proprietate nostra attritio. Hæc pœnitentia disponit postea ad justificationem in Sacramento consequendam; subdit enim — Qui timorem „ damnant, ii etiam legem insectantur, „ quòd si legem, clarum est, quòd & Deum, „ qui legem dedit — Lex autem ista est lex pœnitentiæ, quam primò promulgavit Christus, & promulgandam ab Apostolis consignavit post resurrectionem.

287 OB. XII. Quod deservit ad prima rudimenta Catechismi ediscenda, nequit immediatè disponere ad Sacramentorum susceptionem, quæ sufficientem supponit notitiam sciendorum: sed attritio ex timore servili ad hoc deservit, dicente S. Basilio in cap. 1. *Isaiæ* — Attenta cogitatio arcanorum, „ nobisque formidabilium timor pædagogus „ est ad accendendam pietatem &c. Quasi „ quidam Janitor timor necessariò ad pietatem condiscendam admittitur — Ergo contra Patres admittitur dispositio proxima.

288 Egregium patronum nostræ positionis jam vidimus D. Basilium; & in præsentiarum pariter habemus. Ad fundamenta Catechesum, quæ sunt doctrina Baptismatum, Pœnitentiæ, spectat timor formidabilium, quia hæc sunt motivum efficax detestandi peccata. Hinc Bernardus *tract. de donis Sancti Spiritus cap.* 1. ait — Prima „ gratia est timor Domini, qui hanc habet „ gratiam omnem odit iniquitatem juxta il„ lud *Psalm.* Iniquitatem odio habui, & „ abominatus sum &c. — Janitor est ad pietatem timor servilis, primus verò pietatis motus aversio est a peccato, quod vel dilectione Dei, vel Sacramento tollitur. Janitor est ad pietatem, quia charitatem ex Patrum, & Basilii alibi data sententia gignit.

289 OB. XIII. Gratia excitans pertinet ad primum gradum remotum dispositionis ex *Sess. 6. cap.* 3. Tridentini. Sed attritio servilis ad gratiam excitantem revocatur a S. Gregorio in illud 1. *Reg.* 12. 15. *Et dabit voces* — Dominus vocem dat, quia peccato„ rum corda excitat, ut pravitatis suæ ne„ quitiam recognoscant — Procul-dubio excogitatio peccatorum ad remotiorem reducitur præparationem.

290 Abs re producitur Sanctus Gregorius, qui eam propositionem non protulit pro timore servili. Explicat ibi ordinem conversionis ex parte principii moventis, & ex parte objecti inspecti. Ex parte principii moventis duplicem assignat causam; unam exteriùs, alteram interiùs operantem. Exteriùs operans est opus prædicatorum docentium, & orantium, ad quorum clamorem Dominus vocem dat. Interiùs operans est divina gratia per pluviam significata, qua excitata corda adjuvantur ad deserendum malum. Ex parte objecti duo assignat: Malum deserere, & bonum in mente propagare, & Deo, & hominibus per obedientiæ virtutem subdendo. Et hanc ordinatissimam conversionem vocat Magnus Gregorius, & quidem consonè Scripturis.

Utique Samuel exprobat Israelitas pro crimine petiti Regis, comminatione tonitruum, pluviarum vastantium triticum, unde & Dominum, & Samuelem timuit Populus, qui Prophetam deprecatus est, ut oraret pro illo, ne moreretur. 1. Reg. 12. v. 16. *Sed, & nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Numquid messis tritici est hodie? Invocabo Dominum, & dabit voces* (hoc est tonitrua) *& pluviat, & scietis, & videbitis, quia grande malum feceritis vobis in conspectu Domini petentes super vos Regem: & clamavit Samuel ad Dominum, & dedit Dominus voces, & pluvias illa die* (gravem scilicet tempestatem, ut Interpretes explicant) *& timuit omnis populus nimis Dominum, & Samuelem, & dixit universus populus ad Samuelem: ora pro servis tuis ad Dominum Deum tuum, ut non moriamur &c.* Adeo gravis, vehemens, ac terribilis fuit tempestas, quòd ea obrui metuerunt. Et ex timore concussus Populus, conversus est agens pœnitentiam.

Verùm laudabiliter de timore loquitur S. Doctor, & ad rem nostram; habet enim — „ Cum spiritus vitæ se menti infundit, pro„ tinùs enim ad mortis pavorem erigit: „ Quia magisterium ejusdem spiritus est; ne „ timendo mens agat, ne quod timet, in„ veniat — Ecce quod spiritus timoris, utique ut ex contextu, servilis, agit removendo ea, quæ inducere possunt mala comminata, & hæc removantur per pœnitentiam, quam operatur magisterium spiritus timoris; hoc est enim agere, ne quod mens timet, inveniat, stans a tergo Dei per erubescentiam juxta monitum Samuelis.

291 OB. XIV. Exhortationes, miracula, exempla non spectant ad ordinem proximè dispositivum, utpote extrinseca, & non intrantia ad justificationem: sed timor servilis in horum linea computatur a S. Prospero *lib. 2. de vocatione Gentium cap.* 201. ubi — „ Gratia quidem Dei in omnibus justifica„ tionibus præeminet suadendo exhortatio„ nibus, movendo exemplis, terrendo peri„ culis, incitando miraculis, dando intel„ lectum, inspirando consilium, corque „ illuminando, & fidei affectionibus im„ buendo — Ergo partes timoris servilis extrinsecè omnino, & remotè se habent ad justitiam.

292 RESP. S. Prosper a communi non sententia non recedit. Duo hic facit egregius gratiæ defensor, & liberi arbitrii. Primum. Ostendit multiplicia media, quæ Deus habet ad cor hominis immutandum, & inter hæc enumerat timorem servilem. Secundum. Declarat divinæ gratiæ interioris, & exterioris motionem, quæ consensum voluntatis nostræ exigit, & nihil operatur in nolentibus; Deinde subdit servilis timoris efficaciam, dicens — Hunc autem con„ sensum non solùm exhortatio prædican„ tium, & incitamenta doctrinæ, sed & „ metus gignit, propter quod scriptum est, „ principium Sapientiæ timor Domini — Quapropter sentit S. Prosper, quòd gratia-

timo-

timoris servilis concipit, & veram parit pœnitentiam, quæ est vera sapientia: nec solùm timore gignitur hæc sapientia, sed & augetur; ait enim -- In cujus utique ,, devotione devota est & voluntas, quæ ,, auctura gratia eodem proficit timore, ,, quo cœpit --

S. Prosper docet servilem timorem liberum esse.

Docet deinde motum hujus servilis timoris non esse coactam, sed liberum, etiamsi timor sit vehemens, qon euit decantatum nostrorum Clarissimorum Adversariorum principium, involuntariam esse pœnitentiam ex metu actam: ait ergo -- Cum ergo hic timor etiam per quamdam vim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius, quæ mentem premebat caligo, discutitur, ut voluntas depravata priùs, atque captiva, recta efficiatur, ut libera -- Consentit Sancto Prospero Cassianus ejusdem Seculi Scriptor; *Collat.* enim 11. *cap.* 28. habet -- Est gradus cujusdam profectus, ut dum, vel pœnarum metu, vel præmiorum spe incipimus vitia declinare, ad charitatis gradum transire possimus -- Ubi habes efficaciam etiam timoris in vitiis coercendis.

293 OB. XV. Gratia constituens hæredem ibi est, ubi est libertas: ubi est timor servilis, ibi non est libertas; ergo ubi est timor, ibi non est gratia constituens hæredem; adeoque pœnitentia servilis non est dispositio proxima ad gratiam. Totum habes apud D. Ambrosium *lib. 5. epist.* mihi 43. ad Clementinianum, ubi -- Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas. Si igitur ubi fides, ibi libertas: ubi libertas ibi gratia, ubi gratia ibi hæreditas -- Servum sub metu esse ibidem apertè docet.

294 RESP. Ambrosius eo loci apertè tradit differentiam inter legis veteris statum, & gratiæ, inter Judæos, & Christianos; explicatque cur ex operibus legis non habeatur justificatio, sed ex fide. Idque probat, quia ii sub maledicto sunt; Christus autem e maledicto nos liberavit. Probat, quia hæreditas non ex lege, sed ex repromissione; repromissio autem facta est semini Abraha, qui est Christus. Probat, quia Judæi sunt servientes sub elementis mundi, sunt parvuli sub Pædagogo; nos sub Magistro, qui est Christus; Pædagogus timetur, Magister viam salutis ostendit. Ut evincat in lege non fuisse adoptionem, nec hæreditatem, duplicem facit coordinationem, unam in objectione descriptam, & aliam præmissam illis verbis -- Timor ergo ad libertatem perducit, libertas ad fidem, fides ad charitatem: charitas acquirit adoptionem, adoptio hæreditatem, ergo ubi fides, ibi libertas: servus enim sub metu, liber ex fide, ille sub littera, iste sub gratia &c. -- Quapropter solùm intendit S. Doctor ostendere justificationem solùm dari ex gratia; Proinde argumentum non est contra nos, qui admittimus pœnitentiam annonciatam a Christo ex motivo timoris servilis disponere ad justificationem ex gratia ipsius.

295 OB. XVI. Dispositio ad gratiam acquirendam in Sacramento oriri debet ab aliquo amore salutari: sed amor Dei solùm est salutaris dicente S. Leone *serm.* 3. *de jejunio septimi mensis cap.* 3. -- Rationalis animus, qui sine dilectione esse non potest, aut Dei amator est, aut mundi. In dilectione Dei nulla nimia; in dilectione autem mundi cuncta sunt noxia -- Ergo amor Dei per se super omnia dilecti est necessarius in Sacramento.

Hac auctoritate utitur in Institutione Theologica *dissert.* 5. *de Pœnit. art.* 2. §. 2. Juenin, ut probet necessitatem dilectionis Dei super omnia in Sacramento Pœnitentiæ, quam sub hac forma ratiocinii distribui, quæ distributio ei est connaturalis, ut appareat, quòd non seliguntur dicta Patrum ad rem; & insuper ingeritur suspicio, quòd occultè sustineatur doctrina ab Ecclesia proscripta. Quid differt hæc propositio S. Leonis indigestè prolata, ab ea septimo numero proscripta ab Alexandro VIII. -- Omnis humana actio deliberata est Dei dilectio, vel mundi &c. -- nisi penès abstractum, & concretum ?.

Amor alter terrenorum, cælestium alter.

296 RESP. itaque S. Leo intendit statuere duos tantùm ordines amorum esse radicales, & finales, in quibus ultimatè sistit homo: nempe amorem mundanorum, & cœlestium; proinde immediatè hortatur, ut utamur rebus mundi transeunter, & inhæreamus æternis permanenter. Cæterùm nullatenus intendit inter mundi amorem connumerare amorem concupiscentiæ æternæ felicitatis, nec amorem sui boni spiritualis in fuga gehennalis ignis: qui affectus quamvis proximè respiciunt bonum amantis, non excludunt tamen Deum, immo secundùm se sunt referibiles in Deum ultimum finem, & quando assumuntur ut media disponentia in Sacramento, perducunt ad consecutionem dilectionis Dei in habitu charitatis, qui infunditur cum gratia sanctificante.

297 OB. XVII. Detestari peccatum propter motivum, in quo, si quis hæreat, incidit in superbiæ peccatum, non est apta dispositio pro consequenda gratia per Sacramentum: sed detestari peccatum præcisè quod adversatur pulcritudini mentis, adde & bono proprio, est detestari propter motivum, in quo quis hærens incidit in peccatum superbiæ, dicente Augustino *lib.* 5. *de Civit. Dei cap.* 20. -- Cum anima in se ipsa delectatur, nondum in incommutabili delectatur, & ideo superba est, quia se pro summo habet, cùm sit superior Deus -- ergo.

298 RESP. Semper timendum est, ne his, similibusque auctoritatibus probetur, quòd timor Christianus servilis revera non sit honestus. Hæc quidem expressè declarat esse peccatum superbiæ animam delectari seipsa; & ita in re est ad sensum S. August.; nam loquitur de delectatione sistente in se ipsa tanquam in ultimo fine, ut evincit secunda pars propositionis, quæ est causalis sui dicti. Sæpe dictum est, nec vacat repetere, quòd amor Christianus concupiscentiæ, amor spei, timor gehennæ &c. bonum proprium non respiciunt ut ultimum finem, sed præcisè ut proximum motivum; eo quod illi actus ut disponentes sunt in via ad formam, qua homo unitur habitualiter suo ultimo fini, qui est Deus &c.;

&c.; non sunt ergo mali affectus, sed laudabiles.

299 OB. XVIII. Qui solos odit corporis cruciatus, solamque animi perturbationem, verè non odit peccatum: sed is, qui detestatur peccatum ex solo pœnarum metu, solos odit corporis cruciatus, solam odit animi perturbationem -- Timor pœnarum (inquit Augustinus *ser.* 214. *de temp. cap.* 3.) propterea pungit animam, ne amittatur aliquid, quod in creatura diligitur, vel ipsa salus, & requies temporalis, aut tale aliquid post mortem; propterea enim timentur & apud inferos pœnæ -- ergo. Argumentum est Jucoin.

300 Profectò perperam affertur August. cum sermo ille eo tendat, ut sanctum Domini timorem servilem accendat in cordibus hominum, donec superveniat perfecta charitas, quæ eum foras mittat. Condemnat sub initio sermonis eos, qui fortes putant se esse, sed Deum non timent; probatque veram esse fortitudinem timere Deum relatâ Scripturâ *Proverb.* 14., & subdit -- Sic „ etiam scriptum est, timor Domini, spes „ fortitudinis, eam enim timetur pœna, „ quam minatur, diciturque amari præmium, „ quod pollicetur: ut sic per timorem pœ„næ bona vita retineatur. Per bonam vi„tam bona conscientia comparatur, ut per „ bonam conscientiam nulla pœna timeatur: „ Quapropter discat timere, qui non vult „ timere &c. -- Prosequitur ostendere, quòd charitas perfecta foras mittit timorem. Interjectis nonnullis documentis iterum redit ad timorem -- Quapropter timeat Chri„stianus &c. Sic & timor perducit ad cha„ritatem; & perfecta charitas foras mittit „ timorem. Timeat autem Christianus non „ eos, qui corpus occidunt, & postea, non „ habent quid faciant, sed eum, qui ha„bet potestatem, & corpus, & animam in „ gehennam ignis occidere -- Deinde declarat dari alium timorem castum, qui permanet in sæculum sæculi: & postea subjungit -- Quare nisi, quia ille timor, quem „ foras charitas mittit, propterea pungit „ animam &c. -- cum reliquis verbis productis in objectione. Ex his constat nihil aliud velle Augustinum, nisi quòd charitas foras mittit timorem servilem ex quocumque capite talem. Optimè novit Augustinus pœnas gehennales esse alterius ordinis, & gravitatis a pœnis corporalibus hujus sæculi. Optimè etiam novit post resurrectionem finalem futuros in damnatis gravissimos corporis cruciatus, animique perturbationes molestissimas, quas etiam potuit comprehendere in illa propositione producta in objectione ab Adversario.

301 OB. XIX. Pœnitentia, quæ nullius est valoris, & ex amore privato, non potest esse dispositio proxima ad justificationem in Sacramento: sed pœnitentia ex timore servili est hujusmodi; ergo nequit esse dispositio proxima in Sacramento. Assumptum habetur expressis terminis apud D. Dionysium Carthusianum *in Psal.* 118. ad illum versiculum *Propter retributionem*, ubi ait -- „ Æternam non temporalem, videlicet, „ propter felicitatem cœlestem, ut eam ob„tineam. Sed cum propter mercedem ope„rari, sit opus mercenarii, non filii, aut „ amici; quomodo, ait, se propter retri„butionem inclinasse cor suum ad opera „ bona? & respondendum, quòd sicut ti„mor purè servilis nihil meretur, sic pro„pter solam retributionem operari nihil „ meretur, quia utrumque istorum proce„dit ex privato amore. Sed quemadmodum „ timor initialis meritorius est in quantùm „ habet aliquid de charitate adjunctum, sic „ propter retributionem operari meritorium „ est, quando intentio ultima fertur in Dei „ honorem, seu Deum, quem necesse est prin„cipaliter intendi in omni meritorio actu. „ Postremò quemadmodum timor filialis „ maximè complacet Deo, sic tota mente „ Dei honorem intendere, & propter puram „ Dei amorem bona agere, maximè meri„torium est, quoniam hoc ex divino amo„re causatur. Nihilominus homo talis im„plicitè agit propter mercedem, eamque „ aliquo modo intendit, non ex privato „ amore, sed ex amore divino in quantùm, „ videlicet, Deus, vult ut operemur prop„ter præmium felicitatis æternæ -- Ecce quomodo Viri Dei conveniunt in eo, quòd timor servilis vacuus sit, & ex amore privato sit; adeoque ineptus sit ad justificationem inducendam.

302 Meo videri Dionysius apprimè nobis favet, quia describit naturam dispositionis præviæ ad justificationem per Sacramentum habendam; & hanc attribuit timori servili. Propterea justificatio gratia nobis a Deo donatur, quia dispositio præcedens non est meritoria, ut docet Tridentinum *Sess.* 6. *cap.* 8. Optimè docet Carthusianus, quòd timor servilis in peccatore non est meritorius, & hac vi caret; sed non caret vi dispositiva ad ipsam gratiam, quæ est radix meriti. Audiamus eumdem explicantem vers. 163. Psal. cit. 118. *Iniquitatem odio habui, & abominatus sum*. Ubi hæc habet.

Justificatio cur gratis habeatur.

„ Aliqui oderunt iniquitatem non prop„ter seipsam, sed propter pœnam sequen„tem: & isti sunt imperfecti; operantur „ enim bonum ex amore servili, qui non est „ meritorius, quamvis disponat ad gratiam „ secundùm quod timor. Aliqui autem „ oderunt iniquitatem propter deformitatem, „ & turpitudinem ejus. Quidam verò ex „ Dei amore oderunt eam, videlicet, quo„niam displicet Deo, & quia per eam in„honoratur, atque offenditur Deus, & istud „ est perfectius, quàm secundum; præser„tim cum aliqui Gentiles, & Infideles tan„tæ perfectionis fuisse legantur, ut pecca„tum propter suam deformitatem oderint, „ quemadmodum Seneca ait; Quamvis „ scirem Deos mihi ignoscituros non pec„carem propter ipsam vilitatem peccati. „ Studeamus ergo tertio modo iniquitatem „ odio habere, quoniam hoc est amicorum, „ filiorumque Dei, & evidens signum gra„tiæ. Amicorum quippe est proprium ea„dem velle, & nolle: & honorare Deum „ spectat ad filios adoptivos, prout asserit „ Dominus; Filius honorat Patrem suum, „ & servus timet Dominum suum: Si ergo „ Pater ego sum, ubi est honor meus? &

„ si Do-

„ si Dominus ego sum , ubi est timor „ meus?

In his habemus odium peccati ob timorem servilem disponere ad gratiam, quamvis meritorius non sit . Habemus constituere statum imperfectorum , qui sunt incipientes . Habemus aliquem perfectius esse odio habere peccatum propter sui turpitudinem , quæ est unum ex motivis attritionis simplicis. Habemus per timorem servum honorare Dominum , sicut per amorem filius honorat Patrem ; propterea uterque Domino placet , ille cum jure ad hæreditatem, iste cum jure ad mercedem . Habemus clarè ex prima auctoritate , quòd amor initialis , qui est amor imperfectus Adversariorum , est meritorius vitæ æternæ ; ac proinde est connexus cum gratia sanctificante , quæ est radix meriti ; ac per consequens nequit esse necessaria dispositio pro Sacramento mortuorum .

303 OB. XX. Nequit esse dispositio ad justificationem sacramentalem , quod dicit repugnantiam ad statum gratiæ : Pœnitentia orta ex timore servili dicit repugnantiam ad statum gratiæ ; ergo nequit esse dispositio ad ipsam; Dispositio enim, & removet impedimenta, & coaptat subjectum formæ. Assumptum habetur ex D. Bonaventura 3. *sent. dist.* 34. *p.* 2. *q.* 1. *in resp. ad* 1. -- Posset aliter „ dici , quòd timor servilis in quantùm servilis est , non possit stare cum Spiritu „ Sancto propter annexam imperfectionem, „ quæ dicit repugnantiam ad statum gratiæ; „ tamen quantùm ad aliquid sui nihil prohibet ipsam cum Spiritu Sancto stare --

D. Bonavent. simplicis attritionis partes tuetur.

304 Ut objectionem solveram vidi Seraphici doctrinam , & simul miratus sum , ipsum contra nos assumi ; tam enim clarè , tam benè enucleat doctrinam de servili timore in favorem nostræ positionis , ut evacuet omnem difficultatem , & enervet totaliter vim argumentorum adversæ thesis. Expedit tres primas quæstiones exscribere verbo ad verbum . Synopsim sinceram subjiciam transcribendo aliquas Propositiones , nec dissimulando eas , quæ possunt trahi ad oppositum .

Tres movet quæstiones Doctor Seraphicus circa timorem servilem . In prima quærit , an timor servilis sit donum Sancti Spiritus . In secunda inquirit , an timor servilis sit bonus . In tertia , an timor servilis maneat in charitate . In qualibet quæstione suo more ponit argumenta pro una, & altera parte . Deinde suam mentem declarat , solvendo objecta .

In prima quæstione resolvit timorem servilem esse donum Spiritus Sancti a Spiritu Sancto, non autem cum Spiritu Sancto . Probat ex partibus fidei . Probat, quia est quædam cordis emollitio , producto testimonio Jeremiæ , Probat , quia est concupiscentiæ coarctatio , dicente Psalm. *Confige timore tuo carnes meas*, quod quidam inquit -- „ Non solùm fit timore casto , sed etiam „ servili , quo timentur æterna supplicia , „ & timetur divina justitia , & propter il„ lorum timorem cessat homo a peccatorum „ perpetratione , licèt non omnino cesset a „ voluntate ; sicut dicit Glossa, quòd totum „ est ex divino munere . Ideo concedendæ „ sunt rationes ad hanc partem inductæ -- Fortè aliquis suspicabitur S. Doctorem ibi -- licèt non omnino cesset a voluntate -- sentire , quòd timor non excludit omnino voluntatem peccandi ; sed fallitur, ut ex dicendis de secunda ejus quæstione palam fiet . Interim notanda sunt duo . Primum , sunt momenta , quæ pro se affert . Secundum , est solutio omnium pro opposito ; & in utroque stat apertè pro nobis .

305 Circa primum ostendum quinque apponit momenta . In primo adducit Glossam super illud ad Rom.8. *Non accepistis spiritum servitutis*, dicentem , quòd idem est spiritus servitutis, & adoptionis . In secundo approbat auctoritatem D. Augustini dicentis bonum esse timorem servilem , & per eum paulatim fieri consuetudinem justitiæ . In tertio testimonia refert *Ecclesiast.* 1. *Prov.* 15., & 16. *Isaiæ* 26., quibus probatur timorem servilem esse initium Sapientiæ , & facere declinare a malo , & bonum concipere . In quarto concedit , quòd ibi probatur , scilicet , timorem servilem præparare ad statum justitiæ . In quinto vult , quòd plùs est timere Deum , quàm credere . Quibus concessis concludit , seu veriùs probat timorem servilem esse donum Sancti Spiritus , non quidem cum Sancto Spiritu , sed a Sancto Spiritu ; quia hi effectus non possunt esse nisi desursùm .

Sed evidens est , quòd istæ dotes attributæ timori servili haud componi possunt cum voluntate peccandi , quæ sit mala , & peccaminosa ; ergo intendit Seraphicus Doctor , quòd timor servilis excludit eam voluntatem . Sed vis præparatoria ad statum justitiæ non stat cum repugnantia ad eundem statum ; ergo non admittit eam repugnantiam in sensu objectionis .

306 Circa secundùm proponit pariter quinque argumenta. Primum est , quòd donum Spiritus Sancti stat cum Spiritu Sancto ; resolvit distinguendo donum Spiritus Sancti cum Spiritu, & a Spiritu Sancto , & hoc secundum concedit timori servili , non primum . Secundum est , quòd omne donum Sancti Spiritus habet exemplar correspondens in Deo , quo caret timor servilis ; ad quod respondet dupliciter . Primò, quòd illud dictum intelligitur de dono in proprietate , hoc est de dono cum Spiritu Sancto . Secundò explicatis terminis dicit -- Et hoc „ modo timor potest habere exemplar in „ Deo , quia qui timet elongatur a malo, „ & stat intra fines proprios, ita quòd supra „ se non erigitur . Utrumque autem istorum „ contingit reperiri in Deo , quia Deus a „ malo maximè elongatur &c. -- Tertium, quòd donum Sancti Spiritus datur ad habilitandam animam ad aliquod arduum, quod timori non competit ; & respondet per similitudinem de amore -- Sic inordinatè timere „ est segnitiei , & ignaviæ ; ordinatè verò „ timere magnæ est excellentiæ . Qui enim „ Deum veraciter timet , nihil terrenum , „ & caducum timet , immo ex ipso timore „ de ipsis timoribus super effertur . Ideo licèt actus timoris videatur pertinere ad „ quamdam defectibilitatem ; secundùm „ veritatem tamen pertinet ad excellentiam,

Tre ,, & co-

„ & nobilitatem ; & quia in timore servili „ incipit homo Deum timere , hinc est , „ quòd donum Spiritus Sancti est , sed im- „ perfectum -- Quartum, quòd sicut amare Deum propter beneficia non est donum , sic nec eum timere propter pœnas; & respondet concedendo loquendo de beneficiis , & pœnis temporalibus , secus de æternis &c. Quintum celebre est , quòd timor servilis comparatur timori , quo latro abstinet a furto propter metum suspendii ; & respondet -- Non autem sic est de suppliciis infer- „ nali : immo oportet, quòd timeat per fi- „ dem , & amplius , quòd cor quodammo- „ do mollificetur , ut exhorreat illa suppli- „ cia ad fidei instinctum . Propterea ratio „ illa non valet , quia non est similis hinc , „ & inde .

307 In secunda quæstione inquirit , an usus timoris servilis bonus sit , & sic resolvit -- Timor servilis bonus est , & si non „ bonitate meriti , saltem bonitate præpa- „ rante ad meritum -- Resolutionem firmat sequenti discursu , quam rescribo integram , quia tam planè elucidat .

„ Ad prædictorum intelligentiam est „ notandum , quòd cum dico timorem ser- „ vilem , duo dico : videlicet ipsum habi- „ tum , quo anima disponitur ad timendum „ Deum , ut punientem eos , qui prævari- „ cantur , & ulterius nomine servitutis im- „ portatur deformitas peccati , quæ annexa „ est illi habitui in eodem homine , ratione „ cujus ille homo dicitur esse servus pecca- „ ti , & timor in eo existens dicitur esse „ timor servilis . Per hunc etiam modum „ cum dico aliquem timere serviliter, duo „ dico: actum ab illo habitu egredientem, & „ voluntatis servilitatem, sive deformitatem „ concomitantem . Sed attendendum, quòd „ hoc potest esse dupliciter , aut ita , quòd „ deformitas illa voluntatis concomitetur „ quantùm ad habitum , aut quantùm ad „ actum . Si concomitetur solùm quantùm „ ad habitum , sic potest esse , quòd aliquis „ serviliter timeat, & tamen motu illo non „ peccabit ; quia si ex recogitatione pœna- „ rum aliquis abhorret offendere Deum , „ hoc potest esse præter omne peccatum . „ Si autem concomitatur in actu , quamvis „ ipsum timere de se non sit malum, tamen „ ratione deformitatis actualiter annexæ „ depravatur ; sicut aliquis , qui timet pœ- „ nas , & timendo dolet , quòd tales pœnæ „ infliguntur pro culpa, & actu etiam con- „ cupiscit peccare si non esset illa pœna , „ & hoc modo timere serviliter est pecca- „ tum , & malum ; hoc autem non est sem- „ per cum quis movetur timore servili, alio- „ quin per usum illius doni magis se homo „ a gratia elongaret , quàm præpararet , „ quod planè falsum est ; & ideo conceden- „ dum est, quòd usus timoris servilis potest „ esse bonus , licèt non sit bonus bonitate „ meriti , sed magis bonitate præparante , „ vel ordinante ad meritum , quæ simul stat „ cum peccato ; unde & rationes, quæ hoc „ ostendunt concedendæ sunt , licèt ratio „ ultima sit sophistica, quia procedit ex fal- „ sa suppositione . Hæc ibi .

Deinde resolvit argumenta in contrarium, quæ sunt illa eadem principalia , quibus Clarissimi Adversarii utuntur ad probandum , quòd timor servilis non expellit voluntatem peccandi .

308 Primò igitur sibi objicit illud Augustini *in Psal.* 118., quòd timor servilis non crucifigit carnem , quia vivit in eo peccandi voluntas ; & sequeretur opus , si speraretur impunitas ; mallet enim licere , & dolet non licere , quod lex vetat &c. , cui resp. -- Dicendum , quòd illud verbum Au- „ gustin. non intelligitur , quòd semper „ quando timet , doleat actu , & similiter, „ quòd voluntas peccandi semper sit in actu, „ sed hoc dicit , quia manet in habitu , & „ radice. Licèt autem voluntas sit per pec- „ catum deformata , & regnet in ea malus „ amor ; potest tamen aliquando moveri ad „ aliqua bona opera in genere , vel ex cir- „ cumstantia per aliquam gratiam gratis da- „ tam non committendo culpam , sicut pa- „ tet per multa exempla ; & sic potest esse „ in parte ista -- Manet voluntas peccandi in habitu, & radice, scilicet in peccato habituali , quod remanet transacto peccato actuali . Eo peccato habituali deformata remanet voluntas , & in eo regnat malus amor , donec deleatur per gratiam sanctificantem . Quia tamen peccatum habituale concomitanter se habet ; ideo voluntas potest plura bona opera exercere , licèt non meritoriè .

Timor servilis actualem, non habitualem peccandi voluntatem excludit .

309 Secundò objicit sibi Gregor. in Moral. dicentem timorem pœnæ oriri ex tumore &c.,& resp. -- Dicendum,quòd ex non „ dicit ibi causam , sed concomitantiam : „ & cum dicit concomitantiam in actu, tunc „ deformat actum timoris servilis : cum di- „ cit concomitantiam in habitu,non oportet, „ quòd deformet , sed tamen facit ipsum „ deficere a meriti perfectione -- Ecce , quòd habituale peccatum concomitanter se habens non tollit actus timoris bonitatem , sed solùm meritorium esse .

310 Tertiò sibi objicit , quòd timor servilis est incompossibilis cum charitate , quia ex August. Spiritus servitutis non stat cum spiritu adoptionis ; cui resp. -- Dicen- „ dum , quòd aliquis actus potest esse in- „ compossibilis alicui ratione circumstantiæ „ propriæ, quam habet ex proprio habitu ; „ vel ratione alicujus annexi. Cum ergo di- „ citur , quòd actus timoris servilis est in- „ compossibilis charitati, hoc non est ratio- „ ne ipsius actus per se , & secundùm se : „ quia habens charitatem potest benè timere „ Deum ratione pœnæ ; sed hoc intelligitur „ ratione annexi , quod facit ipsum deficere „ a merito charitatis ; & ideo ex hoc non „ sequitur , quòd actus timoris servilis sit „ malus , sed vel est malus , vel est in ho- „ mine secundùm statum malum ; & con- „ clusio est vera ratione alterius partis -- Status verò malus habetur a peccato habituali.

Timor servilis cur incompossibilis cum charitate .

311 Quartò sibi objicit , quòd omnis timor oritur ex amore ; servilis autem non potest oriri , nisi ex amore libidinoso &c. Cui respondet negando,quòd oriatur ex amore libidinoso ; & dicit oriri , vel ex amore naturali , vel si est timor de æternis suppliciis ex amore Beatitudinis æternæ .

Timor ex amore oritur .

312 Quin-

312 Quintò objicit sibi, quòd amare Deum principaliter propter temporalia est peccatum; ergo similiter timere Deum propter pœnas. Cui resp. negando paritatem, quia in amore temporalia habent rationem finis ultimi; secus in timore &c.

313 Sextò sibi objicit, quòd timere serviliter est timere cum circumstantia peccati &c. cui resp. — Dicendum, quòd illa
„ circumstantia, seu deformitas peccati potest
„ poni circa actum timendi ratione ipsius
„ actus, vel ratione timentis. Et si pona-
„ tur ratione ipsius actus, tunc utique
„ actus deformatur, & efficitur malus ex
„ tunc annexi, sicut prius fuit expositum.
„ Sed si ita sit, ut ponatur ratione timentis,
„ sic potest esse, quòd actus non sit defor-
„ matus; sed quia deformitas est circa ti-
„ mentem, licèt secundùm illam deformi-
„ tatem non moveatur actualiter; & prop-
„ terea non est opportunum, quòd timere
„ serviliter semper sit peccatum, immò
„ hoc potest esse utile, & præparatorium
„ respectu gratiæ —

314 In tertia quæstione inquirit, an adveniente gratia timor servilis cedat. Relatis duobus modis dicendi tertium eligit, resolvitque cedere quoad respectum pœnæ æternæ, & quoad peccatum. Manere autem quoad timere pœnam. Resolutionem explicat sequenti discursu.

„ Et propterea possumus dicere, quòd
„ timor servilis tres habet conditiones.
„ Unam sicuti materialem, & substractam,
„ & hæc est timere pœnam æternam. Al-
„ teram sicut formalem, & completivam;
„ & hæc est principaliter intueri illam pœ-
„ nam æternam. Tertiam sicut annexam;
„ & hæc est habere voluntatem deformem
„ conjunctam. Cum igitur gratiæ donum
„ superinducitur, timor servilis quantùm
„ ad hoc, quod materiale erat in ipso, hoc
„ est in quantùm habilitabat ad timendam
„ pœnam, manet cum gratia, quia gratiæ
„ non repugnat. Quantùm verò ad illas
„ duas conditiones, videlicet, quantùm ad
„ completivam, & quantùm ad annexam
„ pellitur per ipsam gratiam, quia cum gra-
„ tia supervenit, nec principaliter intuetur
„ pœnam, nec habet annexam voluntatem
„ malam. Et sic haberi potest, quòd donum
„ timoris servilis quantùm ad aliquid sui ad-
„ veniente gratia pellitur, & quantùm ad
„ aliquid manet — Et secundùm hanc partitionem respondet ad objecta; ex quibus unum solum commemoro, quod ad quartum habet, scilicet, charitatem non posse fieri informem, sicut in præcedentibus habitum est.

315 Ex Synopsi hujus triplicis quæstionis primò habemus optimè elucidatam materiam de timore servili. II. Habemus detectam, & avulsam radicem æquivocationis circa voluntatem peccandi. III. Habemus pœnitentiam actam ex motivo timoris servilis præparare proximè ad gratiam. IV. Habemus Doctrinam Adversariorum non concordare cum principiis D. Bonaventuræ, & consequenter nec antiquorum.

Habemus primum, quia clarè explicat, an timor sit donum Sancti Spiritus, & qualiter: an ejus usus sit bonus, & qualiter: quid habeat ex sua linea, quid ab annexo. Habemus secundum, quia nitidè exponit servilitatem, quæ est status peccati ipsius timentis; scilicet peccatum habituale, quod explicat per voluntatem deformem, eo quia peccatum habituale, vel consistit in voluntate subjectivè irretractata, seu perseverante, qua homo priùs peccaverat actualiter, ut plures docent; vel quia est terminus relictus ab illa voluntate perseverante moraliter, ut alii dicunt. Clarisque verbis declarat, quòd quando se habet simpliciter concomitanter nullatenus inficit perfectionem timoris: sed solùm inficit, quando actualiter influit, idest quando timens ex prava voluntate movetur actualiter, quod non semper evenire apertè docet.

Quoniam verò ad hanc non attendens distinctionem fluxus ille, verborumque inflatus apud Clarissimos Adversarios habetur, nempe timorem servilem non excludere voluntatem peccandi, quia remanet in habitu, in radice, in volontate, in concomitanti, in virtute &c. complacentia, quam habuit, dum ante peccato adhæsit, voluntas prævaricatrix: & hoc verborum circuitu lux veritatis obnubiletur; quæ omnino purgata relucet sub doctissima Seraphici doctrina. Nullum prorsùs præjudicium inde oritur, si omnes illi termini intelligantur concomitanter pro simplici statu peccati, pro peccato habituali; nec est necesse, quod excludatur in dispositione ad Sacramentum Pœnitentiæ juxta conditiones a Tridentino exigitas, quod explicuimus in superioribus, & mox indicabo; immo totus ille circuitus manet in amore prætenso Adversariorum, quod evidenter mox ostendetur.

Habemus tertium, quia docet Seraphicus Doctor; quòd actus timoris servilis est bonus præparans ad gratiam emolliendo cor, frænando concupiscentiam, abstinendo a peccato, præparando locum charitati, immo ipsam introducendo, & similia, quæ pertinent absque dubio ad dispositionem proximam. Addit tamen S. Doctor, non quidem per modum meriti, & sapientissimè; nam docet Sacrosanctum Tridentinum nihil eorum, quæ præcedunt justificationem habere rationem meriti, si autem esset necesse ad ordinem dispositionis expelli peccatum habituale, oporteret in præcedentibus ad justificationem dari rationem meriti, quia peccatum habituale, eodem docente Concilio, non tollitur, nisi per infusionem gratiæ sanctificantis, quæ est radix meriti.

Habemus quartum, quod constat ex dictis; & insuper patet, quia Seraphicus non ponit possibilem charitatem informem, hoc est absque gratia sanctificante, & rationes probativæ, quas concedit, & paritatem, quam assumit de fide, apertè evincunt quamlibet minimam dilectionem Dei super omnia non posse esse informem; quod apertissimè negant Clarissimi Adversarii; ex quo sic.

316 Amor initialis, inchoatus imperfectus &c. dilectivus Dei super omnia ex assertis per Clarissimos Adversarios infallibiliter ante Sacramenti susceptionem per se non infert gratiam sanctificantem: ergo peccator

sic diligens Deum est in statu peccati mortalis: ergo habet peccatum habituale in quocumque consistat: ergo est servus peccati: ergo est reus gehennæ: ergo est inimicus Dei: ergo nihil operatur meritoriè. Istæ illationes sunt omnes infallibiles ex principiis fidei, posito tamen, quòd dilectio Dei super omnia initialis &c. non sit connexa cum gratia sanctificante, nec originativè, nec illativè, ut docent universi Clarissimi Adversarii; nam peccatum habituale, quod remanet, transeunte peccato actuali, non aufertur in præsenti providentia, nisi per gratiam sanctificantem; in hoc nemo Catholicorum claudicat.

Hoc posito sunt infallibiles istæ aliæ illationes: ergo illa complacentia, quam habuit voluntas prævaricatrix, quando actualiter adhæsit peccato, in peccatore sic diligente Deum manet in habitu, in virtute, in concomitanti, in radice, in voluntate &c. quia remanet peccatum habituale, quod est terminus, seu effectus a peccato actuali relictus. Ergo valet etiam ista, initialis ille amor stans simul cum peccato habituali non excludit voluntatem peccandi, cum maneat illa complacentia in radice.

317 Quoniam verò perpetui sunt Adversarii in eo, cæteroqui jam solidissimè a nobis enervatum, quòd timor servilis non expellit voluntatem peccandi, placet aliquid ex additamentis eorundem Adversariorum subdere, ut constet ipsos esse in eadem navi; adeoque nobis sentire debere.

Jam convicti Scriptoris, Patribus, Tridentino, proscriptionibus Apostolicis concedunt ipsum actum supernaturalem timoris esse bonum in se, & in se excludere voluntatem peccandi. Ipsa etiam consequenter attritio in se est bona, & in se excludit voluntatem peccati, & peccandi: tamen in ipso timente, in ipso attrito remanet voluntas peccandi, ipsa libido ab animo funditùs non avulsa perseverat; & hæc libido peccandi, sicut & involuntarietas non provenit ab attritione, sed ab habitu adhuc perseverante, & ab affectu in peccatum, qui affectus est extrinsecus attritioni; propterea eam vocant in se ipsa bonam, sed non perfectam, excludique dicunt voluntatem peccandi secundùm quid, non simpliciter. Sed hoc totum reperitur in amore initiali, prout ab Adversariis describitur; ergo neque ille excludit voluntatem peccandi. Minor propositio declaratur. Actus amoris initialis, & consequenter ab eo ortus dolor de peccatis est bonus, rectus, & in se excludit voluntatem peccandi; non est tamen libido peccandi avulsa ab animo amantis, remanet voluntas mala in amante ratione præexistentis, quia habitu perseverat affectus in peccatum, cum sic amans sit in statu peccati mortalis, cum habitualiter sit aversus a Deo, & hæc habitualis aversio ortum habuit ab eo, quòd præexistenter per affectum inordinatum peccando legem Dei violavit.

Habituale peccatū componitur cum attritione.

Explicatur exemplo, quo utuntur Adversarii contra nos, & S. Bonaventura pro nobis. Affectus ille pravus habitu perseverans est attritioni extrinsecus, sicut informitas fidei: atqui hoc eodem modo se habet ad initialem dilectionem Dei super omnia, quia ipsi Adversarii contendunt totis viribus dari dilectionem Dei super omnia in peccatore formaliter cum reatu peccati separatum a gratia sanctificante, donec accedat realis susceptio Sacramenti; ergo illa dilectio est informis; ergo illa dilectio componitur cum macula contracta per peccatum actuale; ergo stat actu cum habitibus vitiosis inductis per peccata præcedentia; ergo in illo amante perseverat habitu mala voluntas; ergo ab illo amante non excluditur libido peccandi simpliciter, sed solùm secundùm quid, quia ex D. Th. sicut umbra non tollitur, nisi luce adveniente, sic macula, & perconsequens mala voluntas in radice, in habitu, in virtute, non tollitur, nisi adveniente gratia sanctificante. Nec respondebitur, seclusò circulo verboso, nisi ad nostra recurrendo.

318 Arguamus nunc secundùm formam Seraphici Doctoris in præcitato exemplo. Stat quòd peccator etiam lapsus in hæresim eliciat veraciter medio Dei auxilio serium, & efficacem actum fidei informem, quo revera ille peccator fit actu, & denominetur verè credens, & fidelis: quia status peccati se habet simpliciter ut concomitans ad illum actum; ergo stat, quòd idem peccator commotus timore gehennalium pœnarum volens seriò non damnari eliciat actum attritionis, quo veraciter detestetur interiora, & exteriora crimina, proponatque seriò non amplius nec exteriùs, nec interiùs peccare, quia ex Seraphico status peccati concomitanter simpliciter se habet.

In primo casu habituale peccatum etiam infidelitatis neque simpliciter, neque secundùm quid refundit turpitudinem infidelitatis in actum, neque in credentem ad hunc sensum, ut formaliter dicatur Hæreticus, Infidelis, Discredens; ob eam rationem, quia peccatum illud habituale omnino concomitanter se habet ad lineam fidei. Sic in secundo casu eodem proportionali modo; ideoque illa attritio est verum odium peccati, verus dolor, vera pœnitentia licèt ordinis imperfecti; & ipse timens, ipse attritus verè dolet, verè pœnitet. Rursùs. In primo casu, quia fides est prima radix, & fundamentum totius ordinis dispositivi ad gratiam, radicaliter verè disponit ad justificationem, & per ipsam ipse peccator credens. Ita quia pœnitentia supernaturalis est ultimum in linea dispositiva, illa attritio verè ultimatè disponit ad justificationem in Sacramento; & per ipsam ipse peccator attritus disponitur ultimatè.

Omitto expendere illum verborum circulum, quo contendunt timorem servilem non excludere voluntatem peccandi, scilicet quæ ex metu fiunt, extoria & involuntaria sunt secundùm quid, quia ab extrinseco: quæ ex metu fiunt, non gratiâ sui fiunt, sed gratiâ alterius: metus reprimit peccatum externum, non autem internum: quæ sunt nolita per metum, per se, & in se, & secundùm se sunt volita, & similia; quia suis locis concordantiâ Scripturarum, & Patrum abundè, validè, & funditùs sunt explicata, & convulsa illa omnia. Ut cum D. Bonaventura tam totam absolvam unum Adversariorum

rum momentum subdam.

319 Ut declinent retorsionem, quòd neque charitas refugit peccatum secundùm se, & ut est, aut fuit voluptuosum, quia huic directè non opponitur, sic ratiocinantur — Charitas refugit quidquid displicet „ amato, & ab ipso separat juxta assertum „ D. Thomæ, quòd ad eamdem virtutem „ pertinet prosequi unum oppositorum, & „ refugere aliud; & ideo sicut ad charita- „ tem pertinet diligere Deum, ita etiam „ detestari peccata, per quæ anima separa- „ tur a Deo. Peccati autem voluptas, ut- „ pote divinâ lege prohibita, displicet Deo, „ separat ab ipso, & illius charitati, atq; ama- „ bilitati adversatur.. Propterea charitas „ facit aversari peccatum simpliciter, & „ sub omni consideratione, qua Deo displi- „ cet, atque adeo etiam, ut est voluptuosum „ peccatori — Hæc illi apud Porphyriensem Episcopum.

320 Nunc nos sic. Amor æternæ salutis, timor æternæ damnationis refugit quidquid nocet amanti æternam salutem, & ab ea separat quidquid nocet timenti æternam damnationem, & ad eam conducit propter eamdem D. Thomæ rationem. Peccati autem voluptas, utpote divinâ lege prohibita nocet amanti æternam beatitudinem, nocet timenti æternam damnationem, ad æternam damnationem conducit, ab æterna beatitudine separat, & charitati sui ipsius, suæque incolumitati adversatur; ea propter charitas sui, timorque damnationis facit aversari peccatum simpliciter, & sub omni consideratione, qua amanti æternam beatitudinem, qua timenti æternam gehennam nocet, atque adeo etiam, ut est voluptuosum peccatori, ut est dissolvens divinam amicitiam, ut repugnat divinæ amabilitati, insuper ut consistens in affectu interiori, in prava voluntate, in mala radice; quia sub qualibet ex istis formalitatibus, & quibuscumque aliis, quæ peccaminosæ sunt, nocet timenti æternam damnationem; & quia quæcumque formalitas lethalis impedit consecutionem beatitudinis, & fundat reatum æternæ damnationis. Non est puerorum lusus æterna damnatio, non est momentaneum, quod amittitur. Qui æterna supplicia seriò meditatur, non solùm negativè, sed positivè expellit, præfocat, extinguit voluntatem peccandi.

Hoc ipso enim, quòd attritio supernaturalis detestatur peccatum, quia ducit ad inferos, detestatur secundùm omnem formalitatem connexam consecutivè. Hæc est mens D. Bonaventuræ 3. *dist.* 27. *art.* 1. *q.* 4. ubi ita habet — Et si tu quæras rationem hujus, „ August. docet 14. de Civit. Dei, ubi dicit, „ quòd omnis affectio oritur ex amore: ideo „ nihil potest obliquare aliquas affectiones „ animæ, quin aliquo modo, vel principa- „ liter, vel ex consequenti oppositum sit ipsi „ amori, & habitui affectum illum rectifi- „ canti &c. — Quæ ratio eamdem vim habet ex adverso. Quare temperanter se a peccato seriò pœnarum æternorum metu non se habet, sicut serpens, qui licèt præ frigoris acerbitate torpens, palpantibus minimè noceat, veneno tamen vacuus non est, ut malè applicans D. Augustinum ex *Conc.* 25. *in Ps.* 18. Jansenius dixit; cum illud venenum latitans ad inferos trahat. Vellem, quòd hic Scriptor disceret a D. Bonaventura dicta D. Augustini in hac materia componere, & concordare.

ARTICULUS OCTAVUS, ET ULTIMUS.

UTRUM RATIONIBUS PROBETUR EFFICACIA CHRISTIANÆ ATTRITIONIS.

UT morem sequamur Clarissimorum Adversariorum, præsentem instituimus Articulum. Nomine rationis non intelligimus aliquid simpliciter naturale; quæ enim sunt ex divina institutione, nequeunt naturalibus fundamentis positivè probari. Nomine rationis intelligimus quosdam discursus deductos ex connexis cum revelatis, & cum definitis ab Ecclesia, atque in istos doctrinis a Theologis adoptatis communiter. Fundamenta principalia in superioribus sunt examinata. Hic colligemus aliqua residua, & quosdam velut ramusculos pullulantes ex radicalibus, quibus corroboretur nostra positio ad majorem, ut spero, utilitatem Fidelium. Studebo nullum verbum repetere ex dictis in præcedentibus. Hic sit conclusio. Dicendum efficaciam, & sufficientiam Christianæ attritionis probari rationibus Theologicis.

§. I.

PROBATUR ASSERTIO.

321 PROB. I. Ex Cardinali Bellarmino. Deus per gratiam perficit naturam ad modum naturæ: sed natura hominis peccatoris magis apta est moveri terrificis immediatè ad relinquenda vitia, quàm amabilibus; ergo Deus avocat a peccatis ad gratiam per pœnitentiam concipiem motivo æternorum suppliciorum omnino convenienter, omnino rationabiliter, & veraciter. Ostenditur assumptum. Consonat naturæ rationali timere malum, quod ei accidere potest: & si gravius est, & diuturnius, rationabiliùs timetur; gehennale malum maximum est, sempiternum est. Consentaneum est naturæ rationali, non solùm timere malum, sed adhibere media ad illud evitandum, ubi est certò eventurùm, nisi impediatur: sed gehennale supplicium peccatori est certò eventurum, nisi de peccatis pœniteat, eaque emendet; ergo consentaneum est naturæ rationali de peccatis pœnitere, atque emendare ex timore gehennalis supplicii; ergo gratia perficiens naturam ad modum naturæ eam elevat pœnitentiam ad consequendam justificationem in Sacramento, quod cum sit Sacramentum Christianæ reconciliationis non nisi Christianam pœnitentiam dispositivam expostulat. Propterea dicitur Psal. 77. v. 34. *Cum occideret eos, quærebant eum, & revertebantur, & diluculò veniebant ad eum.* Flagellis attriti Hebræi revertebantur ad Dominum, sed non stabiliter, quia flagella erant temporalia; & temporalibus inhiabant,

Natura terribilibus magis quàm amabilibus movetur.

322 PROB.

322 PROB. II. ex eodem argumento. Quæ in citato Psalmo describuntur mala evenisse Hebræis prævaricatoribus, fuerunt ex Apostolo in figura ad emendationem nostram descripta. 1. Corinth. 10. *Hæc autem in figura facta sunt nostri, ut non simus concupiscentes malorum, sicut & illi &c.* Notat D. Thomas hic ex Aug. *in Psal. 77.*, quòd sicut in bonis longè meliùs est, quod figuratur, quàm ipsa figura, ut Regnum Cœlorum, quàm terra promissionis; ita in malis longè pejus est, quod figuratur, quàm figura, ut illa supplicia, quæ fuerunt figura gehennæ, quæ omni pœna major est. Ideo in figura, explicat D. Th., ut considerantes eorum supplicia non simus concupiscentes malorum. Posita terminorum explicatione, qui aliunde clari sunt in Apostolico contextu, efformatur ratiocinium. Pœna gehennæ figurata in suppliciis temporalibus inflictis prævaricatori Hebræo, ut nos Christiani non simus malorum concupiscentes, scripta divinitùs est; ergo meditatio gehennalis efficax est ad cohibendum affectum malorum interiorem, *ne simus concupiscentes*; ergo efficax est, ut abstineamus ab idololatrià, a murmuratione, a potationibus, a fornicationibus, a tentatione Christi &c. cum ut hæc non faciamus, fuerint illa in figura ad nostram utilitatem enarrata.

Pœna gehennæ figurata in hebraicis moribus eo fine scripta est, ut nos Christiani emendemur a nostris. *Hæc autem omnia in figuris contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum devenerunt*; ergo meditatio gehennæ sufficiens est, efficax ad inducendam emendationem a peccatis. Sed emendatio a peccatis non est consequibilis nisi per veram pœnitentiam; ergo timor gehennæ sufficiens, & efficax est ad inducendam veram pœnitentiam, & quidem stabilem, quia bona promissa, & mala comminata, ut advertit D. Th. sunt durabilia, & non temporalia.

Deus connaturaliter cor hominis movet ad pœnitentiam.

323 PROB. III. Ex citato Bellarmino. Ordinaria providentia disposuit conversionem peccatorum per Sacramenta habendam per immutationem cordis connaturalem, & non modo quasi miraculoso: sed immutatio immediata velut connaturalis habetur medio æternarum pœnarum timore, medio amore Dei non sic; ergo divina providentia pro sufficienti dispositione conversionis habendæ per Sacramentum disposuit, & elevavit pœnitentiam conceptam motivo timoris pœnarum sempiternarum. Explicatur assumptum. Gravitas suppliciorum a Deo comminatorum faciliùs commovet animam peccatoris etiis impii, quia sensibiliùs percipiuntur supplicia, cum etiam per fidem proponantur in rebus, quæ quotidie cadunt sub oculis, ut ignis ardens, vermis semper rodens &c. ex adversò absque singulari aliquo lumine Dei communiter cor peccatis implicatum nequit immediatè commoveri, vel ex virtutis, & justitiæ pulcritudine, quæ est aliquod abstractum a sensibus, vel a Dei amabilitate, quæ valde remota est ab humana, corporeaque intelligentia. Est autem necesse, quòd possit motivum pœnitentiæ, quasi repentè commovere ad detestanda peccata pro consequenda justificatione Sacramentali; quia sæpe omnem dum urget obligatio se justificandi, occurrunt vicissitudes, in quibus profectò motivo amoris Dei non excutarentur homines criminibus onerati.

Vis fundamentalis includitur in ea Scriptura, qua homo peccator dicitur factus similis jumentis insipientibus, quæ percussionibus, & minis moventur ad onera portanda, aliaque peragenda pro convictu Reipublicæ; propterea Christus Dominus, qui est Rex, & Pater-familias, qui constituit convivium nuptiale, jussit morantes in sepibus compellere intrare. Lucæ 14. 23. *Exi in vias, & sepes, & compelle intrare.* Convivium hoc illud est, quo per gratiæ susceptionem in Sacramento homo unitur velut nubens Deo. Qui in viis, & sepibus vitam gerunt, sunt homines sylvestribus, ac belvinis moribus imbuti. Compulsio fit per flagella, & per doctrinam extremi judicii, & infernalium pœnarum, ut advertunt Interpretes. Hinc D. Augustinus *serm. 33. de verbis Domini* ait — Trahantur a sepibus,
„ evellantur a spinis. In sepibus hæserunt,
„ cogi nolunt. Voluntate, inquiunt, nostra,
„ intremus. Non hoc Dominus imperavit.
„ Coge, inquit, intrare. Foris inveniatur
„ necessitas, nascitur intus voluntas — Ex vexatione, & pressura oritur voluntas dolendi de peccatis: & hæc immediatè disponit ad justificationem sacramentalem; ideo dicit Scriptura, *Compelle intrare.* Jungit immediatè *intrare* cum *compelle*.

324 PROB. IV. Magis pœnitentia motivo attritionis concepta est dispositio proportionata Sacramentis mortuorum, quàm Sacramentis vivorum, ut ex terminis est evidens, quia Sacramenta mortuorum conformiter ad propriam significationem sunt productiva primæ gratiæ, secus Sacramenta vivorum, quæ per se conformiter ad significationem supponunt gratiam in subjecto: sed attritio supernaturalis ex communiori sententia sufficit, ut Sacramenta vivorum producant primam gratiam, ut vocant per accidens; ergo multò magis sufficit pro Sacramentis vivorum. Pro minoris probatione sufficit D. Th. auctoritas *q. 30. de Sacram.* aliàs 79. *art. 3. in corp. de Eucharistia*, ubi —
„ Alio modo etiam perceptum ab eo, qui
„ est in peccato mortali, cujus conscien-
„ tiam, & affectum non habet: fortè enim
„ primo non fuit sufficienter contritus; sed
„ devotè, & reverenter accedens, conseque-
„ tur per hoc Sacramentum gratiam cha-
„ ritatis, quæ contritionem perficiet, & re-
„ missionem peccati — Idem docet de Sacramento Confirmationis *q. 72. art. 7.* Similiter de Extrema Unctione 4. *distin. 23. q. 1. art. 2. q. 1.*

325 PROB. V. Matth. 5. dicit Christus. *Non veni solvere legem, sed adimplere.* Accipit hic Christus nomine legis omnia præcepta, moralia, scilicet, ceremonialia, & judicialia, quæ Christus non solvit, sed adimplevit, quatenus in ipso complementum habuerunt Prophetarum oracula, & figuralia, unde adimpleta sunt promissiones factæ Abrahæ, ut ibidem docet S. Thomas: Hæ autem promissiones primariò pertinent ad abun-

In lege gratiæ abundantiora remedia salutis.

abundantiam gratiæ contra peccatum, de qua Apostolus ad Rom. 5. *Ubi abundavit delictum, superabundavit & gratia*, propter copiosiora, & efficaciora remedia. Hoc modo nulla præcepta legis solvit Christus formaliter, sed omnia implevit per superadditionem, ut egregiè *Matth.* 5. explicat D. Th., perfectionis præceptorum, & consiliorum, & largitionis donorum, & amplioris misericordiæ; solvit tamen ceremonialia, & judicialia materialiter accepta, unde sunt abrogata. Non solvit tamen moralia, seu naturalia: hæc sunt immotabilia, prout cum D. Th. docent Theologi; quapropter in iis non dispensavit Deus. Inter hæc præcepta unum ex potissimis est præceptum pœnitentiæ, sive contritionis in eo, qui peccavit; quod nunc suppono ex prima parte hujus Tractatus. His reibus principiis certissimis præmissis, & subintellectis, formatur sequens efficax ratiocinium.

Christus figuras adimplens, & legem novam condens abundantiori remedio, & medicinâ occurrit abundantiæ peccatorum: sed nisi elevasset simplicem attritionem in dispositionem proximam Sacramentalis reconciliationis non occurrisset abundantiori remedio; ergo eam elevavit. Declaratur assumptum. In lege nova non dispensavit Deus in præcepto contritionis, quæ absque vera dilectione Dei non subsistit, immo addidit extrinsecam ordinationem ad Sacramentum, ut effectum habeat ejus vis illativa justificationis; ergo si est contritio substantialis nunc semper absolutè necessaria etiam in actuali Sacramento, non esset provisum, ut constat, abundantius remedium, copiosior medicina.

326 Nec dicas superabundasse gratiam adversùs abundantiam peccati: quia contritio cum voto Sacramenti, & in actuali susceptione consequitur intensiorem gratiam; quia hoc non est superabundare remedio, sed eidem majorem aliquam virtutem addere. Non abundat Medicus medicinâ contra morbum, si unicâ medicinâ utatur, licèt in applicatione ex ipsius industria copiosiorem fructum sortiatur. Abundavit ergo remediis Christus contra peccatum, quia remedio contritionis superaddidit remedium sacramentale sub alia specie pœnitentiæ inferioris lineæ, & peccatoribus commodiori; & hæc est pœnitentia attritionis.

Corroboratur hoc excellenti doctrinâ D. Th. 1. 2. *q.* 100. *art.* 8. ubi docet, quòd præcepta Decalogi sunt immotabilia, quoad aliquam determinationem tamen per applicationem ad actus singulares, ut hoc, vel illud sit homicidium &c. sunt mutabilia auctoritate Divina, subrogando aliam materiam. Hoc evenit aliquotiès, & maximè in præsentiarum. Non derogavit Deus præcepto contritionis, quo quicumque ligatur post peccatum, sed eam modificavit substitutione materiæ. Constituit, ut contritio, quæ erat unica materia præcepti pro singulis generum, nunc solùm sit materia præcepti in iis, & pro iis, qui actu non suscipiunt Sacramentum; pro iis verò, qui actu suscipiunt Sacramentum non est materia necessaria præcepti, quia additum est ipsum Sacramentum ordinatum directè contra peccatum, & per consequens operativum sui affectus sub alio motu pœnitentiæ a contritione distincto.

In aliquibus contritio non est materia necessaria præcepti.

327 PROB. VI. Pœnitentia a Domino instituta pro satisfaciendo legitimo præcepto pœnitentiæ nequit non esse dispositio proxima pro Sacramento ipso Pœnitentiæ: hæc propositio ex terminis est evidens: sed attritio supernaturalis efficax sufficit ad satisfaciendam præcepto Pœnitentiæ; ergo proximè sufficit pro actuali susceptione Sacramenti. Ut assumptum ostendatur suppono I. ex D. Th. quòd idem actus imperari potest a diversis habitibus, & a pluribus motivis. Suppono II. Quoties in uno, eodemque præcepto concurrunt diversa motiva, ex quocumque illorum executioni mandetur actus præceptus, fit satis præcepto. Hoc in aperto est, nihilominus sub aliis terminis breviter explicare placet, ut æquivocatio omnis intercludatur. Ut fiat satis præcepto absque dubio debet poni actus proprius, & intrinsecus virtutis præceptæ, puta ut satisfaciam præcepto justitiæ, actum justitiæ facere debeo, nec sufficit, ut faciam actum obedientiæ. Hic actus justitiæ potest esse verus actus justitiæ, sive imperetur a charitate, sive ab obedientia, sive a solo habitu justitiæ; & quoquomodo imperatus satisfacit præcepto, quia præceptum, quando ponitur actus ipse præceptus, impletur.

Per attritionem fit satis Præcepto Pœnitentiæ.

Suppono III. Objectum proprium pœnitentiæ est peccatum expiabile per emendationem; est jus divinum læsum resarcibile per satisfactionem, & compensationem. Actus autem proprius, & principalis est detestatio peccati, & offensæ Dei prout expiabilis, & emendabilis per ipsum; siquidem in ordine ad hoc definitur, & explicatur pœnitentia, & ille est actus proprius, & primarius alicujus virtutis in ordine ad quem definitur, & explicatur. Hinc definitur a Magistro 4. *dist.* 14. — Pœnitentia est virtus, qua mala commissa cum emendationis proposito plangimus, & odimus — Ab Ambrosio relatu in *cap.* 39. *de pœnitentia dist.* 1. — Pœnitentia vera est dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis, quæ quisque commisit — A Hieronymo in Psalm. 118. ad vers. *Exitus aquarum* — Vera est pœnitentia jugiter fletibus commissa diluere, & abluta non iterare — Ab Augustino cap. *Non sufficit, de Pœnit. dist.* 1. — Satisfaciendum esse Deo per pœnitentiæ dolorem — Et *quæst.* 2. *lib.* 2. *quæstionum ad Simplicianum* — Opus pœnitendi est cum repetitur voluntas mutandi cum animi dolore — A Gregorio Magno *lib.* 9. *Registri cap.* 39. — Pœnitentia est præterita mala plangere, & plangenda iterùm non committere — Similia alii Sancti Patres, ex quibus suam efformavit Concil. Trident. *Sess.* 14. *cap.* 4. His indicatis instauratur argumentum sequenti ratiocinio.

328 Pœnitentia imperari potest a misericordia erga seipsam: sed sic imperata non includit imperium a charitate erga Deum propter se: ergo sic imperata non pertinet ad lineam contritionis propriè dictæ; ergo ad attritionem; ergo pœnitentia attri-

tiva

tiva ſatisfit præcepto pœnitendi. Omnes iſtæ illationes ſunt legitimæ ex præſuppoſitis, ſi major propoſitio ſubſiſtit: ſed non ſolùm ſubſiſtit, ſed etiam plana eſt, & certa; & continetur in illo Eccleſiaſtici 30. *Miſerere animæ tuæ placens Deo, & contine, & congrega cor tuum in ſanctitate*. Quo aſſumpto arguit ſic S.Gregorius Magnus *lib.19. Moral.c.*20.-- „ Scriptum eſt enim, miſerere animæ tuæ „ placens Deo. Qui ergo miſereri vult pro- „ ximo, a ſe trahat neceſſe eſt originem „ miſerendi. Scriptum eſt enim, Diliges „ proximum tuum, ſicut teipſum. Quomo- „ do ergo alteri miſerendo pius eſt, qui ad- „ huc injuſtè vivendo fit impius ſibi etiam „ ipſi? -- Eodem modo arguit Auguſt. 21. *de Civit. Dei cap.* 27. -- Qui ergo dignas pro „ ſuis peccatis eleemoſynas facit, priùs eas „ facere incipiat a ſe ipſo. Indignum enim „ eſt, ut in ſe non faciat, qui facit in pro- „ ximum -- Ordinata miſericordia id imperat erga ſe ipſum, quod imperat erga proximum exiſtente in neceſſitate gravi: ſed miſericordia imperat ſuccurrere indigentiæ proximi proportionatè ad qualitatem neceſſitatis; ergo cum peccator ſit in graviſſima neceſſitate, miſericordia imperat ſibi ſuccurrere per pœnitentiam. Sub aliis terminis proponitur a Doctoribus. Ex præcepto miſericordiæ tenetur quilibet ſuccurrere proximo graviter indigenti juxta vires ſuas; ergo ex præcepto miſericordiæ tenetur peccator ſibi ſuccurrere per pœnitentiam; exiſtit enim in graviori neceſſitate, quæ excogitari poſſit. Pœnitentia autem imperata a miſericordia non pertingit ad rationem contritionis propriè dictæ, ſed eſt pœnitentia inferioris ordinis; eſt tamen vera pœnitentia ex communiori ſententia.

Dixi in communiori ſententia, quia ex particularibus etiam ſententiis confirmatur noſtra doctrina. Doctiſſimi Scotiſtæ, quibus accedit Averſa, tenent veram, & perfectam contritionem elici poſſe ex motivo ſolius juſtitiæ abſque influxu, & concurſu charitatis. Altera ſententia, quæ tribuitur quibuſdam recentioribus apud P. N. Eliſeum Garziam *tract. 4. de Pœnit. diſt. 2. q 7. art. 1. §. 1.*, docet ad contritionem ſufficere, quòd procedat ex aliquo motivo divino, ut ex motivo Religionis odio habendo peccatum, quia contra honorem Dei: ex motivo juſtitiæ, quia contra jus divinum: ex motivo obedientiæ, quia contra mandatum ſupremi Legislatoris; & ſic de cæteris. Ex quibus principiis noſtra ſimplex attritio ad naturam contritionis aſcendere jure meritò dici poteſt, quia non eſt minùs motivum divinum Deus beatificans, Deus puniens, quàm Deus præcipiens, Deus Dominus; perconſequens indubitanter vim habet proximè diſpoſitivam ad juſtificationem in Sacramento.

329 PROB. VII. Dolor attritivus connaturaliorem habet proportionem ad juſtificationem in Sacramento, quàm dilectio Dei ſuper omnia quamvis perfectiſſima, ſtando in propria linea: ſed non audent Adverſarii perfectiſſimæ dilectioni negare vim proximæ diſpoſitionis ad juſtificationem extraſacramentalem, & ſacramentalem; ergo non poterunt eam negare dolori attritivo in Sacramento. Ut argumenti vis eluceat ſupponendum eſt indubiè, poſſe peccatorem diſponi ad gratiæ ſusceptionem per actum perfectum dilectionis Dei abſque actu formali pœnitentiæ, ſi peccator divinâ gratiâ præventus rapiatur in Dei amorem ferventiſſimum immemor peccati, & præcepti pœnitendi; quia dilectio Dei virtualiter continet converſionem ad Deum, & averſionem a bono commutabili. In eo autem caſu dicitur per accidens juſtificari charitate peccator, non autem per ſe, quia ſecundùm providentiam ordinariam nobis in Scripturis manifeſtatam diſpoſuit Deus, & exigit formalem converſionem ad Deum, & averſionem formalem actualem a creaturis, quæ habetur per formales actus pœnitentiæ. Quo ſuppoſito probatur aſſumptum ſic.

Connaturalior, proximior diſpoſitio, & proportio ad gratiam juſtificationis eſt formalis converſio ad Deum, & averſio a bono commutabili actualis, quæ habetur per actus formales pœnitentiæ, quia iſti continent formalem ſatisfactionem, & compenſationem pro peccato: ſed attritio propriè dicta eſt formalis converſio in genere cauſæ materialis diſpoſitivæ, quia ut ſpecies imperfecta continetur ſub conceptu communi contritionis, & quia eſt formalis pœnitentia, cum ſit vera formalis deteſtatio peccatorum, reſpiciatque formaliter peccatum ut emendabile, ac proinde eſt aliqua ſatisfactio formalis, & compenſatio formalis, eſt enim formaliter amarienta anima, ac humiliata corrole coram Domino vindice criminum, includitque veracem voluntatem, & obſervandi legem pro futuro, & exequendi ſibi ab Eccleſiæ Miniſtris pœnam impoſitam; ergo connaturaliorem habet proportionem ad gratiam, proinde proximiorem. Quia tamen oritur a principio inferiori nequit ſe ſolâ perducere ad aſſecutionem juſtificationis.

330 PROB. VIII. Ubi habetur continentia eminentialis formalis, vel virtualis, vis, & efficaciæ charitatis in juſtificationem, ibi habetur ſufficiens diſpoſitio pro conſequenda gratia juſtificationis: ſed in complexo attritionis, & Sacramenti Pœnitentiæ habetur continentia perfectiſſima eminentialis virtualis totius vis, & efficaciæ charitatis in juſtificationem; ergo ibi habetur ſufficiens diſpoſitio pro ea conſequenda. Major propoſitio innititur certiſſimo principio Theologico, quòd continentia eminentialis formalis, vel virtualis alicujus perfectionis ſpecificæ, ſeu prædicati æquivalet illi prædicato, & perfectioni, & poteſt ſufficienter unam pro alio ſubſtitui. Qua ratione ſubſiſtentia Verbi facit in Chriſto, quod faceret ipſa propria ſubſiſtentia humana, quæ nec datur, nec eſt neceſſaria. Plura alia produci poſſent exempla. Sufficiat in ſubjecta materia unum acceptare ab aliquibus Theologis boni nominis extra Scholam noſtram. In caſu, quo quis fuiſſet juſtificatus ſola charitate abſque actu formali pœnitentiæ, ſolent inquirere Doctores, an poſt conſecutam juſtificationem, ſi ille peccati commiſſi poſtea recordetur, teneatur formaliter pœnitere. Reſpondent illi Doctores non teneri, niſi eo tempore, quo vult confiteri peccatum illud; & eam-

Subſiſtentia Verbi in Chriſto æquivalet ſubſiſtentiæ creatæ.

dane

dant rationem fundamentalem, quòd actus dilectionis continet virtualiter actum pœnitentiæ, unde per ipsum satisfactum est precepto pœnitendi, quod urgebat, quando illius immemor diligendo est justificatus.

Minor propositio est clara ex illo Joan. 20. *Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*. Sacramentum Pœnitentiæ continet perfectissimè virtutem Spiritus Sancti ut vivificativam per se, ut dimissivam peccatorum per se quoad culpam, & quoad pœnam æternam; adeoque continet vivificationem, quam habet contritio, & charitas excellentiori continentiâ, utpote in genere causæ effectivæ: adeoque vi suæ perfectionis, & constitutionis in subjecto non supponit vitam, sed dat vitam; complexum itaque ex attritione, & Sacramento æquivalet efficaciæ charitatis, & contritionis in justificationem.

Docuit nos hanc æquivalentiam S. Cyrillus Alexandrinus in Sacramentis mortuorum *lib.* 2. *in Joan. cap.* 42. ubi sic habet — „ Quemadmodum viribus ignis intensius „ aqua calefacta non aliter urit, quàm ipse „ ignis, sic Spiritus Sancti operatione aqua, „ qua baptizati corpus aspergitur, reformatur ad divinam virtutem, & potentiam — Ad urendum igni æquivalet aqua intensiùs calefacta propter calorem ab ipso igne immissum; sic aqua Sacramentalis (idem dicas absolutio Sacramentalis, utramque enim Sacramentum mortuorum est) virtute Spiritus Sancti delectivâ peccati plenè æquivalet modo excellentiori efficaciæ divini amoris. Agnovit hanc æquivalentiam Leo Magnus *Serm.* 4. *de Nativit.* dicens — Omni „ homini renascenti Baptismus instar est „ uteri virginalis, eodem Spiritu Sancto re„ plente fontem, qui replevit, & virginem, „ ut peccatum, quod ibi evacuavit Sacra „ Conceptio, hic solvat ablutio. *Serm.* 5. „ Virtus Altissimi, quæ fecit, ut Maria pa„ reret Salvatorem, facit, ut regeneret unda „ credentem — Ecce virtus Spiritus Sancti supplevit humanam virtutem in Conceptu Virgineo; eadem supplet in Sacramento vivificationem regenerativam. Agnovit Tertullianus *lib. de Baptismo cap.* 4. — Supervenit Spiritus de Cœlis, & aquis superest „ sanctificans eas de semetipso: & ita san„ ctificatæ vim sanctificandi combibunt — Vim sanctificandi combibunt; adeoque non possunt postulare dispositiones ex sua linea inferentes justificationem, & sanctificationem.

Hanc æquivalentiam demum pro re nata agnovit D. Bonaventura 4. *distin.* 17. *q.* 4. *part.* 2. — Hæc autem dispositio attri„ tio est, quæ frequenter ob confessionem „ superadjunctam, & absolutionem Sacer„ dotis formatur per gratiam, ut fiat con„ tritio, sive ad ipsam contritio subsequa„ tur, & multis ibi gratia conceditur — Agnovit sæpe D. Th. in superioribus citatus. Indico hic solum unum, vel alium locum. *Quodlib.* 4. *art.* 10., 4. *sent. dist.* 17. *q.* 3. *art.* 5., *Opusc.* 22. *cap.* 2. &c.

331 PROB. IX. Sancti Patres evincunt convenientissimam fuisse institutionem Sacramentorum in rebus corporeis, & sensibilibus, ut inde habeatur remedium, unde orta est infirmitas. Hæc autem in homine ex eo processit, quòd peccando se subdidit per affectum rebus sensibilibus; adeoque conveniens fuit, ut repararet salutem per media corporea, & hæc sunt Sacramenta. Hujus rei præcessit figura *Num.* 21. in Serpente æneo erecto in medelam contra morsum serpentis. Hinc canit Ecclesia — Et „ medelam ferret inde, hostis unde læse„ rat — Et hanc rationem affert D. Thomas *art.* 1. *q.* 61. 3. *p. arg.* 2. Sed affectus, quo homo se subdidit rebus corporeis peccando fuit servilis; propterea evasit servus peccati, & diaboli; ergo convenienter per affectum servilis ordinis consequitur salutem homo utendo sensibili Sacramento; connaturale enim est, quòd correspondeat motus tendendi in terminum tribuentem ruinam, motui tendendi in terminum conferentem salutem, ut sicut isti ad ordinem sensibilium spectant, ita illi ad ordinem servitutis pertineant solâ diversitate stante servitutis rectæ, & servitutis malæ, quæ diversitas etiam reperitur in terminis. Profectò dispositio ad consequendam salutem per corporea Sacramenta medio motu proprio servorum maximè est proportionata. Tum quia ex suo conceptu ad humiliationem magis deservit; ob quam etiam causam in rebus sensibilibus, vilibusque sunt instituta Sacramenta. Tum quia motivum attritivi affectus in sensibili igne gehennali constituitur. Tum quia rerum ordini, & dignitati debetur, ut per altioris ordinis motum disponatur homo ad consequendam salutem immediatè a Deo extra-sacramentaliter, quàm medio sensibili Sacramento; sicut proportionaliter superioris conditionis est submissio, quâ immediatè postulamus remissionem a Rege ab ea, quam impetramus per intercessionem Ministri.

Convenienter in rebus corporeis instituta sunt Sacramenta.

332 PROB. X. Christus Joan. 12. 24. ait: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solùm manet: si autem mortuum fuerit, multum fructum affert*. Et Paulus 1. ad Corinth. 15. 36. *Insipiens, tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur*. Ex Evangelica Doctrina granum in terra mortuum est proximè dispositum ad vivificationem recipiendam a causis efficientibus. Consimili modo homo peccator moraliter in actu mortuus effectibus peccaminosis, & inordinatis terrenorum cupiditatibus est proximè dispositus ad vivificationem sanctificantem recipiendam a causis efficientibus sacramentalibus: sed per veracem attritionem a nobis descriptam peccator veraciter moritur affectibus peccaminosis; ergo per eam proximè disponitur ad recipiendam justificationem per Sacramentum Pœnitentiæ. Assumptum evincitur. Totiès peccator moritur pravis affectionibus, sive peccatis, quotiès, quæ pravè placuerunt, displicent, & efficiuntur involuntaria, quæ volita fuerunt: sed per nostram attritionem veraciter displicent, quæ malè placuerunt, est enim efficax peccati detestatio, ac retractatio a voluntate, a qua unicè dependet, quòd actus imputetur, & non imputetur, sicut autem imputatur, quando eligitur a voluntate, sic non imputatur, quando eâdem voluntate retractatur:

Per attritionem homo moritur peccatis.

ctatur: & ipsummet peccatum habituale displicet, retractatur, efficiturque in actu involuntarium, quamvis non tollatur, nisi cum infunditur gratia sanctificans; ergo &c.

333 Nec momenti est quod Vega dicit *lib.* 13. in Concilium Tridentinum *cap.* 20. *& q.* 13. *de justificatione Concl.* 5. — Quòd justificati per Sacramentum Baptismi, vel „ Pœnitentiæ solo dolore suorum peccatorum ob metum inferni, tenerentur postea „ de illis dolere, quia offensa fuerint Dei, „ si hoc sis constarem, quòd nunquam ea „ ratione de illis doluerim — Siquidem oportet, ut ait — Rescindere, & involuntaria „ facere, quæ dum fuimus in peccato, malè „ placuerunt — Rescinditur autem offensa Dei, quotiès ea displicet. Fit involuntaria, quotiès retractatur. Quòd autem hoc, vel illo medio fiat, de materiali se habet.

Deinde sic contra dictum Vegæ discurrimus, assumpto ejusdem ratiocinio. Justificatus per Baptismi, aut Pœnitentiæ Sacramentum dolore suorum peccatorum, quia fuerunt offensa Dei, teneretur postea de illis dolere, quia fœtida, & turpia; sub ea namque ratione nunquam doluit. Ulterius. Justificatus dolore initiali benevolo per Sacramentum Pœnitentiæ teneretur postea dolere dolore ex perfecta charitate, si ei constaret de peccatorum intensione, quia sub ea ratione nunquam doluit. Hæc ab ipso, suisque non admittuntur; nullius ergo roboris est illud argumentum.

334 Ex hucusque dictis palam fit, quòd dolor attritionis conceptus ex timore pœnarum æternalium est vera, & proxima dispositio ad justificationem in Sacramento mortuorum, non occasionaliter, non negativè, vel suspensivè, non per accidens, non mediatè introducendo charitatem, sed per se, sed positivè, tum coaptando subjectum, tum removendo prohibens, sed immediatè, quia

Dotes supernaturalis timoris.

Scripturæ, & Traditio timori sanè æternorum suppliciorum spiritum compunctionis, expulsionem peccati, compressionem cupiditatis, cordis emollitionem, expulsionem voluntatis peccandi exterioris, & interioris, propositum observandi Divinam legem, innovationem novæ vitæ, aliasque salutares operationes in processu hujus Operis recensitas, tribuunt per se, ratione sui, suæque efficaciæ sub auxilio Dei. Hæc constant evidenter, quia Scripturæ iisdem locutionibus, seu loquendi formulis illa bona attribuunt timori attritivo, quibus attribuunt dilectioni, ac charitati, immo expressiùs, & frequentiùs. Oculo simplici a Christo Domino commendato conferantur Scripturæ Scripturis, & Patres Patribus; & tunc clarissimè elucescet veritas.

Omissis pluribus Scripturarum, & Patrum auctoritatibus unam subdimus S. Laurentii Justiniani, quem numquam citavimus. Cap. 1. de timore inter alia habet — Utilis planè est timor Domini, & summa „ solicitudine inquirendus. Qui enim sine „ ipso fuerit, non poterit justificari. Non „ aliunde debuit ipsa sapientia suæ doctrinæ exordium sumere, quàm a timore „ Domini, nam & ipsius Sapientiæ initium „ est timor Domini. Testatur quoque quodam loco Scriptura dicens: (Si enim „ Sapientiam invocaveris, & inclinaveris „ cor tuum prudentiæ: Si quæsieris eam, „ quasi pecuniam, & sicut thesauros effoderis illam, tunc intelliges timorem Domini, & scientiam Dei invenies.) Quicumque ergo justificari cupit, quicumque „ desiderat sapientiâ repleri, & qui salutari „ spiritu anhelat ad culmen pertingere virtutum, non aliunde incipiat, quàm a timore „ Domini. Nam ipse timor est robur animæ, lumen intelligentiæ, & salutis spes. „ Hoc testatur Esaias dicens: (A timore „ tuo Domine concepimus, & peperimus „ spiritum salutis.) Alibi etiam dicit „ Scriptura: (Corona Sapientiæ timor Domini) replens pace, & salutis dono. „ Magna enim salutis spes, & maxima in „ profectu virtutum causa est timor Domini, quia se possidentem solicitum reddit „ ad peragendo, quæ Dei sunt, ne incurrat malum pœnæ, quod peccantibus minatur, aut amittat bonum virtutis, gratiæ, & gloriæ, quod desiderat. Sic enim „ definitur ipse timor: Timor est amor fugiens, quod & adversatur, scilicet, pœnam; item timor est specialis fuga mali, „ ne perdat, quod amat, scilicet gloriam. „ Beati itaque timentes Deum, quoniam „ oculi Domini super eos; ut eruantur „ a morte, confirmentur in gratia, liberentur a malo, & defendantur in morte — Hæc ibi; & alia plura docet ibid. *cap.* 1., & *lib.* 1. *de spirituali animæ interitu*.

Ecce quales effectus tribuit doctissimus Præsul timori: Ecce quomodo per se illos illi tribuit. Ecce quomodo probat ex Scripturis immediatis. Ecce quàm clarè loquitur de timore servili, & quidem solitario, non mixto cum amore inchoato prætenso; definit enim illum, amorem fugientem pœnam, & fugam a malo ob amorem gloriæ. Ad discursum recitatum præmittit, nos inexcusabiles esse si ad Deum non accedimus, hac causali. *Bonis namque suis docet nos, promissis suis ligat nos, ac minis suis terret nos.* Pari modo, ac efficaciâ movet cor fidelium terror æternorum suppliciorum, & amor sempiternorum bonorum: atqui claris Scripturis, Patrumque sensibus amor æternorum bonorum per se, immediatè positivè imperat, movetque ad opera egregia; ergo similiter id facit per se, positivè, immediatè terror pœnarum.

§. II.

§. II.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

EXcursis, relectisque novissimis Scriptoribus Christianæ attritioni contrariis, nullum inveni argumentum alicujus momenti, quod in hoc Opere non sit expressè solutum; nec ullum aliud incidit apparens, quod similitèr non sit dilutum in principiis stabilitis, datisque doctrinis. Quapropter non nisi aliqua subjicere possum ex Adversariis, quæ exciderunt ex massa, & addere aliqua, quæ Deus donavit, ut fideliter compleatur promissum.

335 OB. I. Ex axiomate D. Th. Pœnitens congruè se disponens ad justificationem debet magis odisse culpam, in quantùm est Dei offensa, quàm in quantùm est nociva sibi: sed pœnitentia attritiva nequit hoc modo odisse culpam; ergo nequit homo per eam congruè se disponere ad justificationem.

Min. ostenditur. Odisse culpam magis ut offensam Dei, quàm ut nocivam sibi est detestari magis, implicitè saltem, culpam, quàm pœnam Inferni, quæ est nobis nociva: implicatque voluntatem conditionatam tolerandi pœnam Inferni, si esset necesse ad peccatum vitandum — Atqui certum est hujus„ modi detestationem non posse haberi ex vi „ timoris inferni; quia hic timor, utpote „ fuga Inferni, & aversio ab illo, potiùs „ tendit in contrarium, tantùm abest, ut „ possit voluntatem flectere ad eum tolerandum — ergo. Apud Porphyriensem.

Junior quidam sic arguit. Odium gehennæ non potest movere ad amorem gehennæ: sed datur peccatum, quod non potest deleri, nisi per amorem gehennæ; ergo fuga gehennæ non est medium sufficiens ad detestandum peccatum. Ostenditur assumptum. Si quis eliceret hunc actum: *Si daretur optio inter peccatum, & gehennam, peccatum eligerem*, utique peccaret mortaliter: atqui hic actus non potest retractari, nisi per amorem electivum gehennæ; ergo. Optionem esse possibilem declarat. Existens in peccato mortali incidit in conscientiam erroneam ex permissione Dei in pœnam peccatorum, quod non potest alia via ab eo purgari, nisi per absolutionem Sacramentalem; interim incidit in extremum periculum vitæ omnino insuperabile, nisi amplectendo apostasiam. In eo casu debet eligere infernum, ne committat peccatum.

Optionem istam innuit Sponsa in Canticis 8. 6. *Fortis est ut mors dilectio, dura sicut Infernus æmulatio*. Quorum verborum sensus est, quòd vis amoris compellit amantem intensè ad optandam sibi mortem, & Infernum propter bonum amantis: & referuntur in Sacris Historiis plerique dilectores Dei, & animarum, qui in eos affectus seriò proruperunt, ut animas Christo lucrifacerent; adeoque pœna gehennalis est eligibilis ad vitandum peccatum.

Congruè pœnitens debet detestari peccatum supra omne malum cum proposito non peccandi de cætero, hoc est debet esse animo paratus relinquere omne bonum particulare pro summo bono, & pati quodlibet malum inferioris ordinis, cujus sphæræ est gehenna, siquidem facta comparatione gehenna est magis eligibilis, peccatum verò detestabilius est. In linea boni meliùs est agere, quàm recipere; agens enim est passo nobilius. In linea verò mali agere est pejus, quàm pati. Peccatum est moraliter malè agere, uti in gehenna est pati physicè: sed timor inferni non potest imperare hujusmodi detestationem, ac propositum; ergo nequit imperare dolorem congruum.

336 RESP. Ad hoc plausibile, & apud nostros Adversarios triumphale argumentum, quoad substantiam solutum in hoc Tract. P. 2. Disp. 4., responderi posset confingendo similia in linea amoris. Si fiat hæc suppositio: Homo multis miseriis afflictus incidit in conscientiam erroneam, qua credit Deum amare sit peccatum mortale, & dicit volo Deum amare: iste peccat mortaliter; sed hoc peccatum in principio fundamentali Adversariorum, quòd nihil est retractabile, nisi per suum contrarium, non est delebile, nisi per odium Dei; ergo datur aliquod peccatum, quod non est delebile per amorem Dei. Si fiat hic casus erroneè discurrentis: Ex duobus malis sub lethali est minus eligendum: sed Deum odisse est minus malum, quàm uri in gehenna, quia minus malum est nocere alteri tantùm affectivè, ex quo nullum alteri nocumentum provenit, quàm nocere sibi physicè, & realiter per verum nocumentum; ergo teneor sub lethali Deum odisse, cui solùm affectivè nocere potest. Hoc posito si dicit iste: nolo Deum odisse, sed volo uri in gehenna, iste peccat mortaliter; sed hoc peccatum non est delebile, nisi per amorem gehennæ, & odium Dei; ergo datur peccatum non delebile per amorem Dei. Redeamus ad argumentum.

Gravissimi Doctores negant posse dari prudentem comparationem Infernum inter, & peccatum, contenduntque implicare contradictionem, siquidem in ea optione eligeretur infernus, & non eligeretur: nam vitatio peccati est essentialiter vitatio Inferni; ergo non est possibile eligere Infernum ad vitandum peccatum. Item peccatum non est evitabile, nisi vel motivo Divini amoris, vel timoris suppliciorum, vel amoris beatitudinis æternæ. Per electionem Inferni peccatum non est vitabile ex amore Beatitudinis, quia hæc est incompossibilis cum Inferno. Neque ex motivo divinæ dilectionis, quia Infernus a Deo separat, dilectio autem unit. Non timore pœnæ, quia hic refugit mitti in Infernum. Certum est, quòd Infernus concretivè acceptus, prout a fide proponitur, non est prudenter eligibilis, cum major illius pœna consurgat in damnatis ex horrendis blasphemiis contra Deum; & in hoc sensu nulla est optio fingibilis. An autem optiones affectivæ deductæ ex citato loco Canticor. componantur cum doctrina Ecclesiæ in damnatione Mystagogicæ Camaracensis judicent alii.

337 Cum in modo communi, quo ab Ecclesia instruuntur Fideles ad pœnitentiam

sufficiat dolere de peccato supra omne malum non descendendo ad particularia mala, & nulla facta comparatione cum hoc, vel illo singulari, sequitur, quòd implicitè odio habeatur peccatum supra malum gehennæ: Cum hoc stat gehenna explicitè proposita, moveat ad detestandum illud peccatum super omne malum in genere; quia explicitè considerata vehementer movet.

337 Sed explicemus radicitùs rem, & detegamus æquivocationem. Dupliciter gehenna consideratur; ex parte objecti, sive in esse rei, & ex parte motivi. Physicum malum gehennale in esse rei est minus malum, quàm malum culpæ etiam venialis, cum hoc sit ordinis moralis, & contra rectam rationem. In esse motivi; ex quo est effectus gravissimè nocens ipsius peccati, & propter illud infligitur, habet efficaciam summam ad expellendum peccatum, stante recta æstimatione majoris gravitatis ejusdem peccati, & minoritatis ipsius gehennæ. Sit exemplum in humanis. Vita Patris est majus bonum, quàm consecutio hæreditatis, & in optione eligenda est carentia hæreditatis pro vita Patris conservanda: & mors Patris est majus malum, quàm carentia hæreditatis; & tamen si consecutio hæreditatis sit effectus vitæ Patris, & carentia hæreditatis sit effectus mortis Patris, stante recta æstimatione hujus majoritatis, & minoritatis potest filius ob timorem amittendi hæreditatem, mortem Patris evitare.

Sed aptiori exemplo utamur. Majus bonum est observatio divinorum mandatorum, utpote de linea moris, quàm æterna beatitudo, utpote de linea physica: & in optione postponenda est beatitudo observationi mandatorum; hac autem stante recta æstimatione ordinariè eligitur observantia mandatorum motivo Beatitudinis, dicente Propheta. *Inclinavi cor meum ad faciendas justificationes tuas propter retributionem.*

In affectivis duplex processus. In affectivis est duplex processus, sicut in cognoscitivis; unus a priori, alter a posteriori. A priori attenditur secundùm dignitatem, & pretium rei, hoc est, regulatur per majorem, & minorem æstimabilitatem; ita quod motus incipiat a majori bono ad minus, (idem dicatur in linea mali) sicut in cognoscibilibus discursus incipit a causa magis per se. A posteriori attenditur processus a minori bono, vel malo, quod sequitur, & infertur a majori, sicut in discursivis attenditur ab effectibus ad causam. Malum gehennæ consequitur ut effectus ad peccatum; vitatio gehennæ sequitur ut effectus ad detestationem peccati. Hinc optimus est processus ex timore gehennæ odisse peccatum; immo hic processus est connaturalior, & efficacior in præsenti sæculo, in quo divina sunt nobis occultiora; sicut connaturalior, & efficacior est discursus, & demonstratio a posteriori circa ea, quæ sunt supra nos, & magis recondita.

Suo pondere ruis totum argumentum hac intellectâ doctrinâ. Ex quo, & solvitur prima reflexio. Peccatum est majus malum ut offensa Dei, quàm ut homini nociva. Debetur ei æterna pœna gehennæ. Hanc pœnam refugiens homo peccator consurgit ad detestandum peccatum secundùm eam majorem gravitatem, quam habet ex parte offensæ Dei, eamque, quam habet ut nocivum homini; sed non detestatur sub motivo redoplicativè ut malum Dei; quidquid tamen malitiæ, & gravitatis est in peccato ex eo motivo offensæ Dei, est objectum, est res, est materia detestata, cum quælibet formalitas lethalis trahat ad inferos. Quando dicitur, quòd illa ordinata detestatio includit voluntatem conditionatam sustinendi gehennam, si necesse foret ad vitandum peccatum, hoc valet in processu a priori, qui est per contritionem, quia iste processus attenditur penès comparationem majoris, & minoris boni, & mali; secus in processu a posteriori, quia iste attendit solùm ad destructionem mali existentis, prout existens secundùm suam omnem malitiam, quam hic, & nunc habet, quia non proceditur viâ comparationis, sed viâ oppositionis, & incompossibilitatis, quia non est componibilis fuga gehennæ cum peccato. Quapropter timor gehennæ efficacissimus est ad destruendum peccatum, prout hic, & nunc existit.

338 Radicitùs. Gehenna sumitur secundùm se ut malum physicum minus, relatè ad minus morale, & sumitur ut effectus peccati, cujus est pœna. Quidquid sit, an primo modo sumpta, & nolita sit apta ad excitandum odium peccati; ut effectus tamen peccati est apta, quia habet connexionem; sicut creatura sumpta in esse rei secundùm se, & suam perfectionem licèt diceretur non esse medium sic aptum ad inferendam existentiam primæ causæ, secus sumpta in esse effectus. Ex quo gehenna ut effectus peccati est medium potens ad ipsam eligendam secundùm se acceptam, si esset necesse pro peccato evitando; quia ut effectus peccati est majùs malum, utpote includens reatum peccati, quàm secundùm se accepta. Mors secundùm se fuit conditionaliter nolita a Christo in Horto; ut conducens ad Mundi Redemptionem fuit absolutè volita. Sic in casu dici potest: Infernus secundùm se est conditionaliter vallitus; absolutè nolitus.

Hoc ipsò diluitur secunda reflexio. Infernus præcisivè acceptus est eligibilis ad ipsum eumdem evitandum, ut est effectus peccati; minus enim malum est præcisivè acceptus, quàm ut effectus peccati. Unde in casu illo, ut prudenter ageret eam erroneam conscientiam patiens, deberet Infernum eligere præcisivè; non autem concretivè acceptum, nam sic includit gravissima peccata mortalia, qualia sunt quotidianæ blasphemiæ damnatorum, quarum complexum est longè gravius malum, quàm unus actus transiens Idololatriæ. Eligens in ea hypothesi infernum secundùm se, ne Idololatriam committeret, non damnaretur, quia actum tam eximium non posset elicere absq. amore Dei; nisi eâdem conscientiâ errante moveretur præcisè ex turpitudine peccati Idololatriæ absque ulla retractatione peccatorum commissorum; retractatio autem peccatorum motivo attritionis martyrio conjuncta in aliquorum sententia salvum facit. *Quo sensu Infernus sit eligibilis.*

Affe-

Affectivæ illæ optiones attributæ quibusdam Sanctis suo loco explicantur. Ultimum jam est explicatum. Hæc dicta sunt, ut speculativis argutiis fiat satis. Cæterum in praxi istæ conditionales non sunt proponendæ; nec sunt exigendæ illæ comparationes; exponerentur enim Fideles gravissimis periculis, & tentationibus, sive viè contritionis, sive viâ attritionis agatur pœnitentia. Eò magis quòd eædem instantiæ sub iisdem reflexionibus urgeri possunt circa peccatum veniale, quod ad gehennam evitandam in sensu argoentium, immo nosquam est eligibile.

339 OB II. Ejusdem bonitatis, & efficacie est attritio ex motivo pœnæ æternæ, ac ex motivo turpitudinis peccati: sed ex motivo turpitudinis peccati non est sufficiens ad justificationem etiam in Sacramento, utpote non laudabiliter assumpta; ergo neque sufficiens est ex aliis motivis. Assumptum ostenditur. Sic se habet odium peccati ad ejus turpitudinem, sicut se habet amor virtutis creatæ ad ejus honestatem: sed amor virtutis creatæ non laudabiliter assumitur propter ipsius honestatem ibi sistendo, quia solus Deus diligendus est propter se, eò quòd solus est bonus propter se; ergo neque odium peccati laudabiliter assumitur propter ipsius turpitudinem ibi sistendo. Ulteriùs. Ad hoc ut actus sit virtuosus, non solùm debet esse res justa, sed etiam justè facta: sed actus non est justè factus, nisi fiat, quod oportet, & cujus gratiâ oportet, solus autem Deus est finis *cujus gratiâ* omnium; ergo non in ipsam relata honestas creata laudabiliter, sed inordinatè assumitur, quia non in Deo quiesceret affectus, sed in re creata.

Præterea. Sicut se habet bonum utile ad honestum finem, sic se habet honestas creata ad honestatem increatam: sed bonum utile non est per se laudabiliter amabile absque ordine ad finem; ergo bonitas honestatis creatæ non est propter se laudabiliter amabilis, nisi sub ordine ad honestatem increatam, & propter illam. Denique. Sicut veritas creata est connexa cum veritate increata, sic bonitas creata cum increata: seu, sicut se habet creatura in linea cognoscitiva ad Deum, sic in linea affectiva: sed laudabiliter non cognoscit creaturas, qui ex eis non assurgit ad Dei cognitionem, & ideo a B. Paulo ad *Rom.* 1. reprehenduntur ut inexcusabiles; ergo pariter non laudabiliter amat bonitatem creatam, qui ex ejus amore non assurgit ad amorem Dei.

340 RESP. Continet argumentum adæquatum fundamentum, quo Macharius Havermans conatur evertere sanam doctrinam Ecclesiæ de attritione, Ecclesiæ, inquam, propter Concilium Tridentinum *sess.* 14. *c.* 4. explicans, & commendans attritionem conceptam ex motivo turpitudinis, & propter auctoritatem Sedis Apostolicæ damnantis nonam propositionem relatam in Decreto Alexandri VIII. edito anno 1690. 7. Decembris. Argumentum exsibilatum est ab universis Theologis, & præcipuè a NN. PP. Salmanticens. *De ultimo fine, & De vitiis, & peccatis*; propterea brevibus illud resolvo tria supponendo:

Primum. Finis dividitur in ultimum, & proximum. Ultimus est ad quem omnia referuntur, & ipse ad nullum alium refertur. Proximus est, qui terminat immediatè actionem, & in quo sistit immediatè operatio; qui ex se tamen est referibilis ad alium finem. Secundum. Sistere in bono creato stat dupliciter; positivè, seu contrariè, & negativè, seu præcisivè. Sistitur primo modo, impediendo relationem talis boni ad Deum, seu ordinando tale bonum in pravum finem. Sistitur secundo modo, non referendo tale bonum in Deum, seu nec referendo, nec impediendo relationem in Deum. Tertium. Omnis bonitas creata ex natura sua est in Deum referibilis: omnis honestas enim est quoddam participium increatæ honestatis; immo & propter hoc omnis honestas creata transcendentaliter refertur in Deum, nisi positivè per voluntatem impediatur. Quibus prælibatis.

Negatur assumptum. Ex natura sua peccatum est odibile; ergo odium peccati sistens in ejus turpitudine consonat rectæ rationi. Nec quidquam evincit ratio in probationem adducta; Bonum enim ex natura sua est amabile, ergo laudabiliter terminat actum prosecutionis. Hinc pauper laudabiliter postulat eleemosynam pro conservanda vita: Pater laudabiliter laborat pro denario diurno pro sustentandis filiis. Dei solius non est esse intrinsecè bonum, sed esse summum bonum, & omnino ultimum: unde ipse solus amandus est propter se finaliter; cætera bona possunt etiam propter se amari proximè, & in ipsis laudabiliter sistitur proximè, & negativè. Neque secunda probatio urget: patitur namque eandem æquivocationem, & in eam decit foveam, in quam prolapsi fuere qui dicebant omnia peccatorum, ac infidelium opera esse peccaminosa; filius enim Gentilis inordinatè se gereret honorando Patrem. Deus itaque est finis *cujus gratiâ* omnium rerum ultimus; non autem excludit alios fines intermedios, & proximos.

Nec datur obligatio referendi in Deum omnia per voluntatem reflexam; sed sufficit non impedire referibilitatem, quam habet ex suis intrinsecis ad Deum quodlibet bonum, & honestum. Non solùm justum fit, sed etiam justè, quando proximè sistitur in honesto creato non exclusa relatione transcendentali, quam habet ad Deum, aut non impedita per pravam voluntatem. Neque tertia movet: Utile enim ex suo intrinseco conceptu est ad aliud, quapropter non est bonum amabile propter se etiam proximè; Bonum autem honestum ex suis intrinsecis est quid absolutum, propterea aptum ad terminandum immediatè actum prosecutionis. Nec quarta officit, sed proficit; Veritas enim intrinseca objecti per se est cognoscibilis, cum non sit necesse, quòd quotiès cognoscimus aliquam veritatem creatam, reflexè assurgamus ad cognitionem Dei; sufficit, quòd aliquando ex creaturis cognoverimus Deum. Reprehensi ab Apostolo ut inexcusabiles nunquam ex creaturis surrexerunt ad cognitionem Dei.

Itaque sistere in via positivè, & contrariè, quiescere in via finaliter inordinatum

Solùm sistere positivè, & contrariè in bono creato, inordinatum est secus sistere finaliter negativè.

est; secus vi in fine proximo negativè. Similiter ordinare majus bonum ad minus finaliter Inordionatum est; secus ut ad finem proximum, aut ut ad finem effectum; propterea cauit Ecclesia propter nos, & propter nostram salutem Verbum factum esse aarnem. Qui sistit positivè, & contrariè in bono creato incidit in illud D. August. *lib. 19. de Civit. Dei cap. 45.*, ubi de virtutibus habat -- Quando illa propter se ,, spectantur esse superba vitia -- Illa etiam S. Aogustini senteotia *lib. de gratia, & libero arbitrio cap.* 18. ob oculos habenda ast, idest -- Illa, qae putat homo se facere ,, benè, si sine sua charitate, nullo modo ,, fieri benè -- In ordine scilicet meritorio, & prooi oportet, ad salutem aeternam consequendam; nullum anim meritum datur absque charitate habituali, de qoa ibi loqoitur S. Doctor; sina ea tamen fiuoi plura bona benè in linea morali, ut constat in actibus Fidei, & Spei, qui a peccatoribus in sensu composito lethaiis culpæ aliciuntur.

341 OB. III. Sicut Mioister in conferendo Sacramento Pœnitentiæ tenetur agere secundùm opiniooem tutioram, sic Pœnitens tenetur appooera proprios actus secundùm senteotiam tutioram: sed sententia de simplici attritione non est tutior; ergo &c.

Huic sæpè apud Clarissimos Adversarios repetiio argumento nolo responsiones repetera; sufficiunt suo loco datæ, videlicet lo hac Disp. Art. 4. n. 150., & seqq. Præcisè, & simpliciter historicè refero solutionem doctissimi Viti Joannis Antonii de Panormo in suo Erudito Serutinio Doctrinarum *cap. 7. art. 5. pag. 450, & seqq.* Pag. 451. *sub n.* 14. refert in hac re testimonium Esparæ doctissimi Societatis Theologi unius ex Qualificatoribos depotatis pro examinaodis Propositionibus ab Innocentio XI. proscriptis, qui in suis litteris Romæ datis sub die sexta Aprilis 1680. habet -- Actum fuit in terminis (in examine, scilicet, primæ propositioois) de sufficientia attritionis, atque ea coosensu omnium, qoi aderamus, sententia communis ramausit incolumis, primaque propositio solùm reprobata fuit propter suam illimitatam amplitudinem cum indistinctione speculativè tantùm probabilis a probabili etiam practicè. Scotantia autem de sufficieotia attritioois est practicè probabilis, immo moraliter, & plusquam moraliter certa -- Vindicatque vim hujus testimonii ab ioaui responsione, quam tribuit Theologia Sanctorum *cap.* 54. *n.* 638. Deinde *num.* 16. *pag.* 452. ait -- Hioe autem eruitur non mirum videri debere, si opinio necessitati formalis actus benevolæ dilectionis, & maximè, quæ sit super omnia, faveus, improbabilitatis habeator, non obstante Doctorum &c. -- Superiùs vocavit improbabilem practicè, quidquid sit de probabilitate speculativa. Ibique osteudit ab Alexandro fuisse prohibitom censurare alterutram censurâ Theologicâ, talem autem non esse improbabilitatem declarat. Insuper advertit, qoòd Decretom Alexaodri VII agit solùm de aliquali dilectione; & nunc Clarissimi Adversarii addiderunt, dilectionem Dei super omnia

Dicitque eam opinionem explicitè non reprobari, sed in sua speculativa probabilitate extrinseca relinqui, qoia licèt supponat præceptum, quod est de consilio, in actu exercito perfectiorem viam salutis inducit -- ,, Unde & a plerisque tutior ea dicitur tutioritate operationis, non autem tutioritate doctrinæ, sic salvantibus, quòd attritionis sufficientia tutior maneat tutioritate doctrinæ, quæ duntaxat præ oculis habenda pro vero sensu damnationis Propositionis, de qoa num. 11.

342 OBJIC. IV. Attritio secundùm veteres Doctores, & Divum Thomam *4. Sentent. distin. 17. quæst. 2. art. 1. quæstiunc.* 1. dicitur a fractione, quæ est in majores partes, & contritio a comminutione, quæ est in minutissimas partes: Res autem, quæ dividitur in majores partes retinet aliquid odoris, si odorifera erat, secus divisa in minutissimas partes. Cor existens in peccato est vas veneno plenum, & pessimè olet propter delectationem inordinatè captam per conversionem ad bonum commutabile. Hoc discursu posito. Sic formatur argumentum. Dispositio sufficiens ad justificationem Sacramentalem debet æquare delectationem inordinatam peccati, eamque evacuare: sed attritio nostra non evacuat omnem delectationem peccati; ergo non est dispositio sufficiens. Argumentum subministrat D. Bonaventura *4. dist. 16. prima parte art. 1. q. 1.* -- Quia fractio est in majores ,, partes, contritio in minores: & quando ,, in majores partes est fractio, sapor aliquo ,, modo remanet; ut autem nòn remaneat, ,, nec sapor, nec unitas, ideo in partes ,, minimas conteritur --

343 RESP. Sapor peccati remanens in attritione est macula habitualis secundùm D. Bonaventuram. Christiana attritio, quamvis affectivè, & actualiter detestetur, & destruat peccatum habituale, tamen in re, & effectivè illud non tollit separata a Sacramento, quia non oritur a gratia, nec eam infert; contritio autem hunc saporem evacuat, quia contritio essentialiter accepta separata a susceptione Sacramenti semper est connexa cum gratia ex ipso D. Bonaventura apertissimè id docente, & per gratiam hanc habet tollere omnem saporem commissi peccati. Ibidem subdit S. Doctor -- Et hæc delectatio totaliter removetur per pœnam æternam, & removetur per gratiam: Et ideo ,, utrobique contritio, & in pœna æterna secundùm illad *Ecclesiastici* 27. Conteretur cum delinquente delictum. Et per ,, gratiam *Psal.* 50. Cor contritum, & humiliatom Deus non despiciet. Sed aliter, ,, quia ibi conteritur in pulverem, non ,, ut aliud vas fiat: quia de impiis dicitur: Non sic impii, non sic; sed tanquam pulvis &c. Sed in contritione gratiæ est contritio ad generandum vas novum, & solidum per humorem gratiæ, ,, & lacrymarum: & ideo dicitur contritio, ,, non attritio: qoa partium tritarum est ,, unio, ut fiat vas in honorem, secundùm ,, illod de Paulo Vas electionis est mihi, ,, *& 2. Timoth.* 2. Si quis emundaverit se ab ,, his erit vas &c.

Discrimen attritionem inter, & contritionem.

Acce-

Accedente Sacramento ipsa etiam attritio conjungitur cum gratia, & omnem commissi peccati saporem evacuat. Perpetuus est D. Bonaventura, quòd dilectio benevola, & contritio substantialiter accepta semper est conjuncta cum gratia ante Sacramenti susceptionem. Loco cit. art. seq. ostendit contritionem, quæ est dolor de peccatis ex motivo charitatis esse simul in eodem instanti cum remissione culpæ, & infusione gratiæ salvo ordine prioritatis naturæ. Omissis pluribus locis, in quibus docet minimam charitatem esse formatam, sicut & contritionem, refero præcisè unum testimonium ex *distin. cit. in q. 1. art. 2. in solut. object.* — Ad illud, quod dicitur, quòd minima gratia delet omnem culpam. Dicendum, quòd dolor quantumcumque sit parvus, sufficit si sit gratiâ informatus; sed tamen nunquam gratia informat, quin vindicet sibi in corde dominium quoad actum, vel motum voluntatis rationalis, non sensualitatis — Dominium actus voluntatis per Seraphicum est prælatio substantialis Dei super omnem creaturam, quo sensu contritio est maximus dolor comparativè ad alios dolores, ut ibi optimè docet; ubi pariter docet stultitiam esse quærere hujusmodi comparationes a Pœnitentibus, estque periculo eos exponere.

344 OB. V. Eadem dispositio requiritur ad Baptisma, ac ad Pœnitentiæ Sacramentum, & totus est D. Th. ex paritate Baptismi probare, & explicare naturam Sacramenti Pœnitentiæ: sed ad Baptisma requiritur Fides dilectiva, siquidem collatum parvulis applicatur illis pro dispositione fides Ecclesiæ, quæ est dilectiva, quia non ex personali voluntate maculam contraxerunt, sed ex aliena; ergo iis, qui personaliter peccaverunt, applicari debet per fidem personalem dilectivam, & eo potiori jure, quòd minùs exigitur in mundatione a peccato contracto per alienam voluntatem.

345 RESP. Deficit argumentum, ubi illatio fit a Baptismo parvulorum ad Baptisma Adultorum. I. Quia sub lite inter Scholasticos est, num in parvulis requiratur aliqua dispositio per appropriationem ex aliena voluntate. II. Adhuc obscurum est, an debeat appropriari illis fides Ecclesiæ, vel sufficiat oblatio facta a Parentibus, & Custodibus parvulorum. III. Fides dilectiva Ecclesiæ est perfecta, & formata; adeoque inferri debet necessariam esse pro dispositione in Sacramento Pœnitentiæ charitatem perfectam, & justificationem. IV. Fides Ecclesiæ est etiam attritiva, & ut attritiva applicatur parvulis; hæc enim est proportionata Sacramento mortuorum. V. Efficacior est fides attritiva ad coarctandam voluntatem peccandi personalem, quia ab intrinseco est, quàm sit fides dilectiva aliena ad disponendam voluntatem parvuli, quia ab extrinseco, & per imputationem. Quapropter etiamsi in Baptismo parvulorum illa esset necessaria, in adulto tamen fides attritiva sufficit.

346 OBJIC. VI. Non potest esse materia Sacramenti a Christo instituti res omnino nova, quindecim primis Seculis ignota, longissimo temporis intervallo Ecclesiæ incognita: atqui doctrina de simplici attritione est hujusmodi; ergo nullatenus est sufficiens materia Sacramenti Pœnitentiæ. Assumptum putant ostendere Clarissimi Adversarii testimonio Joannis Morini *lib. 8. de Pœnitentia cap. 4.*, qui facit primos Auctores Melchiorem Canum, & quemdam Henricum Salmaticensem dicendo — Ante hos neminem legi, qui sic doceret, aut docere perhiberetur — ac refert Christianum Lupum vocantem eam, *Hesternum Commentum*, Hugonem Mathoud asserentem, *Nec voce tenus, nec significato veteribus innotuisse*, Franciscum Suarez *in 3. parte quæst. 90. art. 4. disput. 15. sect. 4. num. 17* asserentem *Nec est valde antiqua.* Hinc Ludovicus Lopez visus est audax in ea opinione asserenda, quæ nova admodum apparuit Navarro in Manuali *cap. 1. n. 36.* &c.

347 Temperandus est calamus circa hoc argumentum ob debitam reverentiam præstandam Decretis Sanctæ Sedis Apostolicæ; caeterùm possent plura dici circa primarios Auctores, quibus fidunt Clarissimi Adversarii, amatores illius criterii, quo vetera pleraque, nulla fiunt, novissima proclamantur antiquitatis prima principia &c. Nobis sufficit respondere argumento pluriès etiam in hoc Opere soluto cum Regula Ecclesiæ, qua in Tridentino Concilio proscripsit fatuas plerasque Propositiones Calvini, & Lutheri inclamantium cultum Sanctorum, suffragia Defunctorum, Indulgentias, & centena alia dogmata Catholica, esse novas opiniones, hominum inventa recenter, Scholasticorum commenta, antiquis incognita, primis Seculis inaudita &c.

Norunt Eruditi quotiès præcitati Hæresiarchæ, eorumque discipuli talibus conviciis sacrosancta Mysteria Romano-Catholica affecerint, & incautos eo colore quot deceperint. Quid fecit Ecclesia? quæsivit ne verba in Scripturis, & Patribus? Nequaquam. Ubi enim invenisset, exempli gratia, Sacramenta producere gratiam *ex opere operato*? Quæsivit sensum, & rem. Sic & nos, Quæsivimus, & invenimus doctrinam nostram in Scripturis producentibus comminationes pœnarum eo fine, ut peccatores convertantur a viis suis pessimis. Quæsivimus, & invenimus in Patribus commendantibus timorem Dei vindicis, ut efficacem ad convertendos durissimos peccatores, & hoc fine urgentibus æterna supplicia. Quæsivimus, & invenimus in iis Scripturis, in iis Patribus, in iis Conciliis, in quibus declaratur natura, & distinctio Sacramentorum, quæ dicuntur vivorum, & quæ mortuorum. Quæsivimus, & invenimus in pluribus Sanctæ Sedis Apostolicæ Decretis proscribentibus aliquas, declarantibus alias Propositiones, vel veras, vel falsas, quæ in re semper tales fuerunt, licèt non quoad nos, Definitiones enim Canonicæ non faciunt rem novam in se, sed quoad nos.

Quæsivimus etiam in Scholasticis longe ante Tridentinum, & invenimus non solùm rem, sed & nomen. Sufficit unus D. Thomas, sufficit unus Bonaventura &c., *Nomen attritionis usurpatum a Theologis ante Tridentinum.*

quos

quos produximus, nec ut primos inventores, & solos. in Monumentis Ecclesiasticis, in Doctoribus, in Ritibus Ecclesiæ &c. plura dicuntur nova, qua antiquissima sunt quoad substantiam, & nova dicuntur, quia innovata, aut in modo loquendi, aut in aliqua circumstantia &c. ut pluribus exemplis in nostris Controversiis contra Hæreticos ostendimus. Hoc idem accidit in casu nostro.

Nomen attritionis sub propriis terminis primò introductum est, quæ sub nomine generico contritionis tanquam species comprehendebatur, ut postea declaravit Sacrum Concilium Tridentinum; unde ut res nova visa est assuetis nuncupare quemcumque salutarem dolorem de peccatis sub nomine contritionis. Decursu temporis variis accidentalibus differentiis distincta fuit, ex quibus iterum orta est confusio in modo loquendi cum contritione propriè dicta. Crescente verò lucidissima claritate, quam Ecclesiæ peperit Theologia scholastica, impellente confusâ Hæreticorum congerie, doctrina attritionis purgatior evasit sub propriis conceptibus suorum, & proprietates, & efficaciam enucleantibus. Sub vestitu hoc deaurato comparens in lycæis attritiva pœnitentia extranea, & peregrina credita est ab amatoribus quibusdam præconceptæ mentis. Plurimæ latentes æquivocationes sub nomine timoris servilis, amoris concupiscentiæ &c. indistinctæ, & indigestæ nonnullos intellectus traxerunt, ut larvatum crederent attritionem, quæ nuo est ea Ancillis præclara a sapientia ad arcem vocatis.

348 Nunc mutuato a D. Augustino argumento convertimur ad Clarissimos Adversarios, & petimus quonam in Concilio primorum Seculorum, quo in Patre, qua in Scriptura, quo in monumento, quo in angulo per anteriores Ætas Venerabilis Vetustatis reperérunt suam doctrinam iis præconceptis terminis, & re, quibus vestiunt, quibus evulgant? Proferant complexum illud Amoris Dei initialis, inchoati, imperfecti, super omnia dilecti, necessarii ad receptionem Sacramenti, ad justificationem habendam in Sacramento. Tot jam relegi Scriptores pro dilectione stantes, nullum adhuc productum vidi Concilium, nullum Patrem, nullam Scripturam, nullum Monumentum antiquum, in quo phrasibus a Clarissimis Adversariis conceptis, & usurpatis eorum thesis habeatur; sed Scripturas tantùm genericas, Patres indefinitè loquentes &c. de divina Dilectione, de Pœnitentia, de Conversione ad Deum &c. (in quibus locutionibus suam putant, & dicunt contineri) pluriès legi.

Non ergo novitatis notam nobis apponant, & cum nominis novitate novitatem rei, cum tam solidè rem ostenderimus, & nomen. Profectò possemus, & nos retorquere argumentum; siquidem cum primùm non multis ab hinc temporibus audita est in doctissimis Academiis Italicis, Hispanicis, Germanicis &c. doctrina de necessitate dilectionis Dei super omnia pro justificatione in Sacramento habenda, satis peregrina (ne plus dicam) visa est.

349 Sed permittamus auctoritates productas pro novitate prætensa, aliquod ponderis habere. Quid inde legitimum infertur? Imminutio inducitur aliqualis probabilitatis extrinseca, quæ intrinsecam certitudinem conclusionis Theologicæ nequaquam minuit. Hæc tamen paululùm imminuta probabilitas ab iis auctoritatibus extrinseca longè in fluvium, & montem crevit ex pluralitate eorum, qui nobis manum dederunt. Unus ex illustrissima, & Sapientissima Familia S. Dominici Doctissimus Vir Natione Germanus voluminosum Codicem manuscriptum confecit ex Theologis Italicarum, Hispanicarum, Germanicarum Scholarum, qui opportuno tempore videbit lucem.

350 Illustrissimus *Le Drou* asserens opinionem de attritione quindecim Seculis ignotam subdit — Quæ certò instituit Christus, atque ab ipso ad Apostolos, & ab his ad sequentes ætates transmitti debuere, non potuerunt tanto temporis intervallo esse Ecclesiæ incognita, & de illis jure dicitur, quod legimus *Deut.* 32. Interroga majores tuos, & dicent tibi. Porro quòd opinio docens sufficere attritionem servilem cognitum, solùm nata sit, & in Scholas invecta decimosexto post Christum Seculo, progenitoribus Melchiore Cano, qui Tridentino interfuit, & quodam Henrico Doctore Salmaticensi; nec ejus natales excedant tempore Tridentini, testatur Solertissimus rerum veterum perquisitor Jo. Morinus *lib.* 8 *de pœnitentia cap.*4. &c. — Hæc apud Illustrissimum Le Drou. Nos autem sic discurrimus. Si hoc non dicimus verum, sed probabile tantùm est, quomodo igni non tradidit hanc opinionem Concilium Tridentinum? Majus piaculum intulisset hæc opinio Ecclesiæ, quàm Sophismata a Luthero concepta adversùs nostram attritionem; & hoc quidem probatur.

Secundùm sensum obvium præcitati textus opinio de sufficientia attritionis novam materiam substituit Sacramento Pœnitentiæ incognitam Ecclesiæ quindecim prioribus Seculis: secundùm sensum obvium ejusdem textûs, quæ Christus certò instituit &c. non potuerant tanto temporis intervallo esse Ecclesiæ incognita; Equidem dubio procul Christus instituit materiam Sacramenti Pœnitentiæ; ergo non potuit tanto temporis intervallo incognita fuisse Ecclesiæ; ergo fuit Ecclesiæ congregatæ in Concil. Trid. cognita; ergo fuit eidem cognitum novam materiam ab attritionistis invectam non fuisse a Domino Jesu Christo institutam, sed contrariam institutæ; ergo tenebatur eam anathemati subjicere, cum statuerit *Sess.* 21. substantialia Sacramentorum, neque ab ipsa Ecclesia immutari posse.

Si opinio de sufficientia attritionis novam materiam substituisset Sacramento Pœnitentiæ illam Tridentinum damnasset.

Nemo inficias ibit, quid gravius esse substituere attritionem pro nova materia contra Christi institutionem, quàm asserere eandem attritionem facere hominem hypocritam. Hoc damnavit clarè Concilium, quia

quia noviter inductum a Luthero, & non debuit damnare illud, quia noviter inventum a Melchiore Cano? Parcere non potuit erranti in re minoris momenti, & potuit parcere deficienti in graviori re, eaque damnosissimâ? Neminem latet, quòd non sit minùs absurdum asserere Sacramentum conferre gratiam sub materia non institutâ a Christo, non cognitâ Apostolis, ignotâ omnibus subsequentibus, quàm asserere absque bono motu suscipientium eandem gratiam conferre: sed illud Lutheri inventum profatipsit *cap.* 4. *Seff.* 14. sic -- Quamobrem falsò quidam calumniantur Catholicos Scriptores, quasi tradiderint Sacramentum Pœnitentiæ, absque bono motu suscipientium gratiam conferre: quod nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit; ergo illud primum debuit etiam proscribere, cum similiter dicere potuisset, *quòd nunquam Ecclesia Dei docuit, neque sensit*; Siquidem fuisset illi incognita illa doctrina, ut fingit Adversarius.

Obiter nota, quòd Ecclesia in Tridentino congregata novit dari Scriptores Catholicos, qui asserebant Sacramentum Pœnitentiæ conferre gratiam cum attritione nostrâ loco citato a Concilio descriptâ. Constat hoc idem ex propositione immediatè ab eo productâ: & ex contrario ipsius Lutheri a Concilio refutati dicentis *Alii vocant attritionem proximè disponentem ad contritionem*, quia cum Sacramento facit ex attrito contritum; ergo sciebat hanc opinionem reperiri apud Catholicos Scriptores; ergo sciebat Ecclesia usque ad illud tempus fuisse incognitam, & certò non institutam a Christo. Hac ergo supposita scientia, quomodo potuit tolerare Concilium, & non certò damnare, sicut Lutherana figmenta damnavit? Quarta Sessione præcepit Ecclesia Tridenti congregata, quòd in materiis fidei, morum, & ædificationis Ecclesiæ nemo contra unanimem consensum Patrum quidquam sentiret, vel diceret, aut scriberet. Peto hic, an doctrina, quæ nec voce tenus, nec significatu veteribus innotuit, in materia essentiali Sacramentorum, quæ sunt ex præcipuis fundamentis Ecclesiæ, sit juxta unanimem consensum Patrum? Certè non; adeoque saltem negativè est contra consensum unanimem Patrum. Quomodo ergo non prohibuit Cani doctrinam, quæ nec voce, nec significatu veteribus innotuit, ut credit Le Drou? Fieri ne potest tot de attritione dixisse in Tridentino Ecclesiam, & ignorasse fore *commentum hesternum*, & Christiano Lupo tantummodo innotuisse? Absint hujusmodi figmenta.

351 OB. VII. Nequit per se esse sufficiens dispositio pœnitentiæ solùm putativè talis: sed pœnitentia attritiva est pœnitentia solùm putativè talis; ergo nequit esse sufficiens per se. Assumptum declaratur. Pœnitentia putativè est, quæ credi debet contritio, & non est: Attritio autem, ut sufficiat, debet æstimari invincibiliter contritio, ut Vega unus ex Tridentinis Theologis expressè docuit *lib.* 13. in Trident. *cap* 33. -- Quando invincibiliter existimatur contritio, & non aliàs -- Cum Vega, & post Vegam alii plures docuerunt, quorum Catalogum putat se colligere Le Drou.

352 Fatemur aliquos id dixisse, sed non theologicè, quod evincimus certissimè. Solùm Theologi docent, quòd ignorantia invincibilis excusat ab illicito, & a peccato, quando in Sacramentis substituitur materia in re insufficiens pro sufficienti; nullatenus autem docent valere Sacramentum. Utatur Parochus liquore, qui in re non sit aqua, & credat illum invincibiliter esse aquam; Baptismus nullus est, & nullum producit effectum. Adhibeat Sacerdos liquorem, qui in re non sit vinum de vite, & credat invincibiliter esse vinum; nulla est consecratio, & in Calice nullatenus existit Christi Sanguis &c. Hoc stabilimus in Tract. de Sacramentis principium fundamentale a Doctoribus. Si ergo attritio in se est insufficiens materia pro Sacramento Pœnitentiæ, ad etiam ut existimata contritio invincibiliter, si revera contritio non est, remanet insufficiens; & Sacramentum est revera nullum, quamvis propter ignorantiam excusetum a sacrilegio. Plana res est. Quapropter attritio cognita ut talis est sufficiens; & ideo a Tridentino explicatur sub propriis terminis per proprium specificativum, & per proprium distinctivum, ut sciant fideles ejus naturam, & quomodo possint illam comparare; non enim pro sola speculativa notitia illam definit, sed principaliùs pro practico usu, propterea ejus etiam utilitates, & efficaciam exponit.

Non terreat profusus ille apparatus Auctorum, quem illustrissimus Le Drou rescripsit *cap.* 3. *Dissert.* 1. Apparatus iste dissipatus est jam a nobis in hoc Opere, & ab aliis Scriptoribus, tum posterioribus, tum anterioribus. Auctores iidem ferè sunt ab aliis adversæ opinionis patronis producti. Unicè eò tendunt, & diriguntur ad ostendendam nostram doctrinam non esse definitam canonicè, nec a Tridentino, nec ante, aut post. Ad hoc valet vis tota illius exercitus, qui in ultimis Dissertationibus præcipuè contra Francolinum iterum paucis immutatis per diminutionem, aut additionem instruitur, ut novitatem attritionis, & incertitudinem invehat; sed perperam. Non aggreditur attritionem iis dotibus ornatam, quibus a nostris Doctoribus applicatur. Aggreditur attritionem in tota sua latitudine, prout comprehendit omne genus attritionis, & in hoc secundùm aliquid prævalet. Aggreditur attritionem conceptam sub quibusdam formalitatibus speculativis præcisè, circumdatam erroneis quibusdam principiis apud aliquas theses, commixtam dubiis doctrinis, & tunc temporis obscuris, ac controversis; non autem aggredi potuit attritionem practicè expurgatam.

353 Ad eam illationem: si tempore Tridentini non erat certa assertio de attritione, quomodo certa evasit posteriori tempore? Permissâ conditionali, respondetur: Ventilabro disputationum, quo purgata est a sophismatibus, a dubiis, vel falsis principiis, sicut frumentum in area pulveribus, paleisque confusum beneficio ventilationis emundatur. *Quomodo post Tridentinum certa evasit sententia de attritione.*

D. Augustinus *lib.* 16. *de Civit. Dei cap.* 2. occasione Hæreticorum perturbantium pacem

Sanctorum, & confundentium lucem veritatis, & Scripturarum, quas extorquent, sequentem eruditionem profert — Sed hæc „ in ulum cedunt proficientium juxta illud „ Apostoli *prima Corinth.* 11. Oportet hæ„ reſes eſſe, ut probati manifeſti fiant in „ vobis. Unde etiam ſcriptum eſt: Filius „ eruditus ſapiens erit: Imprudente autem „ miniſtro utetur. Multa quidem ad Fi„ dem Catholicam pertinentia, dum Hæ„ reticorum callida inquietudine agitan„ tur, ut adverſus eos defendi poſſint, & „ conſiderantur diligentiùs, & intelligun„ tur clariùs, & inſtantiùs prædicantur: „ Et ab Adverſario mota quæſtio, diſcendi „ exiſtit occaſio — Hoc planè accidit proportionaliter in hac materia de qualitate diſpoſitionis ad Sacramentum Pœnitentiæ, cujus doctrina paulatim ſucceſſivis temporibus multiplici eſt capite obſcurata, ſimulque luminibus Scripturarum, ac Traditionibus veritati reſtituta.

Sacramentu Pœnitentiæ inſtituto in lege gratiæ neceſſitatem pœnitentiæ prædicavit Chriſtus Dominus, & prædicari juſſit ab Apoſtolis productis ſæpe motivis timoris ſervilis, ut evidenter conſtat ex Scripturis Evangelicis. Magiſtrum ſecuti, ejuſque præcepto obſequentes Apoſtoli neceſſitatem ejuſdem Pœnitentiæ univerſis Gentilibus uſque ad extremum Terræ tradiderunt, repetitis frequenter motivis ſervilis attritionis, extremi Judicii ſententiam, æternis pœnis intimantes peccantibus, & pœnitere negligentibus. Certiſſimam fidem faciunt Apoſtolicæ Epiſtolæ, Actorumque hiſtoria. Nati quoque pro Patribus noſtris conſtituti Principes filii doctrinam pœnitentiæ, neceſſitatemque Populos docuerunt, Sancti, ſcilicet, Epiſcopi, & Doctores Eccleſiæ inſtantes & ipſi momentis ad timorem ſervilem ſpectantibus; plena terrorum Patrum volumina loquuntur. Sub hac forma prædicandi, & docendi nomen, & res pœnitentiæ continebat ſub ſe duas ſpecies deteſtationis peccatorum; unam ex motivo dilectionis ortam, alteram ex motivo ſervilis timoris. Similiter nomen contritionis exinde emanatum utramque ſpeciem complectebatur, quarum prima dicitur contritio perfecta, ſecunda verò imperfecta ob motivorum inferioritatem. Pariter alia nomina inducta diſpoſitionis, præparationis, converſionis &c. eodem modo utrumque ordinem comprehendebant, utpote deducta ex Scripturis, & Patribus ad pœnitentiam provocantibus, modò ob divinam offenſam reparandam, modò ob Beatitudinem conſequendam, modò ob æterna ſupplicia fugienda &c.

Irrepſit error, quòd Sacramentum Pœnitentiæ non eſſet remiſſivum culpæ, & quòd miniſterium Sacerdotale eſſet præcisè declarativum, ſicut Arnoicum. Proinde exigitur eſt in accedente ad Sacrum Tribunal cor realiter contritum, ut vitâ ſupernaturali gratiæ ſanctificantis Pœnitens priùs viveret. Quo ſuppoſito clerâ illatione remanebat excluſa pœnitentia ſervilis. Sed quia portæ Inferni non prævalent adverſùs Chriſti Eccleſiam, damnatus evanuit a Catholicis ille error; & in ſuo robore pœnitentia a Patribus prædicata ſub motivis pœnarum, turpitudinis, & Beatitudinis æternæ firmata eſt.

Præconceptus ſenſus de amore præmittendo apud nonnullos in erronea aſſerta impulit, quòd charitas poteſt eſſe ſine remiſſione peccatorum, & quòd non ſemper eſt conjuncta cum ipſa remiſſione peccatorum, quòd exiſtens in peccato poteſt habere charitatem veram, etiam perfectam, quòd extra caſum neceſſitatis, & martyrii per contritionem etiam cum charitate, & voto Sacramenti non remittitur crimen, & alia hujus generis. Hæc omnia continentur in Bulla, *In Eminenti*, ibique cum pluribus aliis proſcripta fuere; ex quorum damnatione remanent declaratæ veræ propoſitiones contradictoriæ; ſcilicet, quòd charitas eſt conjuncta cum remiſſione peccatorum, quòd contritio ex motivo charitatis cum voto Sacramenti remittit crimen. His eruitur, contritionem charitate conceptam non eſſe de neceſſitate præmittendam ad actualem ſuſceptionem Sacramenti; quia crimen remiſſum ſupponitur, & ſtatus gratiæ.

Ne naſtra deſererent diſtinctionem interpoſuerunt, inducentes charitatem initialem, & charitatem perfectam: de hac ſecunda loqui Conſtitutiones, non de prima dixerunt, & primam neceſſariam docuerunt. Sed hinc declaratum fuit dupliciter perfectam dici charitatem: ex objecto nempe & ex ſpecie, & ex intenſione & ſubjecto; oſtenſumque eſt charitati perfectæ ex objecto, & ſpecie effectum remittendi crimen tribuere PP., & Scripturas, & Conſtitutiones Apoſtolicas. Cumque ex confeſſione Auctorum illa dilectio initialis ſit perfecta ex ſpecie, jam fit, nec eam eſſe neceſſariam.

Pœnitentia a PP. tradita, & Scripturis ſub motivis timoris ſervilis, & amoris concupiſcentiæ vocari cœpit attritio. Ab aliquibus diſtincta ſpecie a contritione propriâ evulgata eſt: Ab aliis ſolùm differens intenſione, & informitate; unde imperfecta, & inſufficiens dici cœpit. Sed ex Theologia, & Tridentino palam fit differre ſpecie; quia ex motivo ſpecificante diverſa.

Crevit bellum. Conclamatum eſt primò: Timorem ſervilem eſſe malum; deinde non eſſe bonum; quòd peccat, qui odio habet peccatum ob ejus turpitudinem ſine ullo ad Deum offenſum reſpectu; quod intentio, qua quis deteſtatur peccatum, ut cæleſtem obtineat gloriam, non eſt recta, nec Deo placens; quòd timor gehennæ non eſt ſupernaturalis; quòd attritio, quæ gehennæ metu concipitur ſine dilectione Benevolentiæ Dei propter ſe, non eſt bonus motus &c. Fæces iſtæ proſcriptæ fuerunt per Conſtitut. *SS. D. N. Alexander Divinâ Providentiâ Papa VIII.*, evaſitq. defæcata attritio Chriſtiana, quæ ab alio etiam nævo, quòd ſcilicet ſufficiat attritio naturalis, fuit expurgata per Conſtitut. *SS. D. N. Innocentius Papa XI.* Ex his conſtat verificatam in noſtro caſu regulam Auguſtini ſuperiùs indicatam. Attritio ſic purgata, & munita Scripturis, PP., ac Conſtitutionibus Apoſtolicis, ea eſt, quam defendo, meamq. defenſionem ex toto S. R. E. ſubjicio.

F I N I S.

IN-

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in Prima, & Secunda Parte hujus Tractatus continentur.

Numerus paginæ columnam designat, littera verò columnæ locum.

A

Christus

Google

D

E

H

I

Kem-

K

L

M

eui-

Google

Digitized by Google

R

Sa-

S

Spes

Digitized by Google

T

V

Vitæ

FINIS.

9-2

Digitized by Google